PRINCIPIA IURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS, ET PARTICULARIS GERMANIAE, …

Gregor Zallwein

Digitized by Google

2.3-100

Google

PRINCIPIA
JURIS
ECCLESIASTICI
UNIVERSALIS, ET PARTICULARIS GERMANIÆ,

UBI AGITUR

DE NATURA, ORTU, ET PROGRESSU, FINE ET OBJECTO, FONTIBUS ORIGINARIIS, ET COLLECTIONIBUS ANTIQUIS, NOVIS ET NOVISSIMIS, AUTHORITATE, USU ET STUDIO JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS, NEC NON STATU PARTICULARI ECCLESIARUM GERMANICARUM, AC COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICO-GERMANICI.

ACCEDUNT

QUÆSTIONES ALIÆ,

DE STATU ECCLESIÆ, ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA, DE LIBERTATIBUS ECCLESIARUM ITA DICTIS, VEL POTIUS PRÆROGATIVIS EARUM PRÆSERTIM GERMANICARUM, NEC NON DE PRÆROGATIVIS ET JURIBUS SPECIALIBUS ECCLESIÆ METROPOLITICO-SALISBURGENSIS.

TOMI IV.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

AUTHORE

P. GREGORIO ZALLWEIN,

Ord. S. Bened. Monaſterii Weſſofontani Superioris Bavariæ Profeſſo, J. U. Doctore, Almæ & Archiepiſcopalis Univerſitatis Salisburgenſis Rectore Magnifico, nec non SS. Canonum Profeſſore ibidem emerito, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi, & S. R. I. Principis Salisburgenſis &c. Conſiliario actuali intimo.

TOMUS III.

DE STATU ECCLESIARUM, GERMANICARUM, JURE PARTICULARI ECCLESIASTICO ANTIQVO ET NOVO GERMANIÆ ET EJUSDEM COLLECTIONIBUS.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. ET OENIPONTI,

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIII.

Digitized by Google

II
56

Omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete.
1. Theſſal. 5. v. 21.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Ex quo Jus eccleſiaſticum univerſale una cum *fontibus originariis* & *collectionibus Juris antiqui, novi & noviſſimi* dilucidavi, & dilucidando abſolvi, reliquum eſt, ut ad liberandam fidem datam Juri eccleſiaſtico particulari Germaniæ explicando me accingam, cujus diſcuſſionem tanto majori gaudio ſuſcipio, quanto copioſiorem ſcribendorum congeriem mihi offerri conſpicio. Equidem intentio mea nunquam fuit in hac materia longius excurrere, mihique aliud conſtitutum non erat, quam Canones, Conſtitutiones, Pacta, fœdera, aliaque ad Jus Germaniæ explicandum pertinentia exponere, &, quantum in me eſt, excolere. Porro autem, dum vix intellectum ad cogitandum applicueram, & manum ad ſcribendum admoveram, mox ingentem animi niſum, & impetum (neſcio quo fato id factum eſſe exiſtimem) in me excitari, eoque vehementer impelli ſentiebam, ut ex Hiſtoria tum eccleſiaſtica tum civili quædam depromerem, & pro illuſtrandis juribus patriis communicarem, atque in id præprimis incumberem, ut nexum inter Eccleſiam & Imperium, inter Pontifices, Epiſcopos, Imperatores, Reges & Principes commonſtrarem, tanto majorem utilitatem me allaturum exiſtimans, quanto majorem operam hodierni Politici non Acatholici dun-

Digitized by Google

taxat, ſed etiam Catholici in eo collocant, ut utriusque Reipublicæ nexum inter ſe ſolvant, Eccleſiam cum Imperio collidant, & jurium Pontificiorum & Epiſcopalium fines aut confundant, aut immutent.

Ecquid enim hodie frequentius, quam quod hodierni Politici in vindicandis juribus ſuorum Imperantium ad antiquos Reges & Imperatores Conſtantinos, Theodoſios, Valentinianos, Pippinos, Carolos Magnos, & Ottones provocent, jura Imperatoria & Regia hodierna ſecundum menſuram antiquiorum temporum emetiri, eaque omnia illis vindicare ſoleant, quorum exercitium Eccleſia œconomiæ ſingularis cauſa illis conceſſiſſe legitur? His vero qua arte alia efficaciter obviabimus, niſi arma armis opponamus, & lucullentiſſimis argumentis commonſtremus, quid rerum olim actum, & cur hoc, & non alio modo factum fuerit?

Equidem haud me latet, quod Scriptores Acatholici æque ac Catholici ſæcula ævi medii non raro nigerrimis depingant coloribus tanquam ſæcula ignorantiæ, inſcitiæ, ſimplicitatis, ruditatis, & ſuperſtitionis, & provocationes ad illa tempora admittere dedignentur. Sed quid mirum? in iis tantum provocant, quæ ſibi ſuisque principiis Pſeudo-Politicis cohærentia eſſe deprehendunt. Quod ſi exempla & facta antiqua cum iis non cohærere animadvertunt, mox inverſo ordine Reges & Imperatores illius ævi ſimplicitatis, ſuperſtitionis & phantaſticæ pietatis reos faciunt, & quidquid minus recte geſtum eſſe exiſtimant, id totum in Pontifices & Monachos illorum temporum refundere conſueverunt. Atque in hoc ipſo Politici Catholici longe ſunt deteriores, ac deterioribus longe principiis ducuntur, quam Acatholici. Hi enim conformiter ſuo Religionis ſyſtemati, & principiis loquuntur & ſcribunt, illi vero improvide horum principia adoptantes in Religionis ſuæ principia paſſim impingunt. Neque id mirum videatur: id enim laudis tribuendum eſt Doctoribus Proteſtanticis, quod totis viribus, & toto conatu in literarum

rarum maxime ſtudia incumbant, cum tamen non pauci ex noſtris ad ſuprema honorum ac dignitatum ſubſellia promoveantur, priusquam requiſitam ad munus rite obeundum ſcientiam ſibi compararunt, qui proin, quidquid in aliquo Doctore proteſtantico legerunt, aut ex illius ore audiverunt, inſtar æternæ Veritatis a Delphico oraculo pronuntiatæ adorant. Expendant quæſo hi tales, undenam tot funeſta Eccleſiæ ſchiſmata Eccleſiam olim devaſtantia ſuam traxerint originem, niſi quod ſacra profanis & profana ſacris fuerint mixta, & ſeu Pontifices, ſeu Imperatores alienos fines invaſerint, de quibus regundis poſtea agendum erat. Superi ſimilia fata a finibus noſtræ Germaniæ quam longiſſime avertant.

Cæterum originem Eccleſiarum Germanicarum præcipuarum in laudem earum & totius Nationis Germanicæ longius deduxi: tum quod eam ignorare turpe, ſcire vero perquam ſit utile & perhonorificum. Prærogativas quoque earum, quantum par erat, exornare contendi, utpote, quæ tales ac tantæ ſunt, ut Eccleſias reliquas omnes ſuperare videantur. Et quoniam Eccleſiæ Germaniæ & Galliæ ſaltem cis Rhenanæ & occidentales quam diutiſſime ad diviſionem usque Imperii in arctiſſima communione jurium ſteterunt, nemo prudens mihi vitio vertere poterit, quod in res Galliarum recenſendas longius excurrerim, & ab earum juribus jura Germaniæ dimenſus fuerim, eo quod hæc rebus Patriæ plurimam lucem affundere, nemo ſit, qui ignorat.

In eo plurimum operæ collocavi, ut communionem & nexum arctiſſimum inter Eccleſiam Romanam & Eccleſias Germaniæ quoad fidei non tantum, ſed etiam diſciplinæ capita demonſtrarem, qui, quamvis aliquoties rumperetur, nunquam tamen ex integro rumpi potuerat. Ea nempe fuit ſemper Germanorum magnitudo, ac reverentia erga ſedem Pontificiam, ut maluerint notabiliſſimam ſuorum jurium partem in manibus Pontificum generoſius relinquere, quam illis pertinacius inhærere, & communionis vinculum diſrumpere.

Digitized by Google

Sed neque nexum inter Eccleſiam & Imperium commonſtrare intermiſi, de quo ita caute, circumſpecte & moderate me ſcripſiſſe exiſtimo, ut nemo de violato ſuo jure cauſam querendi habeat, ſed utrique parti ſua jura ita vindicare contendi, ut tamen abuſus, & jurium invaſiones ac uſurpationes non diſſimulaverim. Et quid prodeſt diſſimulare, tegere, aut omnino negare defectus, quos Acatholici plenis buccis exaggerant, & per orbem univerſum propalant? longe melius honoribus Eccleſiæ & Pontificum conſultum exiſtimo, ſi illorum defectus, in quibus donum Infallibilitatis ſibi promiſſum non habent, cum debito reſpectu & reverentia fateamur, &, quantum par eſt, excuſemus, quam ſi illos, quos negare non poſſumus, negemus, & Eccleſiam noſtram irriſionibus & exploſionibus Acatholicorum exponamus.

Ultima præcipue Reformationis ita dictæ tempora meam defatigarunt operam. Hæc tempora dura & aſpera, ferrea, & Religioni Catholicæ, Eccleſiæ Romanæ, ac Germaniæ inimica, fatalia & exitialia. Hæc enim ſunt illa tempora, quibus ſtatus Eccleſiarum Germanicarum miram ſubiit metamorphoſin. Hæc illa tempora, quibus nexus inter Eccleſiam & Imperium ex integro diſſolutus, jamque Eccleſia in Rempublicam politicam fuit tranſmutata. Hæc illa tempora, quæ Hierarchiam eccleſiaſticam integram ſubverterunt. Hæc nempe ſunt tempora Reformationis. Boni ſuperi! quis credat, ſibique perſuadeat, quod Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam, & quidem ſupra petram collocatam, per tot ſæculorum decurſus erroribus innumeris, iisque prorſus graviſſimis ac enormibus immerſam derelicturus, quemadmodum fingunt Proteſtantes, & tandem homines heri natos, nulla doctrinæ authoritate, nulla ſanctitatis gloria inſignes, nulloque ſigno characteriſtico, quo ſuam Miſſionem probare poterant, inſignitos ad grande opus Reformationis inchoandum, perficiendum, conſummandumque ſit aſſumpturus?

Quapropter

Digitized by Google

Quapropter in illuſtrando jure eccleſiaſtico Germanico noviſſimo, quod præcipue Pax Religioſa & Weſtphalica conſtituunt, me longius detinui, & in id omnem impendi operam, ut Proteſtanticorum principia noviora, ſyſtemata noviter cuſa, hypotheſes noviter excogitatas, Interpretationes antea inauditas detegerem, & Juvenes, qui ſæpe principia Juris publici aut in univerſitatibus proteſtanticis imbibunt, aut ex libris proteſtanticis hauriunt, quodammodo contra ea præmunirem. Præcipuum fere hujus ſcriptionis finem & ſcopum, cur de jure particulari Germaniæ jam in prima eaque univerſali hujus operis Præfatione me fuſius deduxiſſe memini.

Itaque macti animo Juvenes optimi & ſelectiſſimi, Germaniæ ſurculi nobiliſſimi, ſpes patriæ, tota animi contentione vos juri patrio ſtudendo, excolendoque dedicate, conſecrate, nullis laboribus parcite, atque in id ſatagite, ut in columnas fortiſſimas, quibus res Germaniæ & Patriæ veſtræ nobiliſſimæ ſuccolantur, evadatis. Tu vero, Lector, quisquis hanc opellam legere dignatus fueris, vale, & iterum vale, ac fave.

INDEX

INDEX
QUÆSTIONUM & CAPITUM.

QUÆSTIO I.

De Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ antiquiori usque ad Carolum IV.

CAP. I. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore nativitatis Chriſti usque ad Conſtantinum Magnum.

CAP. II. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore Conſtantini M. usque ad initium Monarchiæ Franciçæ.

CAP. III. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum ab origine Monarchiæ Francicæ usque ad Imperatores Germaniæ.

CAP. IV. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum ſub Patriciatu & Advocatia Regum, Imperatorum, aliorumque Advocatorum.

CAP. V. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore Imperatorum germanicorum usque ad Carolum IV.

CAP. VI. De Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ.

QUÆSTIO II.

De Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ ab ævo Caroli IV. usque ad noſtra tempora.

CAP. I. De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a Carolo IV. usque ad Carolum V.

CAP. II. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore Caroli V. usque ad noſtra tempora.

CAP. III. De Jure eccleſiaſtico noviori particulari Eccleſiarum germanicarum, in ſpecie de Concordatis Germaniæ.

CAP. IV. De transactione Paſſavienſi, & Pace religioſa.

CAP. V. De actis potiſſimum in negotio Religionis a tempore Pacis religioſæ, usque ad Pacem Weſtphalicam.

CAP. VI. De Pace Weſtphalica.

CAP. VII. De Jure reformandi, ſimultanei, & Juriſdictionis epiſcopalis ſecundum ſyſtema commune, & antiquum.

CAP. VIII. De Jure reformandi, ſimultanei, & Juriſdictionis epiſcopalis ſecundum ſyſtema novum.

CAP. IX. De aliis controverſiis ex pace Weſtphalica natis, ſpecialiter de Jure primarum precum.

QUÆSTIO I.

QUÆSTIO I.

DE JURE ECCLESIASTICO PARTICULARI GERMANIÆ ANTIQUIORI USQUE AD CAROLUM IV.

HActenus induſtria noſtra deſudavit in explicando jure eccleſiaſtico univerſali, fontibus originariis, & collectionibus ejusdem; nunc autem dicemus de jure particulari Germaniæ, quod duabus quæſtionibus favente Numine orbi literario & publico communicare conſtituimus, in quarum prima de Jure eccleſiaſtico Germaniæ antiquiori usque ad tempora Caroli IV.; in altera de jure eccleſiaſtico noviori ad noſtra usque tempora agemus. Præſentem Quæſtionem in ſex capita dividemus, in quorum 1mo ſtatum Eccleſiæ Germanicæ a tempore Nativitatis Chriſti usque ad Conſtantinum Magnum; in 2do usque ad initium Monarchiæ Francicæ; in 3tio usque ad tempora Imperatorum Germaniæ; in 4to ſtatum Eccleſiarum ſub Advocatis; in 5to ſtatum Eccleſiæ usque ad tempora Caroli IV.; & demum in 6to ipſum Jus Germanicæ ſeu canones, leges, & conſtitutiones ad Eccleſiæ Germanicæ ſtatum pertinentes explicabimus. Studium iſtud tanto nobis iucundius accidere debet, quanto utilius eſſe dignoſcitur, & turpius nobis videri debet patria ignorare jura, quorum ignorantia quo fœdior, eo etiam bono patrio pernicioſior. Superi adſint conatibus & laboribus noſtris.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Nativitatis Chriſti usque ad Conſtantinum Magnum.

CAPUT II.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Conſtantini M. usque ad initium Monarchiæ Francicæ.

CAPUT III.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum ab origine Monarchiæ Francicæ usque ad Imperatores Germaniæ.

CAPUT IV.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum ſub Patriciatu & Advocatia Regum, Imperatorum, aliorumque Advocatorum.

CAPUT V.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Imperatorum Germanicorum usque ad Carolum IV.

CAPUT VI.

De Jure Eccleſiaſtico particulari Germaniæ.

Digitized by Google

CAPUT I.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Nativitatis Chriſti usque ad Conſtantinum Magnum.

§. I. *Quomodo Eccleſia Germaniæ ſit dividenda a tempore Julii Cæſaris usque ad Conſtantinum M. in ordine ad intelligendum Statum tam Eccleſiaſticum quam Politicum illius?* II. *Qualem diviſionem Conſtantinus M. fecerit?* III. *Quo tempore Religio Catholica in Germaniam fuerit invecta?* IV. *Quænam Eccleſiæ Epiſcopales in Germania erectæ?* V. *Quis fuerit Status Eccleſiæ & Religionis Catholicæ per tria prima Sæcula?* VI. *Quale regimen Epiſcoporum, & an inter ipſos aliqua fuerit forma regiminis Hierarchici?* VII. *Quis nexus inter Epiſcopos Germaniæ & Romanos Pontifices?* VIII. *Qualis cum Imperio politico?*

§. I.

Inquiritur in fines Germaniæ in ordine ad Statum eccleſiaſticum.

Non eſt nobis animus Germanorum originem, illorumque nomina, fata, & viciſſitudines, neque ipſius Germaniæ antiquiſſimos fines in plures populos & Respublicas, in quibus plena dominabatur libertas, diviſos, multo minus diverſiſſimarum Germanicarum Gentium diverſiſſimas provincias, inhabitantium mores, aliaque ad ipſas ſpectantia accuratius inquirere, recenſere, & evolvere. Itaque nobis aliud animo fixum non eſt, quam Germaniæ fines in ordine ad Statum eccleſiaſticum ita determinare, ut, in quibus provinciis nova Religio catholica invecta, quæ in illis erectæ Eccleſiæ magis præcipuæ; & quis earum Status, quale regimen, quis nexus cum Eccleſia Romana, cum Statu publico, determinare valeamus. Quare prætermiſſa illa periodo, quæ ad Conſulatum usque Julii Cæſaris pertingit, & incidit in annum U. C. 693. ante Chriſtum natum 57. ab hoc anno & conſulatu Julii Cæſaris auſpicamur: cum ab hoc tempore Germani Romanorum armis laceſſiti amiſſa ſua libertate magna ex parte illorum imperio fuerint ſubacti, & ipſe Julius Cæſar poſt ſubactam totam Galliam ſua victricia arma per omnem Germaniam minorem ſeu Cis-rhenanam circumtulerit, eamque Romanis ſubjecerit.

A conſulatu Julii Cæſaris auſpicamur.

Itaque

Diviſio Germaniæ in Cis- & Trans- Rhenanam, minorem & magnam, primam & ſecundam.

Itaque hoc tempore Germania diviſa erat in Germaniam *Cis-Rhenanam* ſeu *Minorem*, & *Trans-Rhenanam* ſeu *Magnam*. Illam priorem Romani una cum Gallia & Belgio ſubjecerunt ſuo Imperio: hæc Romanorum armis non paruit, & quamvis bellis ſæpe attrita libertatem tamen retinuit. Germania *minor* rurſus erat vel *prima*, ſive *ſuperior*; vel *ſecunda* ſive *inferior*. Illa prior complectebatur Tribocos, Nemetas, & Vangiones, ſeu diſtrictum Moguntinum, Argentoratenſem, Spirenſem, Wormatienſem, cujus Metropolis erat Moguntium: poſterior protendebatur ad Belgas ſeu Tungros usque, ubi hodie Ducatus eſt Juliacenſis, illiusque Metropolis erat Colonia Agrippina. Germania Magna complectebatur Provincias Trans-rhenanas. Ad Occidentem terminabatur Rheno, ad Meridiem ſaltem tempore Taciti Danubio; ad Septentrionem ſinu Cadano, nunc Balthico vocato. Ad Orientem incerti ſunt limites, quos ne quidem Tacitus determinare auſus fuit, ſimpliciter aſſerens: *a Sarmatis, Daniſque mutuo metu aut montibus ſeparatur.*

Fines Germaniæ.

De Rhœtia & Norico, & utriusque finibus.

Sed quid de Rhœtia tam prima, quam ſecunda, quam etiam Vindelicam vocant, & de Norico? dubitant Scriptores, an olim ad Germaniam pertinuerint: tum quod Tacitus fines Germaniæ ad Danubium terminet: tum quod originem Gentis Rhœticæ doctiores non a Germanis, ſed a Tuſcis arceſſere ſoleant (a). Quidquid de hoc ſit, ſaltem ex poſt facto tam Rhœtia & quidem utraque, quam Noricum Germaniæ fuere accenſita. Vindelicia ita dicta a fluminibus, quæ illam regionem rigant, nempe a Vinda Auguſtam a ſiniſtra abluente, & a Lico cum Vinda confluente, erat illa pars Germaniæ ſeu Provinciæ Rhœtorum, quæ a lacu Brigantino ad Danubium, quo a Germania minore, & ad Oenum usque, quo a Norico ſeparata fuit, ſeſe extendit. Rhœtia complectebatur illos populos, qui a lacu Brigantino in Alpibus usque ad fines ſunt Italiæ. Urbs Metropolis Vindelicorum fuit Auguſta, Rhœtorum Curia. Olim ſub nomine Rhœtiæ veniebat utraque Rhœtia, eſto fuerint duæ Provinciæ, quia parebant uni Præfecto, licet iterum fuerint ſeparatæ. Noricum denique eſt Provincia Romana inter Danubium & Alpes Noricas, & ab Oeno flumine ad Cetium usque montem, qui fines Pannoniæ determinabat, ſe extendebat, magnamque partem Auſtriæ, Styriæ, & Carinthiæ una cum Juvavia ſeu Salzburgo complectebatur: & dividebatur in Noricum *Ripenſe*, quod per ripam Danubii erat, & Urbem Metropolim habebat Lau-

(a) Vid. M. Velſerus lib. 1. Rer. Aug. Vindel.

Digitized by Google

Laureacum (vulgo Lorch); & *Mediterraneum*, quod vergebat ad Alpes, cujus præcipuæ Urbes fuerant Tiburnia, Juvavia, Celeia, Æmonia. Atque hæc pro aliquali notitia de Germania ſecundum communiores regulas Geographiæ conſiderata ſufficiant, ſine qua impoſſibile foret originem Eccleſiarum, & Diœceſium in Germania determinare. Longe accuratiſſimam Germaniæ veteris & novæ Geographiam exhibet Chriſtophorus Cellarius, ex quo pleraque hactenus dicta, conſultis tamen etiam aliis Scriptoribus celebrioribus, excerpſimus.

§. II.

Diviſio orbis Romani in Orientalem & Occidentalem a Conſtantino facta. Item in Præfecturas & Diœceſes.

Poſtquam Conſtantinus M. rerum ſumma potitus fuit, ille orbem Romanum diviſit in *Orientalem*, & *Occidentalem*, & utrumque in quatuor Præfecturas ſupremas ſeu Prætoria, quibus ſubjectæ erant *Diœceſes*, quarum quælibet plures continebat provincias; provinciæ vero plures regiones. Itaque quatuor erant Præfecti Prætorii, nempe Præfectus Prætorii Orientis, & Illyrici, item Præfectus Prætorii Græconii Italiæ, & Præfectus Prætorii Galliarum, quorum duo priores Orienti; poſteriores duo Occidenti præerant. Præfectus Prætorio Galliarum tres regebat Diœceſes, Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam. Diœceſis Galliarum juxta quosdam ſeptendecim; juxta alios quatuordecim continebat provincias, quas videre eſt in Geographia Imperii Occidentis. Itaque ad Gallicanam Diœceſin pertinebant utraque Germania, & potiſſimum illæ partes Germaniæ, quæ ad Rhenum Imperio Romano fuerunt ſubjectæ; item Belgica prima, & Belgica ſecunda. Inter Metropoles harum provinciarum ſingulariter eminuit Treviris, quæ, quia ſedes fuerat Præfecti Prætorii Galliarum, in Codice Theodoſiano vocatur Urbs Clariſſima, & paſſim apud Scriptores audit Auguſta Trevirorum (b). Deſcriptionem longe accuratiſſimam Galliæ juxta diviſionem antiquiſſimam in *Comatam* & *Bracatam*, juxta alteram in *Belgicam Celtiam* & *Aquitanicam*, juxta aliam minus celebrem in 60. civitates & 400. circiter pagos, quam ex Strabone lib. 4. Tac. lib. 3. Annalium, Vopiſco, Ptolemæo, Cæſare, Joſepho & Appiano colligere licet, & demum juxta noviſſimam in 14. provincias exhibet Elias Du Pin (c). Ad Diœceſin Italicam relata fuit utraque Rhœtia: ſub

(b) Unde Epiſcopi Trevirenſis authoritate olim convocata fuiſſe concilia Nationalia, probabile viſum fuit Petro de Marca lib. 6. de concor. cap. 17.

(c) De antiq. Eccleſ Diſcip. Diſſert. I. §. X.

Diœceſi Illyrici erat Noricum & Pannonia. Hæc ideo dicta volumus: quia per plura ſæcula Status eccleſiaſticus Germaniæ & Galliæ etiam ævo Carolingico arctiſſimo nexu ita fuit conjunctus, ut utriusque regni Epiſcopi in conciliis communius convenerint, eodem jure uſi fuerint, in plerisque diſciplinæ eccleſiaſticæ capitibus conſpiraverint.

§. III.

Omnes Europæ populi de Apoſtolo ad ſe miſſo gloriantur.

Acturi de origine Religionis Catholicæ, nec non Eccleſiarum Germaniæ illud ante omnia animadvertimus, quod inter populos, qui Europam incolunt, vix ullus ſit, qui non aut Apoſtolum quemdam, aut aliquem ex 70. Diſcipulis, aut ſanctum quemdam hominem ab Apoſtolo quodam legatum ad ſe veniſſe glorietur, ſuaque incunabula ad tempora Apoſtolorum referat. Hiſpani S. Paulum & Jacobum Maiorem, aliosque ex 70. Diſcipulis & Apoſtolorum ſociis haud paucos ſuis terris lumen chriſtianæ Religionis intuliſſe prædicant: Galli Paulum ipſum, aut illius diſcipulum & comitem Clementem, & Lucam; item Trophimum a B. Petro miſſum, Dionyſium Areopagitam, Lazarum, Mariam Magdalenam, & alios ſatores veræ fidei reverentur. In Italia vix ulla eſt urbs, quæ non a Petro aut Paulo ſuum primum Epiſcopum accepiſſe perhibet. Britanni ipſum S. Paulum, Simeonem Zeloten, Ariſtobulum, & præcipue Joſephum Arimathæum Eccleſiæ ſuæ conditores eſſe opinantur. Rutheni, Poloni, Boruſſi S. Andream Eccleſiarum ſuarum parentem venerantur. Quid de Germanis dicam? Etiam hi ſuæ gloriæ non ſatis fore conſultum exiſtimant, niſi prima ſuæ Religionis incunabula ad Apoſtolorum tempora referant. Idcirco Maternum, Valerianum, aliosque plures a Principe Apoſtolorum ad ſe legatos, & ab his doctrinas Chriſti ſe accepiſſe gloriantur.

Quoniam vero noſtris temporibus criticis, quibus antiquiſſima hiſtoriarum documenta ad longe accuratiorem limam vocantur, hæ hiſtoriæ paſſim in dubium vocantur, & acta, ex quibus probantur, veluti ſpuria aut certe dubia reiiciuntur, haud pauci emunctæ naris & veritatis ſtudioſiores Viri non acatholici duntaxat, ſed etiam Catholici exiſtimant, ſtudium iſtud derivandi origines Eccleſiarum ab ævo apoſtolico poſt Caroli M. ætatem ab hominibus partim indoctis, partim aſtutis ex hac antiquitate ingens gloriæ pondus ſuæ genti acceſſurum exiſtimantibus fuiſſe aſſumptum, hosque, ut honoribus ſuæ pa-

Undenam hoc ſtudium veniat?

triæ

Digitized by Google

triæ conſulerent, ſimilia acta aut confinxiſſe, aut ex malo rerum & nominum intellectu in ſimiles opiniones delapſos (d).

Origo Religionis Catholicæ in Germania ab Apoſtolis.

Sed ut ad id veniamus, cujus gratia hæc diximus, de origine Religionis Catholicæ, & Eccleſiarum Germaniæ videamus. Sunt Authores authoritate & eruditione pollentes, qui illam ad tempora Apoſtolorum referendam non dubitant: tum ut gloriæ ſuæ gentis conſulant: tum ut primarum Germaniæ Eccleſiarum honores (e) conſervent. Nituntur triplici potiſſimum argumento, quorum primum depromunt ex ipſis Scripturis, in quibus Apoſtolus Paulus teſtatur, *exiiſſe in omnem terram ſonum Apoſtolorum, & in omnem terram verba eorum* (f). Alterum deſumunt ex primordiis Eccleſiæ Gallicanæ: cum enim eo ævo Germania minor ſeu Cis-rhenana, quam Romani ſuis ditionibus ſubiecerunt, & in primam & ſecundam, ſuperiorem & inferiorem diviſerunt, fuerit pars Galliæ in tres partes diviſæ, vel potius Diæceſeos per Gallias diffuſæ, fieri non potuit, ut Religio Chriſtiana in Galliam, & non ſimul in Germaniam ſaltem minorem (de Germania Magna ſeu Trans-rhenana tunc temporis ipſis Romanis parum cognita aliud dicendum) diffunderetur. At vero in Galliam jam ævo apoſtolico Religionem Chriſtianam fuiſſe invectam, imo Apoſtolorum principes Petrum & Paulum primos illius fuiſſe ſatores, dubitare non ſinunt ſequentia: Inprimis enim de Petro perhibent teſtimonia

Ex Scriptura oſtenditur.

Germania fuit pars Galliæ.

(d) Auguſt. Calmet Hiſtoire de Lorraine Tom. I. p. 26. Joan. Launoius Diſſert. qua locus Sulpitii Severi de primis Galliæ Martyribus defenditur, operum Tom. II. P. I. p. 184. *Media ætate orta eſt inter Eccleſias ſuper antiquitate originum ſuarum contentio, & certa quædam æmulatio, quæ fecit, ut cum ſimplicem veritatem ultro oblatam facile proferre poterant, ſategerint, ut mendacia cum labore confingerent. Etenim dum reconcinnarunt pleraque primorum Epiſcoporum acta, nunc adſtipulante nominum ſimilitudine, Trophimum, puta Arelatenſem, & Paulum Narbonenſem, qui ſub Decio venerant in Galliam, cum Paulo & Trophimo Sergio, Pauli Apoſtoli ſectatoribus confuderunt, nunc eadem vel alia de cauſa Ruſum e Macedonia Avenionem, & Lazarum e Cypro Maſſiliam traduxerunt, nunc alios a ſecundo vel tertio Eccleſiæ ſæculo revocarunt ad primum, eosque vel Petri vel Clementis diſcipulos, quos ſæpe nominant, affirmarunt: nunc etiam alios conſtituerunt, de quibus per antiquæ traditionis teſtes ante Caroli M. tempus nihil licet pronuntiare.*

(e) Tales ſunt Trevirenſis, Colonienſis.

(f) Ad Rom. 18.

Digitized by Google

Religio Catholica ævo apoſtolico, venit in Galliam.

Quales Apoſtoli & Apoſtolorum diſcipuli in Galliam venerint?

nia ferme innumera, quod Trophimum ſuum diſcipulum miſerit in Galliam; hic vero Eccleſiæ Arelatenſis primus fuerit Epiſcopus, ex qua veluti primario fonte Religio Chriſtiana in omnes dimanavit Galliæ provincias (g). Paulus aut ipſe venit in Galliam, & magnam illius partem peragravit, aut certe eo miſit Lucam & Creſcentem ſuum diſcipulum. Primum illud inde demonſtratur, quod Paulus teſtibus Athanaſio, Epiphanio, Chryſoſtomo, Theodoreto & Hieronymo Evangelii prædicandi cauſa in Hiſpaniam profectus fuerit, quo in itinere ipſi neceſſario pergendum fuit per celeberrimam illam apud veteres viam publicam, quæ ab Italia per Gallias in Boeticam ducit. Illud alterum teſtatur ipſe Paulus Apoſtolus 2. Timoth. 3. (h), quo in loco pro *Galatia* legendum eſſe *Gallia* plures cum Epiphanio (i) & Euſebio exiſtimant (k). Quid quod ex quorumdam ſententia Philippus Apo-

(g) Vid. Epiſt. Petri de Marca *de Evangelii in Gallia initiis*, ubi hiſtoriam controverſiæ inter Epiſcopos Arelatenſem & Viennenſem ſuper jure Metropolitico agitatæ recenſet, & tam reſcriptum Zoſimi, quam libellum ab Epiſcopis provinciæ Viennenſis Leoni Pontifici oblatum, & hujus deſuper reſponſum, nec non antiquiſſima Martyrologia præſertim Adonis Viennenſis refert, quæ omnia in favorem Epiſcopi Arelatenſis ſunt ſcripta, eidemque jus Metropoliticum adſcribunt, certe non ex alio fundamento, quam quod Eccleſia Arelatenſis antiquitate emineat, utpote a Trophimo fundata. Ex his notatu digna ſunt verba libelli anno 450 Leoni oblati: *omnibus Gallicanis regionibus notum eſt, ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ incognitum, quod prima intra Gallias Arelatenſis civitas miſſum à beatiſſimo Petro Apoſtolo ſanctum Trophimum habere meruit ſacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei, & religionis infuſum.*

(h) *Creſcens in Galatiam. v. 4.*

(i) Hæreſ. 51. *illud quippe commiſſum eſt Lucæ uni ex 72., quos Chriſti ſermo diſſiparat, quem dein S. Paulus revocavit. Huic igitur prædicandi Evangelii munus creditum eſt, quod ipſe primum in Dalmatia, in Gallia & in Macedonia præſtitit, ſed in Gallia præ cæteris.*

(k) *Eodem modo cæteris antiquior Euſebius tuus legit in Codice Pauli Galliam, quemadmodum Epiphanius, ſi recte verba ejus expendantur, & vera apud authorem illum lectio retineatur ex Rufino, & omnibus Codicibus manuſcriptis*, ait Petrus de Marca loc. cit. N. 3.

Apoſtolus magnam Galliæ partem notitia Chriſti imbuiſſe credatur (l), Divinus ille Dionyſius Areopagita, cujus ſit mentio in Actibus Apoſtolorum (m) Eccleſiam Pariſienſem fundaverit (n), & demum celeberrimi illi Eccleſiarum Gallicanarum Antiſtites Paulus Narbonenſis, Martialis Lemovicenſis, Saturninus Toloſanus Apoſtolorum auditores & ſocii fuerint, priusquam in Galliam venirent (o).

Apoſtoli Germaniæ vulgo recenſiti.

Tertium argumentum depromunt ex vulgata eaque antiquiſſima traditione, ex qua refertur, quod S. Petrus tres ſuos comites Eucharium, Valerium & Maternum in Galliam Belgicam amandaverit; his vero divina clementia eousque faverit, ut Colonienſem, Trevirenſem, Tungrenſem, Leodienſem, aliasque Eccleſias formaverint, formatasque ad obitum usque ſuum gubernaverint: quorſum ſpectat vulgatiſſima illa hiſtoria de miraculoſo illo baculo paſtorali S. Petri, quo ſanctum Maternum a mortuis reſuſcitatum ferunt, cujusque partes Coloniæ, & Treviri in hodiernum usque diem oſtenduntur (p).

Hiſtoria de baculo Petri.

Et ſimiles traditiones ſunt incertæ.

Verum, quoniam hodie ſunt viri primæ eruditionis, qui has omnes traditiones & hiſtorias, earumque authoritatem argumentis prorſus validiſſimis impugnant, illamque reddunt valde dubiam, ſequitur, ex his omnibus nihil certi pro origine religionis chriſtianæ primitus in Germania ſatæ afferri poſſe. Ille textus Scripturæ nunquid in ſenſu accommodo accipi poteſt? in quo accipitur ille: *exiit Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis* (q)?

Auſpicia Religionis in Gallia ſunt incerta.

Quoad auſpicia Religionis chriſtianæ in Gallias introductæ magna animorum contentione inter celeberrimos Galliarum ſcriptores dimicatur, jamque vix ullus amplius eſt, qui omnes illas hiſtoriolas & traditiones in vim argumenti aſſumere audeat. Illam præprimis hiſtoriam de adventu Dionyſii Areopagitæ, de cujus corpore tantopere inter Religioſos principalis Eccleſiæ S. Emmerami Ratisbonæ, & Monachos S. Dionyſii Pariſiis diſceptatum ſuit, nemo amplius, ſi paucos exci-

Præprimis hiſtoria de Dionyſio Areopagita.

(l) Ita teſtatur Iſidorus Hiſpalenſis lib. de ortu & vita SS. cap. 83. item Freculfus Lexovicenſis Epiſcopus. vid. Joan. Launoius Tom. 2. part. 1. locus Sulpitii vindicatus §. 18. & Petrus de Marca loc. cit. N. 6.

(m) Act. 17. v. 34. *in quibus & Dionyſ. Areopag.*

(n) Antiquiores ſcriptores paſſim, de quo vid. Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. Diſſert. 16.

(o) Idem Petrus de Marca loc. cit. N. 18. & ſeq.

(p) Vid. §. ſeq.

(q) Luc. 2. v. 1. quem textum omnes Theologi in ſenſu accommodo accipiunt: neque enim tunc temporis Romano Imperio paruit orbis univerſus.

Digitized by Google

excipias, defendere præſumit, poſtquam Launoius, Sirmondus, & Tillemontius ferme extra diſceptationem poſuerunt, illum Dionyſium, quem a ſæculo nono Galli crediderunt eſſe Areopagitam S. Pauli diſcipulum, longe alium ſæculi tertii virum fuiſſe (r). Illa quoque, quæ de S. Philippi prædicatione feruntur & ſoli authoritati Iſidori Hiſpalenſis innituntur, fide hiſtorica vacare ex ſilentio omnium ſcriptorum, qui ante Iſidorum de rebus ad religionem chriſtianam in Galliis primitus ſuſceptam commentati ſunt, abunde refutantur. Nam cum inter Apoſtolos & Iſidorum anni intercedant ſexcenti, tam magnum, tamque diuturnum ſilentium ferre non poteſt, ut quis deinceps ea de re loquatur, qui ſine patrocinio anteceſſorum loquitur: ut adeo mirum videri poſſit, quomodo Petrus de Marca vir ſummæ eruditionis, & in arte Critica Magiſter hanc hiſtoriolam defendere ſuſtinuerit. Haud ſecus, quæ de adventu aliorum ſanctorum hominum Pauli Narbonenſis, Martialis Lemovicenſis, Saturnini Toloſani, Frontonis Petragoricenſis, Georgii Vellavenſis, Memmii Catalaunenſis, Clementis Metenſis, Manſueti Tullenſis, Juliani Cenomanenſis; nec non de appulſu Lazari & Maximini, Magdalenæ & Marthæ memoriæ ſunt prodita; quin illa etiam celeberrima miſſio Trophimi a Petro facta, pro cujus veritate veluti pro aris & focis dimicat Petrus de Marca, paſſim in dubium vocantur, & ex ſilentio antiquiſſimorum ſcriptorum ſaltem ſuſpecta redduntur (s). Ingentem profecto vim ad pellendas ſimiles hiſtorias de miſſionibus Petri, Trophimo, Martiali, aliiſque; nec non de adventu Dionyſii Areopagitæ, Philippi &c. habet Gregorius Turonenſis Hiſtoriæ Francicæ parens, aſſerens (t), *ſub Decio ſeptem viros ad prædicandum Roma in Galliam miſſos eſſe*. Hi autem ſeptem viri ipſi ſunt, quos popularis fama Pauli, Petrique comites fuiſſe perhibet: & nominatim inter eos eſt Dionyſius ille primus Pariſienſium doctor, quem Dionyſium Areopagitam olim cenſuerunt eſſe Galli.

Item illa de S. Philippo.

Nec non de adventu quorumdam Epiſcoporum.

Item de miſſione Trophimi.

Tria vero ſibi eripi ægre patiuntur Galli, primum S. Paulum ad Hiſpanos proficiſcentem per tempus aliquod in Gallia commoratum eſſe: alterum, ab eo Lucam & Creſcentem eo fuiſſe miſſos: poſtremum,

Item de adventu Pauli, Lucæ & Creſcentis.

(r) Vid. citati authores; Item Natal. Alex. qui hiſtoriam de Dionyſio Areopag. fuſe defendit. Videri etiam meretur Diſſert. de translat. corporis S. Dionyſii Areopagitæ, quam haud multis abhinc annis Ratisbonæ edidit Excelſi Nominis ſcriptor. (s) Vid. Launoius Tom. 2. part. 1.

(t) Hiſt. Franc. lib. I. cap. 28. Item de glor. Confeſſ. cap. 30.

Digitized by Google

mum, præter Lugdunenſem & Viennenſem multos alios Chriſtianos cœtus ſæculo II. jam in Gallia floruiſſe. (u).

Porro nec iſta ſaltem prima duo hujus doctrinæ capita adeo ſunt certa, ut impugnari nequeant, & revera a Joan. Launoio vehementer non impugnentur, qui primordia Religionis Chriſtianæ in Gallia ad ſæc. II. quoad Eccleſias Lugdunenſem & Viennenſem duntaxat; quoad cœteras ad ſæc. III. refert. Inprimis enim certum non eſt, Paulum in Hiſpaniam profectum fuiſſe, & ſi id certum eſſet, quod incertiſſimum eſt, inde tamen nullo modo evinci poteſt, quod per Galliam in Hiſpaniam tranſierit: Nunquid enim itinere maritimo Hiſpaniam petere potuit? Iter Lucæ nullum habet præter Epiphanii teſtimonium (x) virum mediocris authoritatis & fidei. Et utique nondum inter viros eruditos deciſum eſt, an Epiphanius Galliam Tranſalpinam; an Ciſalpinam intelligat? contradicit Epiphanio Gregorius Turonenſis loco ſupra citato, Innocentius I. (y), & antiqua Gallorum traditio. Eadem & adhuc majora obſtant argumenta Creſcentis miſſioni, quæ fuſe adducit, & agglomerat citatus Launoius (z). Triplici autem potiſſimum veterum ſcriptorum authoritate nititur Launoius, Severi Sulpitii, qui, ubi de calamitate agit, quam Lugdunenſes & Viennenſes Chriſtiani ſub Marco Antonino perpeſſi ſunt, ſic habet: *ac tum primum inter Gallias martyria viſa ſerius trans Alpes Dei Religione ſuſcepta* (a): Item ignoti cujusdam authoris quarti ſæculi, qui acta Saturnini ſub Decio Imperatore paſſi conſcripſit, & ait, *raras tertio ſæculo in aliquibus Galliæ civitatibus Eccleſias paucorum Chriſtianorum devotione conſurrexiſſe* (b): Et Gregorii Turonenſis, ſupra citati, qui non niſi ſæc. III. ſeptem viros prædicandi Evangelii cauſa advenifſe teſtatur. Verba Gregorii mox ſupra retulimus.

En, quomodo ſcriptores Galliarum inter ſe ipſos contendant de auſpiciis Religionis catholicæ in ſuis provinciis ſuſceptæ! quorum opiniones diverſas eum in finem in medium proferre libuit, ut inde conſtet, quod ex vulgata illa incertis prorſus hiſtoriolis, & traditionibus

(u) Hanc ſententiam nemo diligentius & operoſius exornavit, quam Gabriel Liron pereruditus familiæ Benedictinæ ſodalis Diſſert. ſur l'établiſſement de la Religion chrêtienne dans les Gaules. (x) Hæreſi. 51.

(y) In epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, ubi ſcribit, neque Lucam, neque ullum alium Apoſtolum in Gallias veniſſe.

(z) Loc. cit. ubi potiſſimum exponit textum Lucæ 2. in quo aliqui pro *Galitia* legunt *Gallia*. (a) Hiſt. ſacræ lib. 2. cap. 32.

(b) Vid Theod. Ruinarti acta Martyrum ſincera & ſelecta pag. 130.

Digitized by Google

nixa Religionis in Galliis introductæ doctrina validum argumentum pro Germania afferri non poſſit.

Sententia media eligitur. Ut jam propius ad controverſiam hic dilucidandam, quo tempore in Germania Religio chriſtiana fuerit ſuſcepta, accedamus, quæ noſtra ſit in hac multiplici Doctorum concertatione ſententia, dicamus. Neutri harum opinionum patrocinamur, & ex integro accedimus: ſententiam mediam ſeligimus. Illas hiſtoriolas de adventu Pauli, & Philippi, miſſionibus Lucæ & Creſcentis a Paulo, Trophimi, aliorumque Epiſcoporum a Petro factis, de appulſu Lazari, Maximini &c. utpote ſufficienti authoritate non ſuffultas in ſuo valore relinquimus. Extremam illam Joan. Launoii doctrinam originem Religionis chriſtianæ ferme ad ſæc. usque III. referentis (ſolam Eccleſiam Lugdunenſem excipit, quam ad ſæc. II. refert) neutiquam approbamus: Eſto enim, ut Sulpitii Severi argumento obviemus, *ſerius trans Alpes Religio Chriſti ſit ſuſcepta*, anne inde conſequitur, quod ante ſæc. III. vel II. nomen chriſtianum in Gallia non fuerit auditum? Inprimis Tertullianus & Irenæus teſtes ſunt omni exceptione majores, qui ferunt, Religionem chriſtianam jam in ſæc. II. in Gallia radices egiſſe, quorum teſtimonium infra adducemus. Sua conſtabit veritas verbis Sulpitii Severi, de quibus tot extant doctiſſimorum virorum diſputationes, ſi dicamus, ſerius ad Gallos, quam ad alias Aſiæ & Europæ provincias chriſtianæ Religionis notitiam perveniſſe. Et quid ſi verba illius: *ſub Aurelio Antonino viſa primum in Galliis martyria*, intelligamus de martyriis generalibus, de cæde tum Epiſcoporum, tum plebis chriſtianæ per ſupplicia conſumptorum, ut accidit in Eccleſiis Viennenſi & Lugdunenſi ſub Antonino, quo ſolum reſpexiſſe videtur Sulpitius, cui cladi ſimilis ante non contigerat in Gallia: quod tamen non impedit, quin priores aliqui vel Epiſcopi, vel Chriſtiani pro Chriſto mortem obierint absque ulla tamen generali plebis chriſtianæ ſtrage, ut factum poſtea ſub Decio, qui in Epiſcopos præcipue animadvertebat (c). Ex actis Saturnini aliud vix extundes, niſi quod ante ſæc. III. & tempora Decii cœtus chriſtiani in Gallia neque adeo numeroſi, neque adeo celebres fuerint. Exinde autem non ſequitur, quod antea nemo Virorum apoſtolicorum eo prædicandi Evangelii cauſa pervenerit, nemo Religionem chriſtianam plantaverit, nemo eccleſias fundaverit. Authoritas Gregorii Turonenſis magnam habet vim ad veterum Gallorum hiſtoriolas de Dionyſio Areopagita, Trophimo, Martiali,

Jam ſæc. II. Religio chriſtiana venit in Galliam.

Explicatur locus Sulpitii Severi.

Item acta Saturnini.

Authoritas Gregorii Turonenſis.

(c) Petrus de Marca loc. ſupra cit.

Digitized by Google

tiali, & aliis depellendas, & ſubruendam fidem multarum eccleſiarum, quæ ſuas origines ab Apoſtolorum diſcipulis derivant, & id ſaltem evincit, quod ante tempora Decii non adeo numeroſi fuerint cœtus chriſtiani: verum nemo inde inferre auſus fuerit, quod nullus Virorum apoſtolicorum Gallis viam ſalutis expoſuerit, nullus evangelium prædicaverit, nullibi Religio chriſtiana radices egerit, aut Eccleſia chriſtiana extiterit: Id enim eſſet contradicere Irenæo & Tertulliano, quibus utpote coævis & tempori Apoſtolorum vicinioribus longe major debetur fides, quam Gregorio teſti longe ab ævo apoſtolico remotiori. Sed neque id omni ex parte certum eſt, quod Saturninus ſub conſulatu Decii martyrium ſubierit: nam, uti optime animadvertit Petrus de Marca, duplex tempore Gregorii Turonenſis invaluit opinio de Saturnini martyrio, quarum una illud referebat ad tempora Decii, & ſe fundabat in actis Saturnini ab incerto authore conſcriptis, qui ſuam opinionem non ex vetuſtis Saturnini paſſionis actis, ſed *ex fideli recordatione*, ut loquitur, hauſerat: atque hanc ſequebatur Gregorius: altera teſte ipſo Gregorio (d) tradebat, Saturninum fuiſſe miſſum a diſcipulis Apoſtolorum id eſt, plusquam centum & quinquaginta annis ante Decium (e).

In hac ancipiti quæſtione, & multiplici ſcriptorum doctrina quid dicendum? Dicamus, omnino veroſimile eſſe, quod jam ævo apoſtolico Religio chriſtiana in Galliam penetraverit: ægre enim quis ſibi perſuaſerit, nobiliſſimam hanc provinciam Italiæ vicinam Romano Imperio ſubjectam ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis neglectam, & ad chriſtianam Religionem amplectendam, Chriſtumque ſequendum non fuiſſe invitatam, quiscunque demum Virorum apoſtolicorum ſive Lucas ſive Clemens, ſive alius ille fuerit, qui Gallis Evangelium Chriſti prædicavit. Quales vero hic laborum ſuorum fructus hauſerit, an & quales cœtus chriſtianos collegerit, haud facile quis dixerit, niſi incertis hiſtoriis & traditionibus ſuam doctrinam ſuſtentare voluerit. *Ævo apoſtolico Religio chriſtiana penetravit in Galliam.* Sæculo II. procul dubio Religio chriſtiana firmiores ibidem radices egit, quando Pothinus cum ſociis ex Aſia veniens fortunam magis propitiam habuit, & Lugduni, vicinisque in locis cœtus chriſtianos qualescunque collegit: Id enim ut credamus, tum authoritas Tertulliani & Irenæi, tum alia indubitata hiſtoriarum documenta perſuadent. Et quoniam Gallia adhuc Gentiliſmo fuit immerſa, facile fieri non potuit, ut cœtus chriſtiani numeroſiores conſurgerent; & econtra facillimum *Sæculo II. firmiores egit radices.*

B 3

(d) Lib. I. cap. 48. de Miraculis.
(e) Vid. Petrus de Marca loc. cit. N. 25. ubi hæc fuſius dilucidat.

Digitized by Google

mum erat, ut Religio chriſtiana noviter plantata ſubrueretur. Itaque ſæculo III. venere ſeptem illi Viri ſub Decio, de quibus teſtatur Gregorius Turonenſis, qui Religionem fortaſſis collapſam reſtaurarunt, eccleſias vel reſuſcitarunt, vel novas fundarunt, & fidem in Chriſtum quam longiſſime diffuderunt, prout §. ſeq. pluribus dicemus. Hactenus de exordiis Religionis chriſtianæ per Gallias, quæ cum ſint incertæ, & dubiæ authoritatis, profecto validum argumentum exinde depromi non poteſt ad noſtram Germaniam: quaſi vero Religio chriſtiana jam ævo Chriſti & Apoſtolorum in ea invaluerit.

Sæculo III. venerunt ſeptem viri Apoſtolici.

Itaque ad ipſam Germaniam tam Cis- quam Trans-rhenanam ſeu *Minorem*, & *Magnam* divertamus, & quid de argumento ſupra ex traditione vulgari allato, atque exordiis Religionis chriſtianæ in Germania ſit ſentiendum, diſpiciamus. De Cis-rhenana ſeu *Minori* primitus agamus: ſiquidem de hac potiſſimum eſt quæſtio, utpote quam ſolam, non item Trans-rhenanam armis Romanorum paruiſſe, & Galliæ viciniorem eſſe ex dictis ſcimus.

De exordiis Religionis chriſtianæ in Germania.

Ex ſupra dictis conſtat, quod quemadmodum Gallia, ita etiam Germania ſuos numeret Viros apoſtolicos a Principe Apoſtolorum Petro ad ſe miſſos, Marcianum, Valerium, Eucherium, Maternum, & ipſum etiam Creſcentem a Paulo in Galliam ablegatum, & poſtea Moguntiæ primum Epiſcopum, ſuaque Religionis chriſtianæ incunabula ad ævum Apoſtolorum reducat (f). Quoniam vero hæc acta & documenta haud ſecus quam Gallorum, in quibus de hac miſſione agitur, quoad ea præcipue, quæ de reſuſcitatione Materni a mortuis mediante baculo paſtorali S. Petri facta referuntur (g), paſſim impugnantur,

Apoſtoli Germaniæ qui?

Hiſtoria de baculo paſtorali Petri, & reliqua acta ſunt ſuppoſititia.

(f) Vid. Chriſtoph. Broweri Annales Trevirenſes lib. 2. pag. 143. Item acta Sanctorum Antwerpienſia ad diem 29. Januarii.

(g) Duæ ferme ſimiles hiſtoriæ de baculo paſtorali Petri circumferuntur, quarum unam ex Innocent. III. myſter. Miſſ. lib. I. cap. 62. refert Strauchius. Scribitur nempe, quod Petrus quemdam diſcipulum cum aliis in Germaniam miſerit; hoc vero in itinere mortuo Fronto redierit ad Petrum, idque renuntiaverit ei, cui Petrus: *accipe hunc baculum, & tangens illum dic: ſurge in nomine Domini, & prædica*; ille vero in quadrageſimo die a tempore mortis illum tetigerit; diſcipulus autem mortuus mox ſurrexerit, & prædicaverit: Et ita *Petrus baculum a ſe removit, & ſubditis dedit, nec recuperavit*, ait hiſtoria. Ad hanc hiſtoriam procul dubio alludit Innocent. III. in cap. unic. de ſacra unctione, ubi ait: *licet Romanus Pontifex non utatur baculo paſtorali, tum propter hiſtoriam, tum propter myſticam rationem,*

Digitized by Google

tur, & tanquam corrupta & depravata habentur, nolumus huic hiſtoriæ illuſtrandæ longius inſudare. Profecto Viri ſummi, atque partium ſtudio vacui, Auguſt. Calmetus (h), Bollandus (i), Tillemontius (k), & Joan. Nicolaus ab Hontheim (l) acta, quibus hæ hiſtoriæ nituntur, argumentis, quibus in hoc genere nihil majus eſſe poteſt, ſuppoſitionis, & adulterationis & falſitatis accuſarunt, & ferme confecerunt, ſanctos illos Viros cum aliis ad tertium ſæculum, imo ad exordium quarti eſſe detrudendos, & medio demum, quod vocant, ævo ſive ignorantia, ſive præpoſtero quodam gloriæ ſtudio in Apoſtolorum legatos & ſocios eſſe converſos. Abſit tamen, ut adeo ingratus & injurioſus ſim in patriam, eique ſuam qualemcunque gloriam, quam in antiquitate apoſtolica ſuarum Eccleſiarum collocat, penitus adimere velim. Quid ſi dicamus, eadem eſſe primordia Religionis chriſtianæ in Germania ac in Gallia, Viroſque apoſtolicos, qualeſcunque fuerint, qui ſæculo I. & II. Galliam Chriſti cognitione imbuerunt, operam dediſſe, ut Germaniæ pars quædam Galliæ contigua eadem felicitate potiretur? Conjecturæ hæ ſunt non inanes, non leves; certis tamen & irrefragabilibus deſtitutæ teſtimoniis. Eſto autem Religio chriſtiana in Germaniam fuerit invecta, id quod nec affirmare, nec abnuere audeo, facile tamen adduci non poſſum, ut credam, ſtabiles jam tunc temporis cætus chriſtianos, & eccleſias fuiſſe erectas.

Probabile eſt, quod quidam viri apoſtolici in Germaniam venerint.

Quidquid jam de ævo Apoſtolico ſit, profecto ſi ad ſæc. II. progrediamur, tunc apertiſſima Religionis catholicæ jam jam in Germania Cis-rhenana introductæ teſtimonia proſtant in Irenæo, & Tertulliano,

Sæc. II. floruit Religio in Germania.

Hiſtoria certe hæc ipſa eſt, & non alia, ex qua conſtat, quod Petrus baculum paſtoralem a ſe dimiſerit. Ratio autem myſtica, cur Epiſcopi baculo curvo utantur, non vero Pontifex, ſed potius recto ſcipione, vel nullo, juxta interpretes hæc eſt, ut in Epiſcopis denotetur illorum dependentia; & econtra in Pontifice illius independentia: quaſi vero Pontifex ſublimiori virtute ſuſtentetur. Altera priori ferme ſimilis refertur a Browero lib. 2. Annal. Trevir. ad annum 49. §. 3. & ſeq. de S. Materno, qui ſimili modo in via defunctus baculo Petri ab Egario reſuſcitatus ſcribitur.

(h) Diſſer. ſur les Eveques de Treves Tom. I. Hiſtoire de Lorraine p. 111.

(i) In actis Sanctorum Tom. II. p. 922.

(k) Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire de l'Egliſe Tom. IV. p. 1082.

(l) Diſſert. de æra Epiſcopatus Trevirenſis Tom. I. Hiſtor. Trevir.

Digitized by Google

liano, quorum primus ſic habet: *Et neque hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente* (m). Alter vero inquit: *ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Inſularum, multarumque nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus &c.* (n). Cæterum, quia neuter horum determinat, utrum ſæculo ſecundo, vel ſuperiori Religio in Germaniam fuerit introducta, & in ea eccleſiæ fundatæ, ſublimiori judicio dijudicandum relinquimus, an non ex his argumentum deduci poſſit pro doctrina eorum, qui originem Religionis chriſtianæ ad ſæc. I. in Germania referunt. Sæculo III. ſine dubio res Catholicæ in Germania maxima acceperunt incrementa, quo ſeptem illi Viri apoſtolici, de quibus §. ſeq., in Galliam venerunt, & Conſtantius Chlorus Chriſtianis impenſe favere cœpit, usque dum ſub Conſtantino M. religioni catholicæ in publicum prodire licuerit. Profecto proximis ante Conſtantinum M. temporibus Eccleſiis Galliæ & Germaniæ Religionis chriſtianæ libertatem a Conſtantio Imp. Patre Conſtantini M. in tractu Gallicano fuiſſe conceſſam, utpote qui ipſe abrogato Deorum cultu unum Deum colebat, Chriſti cultores fovebat, ſubditis ſuis absque ulla moleſtia divino cultui inſervire permittebat, uti teſtis eſt ipſe Euſebius (o). Hactenus de Germania *Cis-rhenana*, ſeu *minori.*

Multo magis ſæc. III.

Quandonam Religio chriſtiana in Germaniam magnam fuerit introducta.

Sed quid de Germania magna & trans-Rhenana? Scriptores plerique & doctiſſimi & prudentiſſimi hæc neutiquam ad Germaniam magnam, utpote ne ipſis quidem Romanis tunc cognitam, extendenda eſſe exiſtimant, adeoque hanc nullos ſæculo I. & ſequentibus Chriſti profeſſores habuiſſe, hasque idcirco familias chriſtianas, quas Irenæus & Tertullianus commemorant, in Germania Cis-rhenana Romanæ ditioni ſubjectas fuiſſe poſitas. Ab hac ſententia recedit Joan. Ern. Grabius (p): cum enim apud Irenæum quidam loco *Germaniæ*, Germaniarum legant, exiſtimat, omnem Germaniam ætate Irenæi familias chriſtianas aluiſſe. Verum enim vero frivolam hanc eſſe rationem optime

(m) Lib. I. contra hæreſes cap. 3. (n) Lib. adverſus Judæos cap. 7.

(o) Lib. I. de vita Conſtantini M. cap. 13. & 17. qui locus omnino legi meretur.

(p) In adnotationibus ad locum Irenæi cit.

Digitized by Google

optime replicat Moshemius (q): nam quia Germania ea ætate dividebatur in *primam* & *ſecundam*, in *ſuperiorem* & *inferiorem*, locus Irenæi, dato, quod legi debeat, *Germaniarum*, ſat commode intelligi poteſt de Germania duntaxat cis-Rhenana in plures partes diviſa. A Grabiano non diſſentit Joan. Nicol. ab Hontheim (r) ſed ex aliis argumentis, exiſtimans, locum Tertulliani de parte Germaniæ Orientalis Daciæ & Sarmatiæ vicina; Irenæi vero de univerſa Germania eſſe intelligendum. Quam in rem citat hic author Marcum Hanſitium in ſua *Germania ſacra* ſibi conſentientem. At vero Hanſitium ſimilia non habere legentibus prima facie, & ex §. ſeq. patebit, ut adeo origo Religionis chriſtianæ in Germania *Magna* usque nunc incerta maneat, de qua mox plura. Sit ergo

§. IV.

Origo præcipuarum Eccleſiarum in Gallia.

Quanquam hactenus dicta ad primordia Religionis chriſtianæ in Galliam & utramque Germaniam invectæ demonſtranda ſufficere valeant, iuvabit tamen ad res Chriſtianas magis magisque illuſtrandas, ſi Epiſcopatuum & Eccleſiarum præcipuarum in his provinciis erectarum origines & incrementa accuratius detegantur, & ea, quæ §. præced. fuere relata, magis magisque explanentur.

Pariſienſis. *Arelatenſis.*

Iterum ab Eccleſiis Galliæ incipiamus, inter quas, & Germanicas tunc temporis & per ſæcula ſubſequentia arctiſſimum fuiſſe nexum fuſe demonſtrabimus. Inter Eccleſias Galliæ procul dubio locum honorificum, imo primatum antiquitatis ſibi vindicat tum Eccleſia Pariſienſis, ſi ea, quæ de Dionyſii Areopagitæ adventu & Epiſcopatu; tum Eccleſia Arelatenſis, ſi ea, quæ de Trophimo a B. Petro illuc miſſo recenſentur, veritate nitantur. Illum Dionyſii Areopagitæ adventum olim ferme omnes Scriptores Galliæ inconcuſſi dogmatis inſtar habuere, noſtro ævo defendit Natalis Alexander (s), & in hodiernam usque diem ægerrime ſibi eripi patiuntur multi alii, præſertim Monachi in fano S. Dionyſii habitantes. Miſſionem Trophimi acerrime defendit Petrus de Marca (t), eamque confirmant acta inter Eccle-

(q) De rebus Chriſtian. ſæc. II. §. 3. p. 211.
(r) In Hiſt. Trevir. Diplom. Tom. I. Diſſert. de Æra Epiſcop. Trevir.
(s) Hiſt. Eccleſ. ſæc. I. Diſſert. 16.
(t) In Epiſt. de tempore, quo in Galliis primum ſuſcepta eſt Chriſti fides, & Nat. Alex. loc. cit. vid. dicta §. præced.

cleſiam Arelatenſem & Viennenſem; item Martyrologia Bedæ, Uſuardi, Adonisque. Quoniam vero hodierni Critici ferme omnes documenta illa, quibus hæc nituntur, inter apocrypha numerare conſueverunt, & quidem illum adventum Dionyſii Areopagitæ Scriptores ſupra citati, Sirmondus, Tillemontius, Petavius, Puteanus, Nicolaus Faber; miſſionem Trophimi Joan. Launoius præcipue argumentis validiſſimis impugnarunt, & vix non expugnarunt, piaculo ducimus hiſtoricam fidem illis adhibere. Idcirco certiora tradamus. Eminet itaque in Gallia antiquitate Eccleſia Lugdunenſis, cujus exordia debentur Pothino Epiſcopo, quem ad illas oras referente Gregorio Turonenſi miſit Polycarpus Smirnæ in Aſia Epiſcopus, & B. Joannis Apoſtoli diſcipulus (u). Huic ſucceſſit magnus ille Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopus Irenæus ab eodem Polycarpo, cujus dictata adoleſcens exceperat, ad Pothinum miſſus (x). De hujus Eccleſiæ antiquitate & præeminentia plura ſcribit Petrus de Marca (y). Qua vero arte factum fuerit, & fieri potuerit, ut Pothinus a Polycarpo mitteretur, quæ cognatio interceſſerit inter nationes adeo remotas, quod jus competierit Aſiatico Epiſcopo in Occidentem, noſtri inſtituti non eſt diſcutere. Hæc & alia huc ſpectantia pluribus dilucidat citatus mox antea Petrus de Marca (z). Quod ſi jam Gregorio Turonenſi fides ſit adhibenda, ſæc. III. tempore Decii anno 251. ſeptem alii Epiſcopatus in Gallia ſunt erecti, & ad hos erigendos, & prædicandum Evangelium ibidem ſeptem ſunt miſſi Epiſcopi: nempe *Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Stremonicus Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus* (a). Atque hi ipſi ſunt Viri illi, quos olim popularis fama, & vulgaris traditio Petri Paulique comites fuiſſe perhibet,

Lugdunenſis antiquiſſima.

Sæc. III. ſeptem Epiſcopatus in Gallia erecti

Septem viri Apoſtolici unde venerint in Galliam?

(u) Vid. Greg. Turon. Hiſtor. Franc. lib. 1. cap. 24.

(x) Verba Greg. loc. cit. cap. 28. ſunt ſequentia: *ſed & in Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cæleſtibus ornati. Ex quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Pothinus Epiſcopus fuit, qui plenus dierum diverſis affectus ſuppliciis pro Chriſti nomine paſſus eſt. Beatiſſimus hujus ſucceſſor Martyris Irenæus, qui a Beato Polycarpo ad hanc urbem directus eſt, admirabili virtute enituit.*

(y) In Diſſert. de Primatu Lugdunenſi. (z) Loc. cit. N. 63.

(a) Loc. cit. cap. 30.

Digitized by Google

hibet, quos inter nominatim eſt Dionyſius ille, primus Pariſienſium Epiſcopus, quem Dionyſium Areopagitam olim cenſuerunt eſſe Galli. Cœterum ſeptem horum Virorum in Galliam adventum multum cingit caliginis: Neque enim aut unde venerint, aut a quo miſſi ſint, ſatis planum eſt. Equidem Gregorius Turonenſis loco citato ſcribit, *Gratianum a Romanæ ſedis Papa tranſmiſſum eſſe:* ex quo efficiunt, etiam ſex reliquos Roma veniſſe. Fieri hoc potuit, ſed quod factum ſit, unde & quomodo probatur? ſimiliter obſcurum eſt, utrum ſimul & uno eodemque tempore, an vero diverſis temporibus ad Gallos commeaverint. Suſpicatur Moshemius (b), pios hos & ſanctos Viros fervente tunc maxime Romæ & in Italia perſecutione Deciana non tam juſſu & authoritate Romani Pontificis, quam motu proprio, atque ut vitæ ſuæ conſulerent, in Galliam profectos eſſe, ubi tantum non erat periculi, quantum in Italia. At vero etiam hæc ſuſpicio ſuo caret fundamento, & nata eſſe videtur ex odio in Romanum Pontificem: Quid enim prohibet dicere, quod a Pontifice fuerint miſſi? ſi enim Viri illi non obſtante perſecutione ſua ſponte proficiſci potuerunt, cur non Pontifex illos mittere potuit? En primas Galliarum Eccleſias, Epiſcopatus, eorumque ſator. . , & fundatores!

A Gallia ad Germaniam Cis-rhenanam, ſeu minorem Galliæ vicinam (c) tranſire licebit: eo quod tunc, ſicuti dictum, arctiſſimus inter utramque fuerit nexus, isque per plura perduraverit ſæcula, nempe ad diviſionem usque regnorum a Carolo M. factam, imo ad Ottonem usque M. a quo hodierni Scriptores Imperium Romano Germanicum auſpicantur. Inter Eccleſias Germaniæ antiquitate & dignitate eminent Moguntina, Trevirenſis, & Colonienſis, quibus, ſi antiquitatem ſpectemus, jure adnumerandæ ſunt Tungrenſis, Leodienſis, & Metenſis. Porro autem certam erectionis epocham ſtatuere, hic labor, hoc opus eſt: eo quod antiquiſſima harum Eccleſiarum documenta vulgari, ut dictum fuit, traditioni innixa paſſim ab hodiernis Scriptoribus ſubleſtæ fidei arguantur. Quod Galli de ſeptem illis, quos indicavimus, Viris, id Germani de Creſcente, Euchario, Materno, Clemente & aliis nemine repugnante olim credebant, nempe Apoſtolorum eos fuiſſe diſcipulos, atque primo ſæculo in Germania Cis-rhenana variis in urbibus cœtus Chriſto conſecraſſe, collectosque cœtus Epiſcoporum loco gubernaſſe. Vindicat ſibi Moguntia Cre-

Antiquiſſimæ Germaniarum Eccleſiæ.

Vulgaris Germanorum opinio de Creſcente, Euchario, Materno &c.

(b) De Reb. Chriſtian. ſæc. III. pag. 450.
(c) Vid. dicta de diviſione Germaniæ.

Creſcentem ad oras Galliæ a Paulo Apoſtolo; Treviris Eucharium; Colonia Agrippina Maternum; Metis Clementem omnes tres a Petro Apoſtolo ſubmiſſos, atque ad firmandam ſuam traditionem conformiter §. præced. dictis Treviris & Colonia in hodiernam usque diem oſtendunt duas partes prodigioſi illius baculi paſtoralis a S. Petro miſſi, quo S. Maternum in via mortuum iterum ad vitam ſuiſſe revocatum ferunt. Abſit a nobis, ut hanc antiquiſſimam traditionem tot Virorum graviſſimorum authoritate ſuffultam impugnemus. Eam ſane graviſſimis argumentis dubiam reddiderunt Viri graviſſimi ſupra citati, & inter hos præcipue Calmetus loco antea citato. Equidem huic ſeſe vehementer oppoſuit author, qui in actis ſanctorum Antwerp. Tom. IV. menſis Auguſti vitas variorum Sanctorum illuſtravit, & antiquiſſimæ traditioni ſuppetias ferre contendit. Verum nuperus Hiſtoriæ Trevirenſis Diplomaticæ Scriptor Joan. Nicol. Hontheim in Diſſertatione de Æra fundati Epiſcopatus Trevirenſis Tom. I. Hiſtoriæ ſuæ præmiſſa, rebus omnibus magna cura conſideratis, ponderatisque diligenter teſtimoniis Calmetum egregie vindicavit, & huic potius, quam Scriptori Antwerpienſi eſſe credendum, ſat luculenter confecit, atque argumentis, quibus in hujusmodi rebus vix aliquid fieri majus poteſt, demonſtravit, Viros illos ſanctos vulgo pro primis Germaniæ Apoſtolis habitos, Maternum ſpeciatim & Eucharium nec ad primum, nec ad ſecundum, ſed ad finem tertii ſæculi, & quod ad Ubios attinet, ad quarti ſæculi initium pertinere. Idem de Clemente Metenſi oſtendit Calmetus (d), quem Eccleſiam Metenſem ſæc. III. fundaſſe aſſerit. Interim ſuus maneat celeberrimis hisce Eccleſiis antiquitatis honos & gloria. Cum enim antiquiſſimam hanc traditionem vindicare noſtri non ſint inſtituti, nolumus nos eam virgulæ cenſoriæ ſeu Criticorum ſeu Pſeudo-Criticorum ſubiicere. Dabitur per decurſum hujus quæſtionis ſæpius occaſio de antiquiſſimis hisce Eccleſiis Metropoliticis, Moguntina, Trevirenſi, & Colonienſi usque nunc in Germania primas in ſtatu etiam politico tenentibus diſcurrendi, earumque prærogativas, præeminentias, juraque ſingularia debitis honoribus efferendi, & illa, quantum ratio noſtri inſtituti, aliarumque circumſtantiarum permittit, vindicandi. Ex his jam ſequitur de prima Eccleſiarum in Germania Cis-rhenana origine & antiquitate ante ſæc. II. & III. nihil certi poſſe ſtatui. Solis igitur conjecturis utendum eſt, quales jam §. præced. attulimus, quorſum lectorem remittimus.

Vehementiſſime impugnatur.

A

(d) Diſſert. I. Hiſtor. Lotharingicæ Gallice conſcriptæ præmiſſa p. 17.

In Germania majori verſus Septentrionem nulla Eccleſia,

Neque verſus Orientem.

Duæ in Rhætia & Norico.

De origine Eccleſiæ Auguſtanæ incerta prorſus

De Lucio Rege.

A Germania *Cis-rhenana* ſeu *minori* ad Germaniam *Trans-rhenanam* ſeu *magnam* tranſitum faciamus, quam ſi verſus Septentrionem metiamur (e), nulla Eccleſiæ in illa erectæ mentio fit in Scriptoribus. Quod ſi verſus Orientem, cujus fines ipſe Tacitus determinare non audebat (f), reſpiciamus, ferme idem nobis accidit (g): niſi quod in Rhœtia & Norico duas Eccleſias fuiſſe inſtitutas legamus, nempe Auguſtanam in Rhætia (h), & Laureacenſem in Norico Ripenſi, cujus Metropolis erat Laureacum. De Auguſta ſcribunt, quod ibidem jam in ſæc. II. circa annum 163. quidam fuerit Epiſcopus nomine Philippus; Item quod eodem ſæculo circa annum 179. ibidem Lucius Rex Britanniæ relicto regno ſuo Religionem catholicam docuerit; ac demum ſæc. IV. an. 302. eo venerit Narciſſus Hiſpanus a ſua Eccleſia exul factus (i). Cœterum quæ de Philippo recenſentur, paſſim inter fabulas numerantur. Illa, quæ de Lucio referuntur, Hanſitio videntur veroſimilia. Aiunt hunc Lucium fuiſſe Regem Britannorum, qui prodigio victoriæ Marcomannicæ motus ad Chriſti primum ſigna; dein etiam ſequelam tranſierit, abdicato regno vitam apoſtolicam exorſus (k). Virum quemdam ſanctum & apoſtolicum nomine Lucium in Rhætiam veniſſe, plura documenta probant (l): an vero ille ipſe fuerit Rex Britannorum, prorſus incertum eſt (m). Etiam Britanni quemdam Lucium regem veluti parentem Religionis catholicæ in Angliam introductæ reverentur, de quo ſcribit Venerabilis Beda, quod ſub Marco Antonino legatos miſerit ad Eleutherium

 Ponti-

(e) Ex dictis §. I. ad Septentrionem ſinu Cadano terminabatur Germania. Populos verſus Septentrionem ſitos refert Cellarius, & Maſcovius Einleitung zu den Geſchichten des Römiſch-teutſchen Reichs.

(f) Vid. §. I. ubi verba Taciti citavimus.

(g) Incipiebat Germania Orientalis tempore Taciti verſus Occidentem a Rheno; verſus Meridiem a Danubio.

(h) Nempe in Rhætia prima, cujus urbs Metropolis fuit Auguſta.

(i) Velſerus lib. IV. Rerum Auguſtanarum.

(k) Hanſitius Germ. ſac. Tom. I. cap. 2. quam in rem affert chronicon Andreæ Presbyteri Ratisbonenſis.

(l) Talia teſte Hanſitio extant apud urbem Curienſem.

(m) Et de hoc dubitat ipſe Hanſitius loc. cit. ubi plures Lucios recenſet, & ſuæ dubitationis cauſas affert.

Digitized by Google

Pontificem, qui doctores chriſtianos accerſerent; hi vero ſuis ſtudiis & laboribus effecerint, ut Britannia paulatim Chriſto ſe ſe adjungeret (n). Verum quia Scriptores hanc hiſtoriam paſſim in dubium vocant, atque illum Lucium Regem Britannorum fuiſſe negant, neceſſario fides hiſtorica de Lucio Auguſtano nutare debet (o). Veriora ſunt ea, quæ de Narciſſo referuntur. In Norico Ripenſi Eccleſia Laureacenſis hodie diſſipata & diruta (erat olim Laureacum, uti mox antea meminimus, Metropolis in Norico) prædicatur eſſe antiquiſſima, cujus incunabula quidam referunt ad tempora Apoſtolorum, eamque vel a Luca, vel a Creſcente Pauli diſcipulo, vel a Marco eſſe fundatam, ſcribere non verentur. Omnes hæ opiniones ſuis nituntur traditionibus, quas affert & examinat citatus Hanſitius (p). Alii quosdam Apoſtolorum diſcipulos, nempe Syrum, Iuventium & Laurentium pro primis illius fundatoribus venditant: alii aliter ſcribunt, inter quos ſunt, qui fidem Chriſtianam non niſi per milites Chriſtianos, ſcilicet Legionem illam fulminatricem, quæ prodigioſam, uti multis videtur (q) de Marcomannis (r) victoriam Marco Aurelio paravit, in

De origine Eccleſiæ Laureacenſis

(n) De hac re præter Bedam in Hiſt. Eccleſ. gentis Anglorum ſcribunt Jac. Uſſerius Antiq. Eccleſ. Britan. cap. 1. Franciſ. Godwinus de converſ. Britanniæ cap. I. Eduard. Stillingfletus de Antiq. Eccleſ. Britan. Guiliel. Burtonus Animad. in epiſt. Clement. Rom. ad Cor. Tom. II. Patr. Apoſtol. p. 470. Spanhemius Hiſt. Eccleſ. major. ſæc. II.

(o) Hanc Hiſtoriam animadverſionibus Criticis ſub incudem vocat Moshemius de Reb. Chriſt. ſæc. II. pag. 215. Id concedit Moshemius, quemdam extitiſſe Lucium; hunc vero fuiſſe Britannum aut Britannorum Regem negat. Negat etiam illam miſſionem ab Eleutherio factam, unaque Monachos fictionis incuſat, quaſi vero hi hanc miſſionem excogitaverint, ut Britannos ad ſuſcipiendas leges Pontificis flecterent. Scribit hæc Moshemius procul dubio ex ſiniſtro affectu erga Romanos Pontifices, & Monachos.

(p) Loc. cit. ubi provocat ad Chronica & Catalogos, qui de rebus Laureacenſibus confecti ſunt, illos præcipue, quos in Bibliotheca Cæſarea luſtravit. Dein veterem traditionem de S. Marco ex Schritovino affert, ac demum pro S. Luca appellat ad verſus antiquo charactere ſcriptos, quos in turri oppidi Anaſini, vulgo Ens ſuperioris Auſtriæ legere licet.

(q) Hanc victoriam fuiſſe prodigioſam multis in locis probat Mosheim, nominatim de Reb. Chriſtian. ſæc. II. §. 17. & in Diſſert. ſpeciali, quam inſcripſit *de legione fulminatrice.*

(r) Marcomanni olim ſe extendebant usque ad Danubium verſus Meridiem teſte Maſcovio loc. cit.

Digitized by Google

in Noricum & Pannoniam eſſe invectam ſcribunt (s). Quidquid de prima origine Eccleſiæ Laureacenſis ſit, illud Hanſitio certum videtur, quod jam in ſæc. II. Religio chriſtiana in Norico miris incrementis fuerit diffuſa, & lumen Evangelii quam longiſſime propagatum ad Marcomannos, Sarmatas, & Dacos usque: nam cum teſte Tacito Germania verſus Orientem ſe ad Sarmatas usque & Dacos extenderit; teſte Tertulliano vero (t) ſæc. II. quamplurimæ gentes Sarmatarum, Dacorum, Germanorum & Scytharum Chriſto ſua colla ſubdiderint, ſane veroſimillimum eſt, quod Religio chriſtiana ex Italia vicina in Noricum, & inde ulterius ad prædictos populos ſe mirum in modum diffuderit. Quin & in Pannonia ſæc. III. plures extitiſſe ſedes epiſcopales, inde colligit Hanſitius, quod plures Epiſcopi Pannonienſes ſub Diocletiano & antea nobile ſubiiſſe martyrium legantur, quales ſunt Euſebius Cibalenſis Urbe Saviæ, Irenæus Epiſcopus Sirmienſis, Quirinus Epiſcopus Siſcienſis urbe itidem Pannoniæ Saviæ, & Victorinus Epiſcopus Petovionenſis (u). Atque hos Epiſcopatus jam ſæc. II. fuiſſe erectos laudatus author exiſtimat, additque, ſe ne quidem dubitare, quod eo ipſo tempore plures Epiſcopi fuerint conſtituti, quamquam aut eorum eccleſias, aut loca, in quibus ſteterunt, edicere in promptu non ſit (x). Sunt hæ Eccleſiæ in Germania celebriores, de quarum origine inter Eruditos tantopere diſceptatur. De aliis conſulto abſtrahimus.

Religio Chriſtiana Sæc. II. per Noricum diffuſa.

In Pannonia Sæc. III. plures erecti Epiſcopatus

§. V.

De Statu Eccleſiarum Germanicarum paucis videamus, cujus accuratiorem deſcriptionem prohibet ipſe defectus antiquorum monumentorum. Germaniam ferme totam, maxime quoad plagas ſeptentrionales fuiſſe immerſam Gentiliſmo, ſi illas provincias, quarum in antecedentibus mentionem ſecimus, excipias, nemo ſanus dubitaverit. Haud ſecus certum eſt, quod Status Eccleſiæ in Germania non minus, quam aliis provinciis fuerit turbulentus, graviſſimis Gentilium per-

Status Eccleſiarum in Germania turbulentus, gentiliſmo immerſus, & perſecutionibus obnoxius.

(s) Idem Hanſitius loc. cit. ubi totus quantus in eo eſt, ut opinionem de Legione Fulminatrice exterminet: quaſi vero Deus militibus ad fidem chriſtianam Norico inferendam uſus fuerit: deſunt enim teſtes, & monumenta, quæ id probare deberent; nec veroſimile eſt, quod in Noricum Italiæ vicinum nullus Virorum apoſtolicorum pervenerit.

(t) Lib. adverſus Judæos cap. VII. textum jam ſupra retulimus.

(u) Loc. cit. N. XI. (x) Loc. cit.

Acta SS. MM. genuina periere.

perſecutionibus contra Chriſtianos excitatis obnoxius. Teſtantur id tot genuina SS. Martyrum acta, quæ hinc inde in Eccleſiis Galliæ & Germaniæ aſſervantur (y): quamquam negari nequeat, quod perpauca ad nos pervenerint, & maxima eorum pars in decem annorum bello a Diocletiano adverſus Chriſtianos geſto igne fuerit deleta: conquirebantur enim illa tempeſtate juſſu Imperatorum omnes libri, chartæque chriſtianorum, & in ignem conjiciebantur. Num aliquæ ex tot, & ferme innumeris hæreſibus per Eccleſiam mirum in modum graſſantibus noſtram quoque Germaniam infecerint, non liquet. Solam quæſtionem de celebrando Paſchate potius ad diſciplinam eccleſiaſticam, quam ad dogmata fidei pertinentem ad Irenæum Epiſcopum Lugdunenſem fuiſſe delatam, & ab hoc deſuper ſynodum celebratam, ad quam certo certius Epiſcopos Germaniæ, ſi qui tamen fuerint invitavit, legimus (z). Cæterum diſciplinam eccleſiaſticam haud ſecus, quam in reliquo orbe Catholico etiam in Germania fuiſſe ſimplicem, puram & ſanctam, neutiquam dubitamus.

§. VI.

Tres præcipui Epiſcopatus in Germania Moguntinus, Trevirenſis Colonienſis, & quare?

Plures in Germania fuiſſe erectos Epiſcopatus, & inter hos vel maxime *Moguntinum*, *Trevirenſem* & *Colonienſem*, utpote in Urbibus Metropolibus inſtitutos, eminuiſſe diximus: erat enim Moguntium Metropolis in *Germania prima*; Colonia in *Germania ſecunda*; Treviris Sedes *Præfecti Prætorii Galliarum*. Ad id jam devolvitur quæſtio, an hi Epiſcopi jam tum temporis juribus quibusdam ſingularibus, ac præeminentiis quibusdam metropoliticis fuerint potiti, & ita jam jam quidam velut Status *Hierarchicus* in Eccleſiis Germaniæ obtinuerit. Paucis hanc quæſtionem expedimus: inprimis certum nobis eſt, quod ſicut in aliis, ita etiam in Germaniæ eccleſiis nomen *Metropolitæ* in eo, quo hodie ſumitur, ſenſu ne quidem notum fuerit, utpote quod prima vice occurrit in Synodo Nicæna (a). Num vero Epiſcopi prædictarum eccleſiarum ampliorem quamdam, ſuoque modo metropoliticam jurisdictionem in alios Epiſcopos exercuerint, res prorſus eſt incerta.

An jam tunc in Germania fuerint Metropolitæ, id eſt Epiſcopi jurisdictionem Metropoliticam exercentes?

(y) Acta ſincera & ſelecta Martyrum Theodorus Ruinartus in modicum volumen conjecit: quamquam neque hæc ex omni parte eſſe perfecta & ſincera exiſtimentur. vid. Honoratus a S. Mar. Animad. in regul. Crit. Tom. I. Diſſert. IV.

(z) Vid. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. IV. cap. 14. & lib. V. cap. 24.

(a) Can. 6.

Digitized by Google

certa, nullo documento, nullaque ratione convincente demonſtrabilis: nam demus, quod dignitas metropolitica originaliter moribus potius & conſuetudinibus fuerit introducta, quam lege ſcripta (b), quatenus nempe Epiſcopi Urbium Metropolium majori honore dignati, ac ſucceſſive ampliori juriſdictione ita exigentibus rerum neceſſitatibus in ordine ad decidendas controverſias inter ipſos Epiſcopos agitatas fuerunt prædıti, attamen an ſimile quid in Germania obtigerit, ex eo capite dubitari valet: quod rariores in Germania fuerint Epiſcopi, in quos illuſtriores illi Epiſcopi ſuam juriſdictionem exercere debuiſſent. Quod ſi quis in Gallia, & Germania fuit Epiſcopus, qui Jus aliquod Metropoliticum exercuiſſe videri poſſet, ille profecto alius non foret, quam S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, quippe qui Concilio Lugdunenſi in cauſa Quarto-decimanorum a ſe habito præfuiſſe legitur. Quo peracto ex ſententia omnium per Galliam fratrum, uti loquitur Euſebius, ſcripſit ad Victorem Pontificem, in qua ipſum cohortabatur, ne communionis vinculum cum Patribus Aſiæ rumperet (c). Atque hoc quid eſt aliud, quam jus Metropoliticum exercere? quippe quod ſe vel maxime in convocatione & celebratione Conciliorum tunc potiſſimum, quando cum jure præſidendi eſt conjunctum, manifeſtum facit. Verum ne ſic quidem jus aliquod Metropoliticum aut amplior in Epiſcopum Lugdunenſem transfuſa Juriſdictio ſufficienter nobis probatur: nam facile fieri potuit, ut vel ipſe Pontifex ex ſingulari fiducia in miram vitæ ſanctitatem, ac notiſſimam Irenæi eruditionem & doctrinam ab ipſo, cæteriſque Galliæ Epiſcopis ſententiam requiſiverit; vel hi ipſi Epiſcopi ex hac ipſa cauſa ſe potiſſimum judicio Irenæi ſubjicere voluerint. Aliud exemplum, ex quo Hierarchia aliqua inter Epiſcopos Galliæ & Germaniæ probari poſſet, ſaltem nobis non occurrit. Cæterum non dubitamus, quin Epiſcopi ſua habuerint Presbyteria, & more in aliis eccleſiis orbis Catholici recepto hujus conſilio & conſenſu ſuas rexerint Eccleſias. Probabilius in Germania & Gallia eo tempore id obtinuit, de quo dicit Cyprianus (d): *neque enim quisquam noſtrum Epiſcopum Epiſcoporum ſe eſſe conſtituit, aut ter-*

S. Irenæus Lugdunenſis videtur quoddam jus Metropoliticum exercuiſſe.

A parte rei tamen non exercuit.

(b) Vid. dicta in diſſert. de Statu Eccleſiæ cap. 2. de Hierarch. §. 11.

(c) Euſebius lib. 5. cap. 24. hanc hiſtoriam egregie dilucidat Du-Pin de diſcip. diſſertat. 2. contra Baronium, & Bellarminum, utpote qui inde volunt eruere, quod Pontifex jam eo tempore ſupremam in abdicandis Epiſcopis poteſtatem exercuerit. (d) Lib. de baptiſ. hæretic.

Digitized by Google

terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit, quando habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit: cum nec ipſe poſſit alium judicare.

§. VII.

Summa Communio inter Pontifices & Epiſcopos Galliæ & Germaniæ.

De Hierarchia, nexu, & communione inter Romanum Pontificem & Epiſcopos Germaniæ & Galliæ videamus. Si vera ſunt, quæ de miſſione Virorum Apoſtolicorum ad plagas Germaniæ & Galliæ a Petro Apoſtolorum Principe, & Apoſtolo Paulo facta communius referuntur, dubium non eſt, quod Epiſcopi Germaniæ in arctiſſima unione & communione cum Romano Pontifice ſteterint. Evidentiſſimum hujus communionis argumentum præbent ea, quæ §. præced. de Concilio Lugdunenſi ab Irenæo in cauſa Quartodecimanorum ſeu celebrandi Paſchatis celebrato diximus. Profecto neceſſitatem communionis cum Eccleſia Romana tanquam centro unitatis nemo magis agnovit, quam Irenæus verbis hiſce prægnantiſſimis: *Ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam* (e). Aliud adhuc exemplum ad probandam communionem iſtam perquam opportunum nobis occurrit in cauſa Marciani Epiſcopi Arelatenſis, qui, quum Novatiano adhæreret, & id S. Cypriano innotuiſſet, ſcripſit ad Stephanum Pontificem, quatenus ad Arelatenſes ſcriberet, ut depoſito Marciano alium ſubſtituerent (f). En evidentiſſimum exemplum communionis inter Romanum Pontificem, & Epiſcopos Galliæ &c! Neutiquam vero legimus, quod vel aliqua hæreſis in Germania enata, vel ſchiſma conflatum, vel aliqua doctrina perverſa ad aures Pontificis fuerit translata, aut devoluta; multo minus quod a ſententia Judicis eccleſiaſtici ad Tribunal Pontificis ſuperius fuerit appellatum. Neque dubium nobis eſt, quin Germaniæ Epiſcopi ſuas rexerint Eccleſias ea libertate, qua cæteri cæteras. Nondum enim ea dignitatis præeminentia & juriſdictionis amplitudine eminuit Romanus Pontifex, quanta ſucceſſu temporis eminere cœpit: nondum tot erant ſubjectionis tituli, quibus cæteri Eccleſiarum Epiſcopi Pontifici ſubjiciebantur, quot ſunt hodie: nondum tot recurſus, & provocationes ad Sedem Romanam fiebant, quot fieri debent noſtris temporibus, poſtquam Pontifex ſuam juriſdictionem circumtulit per orbem Catholicum univerſum. Independens quodammodo regimen

In Germania nulla legitur nata hæreſis, nullum ſchiſma conflatum.

Dignitas & Juriſdictio Pontificis nondum ita eminuit.

(e) Lib. 3. cap. 3.

(f) Vid. Elias Du-Pin de antiq. Eccleſ. diſcip. Diſſert. II. pag. 148.

Digitized by Google

men exercebant Epiſcopi in ſuis eccleſiis, negotia ſuorum Clericorum, & Eccleſiarum conſilio & conſenſu ſui Presbyterii expediebant, majora ad Synodos provinciales deferebant: quamquam cæteroquin Primatum Romani Pontificis omnes & ſingulos Epiſcopos agnoviſſe non dubitemus.

§. VIII.

In primis Eccleſiæ ſæculis religio dominans fuit gentiliſſimus.

In tribus primis Eccleſiæ Sæculis Imperatores Ethnicos & Gentiles Romani Imperii ſceptra geſtaſſe, nemo ignorat, quo tempore per omnes Provincias Romanis ſubjectas religio dominans erat procul dubio Ethnicismus; & econtra Chriſtianiſmus ſeveriſſimis edictis Imperatorum ex omni orbe Romano proſcriptus: quin Chriſtianis licuerit ſuam Religionem publice exercere, niſi iram Imperatorum, Præſidum, Proconſulum, aliorumque per regna & provincias gubernantium provocare, atque graviſſimas contra ſe perſecutiones excitare vellent. Inde venit, quod hodierni Proteſtantes plures ſcribere non dubitent, Eccleſiam Chriſti eo ævo nondum fuiſſe partem innexam Reipublicæ Politicæ, ſed Collegium quoddam per ſe ſtans nulli Imperanti ſubjectum, usque dum Sæc. IV., poſtquam Conſtantinus M. Religionem Catholicam receperat, cum Republica politica coaluerit, eique ad inſtar aliarum ſocietatum fuerit inſerta (g). Hisce temporibus Germaniam perpetuis concuſſam fuiſſe bellorum cladibus, noverint omnes, qui Hiſtoriam Germaniæ vel a limine ſalutarunt: neque certe ulla fuit gens, quæ toties conflixit cum Romanis, aut fortius cum ipſis dimicavit, aut tot ipſis clades intulit, atque Germani. Sed nec defuere graviſſimæ perſecutiones, quibus Chriſtiani etiam in partibus Germaniæ divexabantur. Teſtes hujus ſunt tot millia SS. Martyrum etiam genuinorum, quorum nomina leguntur in Martyrologiis diverſiſſimarum Eccleſiarum Galliæ & Germaniæ, uti ſupra diximus.

Germani ſtrenue cum Romanis conflixerunt.

Graviſſimæ perſecutiones per Germaniam.

Legio Thebæa, ſeu Martyres Agaunenſes. Item Societas S. Urſulæ.

Inter hos eminent Martyres *Agaunenſes*, quos olim *Legionem felicem* (h) appellarunt, & hodie communi nomine appellamus *Legionem Thebæam*; nec non undecim millia Virginum & ſociarum S. Urſulæ, quorum priores prope Agaunium in Valleſia Sæc. III. ſub Maximiano circa annum 297., uti vult Baronius, vel juxta alios circa annum 286. ſubiiſſe

D 2

(g) Hanc ſententiam acriter defendit Boehmer in ſuo jure Eccleſ. ſed egregie vapulat a Moshemio in Kirchen-Recht der Proteſtanten.

(h) *Legionem felicem* appellat Gregor. Turon. lib. 1. de gloria M M. cap. 75. Venantius Fortunatus lib. 8. Carmine 4.

ſubiiſſe martyrium; poſteriores apud Ubios, & ad ripam Rheni Sæc. IV. ſub Gratiano Imperatore ab Hunnis Martyrio affectæ ſcribuntur. Utramque hanc Martyrum ſocietatem ſibi vindicat Germania: cum priores in Valleſia Galliæ & Germaniæ vicina; poſteriores omnino in Germania Martyrium ſubierint. Ambæ hæ hiſtoriæ plurimis & maximis ſubſtant difficultatibus, & ab hodiernis Scriptoribus juxta accuratiſſimas Critices regulas examinantur. Etſi vero noſtri inſtituti non ſit hic agere Criticum & hiſtoricum, neque res iſtæ ad noſtrum ſcopum multum facere videantur, haud tamen abſtinere potuimus, quo minus Candidatis hiſtoriæ, qui plerumque defectum librorum, in quibus ſimilia accuratius habentur, patiuntur, quædam de his dicamus. Id ante omnia animadvertimus, nullas hiſtorias ſeveriori Criſi ſubjectas, ac tantis involutas eſſe tenebris, ac hiſtorias Martyrum, aliorumque Sanctorum. Inde venit, quod hodie acta Martyrum, & vitæ Sanctorum, de quibus non multo ante vix dubitabatur, in dubium vocentur e. g. acta MM. de SS. Perpetua & Felicitate, de ſeptem FF. dormientibus, de S. Chriſtophoro, S. Georgio, & innumeris aliis. Hujusmodi acta dubia, ſpuria & falſa præcipue apud Simeonem Metaphraſten, Jacobum de Voragine *Aureæ Legendæ* Scriptorem, Petrum de Natalibus, Mombricium, Lipomanum, Surium, Bollandi & Sectatorum collectionem teſte Honorato a S. Maria reperiuntur (i).

Utraque hiſtoria incerta.

Acta MM. incerta.

Authores qui de hiſtoriis MM. ſcribunt.

Tres præcipue nobis ad manus ſunt Scriptores, qui ex profeſſo de actis & hiſtoriis Martyrum ſcripſerunt, & in tradendis regulis dijudicandi vera a falſis, certa ab incertis improbum ſibi laborem dederunt, quorum primus eſt Baillet in ſuo opere, quod inſcripſit: *les vies de Saints*; & potiſſimum in *Diſquiſitione Critica*, quam ſuo operi præpoſuit, & non ita pridem in ſermonem Germanicum verſam ſub titulo: Hadrian Baillet hiſtoriſche und Critiſche Abhandlung von den Geſchichten der Martyrer und Heiligen, und deren Samlungen *Lipſienſes* typo mandarunt (k). Alter eſt Honoratus a S. Maria author celeberrimus in ſuis *Animadverſionibus in Regulas & uſum Critices* (l), quam Viri ſummæ eruditionis plurimi æſtimant. Tertius eſt Joan. Mabillonius hinc inde in actis Benedict.: quibus jure optimo addantur Bollandiſtæ in diverſis locis per decurſum a nobis annotandis. Omnium labor in eo deſudat, ut acta MM. in certas claſſes diſtinquant, ſingulis ſuam fidem adſtruant, notas characteriſticas diſcernendi ſin-

cera

(i) Animadverſ. in Reg. & uſum Critic. Tom. I. Diſſert. IV. Part. priore Artic. I.

(k) Leipzig und Roſtock 1753.

(l) Loc. cit. & ſeq.

cera a falſis aſſignent, regulas criticas dijudicandi in dubio afferant, fontes, ex quibus hæc acta & hiſtoriolæ depromuntur, indigitent, & hac arte veritati, honoribus SS. Martyrum, quin & religioni chriſtianæ quam optime conſulant.

Acta MM. ab Ethnicis & hæreticis depravata.

Pauca ex his delibemus. Animadvertit Bailletus, idem fatum accidiſſe actis & hiſtoriis MM., quod ſacris codicibus, Evangeliis, vitæ Chriſti, B. V., & Apoſtolorum. Hæc enim ab Ebionitis & Nazarenis, hæreticis; imo etiam Ethnicis eſſe depravata, & adulterata, falſa acta eſſe ſubſtituta, falſas hiſtorias confictas, antiquiſſima loquuntur hiſtoriarum documenta (m). Et quid mirum ſi ſimilia hiſtoriis MM. acciderunt? Acta MM. Honoratus in tres aut quatuor claſſes diſtinquit. Alia ſunt aperte mendacia, ut de illorum ſuppoſitione nemo unus ambigat (n). Alia aliquanto majorem veritatis ſpeciem præſeferunt, non tamen commune exploratæ veritatis ſpecimen exhibent, & ad Critices ſeverioris regulas revocata a non paucis repelluntur: alia communius eſſe dubia cenſentur: alia denique quoad præcipua rei capita eſſe genuina & ab autographis deſcendere, hinc inde tamen interpolata, dignoſcuntur (o).

Acta MM. in quatuor claſſes dividuntur.

Acta ſincera in ſuas Claſſes dividuntur.

Ipſa acta ſelecta, ſincera & vera ex Bailleto Honoratus in ſuas claſſes diſtinquit: ſiquidem non omnia æquali integritate eſſe prædita facile deprehenditur. Prima claſſis complectitur Autographa judicialia, quæ uſitatiori vocabulo vocantur *Proconſularia* aut *Præſidialia*, & ſunt ipſa acta *judicialia*, quæ ſpectant proceſſum judiciarium Chriſtianis ſub Imperatoribus factum, & in tabulariis publicis aſſervabantur, ac inde ſummo ſtudio, & aliquando ingenti pecuniarum vi a Chriſtianis, quatenus ea ſaltem deſcribere liceret, conquirebantur (p).

Prima claſſis

Secunda:

Altera claſſis comprehendit Autographa, id eſt illa acta, quæ ipſi Martyres, ſi commodum erat, aut illorum ſocii conficiebant: qualia ſunt acta ſanctarum Perpetuæ & Felicitatis, ac ſociorum; item SS. Montani, Flaviani & ſociorum.

D 3 Tertia

(m) Teſtes horum ſunt S. Ambroſ. in Lucam, Hieronymus in Matth. Juſtinus Apolog. 2. Tertull. Apolog. cap. 21. Euſebius hiſt. Eccleſ. l. 2. cap. 2. Irenæ. adv. hæreſ. l. 3. cap. 11. vid. cit. author. pag. 4.

(n) Talia acta in promptu ſunt apud Simeonem Metaphraſten, Jacobum de Vorag., Petrum de Natal. Lipomanum, Surium.

(o) Loc. cit. pag. 320. ſexdecim hujusmodi documenta recenſet laudatus author e. g. S. Juſtini Philoſophi, S. Acacii, S. Maximi &c.

(p) Idem ibid.

Tertia. Tertia ſub ſe habet illa documenta, quæ Chriſtiani tribunali adſtantes, aut ipſi martyrio præſentes poſt abſolutum Martyrium ſcriptis commendabant (q).

Quarta. Quarta continet non ipſa Autographa, ſed quædam velut ex autographis decerpta, prætermiſſis iis, quæ ad rei ſubſtantiam non videbantur pertinere; aut illa, quæ eo tempore, quo Martyres interfecti fuerant, erant pervulgata, & communi fama vulgabantur, & pro conſervanda memoria ſcriptis mandabantur (r).

Quinta. Quinta neque Autographa, neque inde decerpta complectitur. Sunt autem hæc acta non alia, quam illa documenta, quæ in illorum Authorum eccleſiaſticorum voluminibus continentur, qui Martyrum hiſtorias ſuo ævo proximorum Homiliis, Panegyricis & hymnis celebrarunt, & ea, quæ vel ipſi perſpecta habuere, vel ex tuta traditione acceperunt, ſcriptis conſignarunt (s).

Poſt hæc Honoratus horum documentorum fidem accurata decempeda metitur, & quanta nunc major, nunc minor fides eisdem debeatur, expendit, atque ipſa *Acta ſelecta & ſincera* Ruinardi ad ſtateram veritatis appendit, eisque ſuum pondus pro ſuis meritis attribuit.

Acta ſincera periere tempore Diocletiani. Verum quis ignorat, pleraque acta autographa mirum in modum usque ad perſecutionem Diocletiani aucta, ferme omnia periiſſe, poſtquam hic crudeliſſimus Imperator propoſito Edicto omnes ſacros Codices, omnia acta Martyrum, omnes libros chriſtianos conquiri, violenter ex ſcriniis auferri, e domibus & manibus Chriſtianorum extorqueri, & igne comburi juſſerat? Equidem fatum iſtud inhumanum, crudele & barbarum, quod per Italiam, Africam, Græciam, & Orientem ſæviebat, ad provincias, & Eccleſias Galliæ ſe non extendebat, quippe quæ imperio Conſtantii Chlori Chriſtianis mirum in modum faventis parebant. Verum periere acta MM., quæ hinc inde per Galliam aſſervabantur ſæculo ſubſequenti, quo Barbari & Ariani has eccleſias invaſerunt, devaſtarunt, &, quidquid ſacrum & ſanctum erat, profanarunt.

Quoniam vero rei chriſtianæ maxime intereſt, ut jactura pretioſiſſimi theſauri, quem Eccleſia in actis MM. amiſerat, modo quocun-

(q) Talia habentur acta S S. Ignatii M., Polycarpi Smirnenſis, Martyrum Lugdunenſium, Apolloniæ &c.

(r) Vid. Ruinardus in Præfat. ad acta ſelecta & ſincera.

(s) Idem Ruinardus.

Digitized by Google

cunque compenſaretur, in eo deſudabat induſtria Catholicorum, ut hæc acta reſtituerent, & ea, quæ hinc inde aſſervabantur, conquirerent. Pauca ſincera fuere reperta præter ea, quæ furori ſubtraxit induſtria S. Pamphili Presbyteri Cæſareenſis, & quæ poſtea Euſebius Cæſareenſis conſcripſit, atque in lucem protraxit. Verum, quod dolendum, neſcio quo fato opus iſtud Euſebianum periit, & in hanc usque diem reperiri non potuit, etſi Gregorius M. omni induſtria Romæ & Alexandriæ illud quæſierit (t). Itaque de reſtituendis illis, quæ igne fuere conſumpta, cogitandum erat. At vero hic labor, hoc opus erat, quod alia media reſtituendi non ſuppeterent præter memoriam hominum adhuc viventium, & traditiones vulgares.

Acta M M. reſtituuntur a S. Pamphilo, & Euſebio.

Difficultas in iis reſtituendis.

In eo autem enormiter excedebant Scriptores actorum, quod eorum quidam acta iterum reperta ſub prætextu ea corrigendi, emendandi & ſupplendi mirum in modum adulterarent; alii nova acta & miracula adderent, nova tormentorum genera Tyrannis & Carnificibus affingerent, integros dialogos, diſputationes inter Martyres & Tyrannos excogitarent, neſcio quod ingens & inſolitum obſequiorum genus Eccleſiæ ſe præſtituros, atque de re chriſtiana optime merituros exiſtimantes, ſi Eccleſiam hujusmodi documentis falſis fictis & adulterinis implerent.

Acta M M. corrumpuntur, & depravantur.

Aliud longe gravius malum accedebat, nempe effrœnis audacia hæreticorum eo tempore eccleſiam devaſtantium, qui veſtigia Ebionitarum, Gnoſticorum, Valentinianorum, Marcionitarum, aliorumque hæreticorum preſſo pede ſequentes, ut ſuis erroribus patrocinium emendicarent, novos Martyres & martyria finxerunt; & econtra genuinis actis neſcio quas falſitates aſperſerunt. Hujus criminis rei aguntur Manichæi, Donatiſtæ, Ariani, Macedoniani, & poſtea Neſtoriani, Eutychiani, & Coptiſtæ. Huic malo, & præcipue tum audaciæ hæreticorum, tum ſimplicitati Catholicorum neceſſario obviandum erat, & ſane controventum fuerat in famoſo decreto Synodi Romanæ ſub Gelaſio, vel, ut aliis placet, ſub Hormiſda celebratæ, in qua plurima Evangelia falſa, canones ſpurii, opera Patrum, acta hiſtorica eſſe confixa leguntur (u). Quidquid jam ſit de hac Synodo, quam ut plurimum vocant in dubium, illud eſt veroſimillimum, quod Compilator hujus Decreti quosdam Synodi nobis incognitæ canones, vel antecedentium Pontificum decreta in unum collegerit. Subſequebatur anno 692. Synodus Conſtantinopolitana, quam vocant

Hæretici Martyres fingunt.

Huic malo ſubventum.

(t) Greg. M. epiſt. 26. l. 7.
(u) Legitur iſtud decretum in Decreto Gratiani diſt. XV. cap. 3.

Digitized by Google

cant Quini-ſextam (x), quæ can. 63. vetat legi falſas & confiſtas Martyrum hiſtorias, easque jubet igni tradi, additque rationem prorſus graviſſimam: quod talia acta in odium religionis, contemptum SS. MM., & ſeductionem eorum, a quibus leguntur, eſſe congeſta videantur. Quamquam vero Eccleſia Romana hanc Pſeudo-Synodum nunquam in Claſſem Synodorum receperit, attamen ex hoc decreto ſtudium Patrum Græcorum ſane laudabiliſſimum eliminandi acta falſa MM., & coercendi libidinem vagam & effroenem Scriptorum ſit manifeſtum.

Nova acta MM. in lucem veniunt. Sed nec hac ratione huic malo ex omni parte fuit contraventum. Nam quia decretum illud generice erat conceptum, multos vero ingens inceſſit deſiderium acta MM. pro uſu ſuarum Eccleſiarum conquirendi, accidit, ut plures collectiones actorum MM. ſæculis ſubſequentibus in lucem publicam prodirent, quales ſunt S. Ceraunii Pariſienſis ad initium Sæc. VII.; S. Projecti eod. ſæculo; S. Aldhelmi ad initium Sæc. VIII.; Anaſtaſii Bibliothecarii, & Joannis Diaconi Sæc. IX. in quibus tamen multa deſiderantur. *Monachi perperam fictionis arguuntur.* Monachi præcipue illorum temporum peſſime vapulant, utpote qui in ſcholis monaſteriorum artes & ſcientias docebant, in deſcribendis, & conſcribendis libris erant occupati, & in ſuis eccleſiis monaſterialibus multa SS. MM. corpora & reliquias aſſervabant: quaſi vero hi pro ſua ſimplicitate, exceſſivo fervore & zelo pro cultu & honore MM. multa finxerint, adulteraverint, & corruperint. Ita nempe, quidquid deliquerunt alii Scriptores, ultimato in Monachos refunditur, quibus tamen orbis literarius ferme omnia documenta antiqua ævi medii debet. Quam facile foret illorum patrocinium aſſumere? ſaltem id nobis concedant Maſtyges Monachorum cum Cardinale Valerias Epiſcopo Veronenſi & Scriptore vitæ S. Caroli Borromæi, quod, ſi in aliquo deliquerunt, & exceſſum commiſerunt, id neutiquam ex prava intentione decipiendi, ſed ex ſancta ſimplicitate, vel defectu maturioris judicii factum fit. *In quo erraverint Monachi?* Idcirco exiſtimat citatus Cardinalis, præcipuos defectus inde profluxiſſe, quod Monachi ſuos juniores in arte oratoria exercere, & in materiam thematis vitas ſanctorum illis aſſignare; hi dein illas pro ſuo modulo ſecundum regulas artis exornare conſueverint, & hac ratione nonnunquam ex defectu judicii in conquirendis laudibus exceſſerint, &

(x) Dicitur Quini-ſexta, quia eſt quaſi appendix Synodi V. vocatur etiam communius Synodus Trullana a loco, in quo fuit celebrata, nempe a Trulla Imperialis Palatii Secretario ſuperne fornicato.

& quædam veroſimilia ſuis laboribus, prout facile ab Oratoribus fieri poteſt, & ſolet, inſperſerint. Et quia tales labores ſæpius in ſcriniis, & Bibliothecis aſſervabantur, difficillimum erat poſt lapſum longioris temporis hiſtorias veras & ſimplices ab illis, quas eloquentia ſecundum veroſimilia exornaverat, diſcernere (y).

Errores in conſcribendis actis M M. commiſſi.

Exinde promanavit error communis, & in hoc non Monachi duntaxat, ſed cœteri etiam Scriptores deliquerunt, quatenus a nemine hiſtoriam ſcribi poſſe exiſtimatum fuit, niſi qui veroſimilia ſuis hiſtoriis immiſcere, atque vitas Sanctorum ſecundum regulas artis exornare ſciret: quo factum eſt ulterius, ut hiſtoriæ degenerarent in fabulas, jamque regulæ pro conſcribendis & exornandis hiſtoriis Sanctorum traderentur, quales tradidit Metaphraſtes, & inter cœteras hanc, *ita vitas Sanctorum eſſe ſcribendas, ut narratio ea omnia faciat veroſimilia, quæ de fortitudine & magnanimitate SS. Martyrum ex una; ex altera vero parte de crudelitate Perſecutorum prudenter cogitari poſſunt* (z).

Concionatores excedunt in laudibus SS. Martyrum.

Hanc regulam cum grandi præjudicio ſecuti ſunt alii Scriptores: Undenam enim illos Dialogos, illas diſputationes inter SS. Martyres, Philoſophos, & Perſecutores, quales leguntur paſſim in actis Martyrum, provenire exiſtimamus, niſi ex veroſimilibus conjecturis, vel omnino fictionibus? Hanc regulam ſequuntur hodierni Concionatores & Panegyriſtæ, qui, dum ſuæ eloquentiæ certe non ſacræ, ſed profanæ fræna laxant, in regulas veritatis & rationis turpiter impingunt, veritatem obſuſcant, ſe, & religionem noſtram contemptui & irriſioni Sectariorum exponunt.

Eo ventum fuerat, ut, dum aliquoties materia ſcribendi deficeret, pro exornandis virtutibus Sanctorum, quorum vitam ſcribebant, eam ex actis aliorum SS. MM. mutuarent, & veluti emendicarent, ac ſola nomina mutarent. Inde eſt, quod hinc inde hiſtoria vitæ plurium MM. ferme ſit eadem & ſimillima. Hujus rei exempla haud pauca affert

(y) Auguſt. Valerias Rhetor. Eccleſ. ſeu de modo concionandi.

(z) Vid. Baillet loc. cit. p. 20. ubi Metaphraſten ita loquentem inducit: Man muß ſeine Materien ſo wählen, und zubereiten, daß die Erzehlung dasjenige wahrſcheinlich mache, was man von dem Muthe der Martyrer, und von der Grauſamkeit ihrer Verfolger ſagt. Man muß die Gemüthsarten, und was ſich dazuſchicket, wohl beobachten.

Digitized by Google

affert Bailletus ex Bollando, Papebrochio, Henſchenio, & horum Commilitonibus (a).

Mos legendi vitas Martyrum in conventibus publicis. Mos antiquiſſimus fuit celebrandi feſta SS. MM., memorias recolendi, eorumque vitas in conventibus publicis legendi, qui jam obtinuit tempore perſecutionum, quo adhuc MM. acta pura ſincera & incorrupta habebantur. Mos iſte fuit continuatus, poſtquam illa acta ſeu ab hæreticis ſeu a Scriptoribus Catholicis ſimplicioribus fuere corrupta, & præcipuum uſum habuit in eccleſia Africana (b). *Non viguit in Eccleſia Romana.* Noluit tamen Eccleſia Romana hanc conſuetudinem recipere usque ad Sæculum VIII. ob incertitudinem, corruptionem, & depravationem a-*Sæc. VIII. tamen receptus.* ctorum & hiſtoriarum. A Sæculo VIII. Pontifices hanc conſuetudinem in ſuis Eccleſiis non tam approbabant, quam potius tolerabant, & quidem cum ſumma cautela & circumſpectione cum excluſione actorum, quæ ex quocunque capite ſuſpecta videbantur. Legebantur hæc acta, dum Miſſa celebrabatur, plerumque a principio in finem usque. Quod ſi in his actis quædam aut intellectu difficilia aut notatu digna occurrerent, Epiſcopi adhuc ante communionem conſcendebant Cathedras, intellectui impervia explicabant, fideles inſtruebant, ſalubres doctrinas addebant, & vitam MM. ad rectam morum informationem applicabant (c).

Acta MM. in Gallia Liturgiis inſerta. In Gallia hiſtoriæ ſeu acta MM. ipſi Liturgiæ ſeu Miſſalibus inſerebantur, ſecus quam in Eccleſia Romana. Obtinuit hic mos, usque dum Galli ſuam antiquam Liturgiam abrogarunt, & Romanam ſuſceperunt. In eo adhuc Galli ſuæ antiquæ diſciplinæ tenacius adhærebant, quod vitas SS. adhuc ſub divinis ex actis legi permittebant. *Hic mos reprobatus.* Reprobavit hunc morem vehementiſſime Agobardus Scriptor Sæculi IX. celeberrimus, & Epiſcopus Lugdunenſis exiſtimans, in officiis Liturgicis nihil eſſe legendum, niſi quod e ſacro Codice eſſet depromptum. *Poſtea inſerebantur officiis.* Tandem acquievere Galli, jamque hæ vitæ haud amplius in miſſis, ſed potius in officiis nocturnis & matutinis legebantur. Placuit ſucceſſive officia hæc in certum ordinem redigere, formulas illa peragendi præſcribere: & hæ formulæ & officia poſtea dicebantur, &

(a) e. g. vita SS. Priſcæ, Martinæ & Tatiæ omnino ſimillima: vita S. Margaritæ, & S. Lanigiæ ferme eadem: Idem dicendum de S. Albina & Reparata; de S. Alexio, & Joanne Calybita.

(b) Vid. Conc. Carthag. II. can. 46. & Baronius ad annum 419.

(c) Inde veniunt tot homiliæ, & conciones SS. Patrum in laudes SS. MM. compoſitæ.

Digitized by Google

& in hanc usque diem dicuntur *Breviaria* (d), quibus dein acta & vitæ SS. inſerebantur, ac in plures lectiones dividebantur, quemadmodum in hodiernam usque diem videre licet.

Non omnes hiſtoriæ Breviariis inſertæ pro veris habendæ.

Verum nemo ſibi perſuadeat, quod omnes, quæ in Breviariis leguntur, hiſtoriæ ſint genuinæ & ſinceræ, ſicut olim multis perſuaſum erat, qui haud ſecus hæc acta, quam ſacras Scripturas venerabantur: ſiquidem hæ hiſtoriæ majorem authoritatem non habent, ac ipſi fontes, e quibus fuere hauſtæ, qui certe alii non ſunt, quam antiqua MM. acta ſæpius falſa, aut ſaltem corrupta & depravata: e. g. leguntur in hodiernum usque diem in Breviario hiſtoriæ de lapſu Marcellini, de lepra & baptiſmo Conſtantini, quæ noſtro ævo inter apocrypha referuntur. Idcirco mirum non eſt, quod ſæpius de reformando Breviario fuerit actum, illudque plures Epiſcopi Galliæ revera in melius reformaverint. Hujusmodi reformationem in ſe etiam ſuſceperunt Romani Pontifices Pius V., & Clemens VIII. conformiter diſpoſitioni Synodi Tridentinæ; & poſtea Urbanus VIII., qui ut opus ſuum eo felicius exequerentur, illud commiſerunt Viris eruditiſſimis, inter quos erat ipſe Baronius. Attamen eventus non correſpondit optimis conatibus, & ideo usque nunc Breviaria ſcatent hiſtoriis dubiis, ſuppoſititiis, aut falſis. Hæc optime perſpecta habuit ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. Unde ſimile reformationis opus moliebatur, cui tamen ſuccubuit. Interim Religioni, & ipſi authoritati Breviarii parum decedit, etiamſi non ex omni parte ſit purgatum: quia Eccleſia nunquam Breviaria libris canonicis accenſuit; multo minus, ut illorum authoritati ſimpliciter aſſurgatur, præcepit.

Reformatio Breviarii a Pontificibus aſſumitur.

Reformationem molitur Benedictus XIV.

Quid ſit Martyrologium, illiusque origo.

Priusquam acta MM. in *Breviaria* fuere inſerta, jam dabantur *Martyrologia*, quæ erant ſimplices Catalogi, in quibus continebantur nomina MM., quorum feſta ſingulæ Eccleſiæ celebrare conſueverant. *Martyrologia* ſuam debent originem *Calendariis*, qualia ſingulæ Eccleſiæ pro ſuo tantum uſu habebant, & primitus ab his Calendariis indiſtincta. Antiquiſſimum Calendarium eccleſiaſticum exiſtimant illud Romanæ Eccleſiæ, quod circa medium Sæculi IV. ſub Liberio Pontifice fuit compoſitum (e). Aliud ex Sæculo V. habemus, quod ſcripſiſſe fertur Polemius Silvius, author usque nunc parum cognitus, in quo continentur feſta non Chriſtianorum duntaxat, ſed etiam Gentilium. Ex eodem Sæculo aliud Calendarium pro uſu Ec-

Varia diverſorum temporum Calendaria eccleſiaſtica.

(d) Vid. Tom. II. quæſt. I. pag. 88. ubi fuſius de Breviario egimus.
(e) Fuit editum anno 1634. Antwerpiæ.

cleſiæ Africanæ compoſitum habetur. Eodem Sæculo hæc Calendaria libris eccleſiaſticis accenſebantur. Succeſſu temporis Calendariis præter nomina & feſta MM. inſerebantur *dies pœnitentiales*, quos antiquiores celebrarunt. Tale Calendarium pro uſu Eccleſiæ Romanæ Sæculo VII. & VIII. Pariſiis anno 1652. fuit editum (f).

Martyrologia antiquitus erant Calendaria particularia Eccleſiarum.

Primitus ergo *Martyrologia* erant ipſa *Calendaria* particularia eccleſiarum: poſtea plura Calendaria veluti in unum coadunabantur, hiſque ſola nomina MM. cujusvis loci cum reſtrictione ad certos dies, & additione loci martyrii, ac ſepulturæ inſerebantur. Ordinabantur hæc Martyrologia in uſum eccleſiarum ad inſtar Calendariorum communium ſine ulla relatione etiam breviſſima eorum, quæ ad vitas, facta, & paſſiones Martyrum pertinere videntur. Ex his jam patet, quod *Martyrologia* fuerint ſimplices catalogi omnium Martyrum, de quorum martyrio notitia haberi poterat.

Erant ſimplices catalogi.

Primus Martyrologiorum author incertus.

De primo Martyrologiorum authore non certo conſtat. Alii cum Benedicto XIV. P. M. hunc honorem deferunt illis Prothonotariis S. R. E. a Clemente I. conſtitutis (g): alii Euſebium Cæſareenſem; alii S. Hieronymum veluti primum authorem reverentur. Prima opinio in eo nititur, quod illi fuerint primi, qui acta MM. conſcripſerunt: altera ſuum fundamentum in eo ponit, quod Greg. M. de quodam Martyrologio ſeu Calendario Romano, in quo præter nomina MM. locus martyrii & ſepulturæ duntaxat ſine ulterioribus actis legebatur, in ſua epiſtola ad S. Eulogum Epiſcopum Alexandrinum data mentionem faciat (h), cujus authorem eſſe vel Euſebium Cæſareenſem, vel Hieronymum ſuſpicantur. Cæterum nec prima, nec altera opinio ſufficienti ſuſtentatur fundamento: Non prima, quia hic non eſt ſermo de actis SS. MM. fuſioribus, qualia conſcripſere illi Prothonotarii, de quibus adhuc inter DD. diſputatur; ſed de Martyrologiis ſeu Calendariis brevioribus, qualia antiquitus & noſtro ævo ſunt in uſu Eccleſiæ, quæ ſapientiſſimus Pontifex perperam confundit cum actis SS. MM.: Non ſecunda, quia inter opera Euſebii & Hieronymi nihil ſimile legitur. Quidquid de hoc jam ſit, ſaltem prima & antiquiſſima Martyrologia Eccleſiæ latinæ ſub nomine Hieronymi circumferuntur. Plura etiam ultimis temporibus in lucem fuere protracta Mar-

(f) Vid. Baillet loc. cit.

(g) In Præfat. ad Martyrologium Romanum a ſe editum cap. 8.

(h) Epiſt. 29. lib. 7.

Martyrologia antiqua, quæ videntur eſſe copiæ antiquiſſimi Martyrologii Hieronymiani (i).

Nova Martyrologiorum forma, dum vitæ Sanctorum inſertæ.

Aliam formam acceperunt Martyrologia Sæculo VII. & VIII., quo præter nomina Martyrum breviſſimas vitarum hiſtoriolas illis inſerere placuit. Primus, qui id fecit, fuiſſe creditur venerabilis Beda, qui anno 735. diem ſupremum obiit, & Martyrologium a ſe conſcriptum reliquit. Diſputant tamen authores, utrum novæ hæ additiones ſint ipſius Bedæ, vel alterius incerti authoris. Idcirco primum hujus formæ authorem exiſtimant eſſe Florum magnæ authoritatis, ſed incertæ ætatis Scriptorem, quippe qui Martyrologium Bedæ potius edere, quam novum adornare, eidemque additiones proprias adjungere voluit (k).

Plura Sæc. VIII. & IX. edita ſunt Martyrologia.

Inter hæc præcipuum Uſuardi Martyrologium.

A Sæculo VII. usque ad finem Sæculi IX. plura fuere edita Martyrologia, qualia ſunt Wandalberti, Rabani Mauri, Adonis, Uſuardi, & Notkeri, quæ communius vocantur Antiqua. Inter hæc primas refert Martyrologium Uſuardi, quippe quod in plerisque Monaſteriis & Eccleſiis Galliæ, Angliæ, Germaniæ, & Italiæ; præcipue vero Romæ ſummo cum applauſu fuit receptum, ita quidem, ut communi nomine Martyrologium Eccleſiæ Romanæ, omniumque eccleſiarum Occidentalium audiret. Cum vero ſingulæ Eccleſiæ libertatem ſibi retinuerint Sanctos ſibi proprios inferendi, aut aliqua immutandi, contigit, ut tot Martyrologia Uſuardi circumferrentur, quot erant Eccleſiæ principaliores (l).

Martyrologia nova.

Ab hoc ergo tempore incipiunt Martyrologia nova, qualia intra ſpatium 700. annorum ferme innumera lucem aſpexerunt publicam, quæ tamen nomen Martyrologii proprie non merentur: cum ſint potius additiones ad Martyrologia antiqua, quam Martyrologia nova. Inter hæc celebriora ſunt Bellini Paduani, Franciſci Maruli, Joannis Molani, & Petri Galeſini. Omnes hi Viri reformando, & in melius emendando Martyrologio Uſuardi, & præcipue Romano inſudabant. Neuter finem ſibi præfixum obtinuit: id tamen effecerunt, ut Romani Pontifices reformationem Martyrologii per additiones mirum in modum

(i) Talia recenſet plura Baillet pag. 28.

(k) Vid. Baillet pag. 27. & ſeq. Quo tempore vixerit Florus; quis, & ubinam fuerit, inter Scriptores diſputatur. Vid. Trithemius de Script. Eccleſ. lib. 2. cap. 44.

(l) De his Martyrologiorum Scriptoribus vid. Mabillonius Præfat. II. in Sæc. IV. cap. 6.

Digitized by Google

Martyrologii reformatio a Gregor. XIII. ſuſcepta.

Baronii Martyrologium defectuoſum.

Martyrologium Romanum non eſt Baronii.

dum depravati neceſſariam agnoſcerent. Opus reformationis molitus fuit, & Viris quibusdam doctis, inter quos præcipuus erat Baronius, commiſit Gregorius XIII. Abſolvit opus ſibi commiſſum Baronius, illudque Sixto V. inſcripſit, & ab eo confirmationem pontificiam obtinuit. Quoniam vero ipſe Baronius libere fatebatur, ſuum Martyrologium eſſe mendoſum, defectuoſum, & correctionis indigum, illud Breve Apoſtolico-confirmatorium ademptum fuiſſe Martyrologio Baronii, & affixum Martyrologio Bellini Paduani (m), plures ſcribunt Authores (n). Ex quo conſequitur Martyrologium, quo hodie Eccleſia utitur in officiis publicis, non eſſe Baronii, ſed Bellini, & ultimato ipſius Uſuardi, utpote quo Eccleſia Romana ſemper uſa fuerat.

Defectus illius.

Quemadmodum ipſe Baronius ſuum Martyrologium non ex omni parte eſſe perfectum & abſolutum, ſed potius ex ſuis annalibus emendandum libere fatetur, ita etiam Viri graviſſimi diverſos in eo annotare defectus & errores neutiquam ſibi piaculo duxerunt, e. g. quod e ſuo Martyrologio quosdam vel aperte hæreticos, vel de hæreſi aut ſchiſmate ſuſpectos non expunxerit (o); Sanctos dubios plures, de quorum ſanctitate & cultu non conſtabat (p), inſeruerit; Sanctos noviores antiquis ab Eccleſia agnitis prætulerit. Plures hujusmodi errores paſſim annotarunt Bollandus, Papebrochius, & Henſchenius (q), Holſtenius cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ (r) & ante hos Latino Catini de Viterbo (s).

Novam Martyrologii Romani editionem adorſus fuit Benedictus XIV. P. M., quam etiam typo edidit cum præfatione ampliſſima, quin tamen illud a ſuis nævis & erroribus purgaverit. Id ergo duntaxat præ-

(m) Abſolvit hic Scriptor ſuum Martyrologium circa finem Sæc. XV., quod & Venetiis & Pariſiis fuit editum ſub titulo: *Martyrologium Eccleſiæ Romanæ*, & revera Romæ receptum propter ordinem, quo dies erant poſiti.

(n) Vid. Lup. Concil. Tom. 3. p. 573.

(o) e. g. Clementem Alexandrinum, Theodotum Laodicænum S. Athanaſii hoſtem inimiciſſimum, Felicem II. ab Arianis in locum Liberii obtruſum.

(p) Tales cenſentur quidam, de quorum vita legitur in Dialog. S. Greg. M.

(q) In actis SS. præcipue ad menſem Januarium & Februarium.

(r) In ſuis Annot. 1663. Romæ editis.

(s) Hic fuit Baronio coævus, & in illius Martyrologium plures fecit annotationes, quæ 80. annis poſt obitum Catini in lucem fuerunt editæ 1677. Romæ.

præſtitit ſapientiſſimus Pontifex, quod nonnullla Sanctorum nomina in prioribus editionibus omiſſa ſuppleverit; alia item Sanctorum, & Beatorum nomina ex integro addiderit, prout ipſe loquitur in Titulo ſuo operi præfixo (ss).

De Synaxariis & Menologiis Græcorum.

Hactenus de Eccleſia Latina quoad acta SS. Martyrum, Miſſalia, Breviaria, & Martyrologia, præcipue Martyrologium Romanum. Idem judicium ferendum de *Synaxariis*, *Menelæis*, & *Menologiis* Græcorum, de quibus fuſius agere noſtri non eſt inſtituti. Erant *Synaxaria*, & *Menelæa* noſtris Miſſalibus & Breviariis; *Menologia* vero noſtris Martyrologiis ferme ſimilia. *Synaxaria* longiores hiſtorias de vitis Martyrum conſcriptas continent: *Menelæa* ſunt brevia compendia eorum, quæ dein in breviſſimum compendium redacta Ephemeridibus & Calendariis Græcorum inſerta & *Menologia* fuere dicta. Horum author a multis creditur S. Joan. Damaſcenus coævus Venerabili Bedæ. Plures tamen longe aliam referunt originem, eamque ad Sæculum X. vel omnino XI. reducunt (t).

Diverſi generis Menologia apud Græcos.

Sunt valde depravata.

Tot diverſi generis apud Græcos dantur Menologia, quot apud Latinos Martyrologia, inter quæ illud præcipuum, quod ſub nomine Baſilii Imperatoris circumfertur. Cœterum Græcorum Menologia graviſſimorum incuſantur errorum: ſiquidem in iis deprehenduntur præter ingentem Scriptorum negligentiam contradictiones, falſitates, mendacia, & plura his ſimilia, quæ ſanctitati Religionis, Eccleſiæ, & morum videntur eſſe contraria (u).

Inter Græcos Scriptores eminet Simeon Metaphraſtes.

Inter Græcos eminet Simeon Metaphraſtes Sæculi X. Scriptor ſub Leone ſapiente, cujus vitam doctrinam, aliaſque egregias dotes, officia publica & præcipua, quæ in aula imperatoria ſuſtinuit, ac laudes in ipſum congeſtas contexere nimis longum foret, & a noſtro inſtituto eſt prorſus alienum. Habet hic Scriptor ſuas laudes apud non paucos: ſed plures ſunt ex Scriptoribus etiam Catholicis, qui illius opera

(ss) Titulus Martyrologii ita habet: *Martyrologii Romani Gregorii XIII. juſſu editi, Urbani VIII. & Clementis X. authoritate recogniti nova Editio a SSmo Domino noſtro Benedicto XIV. Pontifice Maximo aucta, & caſtigata, in qua non nulla Sanctorum Nomina in præteritis Editionibus omiſſa ſupplentur, alia item Sanctorum & Beatorum nomina ex integro adduntur.*

(t) Aiunt, quod primum Menologium juſſu Baſilii Imperatoris fuerit congeſtum: Num vero Baſilius hic fuerit *Macedonicus*, qui anno 886. vitam finivit; vel *Junior* cognomine *Prophyrogeneta* anno 1025. mortuus, adhucdum diſputatur.

(u) Vid. Baillet. loc. cit. p. 38.

Digitized by Google

Reprehenduntur a graviſſimis viris. pera mirum in modum traducunt. Inter hos præter Baronium, Aubertum Miræum, Ruinardum, & Tillemontium præcipuus eſt Bellarminus. Equidem Bollandus Metaphraſten defendere conatus eſt, metuens, ne ſuis operibus, quibus hiſtorias a Metaphraſte congeſtas inſeruit, grande ex ſuppreſſa authoritate illius accederet præjudicium: attamen in Bellarminum ſuum acuere calamum non fuit auſus. Profecto ipſi Continuatores Bollandi ab hac ſui Prædeceſſoris opinione recedere & Metaphraſten acrius caſtigare non erubuerunt. Alii Scriptores Græci preſſo pede ſequebantur veſtigia Metaphraſtis, qui tamen ut plurimum ſunt ignoti (x).

Sæculo X. ſcribuntur vitæ Sanctorum. Revertamur ad Latinos. Sæculo X. ceſſatum fuit a conſcribendis Martyrologiis. Ab hoc tempore cœperunt Viri docti ſcribere hiſtorias Sanctorum, qui cum ſint innumeri, & illorum dotes, merita & demerita recenſere immenſi laboris opus foret, ſola nomina recenſuiſſe ſufficiat. *Præcipui vitarum Scriptores.* Scriptores præcipui ſunt ſequentes: Flodoardus, Goſcelinus, Cæſarius Heiſterbacenſis, Vincentius Beauvais, Jacobus de Voragine (y), Petrus Calo, Bernardus Guidonis, Petrus de Natalibus, Jacobus le Fevre, Ludovicus Lipomanus, Laurentius Surius, Heribertus Roſweidus, quo mortuo, antequam ſuos compleverat labores, grande ſuum opus, quod vocamus, *acta Sanctorum*, aſſumpſit Bollandus, quod doctiſſimi Patres S. J. usque nunc ingenti cum applauſu continuarunt (z). Et quis jam in numerum coget Scriptores, qui vitas Sanctorum ſuæ Nationis, ſuæ Provinciæ, ſui Ordinis, vel Sanctorum particularium conſcripſere, vel in hos Scriptores hiſtoriarum notas, animadverſiones, & correctiones fecerunt (a)?

Martyrologia hæreticorum. De Martyribus, & Martyrologiis Hæreticorum quædam addere haud erit inutile. Res ex hiſtoriis notiſſima eſt, quod hæretici antiquiſſimi etiam ſuos jactitaverint, vendiderint, obtruſerint, & habuerint Martyres; ſed non niſi tales, qui more quorundam Philoſophorum & Gymnoſophiſtarum mortem ſubiere (b). Inter hos præcipui erant

(x) Vid. Baillet. p. 42. & 43.

(y) Scripſit hic author hiſtoriam Sanctorum ſub titulo: *Legenda Aurea.* In hunc librum ſcripſerunt annotationes, animadverſiones & notas Scriptores plures, Bollandus, Wicelius, Ludovicus Vives, Claudius Eſpencæus, Bellarminus, Baronius.

(z) Proſtant opera usque nunc edita ferme in omnibus Bibliothecis.

(a) Vid Baillet pag. 66. & ſeq.

(b) Ita loquitur Clemens Alexand. Stromat. 4. p. 481.

Montaniſtæ ſcripſerunt Martyrologia.

erant Montaniſtæ, qui, ut ſuæ ſectæ neſcio quam authoritatem conciliarent, aut prætenſos ſuos Martyres cum Martyribus Catholicorum comiſcuere, aut iisdem oppoſuere: quos tamen peſſimæ vitæ & graviſſimorum criminum reos homines fuiſſe conſtat (c). Idcirco mirum non eſt, ſi etiam hi ſuorum MM. memoriæ conſervandæ ſtudioſi fuerunt: licet Martyrologia ſeu Calendaria MM. ab ipſis conſcripta non habeantur præter Calendaria MM., quæ ab Eutychianis in Ægypto degentibus, poſtquam ſe ipſos in Copticos, & Meletianos diviſerunt, eſſe congeſta exiſtimantur, in quibus non modo hujus ſectæ aſſeclæ, ſed etiam alii homines ob crimina ſua peſſima ad mortem damnati leguntur.

Reformatorum in vindicandis Martyribus ſtudium.

Albigenſes & Waldenſes ſibi primi vindicarunt Martyres.

Martyrologia ſcripſerunt poſt tempora Wiclefi.

Unum Pariſiis editum.

Aliud Lugduni.

Aliud in Anglia.

Aliud Baſileæ.

Multiplicantur Martyrologia.

A quo tempore prætenſi Reformatores Eccleſiam reformare cœperunt, ingenti ſtudio ſuis ſectis vindicare Martyres, eosque in immenſum multiplicare laborarunt. Origo hujus rei ab Albigenſibus & Waldenſibus eſt repetenda: nam quia homines iſti ſuis principiis non Eccleſiam duntaxat, ſed Rempublicam etiam politicam turbarunt, neque remediis mitioribus ad frugem reduci potuere, igne & ferro in ipſos animadvertendum fuit: quos dein ſectarii Martyres dixere. Martyrologia tamen ſcribere primum cœpere poſt tempora Wiclefi, & Joannis Huſs, & ab his ſuam epocham auſpicantur (d). Tale Martyrologium circa medium Sæculi XVI. Genevæ, & poſtea Pariſiis fuit editum, & paulo poſt mirum in modum auctum in lucem prodiit ſub titulo: *Hiſtoriæ Martyrum, qui a tempore Wiclefi, & Joannis Huſs in Gallia, Germania, Anglia, Flandria & Italia paſſi ſunt.* Paulo poſt Lugduni in Gallia aliud Martyrologium ſub titulo: *Hiſtoriæ Martyrum Eccleſiæ Pariſienſis* lucem aſpexit publicam. In Anglia novum Martyrologium illorum, qui regnante Maria Stuarta occiſi ſunt, collegit Joannes Fox, quod Baſileæ primum anno 1559., dein Londini in majori & ampliori forma prodiit. Novum Martyrologium procudit Henricus Pantaleon Helvetus ex Theologo factus Medicus Baſileæ anno 1563. typis impreſſum, quod in ſe continet hiſtorias Martyrum, qui a tempore Joannis Huſs per Germaniam, Galliam, & Italiam vita orbati ſunt. Paucis: Sectarii noviores usque nunc non ceſſarunt ſua Martyrologia multiplicare, quorum aliqui a temporibus Apoſtolorum; aliqui a tempore reformationis ſuas hiſtorias auſpicantur, Eo ventum eſt, ut, cum

(c) Vid. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 16.

(d) Conſtat enim quod Huſſius anno 1415. ad rogum fuerit damnatus.

Digitized by Google

Hæretici manifeſti inſeruntur.

cum Sectarii cum Catholicis de numero Martyrum dimicare præſumerent, in ſua Martyrologia etiam Albigenſes & Waldenſes, aliosque, quos ipſi tanquam hæreticos damnarunt, recipere non erubuerint. Satis erat, ut quis inter Sanctos locum accipere mereretur, quod contra ſacrificium Miſſæ, contra Pontificem egregie debacchatus fuerit (e).

Catholici ſe opponunt.

Huic libidini Sectariorum ſe oppoſuere Viri Catholici, inter quos præcipuum locum merentur Alanus Coyus natione Anglus, qui ex Anglia proſcriptus Romæ Martyrologium Joannis Fox refutavit; item Robertus Perſonius S. J. qui pariter duas Diſſertationes contra Pſeudo-Martyrologium Foxianum ſcripſit: quibus accedit Jacobus Severtus, qui Lugduni in Gallia Anti-Martyrologium edidit, quod poſtea Genevæ, Baſileæ, & alibi reimpreſſum fuerat.

Quid Martyrium, & quid Martyr?

Poſtquam tam multa ac diverſa de SS. Martyribus, & Martyrologiis diximus, operæ pretium eſſe exiſtimavimus quædam dicere de diverſis Martyrum generibus. Norunt omnes *Martyrium* Græce, Latine *teſtimonium* dici a verbo *μαρτυρῶ*, *teſtis ſum*. Hinc Martyr proprie *teſtem* ſignificat. Huc pertinent textus Scripturæ: *in teſtimonium omnibus gentibus* (f): *hic venit in teſtimonium* (g): *eritis mihi teſtes* (h). Eam ob rem *Martyres* illos appellamus, qui propter teſtimonium Chriſti mortem oppetierunt. Præclare Auguſtinus (i): *teſtimonia Græce martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro Latino: unde illos, qui propter teſtimonium Chriſti diverſis paſſionibus humiliati ſunt, & usque ad mortem pro veritate certarunt, non teſtes, quod Latine utique poſſemus, ſed Græce Martyres appellamus.* Paulo aliter Cyprianus, qui (k) Martyres vocat etiam Confeſſores morientes in carcere. Ut omnem ambiguitatem tollamus, putamus, quod ipſa Eccleſia nomen *Martyris* diverſimode uſurpaverit. Antiquitus dicebantur Martyres omnes illi, qui nomen Chriſti coram perſecutoribus confeſſi ſunt, etſi mortem violentam non oppetierint. Poſtea Eccleſia reſtrinxit nomen Martyris ad illos, qui propter fidem diverſimode torti ſunt; ac denique ad illos, qui in tormentis & ſuppliciis occubuerunt: cœteros, qui ſuppliciis ſuperſtites manſerunt, vocavit *Confeſſores*. Hodie *Confeſſores* illos dicere ſolemus, qui ſingulari exercitio virtutum absque *Martyrio* Deum ſunt confeſſi. *Martyres* vero cum antiquis Scriptoribus triplicis generis

Quinam olim dicti Martyres?

Quinam Confeſſores?

Triplicis generis Martyres.

(e) Eine Stelle unter ihren Heiligen zu erhalten, war es genug, daß einer wider das Meßopfer und den Pabſt läſterte, ait Baillet.

(f) Math. 24. (g) Joan. 1. v. 7. (h) Act. 1. v. 8.

(i) Serm. 9. in Pſal. 118. (k) Epiſt. 37.

Quinam deſignati?

ris diſtinquimus, nempe *Deſignatos*, *Conſummatos* ſeu *Coronatos*, & *Vindicatos*. *Deſignatos* vocamus illos, quibus ſententia mortis indicta eſt, ſi fortaſſis ante conſummationem Martyrii illos mori contingat (l). Tales Martyres apud Cyprianum erant illi, qui vel in carcere mortui ſunt, vel poſt tormenta & Chriſti confeſſionem in fide perſeverarunt absque eo, quod ſuppliciis ſuccubuerint (m). Tales hodiedum agnoſcit Eccleſia, quæ nonnullorum feſta celebrat, qui ex inedia, frigore, vel aliis ærumnis, aut in exilio obierunt (n). *Conſummati* ſeu *coronati* ſunt, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuderunt, & ſuppliciis ſuccubuerunt (o). *Vindicati* dicuntur, qui ab Eccleſia cognita eorum cauſa Martyrii ſunt approbati: non enim Eccleſia quoscunque, qui mortem ſubierunt, tanquam *Martyres* agnovit, illos præcipue, qui ſe ſponte Martyrio obtulerunt. De his alibi diximus (p), & infra dicemus. De hoc triplici MM. genere erudite pro ſuo more agit Benedictus XIV. P. M. in ſuo opere de Beatific. (q). Græci etiam quadruplicis generis MM. numerant, de quibus videatur Ruinardus in actis MM. (r).

Qui conſummati?

Et vindicati?

Græci quadruplicis generis numerant.

Ad quid in Martyribus reſpiciendum?

Quæ usque nunc dicta fuere, intelligenda ſunt de SS. Martyribus, qui ob confeſſionem Chriſti coram perſecutoribus factam ſubiere Mar-

(l) E. g. ſi in carcere, in quo ad certum usque tempus reſervantur, poſt dictam mortis ſententiam moriantur.

(m) Vid. Cypriani exhortatio ad *Martyres deſignatos*, quam citat Ruinardus in Præfat. ad acta ſincera MM. pag. 47. & in ipſis actis pag. 203.

(n) E. g. in Januario feſtum S. Felicis Nolani Presbyteri, qui per tempus in anguſto parietum intervallo ſe occultavit, & poſtea Nolæ obdormivit in Domino. Item S. Marcelli Papæ & Martyris, qui, uti dicit Breviarium, loci fæditate multisque ærumnis afflictus, obdormivit in Domino. Vid. Breviarium ad diem 14. & 16. Januar. tales plures occurrunt, in quorum officio Eccleſia in locum Antiphonæ, quæ incipit: *Hic eſt vere Martyr* præcipit dici Antiphonam: *Domine prævenisti eum &c.* Vid. Breviarium pro feſtis SS. MM. Pont. Marcelli, Joannis, Silverii, Martini, Pontiani, Melchiadis, Euſebii.

(o) Vid. Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die 2. Januarii, & Ruinard. loc. cit. pag. 203.

(p) Vid. Tom. II. cap. 3. de Liturgiis. Item Mabill. loc. ibid. cit.

(q) Lib. 1. cap. 2.

(r) Act. MM. pag. 560. ubi id probat ex Valeſii lib. 6. cap. 23.

Digitized by Google

Martyrium, quos ſolemus vocare *Martyres veritatis.* At quoniam in Martyrio præcipue ad cauſam Martyrii attendendum eſt, juxta illud S. Auguſtini: *Martyres non facit poena, ſed cauſa* (s), communis Theologorum doctrina eſt, quod non ſola fides & cauſa fidei, ſed motivum cujuscunque virtutis Chriſtianæ faciat Martyres, ſi quis pro ratione officii potius oppetat mortem, quam virtutem lædere in animum inducat: e. g. ſi Virgo potius ſubeat martyrium, quam ſibi pudicitiam eripi patiatur: ſi judex malit violentam pati mortem, quam lædere Juſtitiam: quia tales tradendo vitam pro defenſione virtutis factis teſtantur, ſe verum Deum profiteri, ejusque cultum tenere. Hujusmodi Martyres dantur innumeri, millenæ Virgines, aliique &c. Exemplo ſint S. Joan. Bap., *qui pro lege quidem veritatis, pro æquitate, pro juſtitia, non tamen pro illo nomine, quo Chriſtiani ſumus, ſuit occiſus*, ait S. Auguſtinus (t); Item S. Thomas Cantuarienſis, S. Joan. Nepomucenus, præter plures alios, quos recenſet Sylvius (u) Cardinalis de Lauræa (x), & Benedictus XIV. P. M. (y). Animadvertunt tamen Theologi, illam veritatem fidei, pro qua quis moritur, debere eſſe certam; & hinc Martyrem non futurum, ſi quis pro veritate ad fidem & mores non pertinente, aut pro peculiari revelatione ſibi facta, aut dogmate nondum ab Eccleſia definito mortem oppeteret. Ex his infert laudatiſſimus Pontifex, Martyrem non fore, qui vitam pro illibata Virginis conceptione profunderet: ubi tamen pro ſua prudentia illam quæſtionem de voto ſanguinario nuper admodum acerrime diſputatam relinquit indeciſam (z).

Martyres ſunt, qui ex motivo cujuscunque virtutis chriſtianæ moriuntur.

Veritas fidei, pro qua quis moritur, debet eſſe certa.

Utrum ſit Martyr, qui pro illibata Virginis Conceptione moritur, & quid de voto ſanguinario.

Hactenus dicta ſatis ſunt certa. Verum enim vero præter *Martyres*, quos vocant, *veritatis*, dantur adhuc diverſi generis MM., de quibus olim fuit diſputatum, & adhuc diſputatur, an ſint veri Martyres? Hadrianus Bailletus ſequentes recenſet, nempe Martyres *Chriſtianæ charitatis*, uti vocat, *Curioſitatis*, *Innocentiæ*, & *Pœnitentiæ* (a).

Dantur diverſi generis Martyres.

Martyres *Chriſtianæ Charitatis & Juſtitiæ* videntur eſſe illi, qui non pro fide, ſed pro defenſione alterius cujuscunque virtutis e. g. Caſti-

Martyres Chriſtianæ Charitatis qui?

(s) Serm. 1. in Pſalm. 34.
(t) In Pſalm. 140. (u) In 2. 2. q. 124. art. 5.
(x) Diſput. 20. in 3. p. art. 7. (y) De Beatific. lib. 3. cap. 19.
(z) Cit. cap. 19. n. 14.
(a) Abhandlung von den Geſchichten ꝛc. pag. 99. & ſeq. Martyrer der Wahrheit, der Chriſtlichen Liebe, des Vorwitzes, der Unſchuld, der Buße.

Caſtitatis, Juſtitiæ, Religionis vel ab Ethnicis, & hæreticis, vel etiam a perſecutoribus eandem fidem profitentibus paſſi ſunt, quales ſunt SS. MM. ſupra recenſiti e. g. S. Thomas Cantuarienſis, & S. Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis, qui pro defenſione juſtitiæ, legum tum divinarum tum eccleſiaſticarum mortem ſubiere crudeliſſimam. Huc pertinere videtur ſingulare illud genus Martyrum, cujus meminit Mabillonius in Præfatione ad Sæculum III. Benedictinum (b), ubi agit de vita & nece Dagoberti II., & ex conjecturis non inanibus ſuſpicatur, hunc ipſum eſſe illum Dagobertum, qui in diœceſi Verodunenſi, & alibi tanquam Martyr colebatur, & ſequentem affert rationem: *moris quippe ſuit apud priſcos illius ævi Chriſtianos, ut quisquis innocens quavis ex cauſa necaretur, is ſanctus ſeu Martyr diceretur, cenſereturque.* In hanc rem duo alia affert exempla, unum Caroli cognomento *ſimplicis*; alterum Eadwardi Anglorum Regis, quorum prior *injuſte ab inſidelibus ſuis & perjuris longo carceris ſquallore afflictus, transmiſſus eſt vitæ perpetuæ, & ideo auctore Hugone Flaviniacenſi Abbate ſanctus recte poteſt vocari:* poſterior *Anglorum Rex pius, propterea quod novercæ peſſimæ inſtinctu ſica transfoſſus eſt, Martyr audit & ſanctus apud Willelmum Malesburienſem Monachum, aliosque rerum Anglicarum Scriptores. Sunt in eam rem exempla pene infinita.* Hucusque Mabillonius (c). Huc fortaſſis ſpectat exemplum de S. Meinrado Monacho Augiæ Majoris, quem inter SS. Martyres colimus: eo quod illum ab hominibus quibusdam ſceleſtis diaboli impulſu agitatis atrociſſime fuſtibus contuſum legamus (d). De hoc ipſo genere Martyrum Baillet ſecundum verſionem Germanicam ita ſcribit: Auf das Anſehen der Kirche nehmen wir noch eine andere Art Martyrer an, welche wir Martyrer der Unſchuld nennen können, wenn nemlich Leute, die ein heiliges Leben geführt, von ohngefähr umgekommen, oder in ſolchen Fällen, woran weder der Glaube noch die Liebe des Nächſten Theil gehabt. Wir müſſen nur noch dabey bemerken, daß ihr Wille niemals geweſen, anderen die Ehre des Marterthums zuzuſchreiben, als denen, welche ſie auſſer dem als Heilige verehret hätte, wenn ſie auch ein natürliches Ende genommen. Zu dieſer Art von Martyrern, die man uneigentlich ſo nennen kann, rechnen wir diejenigen Heiligen, die auf verſchiedene Art ermordet worden. Hievon werden wir Beyſpiele antreffen in der Perſon des Arnoul, des Cheron, Leger, Theodard, Bercarius, Collmann, vieler heiligen Biſchöffe, wel-

Singulare genus Martyrum ex Mabillonio.

De Martyrio S. Meinradi.

(b) §. I. obſervat. 7. (c) Loc. cit.

(d) Vid. Breviarium Benedictinum ad 21. Jan.

che die Rechte oder Güter ihrer Kirchen vertheidigt, und vieler heiligen Könige und Fürſten, an deren Tode die Eiferſucht, die Unmenſchlichkeit, der falſche Argwohn, die Verläumdung, der Ehrgeiz, Geldgeiz und die Rachgierde beſonderer Feinde mehr Antheil gehabt, als der Haß der Religion (e). In his verbis illud notatu dignum eſt, quod Eccleſia reſpectum habuerit non ad ſimplicem injuſtam occiſionem, ſed etiam ſanctitatem vitæ probabilius miraculis comprobatam, adeoque inter Martyres illis locum conceſſerit propter analogiam, quam cum SS. Martyribus habere videntur (f).

Utrum SS. MM. accenſendi ſint, qui animam ponunt pro fratribus.

Ad Martyres Chriſtianæ charitatis vel maxime pertinere videntur illi, qui animam ſuam ponunt pro fratribus ſuis, adeoque illi, qui hominibus lue peſtifera infectis vel ſpiritualiter, vel corporaliter inſerviunt. Hac ſuper re multum fuit diſputatum inter Theologos, an tales accenſendi ſint SS. Martyribus (g)?

Exemplum valde notabile ex S. Diony. Alexand.

Exemplum valde notabile & fortaſſis unicum ex omni retro acta antiquitate habemus ex fragmento epiſtolæ S. Dionyſii Alexand. de peſte, quæ Alexandriæ graſſabatur (h), in qua dilaudat miram charitatem fidelium ſuis fratribus peſte infectis inſervientium, eosque, qui peſte infecti mortem naturalem oppetierunt, inſtar Martyrum habet, adeo, *ut genus hoc mortis*, ſunt verba Dionyſii, *ob pietatem fideique conſtantiam, nequaquam inferius martyrio cenſeatur.*

Hodierna Eccleſia tales non habet inſtar Martyrum.

Atque his fidelibus ab Eccleſia cultum Martyrum & diem feſtivum fuiſſe aſſignatum refert Baillet (i). Quidquid ſit de hoc unico exemplo, novior Eccleſia tales certe inter Martyres non connumerat. Noviſſimum exemplum habemus in S. Aloyſio Gonzaga, quem, cum inſerviret peſte laborantibus, ex ea obiiſſe conſtat; & tamen Eccleſia SS. Martyribus illum non accenſuit, certe non ex alia cauſa, quam quod tales peſte infectis inſervientes neutiquam in fidei odium occidantur, ſed tantum peſtifero halitu afflentur, ex quo tanquam ex cauſa naturali mors ſequitur.

Theophili Raynaudi opinio non recipitur.

Quare ſententia Theophili Raynaudi Martyrium iſtud propugnantis paſſim deſeritur a Theologis, niſi fidei perſecutor ſervitio peſte laborantium addiceret hominem Chriſtianum, ut contagione attracta periret (k).

Martyres Curioſitatis qui?

Martyres *Curioſitatis* vocat Baillet illos, qui ſe ſponte perſecutoribus,

(e) Loc. cit. pag. 100.

(f) De miraculis S. Meinradi vid. Breviarium. Utrum vero miracula neceſſario requirantur in Martyre, infra videbimus.

(g) Vid. Thomas Hurtado, & Theophilus Raynaudus.

(h) Hoc fragmentum legere eſt in act. ſinc. Ruinardi p. 184.

(i) Loc. cit. quin citet authorem.

(k) Vid. Laurent. Berti Theolog. Tom. 5. lib. 24. cap. 24.

ribus, & martyrio objecerunt, aut ſibi ipſis mortem adſciverunt. Nolim ego Bailleto movere quæſtionem de nomine, utrum tales poſſint dici *Martyres Curioſitatis*. Melius fortaſſis illos dixiſſet Martyres *exceſſivi zeli*, aut *magnanimitatis*. Quemadmodum Eccleſia ſummo in pretio & honore habuit SS. Martyres, ita cautiſſima fuit in illis adoptandis & ſeligendis, prout alibi probatum dedimus (l). Ex regulis purioris diſciplinæ, & perpetua conſuetudine conſtat, quod Eccleſia ſuis fidelibus nunquam conceſſerit facultatem ſe ipſos ſiſtendi coram Tyrannis, & offerendi ad martyrium; multo minus Chriſtianos ſe ſponte offerentes in numerum Martyrum adoptaverit: ut ferme idem fuerit ſe ipſum occidere, ac ſe incaute occiſoribus offerre. Eſt hæc doctrina Chriſti de ſuis Martyribus dicentis: *tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis flagellabunt vos &c.* (m). Eſt hæc doctrina Patrum communis, S. Cypriani, qui Proconſuli Paterno volenti, ut Presbyteri Carthaginenſes, qui perſecutionis declinandæ cauſa ſe occultaverant, ſe ſiſterent, in reſponſis dedit, *id Chriſtianis non licere* (n); & ex ſua ſolitudine plebem cohortatus eſt, ut ſit ſine tumultu, & multo magis, ne qui ſe ipſos perſecutoribus ſiſterent, & ſuo indiſcreto zelo rei Chriſtianæ magis nocerent, quam prodeſſent (o). Idem docuit S. Auguſtinus ex S. Cypriano (p). Idem tenuit Eccleſia Smyrnenſis, quæ ſuum S. Epiſcopum Polycarpum miris laudibus effert, quod martyrium ſapienter declinaverit, & propterea ipſum vocat *Virum eximiæ prudentiæ, robuſtique conſilii*; & econtra lapſum cujusdam Phrygii nomine Cointi improvide ſe judici obiicientis, & ex infirmitate Diis ſacrificantis deplorat, & ſic concludit: *Ideo non eos fratres laudare debemus, qui ſe ultro offerunt; ſed eos qui inventi latentes in paſſione potius perſeverant: ſic nos namque evangelicus ſermo confirmat, & hoc hortatur exemplo, quo videmus ceſſiſſe ultroneum, & viciſſe compulſum* (q). An non Menſurius Carthaginenſis illos inter MM. coli prohibuit, qui ſe perſecutoribus obtulerunt, & ex zelo indiſcreto, quin a Judicibus fuerint interrogati, ſua ſponte, quod libros Chriſtianos haberent, eosque

Ex regulis purioris diſciplinæ eccleſiaſticæ martyres non ſunt, qui ſe ipſos martyrio offerunt.

Exemplis & doctrinis SS. Patrum id illuſtratur.

(l) Tom. 2. q. 1. cap. 3. de Liturg.

(m) Math. 10. v. 17. hæc expendens S. Auguſt. Tract. 51. in Joan. ait: *Satis expreſſit Chriſtus, non a ſe ipſo, ſed ab alio debere occidi, qui ſequitur veſtigia Chriſti.*

(n) Vid. acta Cypriani præfixa operibus, & apud Ruinard. pag. 205.

(o) Epiſt. 83.

(p) Lib. 1. de Civit. Dei cap. 26.

(q) Epiſt. Eccl. Smyrnenſ. de martyrio S. Polycarpi.

Digitized by Google

que conformiter Edicto Imperatorum extradere recuſarent, faſſi ſunt (r)? Synodus Eliberitana ſeveriſſime interdixit inter Martyres illos recipere, qui templa Gentilium concremarunt, illorum altaria ſubverterunt, Idola confregerunt, aut tale quid auſi ſunt, quod Ethnicos & Gentiles juſte commovere & ad indignationem provocare potuit, ſi ſimilibus factis martyrio occaſionem præbuerunt (s). Memoratu dignum eſt, quod Socrates de S. Cyrillo Jeroſolymitano ſcribit, qui Monachum quemdam Ammonium nomine martyrio affectum, eo quod ſeditionis contra Oreſtem Præfectum excitatæ conſcius eſſet, mutato nomine Martyrem vocari juſſit, corpore ejus in Eccleſia depoſito; poſtea vero, ubi cognovit, ne ab ipſis quidem Chriſtianis hoc ſuum ſtudium probari, hujus rei memoriam ipſe paulatim ſilentio obliteravit (t). Quanta non mala perpeſſæ ſunt Eccleſiæ ob indiſcretum zelum ſuorum Chriſtianorum, dum vel Ethnicis illuſerunt, vel eorum templa incenderunt, vel idola deſtruxerunt? Haud pauca eaque triſtiſſima exempla proſtant paſſim in hiſtoriis.

Interim Eccleſia ab hac ſua regula exceptionem fecit prorſus ſapientiſſimam: ſiquidem difficillimum ei viſum fuerat quosdam Chriſtianos ſanctitatis fama ſingulari, aliisque generoſis facinoribus conſpicuos ob factum aliquod non ex omni parte excuſabile e numero Martyrum proſcribere, & veluti damnare. Idcirco exiſtimavit S. Auguſtinus, hæc non raro eſſe facta ex ſingulari inſtinctu Spiritus S., & ex hoc capite excuſat plures fæminas ſanctas, quæ, ut ſuæ pudicitiæ conſulerent, ſe ipſas præcipites in aquas, vel in ignem conjecerunt: ait enim: *hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes, ſed obedientes, ſicut de Samſone aliud nobis fas non eſt credere* (u). Idem ſentit S. Ambroſius (x), & Theologi antiqui ac novi.

Itaque Eccleſia inter SS. Martyres veneratur plures, qui ſibi ipſis mortem adſciverunt: vel quod facinora talia perpetrarint, quæ martyrium poſt ſe traherent; vel quod ſe ipſos Tyrannis & perſecutoribus

(r) Vid. S. Auguſt. Collat. Carthag. A. 5. cap. 13.

(s) Concil. Eliber. c. 60.

(t) Socrates lib. 7. cap. 14. & ex hoc Mabillon. Præfat. in Sæc. V. N. 95. *Sed qui modeſtiores erant ex ipſis Chriſtianis, hoc Cyrilli ſtudium in Ammonium non probarunt, compertum habentes, hunc temeritatis ſuæ pœnas dediſſe. Quam ob rem Cyrillus ipſe hujus rei memoriam obliteravit.* Ita Socrates.

(u) Lib. 1. de Civit. cap. 22.

(x) Vid. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. cap. 7.

Digitized by Google

ribus ad ſupplicia obtulerint: inter SS. Martyres ad diem 9. Novembris colit Eccleſia S. Theodorum de Amaſa, qui templum Cybeles Matris Deorum incendit; ad diem 9. Aprilis S. Eupſychium, qui templum Fortunæ deſtruxit: eo quod factum Theodori S. Gregorius Niſſenus (y); factum Eupſychii Nazianzenus dilaudaverit (z). Haud ſecus inter SS. Martyres Eccleſia recepit, & ad diem 19. Junii veneratur S Germanicum, quem acta Polycarpi Eccleſ. Smirnenſis multis efferunt laudibus, quod ipſe in arenam deſcenderit, & feras beſtias contra ſe ad certamen provocaverit; S. Gordium, qui teſte S. Baſilio ipſe Martyrium quæſivit (a); ſanctum illum Martyrem, qui edictum Diocletiani & Maximiani Nicomediæ affixum dilaceravit (b), pluresque alios, & inter hos Priſcum, Malchum, & Alexandrum, de quibus refert Euſebius, *quod cum in agro degerent, primum ſe ipſos inſimulaverint tanquam ignavos ac deſides, quod cum occaſio ipſa cœleſti amore flagrantibus præmia diſtribueret, ipſi ceſſarent, nec coronam martyrii præriperent; inito dein inter ſe conſilio Cæſaream profecti, judicem ipſum adorti, Martyrii coronam obtinuerint* (c).

Eccleſia inter MM. habet quasdam ſanctas fæminas, quæ mortem ſibi inferendam prævenerunt. De Viro ſimile non legitur.

Atque hi ſunt Viri illi præter plures alios magnanimi, quibus Eccleſia cultum Martyrum indulget, eſto ſe ipſos martyrio obiecerint. Interim nullum inter Viros martyres ſcimus, qui ſibi ipſi mortem intulerit. At vero fæminæ fuere plures, quæ mortem a tyrannis inferendam prævenerunt, & generoſo auſu ſe ipſas occiderunt, quibus Eccleſia cultum Martyrum impendi permittit, eſto ipſa hujusmodi auſum & ſuicidium ſemper abhorruerit. S. Auguſtinus inter has recenſet ſanctam Domninam & duas filias, quæ ut ſuam pudicitiam integram conſervarent, ſe in flumen præcipites dederunt (d), & ab Euſebio (e), Ambroſio (f), & Chryſoſtomo (g) immenſis laudibus mactantur. Idem S. Chryſoſtomus S. Pelagiæ, quæ ſe ipſam conſervandæ pudicitiæ cauſa e tecto ſuarum ædium præcipitavit, ſummas in duabus orationibus laudes dixit (h). Et quis neſcit cultum ſingu-

(y) In vita Theod.
(z) Orat. in Fun. Patris & Orat. 4. in Julian.
(a) Orat. propria. (b) Vid. Martyrol. ad diem 7. Septemb.
(c) Euſeb. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 12.
(d) Lib. 1. de Civit. Dei cap. 26.
(e) Hiſt. Eccleſ. l. 8. cap. 12.
(f) De Virg. lib. 3. cap. 7. (g) T. 1. hom. 51.
(h) Tom. 1. hom. 40.

Digitized by Google

ſingularem ab univerſa Eccleſia impendi S. Apolloniæ, illiusque feſtum ad diem 9. Febr. a fidelibus celebrari? de qua legimus, quod ſe ipſam in rogum ardentem injecerit (i).

Martyres Innocentiæ.

Martyres Innocentiæ vocari poſſunt illi, qui vitam ſanctam degentes ab impiis & facinoroſis hominibus ex cauſa quacunque interfecti ſunt, de quibus ſupra ex Mabillonio egimus. Agit hic Bailletus de fæmina illa Romana; quam Rufinus Sophroniam vocat. Hæc, cum eſſet fæmina ex Romanis ferme præcipua, utpote conjux Præfecti urbis, & a Maxentio tyranno vim in ſua pudicitia pateretur, id unum petiit, ut ſibi liceret veſtes alias induere: quo obtento cubile intravit, flexis genibus ad Deum oravit, & arrepto gladio ſe ipſam transfodit. Jam vero, eſto Euſebius (k), aliique Scriptores illam miris laudibus efferant, & hoc factum prorſus ſimile eſſe videatur generoſis auſibus illarum fæminarum, quarum antea mentionem fecimus, attamen Eccleſia eidem hactenus locum inter martyres non conceſſit. Res ſane mira, quod Eccleſia a ſeverioribus ſuæ diſciplinæ regulis quoad illas ſanctiſſimas fæminas receſſerit, & in cultu Sophroniæ ſe novercam exhibuerit! Verum enim vero judicio Eccleſiæ acquieſcendum, quæ fortaſſis illam ſingularem Spiritus S. inſpirationem, ad quam in hujusmodi factis attendere conſuevit, in hoc facto non deprehendit (l).

De Sophronia fæmina Romana nobiliſſima, quam Eccleſia tanquam Martyrem non agnoſcit.

Martyres Pœnitentiæ qui?

Martyres *Pœnitentiæ* vocari ſolent illi, qui ſe ipſos veluti victimas Deo immolare volentes per caſtigationes corporis extraordinarias dies vitæ ſibi notabiliter abbreviarunt. Id certum eſt, quod Eccleſia tales inſtar Martyrum nunquam habuerit, interim faſtis SS. Confeſſorum illos paſſim adſcripſerit; imo juxta modernam diſciplinam in canonizatione Beatorum ad caſtigationes corporis attendere conſueverit; atque ſancte & pie & ſapienter crediderit, quod Spiritus S. per viam extraordinariam Martyres *Pœnitentiæ* haud ſecus, quam Martyres veritatis & *virtutis chriſtianæ* ad ſupremum ſanctitatis culmen perducere poſſit.

An liceat aſſumere caſtigationes corporis extraordinarias, ex quibus prævidetur notabilis vitæ abbreviatio?

Cæterum cum nemo ſit Dominus vitæ & membrorum, Viri doctiſſimi quæſtionem moverunt, utrum homini liceat per voluntarias macerationes corporis vitam abbreviare? Id facile damus, ſepoſito ſpeciali inſtinctu deſuper deſcendente regulis ſanioribus rationis, & theologiæ minus

(i) Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 6.

(k) In vita Conſtant. lib. 1. cap. 33.

(l) Sophroniam defendit Baronius. Annal. Eccleſ. ad annum 309. item Godeau Hiſt. ſiecle 4. l. 4.

Digitized by Google

minus conformiter acturum, ſi quis unice ex motivo ſe Deo immolandi in victimam caſtigationes corporis exceſſivas aſſumeret, ex quibus dies vitæ notabiliſſime abbreviandos prævideret: quia nemo eſt Dominus vitæ & membrorum, ſicut dictum. At vero ex aliis motivis ſupernaturalibus e. g. redigendi corpus in ſervitutem, carnem ſubiiciendi ſpiritui, placandi divinam Juſtitiam, ſatisfaciendi pro peccatis aſſumere caſtigationes corporis extraordinarias cum diſcretione chriſtiana, eſto per accidens mors maturior ſequatur, id & licitum, & honeſtum, & meritorium eſſe, ſanior theologia docet, quidquid Doctores Juris naturalis, qui conſervationem ſui ipſius ad primum juris naturalis principium reducunt, contradicant: Hoc enim principium ſi laxe ſumatur, repugnat fidei, exemplo & doctrinæ Chriſti, Apoſtolorum, Eccleſiæ, & bonis moribus, ac viam aperit ampliſſimam ad interitum: jubet utique Chriſtus, Apoſtolus, & Scriptura, ut *corpus in ſervitutem redigamus, mortificemus membra noſtra, mortificationem in corpore circumferamus, Chriſto crucifigamur.* Non eſt noſtri inſtituti principium illud ſane periculoſiſſimum, & niſi bene explicetur, peſſimum, hic pluribus examinare (m). Hactenus de diverſis generibus Martyrum.

Quæſtio jam in Sæc. IX. mota & acriter agitata (n) atque in hanc usque diem valde diſputata eſt, utrum ad characteres Martyrum pertineant miracula, & hæc in eorum canonizatione requirantur. Idem quæri poteſt de aliis Sanctis, eorumque canonizatione. Id nobis certum eſt, miracula non eſſe characterem eſſentialem ſanctitatis: Eſt enim donum miraculorum donum gratis datum, quod non ſupponit gratiam ſanctificantem. Nunquid & Judas patravit miracula ad inſtar aliorum Apoſtolorum? Nunquid & alii in nomine Chriſti prophetarunt, dæmonia ejecerunt, & alia miracula patrarunt? ad quos nihilominus dicet Chriſtus: *non novi vos, diſcedite a me maledicti* (o): an non hæretici de miraculis a ſe patratis fuere gloriati? quos Tertullianus

De miraculis ad martyrium requiſitis

Miracula non ſunt character eſſentialis ſanctitatis.

(m) Vid. Benedict. XIV. Doctr. de Serv. Dei Beatif. in Synop. redacta lib. 3. cap. 29. *de modo adhibendo in carnis & corporis mortificatione*, ubi oſtendit in canonizandis oſtendendas eſſe carnis mortificationes.

(n) Diſputabatur in Eccleſia Hiſpanenſi, utrum Martyres Cordubenſes ita dicti inſtar Martyrum ſint colendi: inter alias objectiones contra cultum eorum erat etiam hæc, quod nullis coruſcaverint miraculis, quam S. Eulogius egregie diluit.

(o) Matth. 7. v. 22.

lianus non audet arguere falſitatis (p). Teſtatur Epiphanius ſuo ævo fuiſſe Judæos, qui per invocationem nominis Chriſti variis medebantur infirmitatibus (q). Etiam Gentiles in nomine Chriſti feciſſe miracula, teſtis eſt S. Cyprianus (r). Atque ex his manifeſtiſſimum fit, quod Deus donum miraculorum neutiquam communicaverit ad comprobandam ſanctitatem hominum, ſed potius ad demonſtrandam veritatem ſuæ doctrinæ, & conſolidandam Eccleſiam a ſe noviter inſtitutam.

Sequioribus temporibus inter ſigna ſanctitatis connumerabantur miracula.

Verum enim vero, quoniam ſupremo Numini ita placuit, ut cum ſanctitate vitæ & morte Martyrum ſæpius conjungeret miracula, cœptum fuit in Eccleſia miracula inter ſigna ſanctitatis connumerare: unde factum eſt, ut vitæ Sanctorum, maxime Sanctorum MM., quorum acta genuina periere, neſcio quibus hiſtoriolis, prodigiis & miraculis implerentur: jamque dubitatum, an ſine miraculis aliquis Sanctus haberi, dici, colique poſſit. Porro autem quis unquam Sanctior fuit Bma Virgine Maria, & S. Joanne Baptiſta? Et tamen nullum ab illis, quamdiu in vivis erant, patratum miraculum. Idcirco Petrus Damiani inter Sanctos numerare non dubitat S. Dominicum Loricatum, etſi aliud miraculum in illius vita reperire non potuerit præter miram vitæ ſanctitatem (s): & Ambroſius Autpertus Sæculi VIII. Scriptor teſtatur, quod ſuo ævo potius ad ſanctitatem vitæ quam miracula reſpectus fuerit habitus: eo quod non nulli patraverint miracula, quorum tamen nomina non ſunt ſcripta in cœlis.

Non omnes Sancti patrarunt miracula.

Ad miracula poſt mortem patrata Eccleſia in decernendo cultu Sanctorum, eorumque beatificatione attendere ſolet.

Hæc etſi vera ſint de miraculis in vita adhuc patratis, ad quæ Eccleſia non adeo attendere conſuevit, rigidior tamen fuit in iis exigendis poſt mortalem hanc vitam, voluitque, ut Deus non duntaxat ſanctitatem pie ex hac vita decedentium miraculis comprobaret, verum etiam per ea ſuam ſanctiſſimam voluntatem faceret manifeſtam, quod huic vel illi devoto Servo publicum cultum impendi velit. Idcirco Eccleſia usque nunc, & hoc potiſſimum ævo, quo in beatificatione & canonizatione ſolet eſſe prorſus accuratiſſima & rigidiſſima, præter virtutes heroicas exigit miracula in ordine ad comprobandam tam ſanctitatem, quam voluntatem Dei volentis ſuos ſervos etiam in hac vita glorioſos reddere.

Etiam ab hac diſciplina aliquoties Eccleſia receſſit.

Verum ab hac etiam diſciplina non nunquam, ſed raro admodum Eccle-

(p) De Præſcript. cap. 44. (q) Hæreſ. 30.
(r) Tract. de bapt. hæret. vid. etiam Tillemont. Hiſt. de l'egliſe Tom. 5. p. 494.
(s) Epiſt. 19. l. 1. n. 14.

Digitized by Google

Eccleſiæ recedere placuit. Exemplum præbet vita S. Joannis Gorzenſis, qui vixit Sæc. X., & poſt obitum, etſi omnes avidiſſime ab eo exſpectarent, nullum patravit miraculum, & tamen inter Sanctos relatus fuit: ſi quidem de ipſo conſtabat, quod integris 40. annis vitam vixerit ſanctiſſimam. Erat nempe tunc fidelibus perſuaſum, veriſſimum characterem ſanctitatis eſſe vitam ſanctam ad mortem usque continuatam. Sane Innocentius III. non dubitavit ſanctis Martyribus adſcribere Petrum de Caſtro novo anno 1208. occiſum: licet de nullo conſtaret miraculo, cujus defectum attribuit idem Pontifex defectui vivæ fidei & fiduciæ hominum tunc viventium. Aliquoties apud ſepulchra Sanctorum plura fuiſſe edita miracula legimus, quam deſiderabantur, ita quidem, ut illi, quibus frequentia miraculorum moleſta, & oneroſa acciderat, præceptis & minis Sanctos prohiberent, ne poſthac ederent miracula.

Sanctis pie interdictum fuit, ne amplius patrarent miracula.

Duo in hanc rem afferunt exempla, unum de S. Bernardo Clarevall. alterum de B. Stephano Grandimontano. Ambo ceſſarunt edere miracula ad preces Monachorum, & inhibitionem ſuorum Superiorum: dum enim ingens hominum confluxus, qui ad eorum fiebat ſepulchra, quietem & ſolitudinem monaſticam turbaverat, id moleſtiſſimum accidere debuerat Monachis. Quapropter (ita nempe ſcribitur) Abbas Goſwinus cum aliis Abbatibus Ciſtercienſibus S. Bernardo in virtute illius obedientiæ, quam ſuis in vita exhibuit Superioribus, præceperunt, ne poſthac ullum amplius patraret miraculum. Huic mandato ita obtemperavit ſanctus Vir, ut ab illo tempore edere miracula ceſſaverit. Longe adhuc mirabilius eſt, quod de Grandimontano Stephano ſcribitur, cui Prior Monaſterii ſub comminatione, quod illius reliquias in flumen velit proiicere, miracula interdixit. Hæc ita ſcripta legimus, & nos ſimpliciter ſcribere voluimus, aliorum judicio rem totam relinquentes (o).

Exempla de S. Bernardo Clarevallenſi & B. Stephano Grandimontano.

Ut jam ad Martyres veniamus, de quibus præcipue agere conſtituimus, an videlicet in illorum cauſis requirantur miracula, appellamus ad opera Benedicti XIV. de Beatif. & illorum Synopſin anno 1757. Romæ editam. In his ſapientiſſimus Pontifex variam Eccleſiæ diſciplinam quamplurimis illuſtrat exemplis, & ultimato ſic concludit: *Ex his monumentis patet, nunquam fuiſſe a Sede Apoſtolica formaliter beatificatos, aut canonizatos Martyres, niſi accedentibus miraculis:* &

An in SS. Martyribus requirantur miracula?

Opinio Benedicti XIV.

(o) Vid. Mabillon. in fine operum S. Bernard. Tom. II. pag. 1219. Item ſpecul. Grandimont. acta SS. Bollan. 2. Feb.

& hic mos retinendus videtur, licet nondum editum fuerit decretum de eorum neceſſitate (p).

Poſtquam præter intentionem fuſiores fuimus in dilucidandis actis SS. Martyrum, nec non tradendis regulis diſcernendi Martyres genuinos a falſis, jam revertendum eſt ad id, unde digreſſi fuimus, & cujus gratia hæc diximus.

Hiſtoria Martyrum Agaunenſium ſeu Legionis Thebææ ex Eucherio Lugdunenſi.

Videamus ergo, quid ſit tenendum de martyrio Legionis Thebææ, & S. Urſulæ ac ſociarum Martyrum. Summa hiſtoriæ Martyrum Agaunenſium hæc eſt: Adſciverat ſibi in collegam Imperii anno 285. Diocletianus Maximianum Herculium, hoſtem rei Chriſtianæ iniquiſſimum. Hic, dum exercitum in Galliam ad motus in ea exortos comprimendos duxit, ſuperatis alpibus in partes Valleſiæ ad lacum Lemannum pervenit, ubi omnes copias, quo tanto felicioribus auſpiciis pugnaret, luſtrari, easdemque ad aras Deorum jurare jubebat. Reſiſtebat huic mandato Legio Thebæa, cujus Dux Mauritius erat, ex oriente paulo ante deducta, totaque ex Chriſtianis compoſita. Quare bis eam Maximianus decimari, id eſt, decimum quemque militem ſupplicio affici jubebat: cumque crudelitas hæc conſtantiam illius frangere nullo modo poſſet, totam Legionem immiſſo in eam exercitu ad internecionem cædi imperavit. Hæc brevis ſumma eſt paſſionis Sanctorum Mauritii ac ſociorum ejus, quam Eucherius Lugdunenſis Sæculo VI. compoſuiſſe dicitur, & Theod. Ruinartus cum eruditis obſervationibus edidit (q). Usque nunc hæc hiſtoria polluit tanta authoritate, ut ferme nemo etiam Acatholicorum, qui cæteroquin labefactandæ fidei antiquorum documentorum, eorum præcipue, quæ in rem religionis Catholicæ faciunt, omnes ingenii nervos impendunt, ſi unum alterumve excipiamus, illam in dubium vocare ſuſtinuerit. *Neque hoc valde mirabitur, qui cogitaverit, tot hanc hiſtoriam,* ait vir inſignis a noſtris ſacris alienus (r), *& monumentis antiquiſſimis, & teſtimoniis munitam eſſe; quot nulla fere hujus generis alia.*

Antiquitus ferme a nullo impugnata.

A quibusdam noſtro ævo impugnatur.

Noſtro ævo Joan. Dubordieu Legionem Thebæam ex inſtituto aggredi, & acta martyrii ad veteris ævi fabulas amandare eſt auſus parvo libello Amſtelodami 1705. edito (s). Hunc triennio poſt ſequebatur Joan. Jac. Hottingerus (t), & opinionem hanc novis argumentis

(p) Synop. pag. 32. 33. & ſeq.

(q) In actis ſinceris pag. 275.

(r) Mosheim Hiſt. Chriſt. Sæc. III.

(s) Diſſert. Critique ſur le Martyre de la Legion Thebeene.

(t) Hiſt. Eccleſ. Helvet. Tom. I.

Digitized by Google

tis corroborare totis viribus contendit. Primitus audiamus argumenta, quibus fides actorum paſſionis ſuſtentatur.

Fides actorum comprobatur ex auctoribus ferme coævis.

Extat inprimis monumentum antiquiſſimum, fidei indubitatæ, ac rei geſtæ ferme coævum in vita S. Romani Abbatis, circa medium quinti ſæculi vita functi, cujus ſcriptor, qui certo certius fuit ſocius Romani, teſtatur jam Romani tempore, id eſt ſæculo quinto, Agauni extitiſſe templum Mauritio Legionis Thebææ duci conſecratum, totamque ejus hiſtoriam jam in acta relatam, & pro veriſſima fuiſſe habitam, ſic enim inquit: *Baſilicam Sanctorum, imo, ut ita dixerim, caſtra Martyrum in Agaunenſium locum, ſicut paſſionis ipſorum relatio digeſta teſtatur, quæ ſex millia ſexcentos viros, non dicam ambire corpore in ſabricis, ſed nec ipſo, ut reor, campo illuc potuit conſepire, fidei ardore ſuccenſus deliberavit* (nempe Romanus) *expetere* (u). Idem in præfat. (x) nominatim Mauritii ducis Legionis meminit, ejusque urnam, id eſt, ſepulchrum in templo Agaunenſi ſpectatum fuiſſe tradit: *Prior* (Romanus), *priſcum ſecutus Joannem ſupra Urnam S. Mauritii, id eſt, Legionis Thebæorum Martyrum caput, velut ille eximius Apoſtolus ſupra ſalutiferi pectus recumbit authoris.*

Huic accedit monumentum alterum ejusdem ætatis & autoritatis, nempe acta paſſionis Martyrum Agaunenſium ab Eucherio ſeniore probabilius Epiſcopo Lugdunenſi ſæculo V. conſcripta, & a Ruinarto poſt Petrum Franciſcum Chiffletium S. J. Presbyterum edita ac notis illuſtrata (y), quæ licet a quibusdam adſcribantur Eucherio Juniori ſæculi VI. Scriptori, longe probabilius tamen ſunt Eucherii ſenioris: tum quod in diem usque hodiernam diſceptetur, an unus, vel duo fuerint Eucherii: tum quod eorum fidem, & ætatem vindicaverint Viri graviſſimi (z).

Teſtes coævi, & documenta coæva ſunt maximæ autoritatis.

Hæc monumenta tanto majoris ponderis eſſe debent, quanto major ex ſanioribus Critices regulis debetur fides monumentis, & teſtibus ferme coævis, aut ſaltem non longe ab ætate & tempore, quo aliqua eſſe facta ſcribuntur, diſtantibus, tunc potiſſimum, quando teſtes teſtantur de uſu, conſuetudine, traditione, aut facto quodam per-

(u) Hæc vita legitur in actis Sanctorum Antwerpienſibus Tom. 3. Febr. ad diem 28. (x) Loc. cit. p. 741.

(y) Act. ſelec. & ſinc. pag. 271. Hæc Eucherii acta reperit citatus Chiffletius in antiquo codice manuſcripto Monaſterii Jurienſis, eaque in prima parte *Paulini illuſtrati* vulgavit.

(z) De duobus Eucheriis vid. Ruinart. loc. cit. utriusque vitam vide ſis in Lexico der Gelehrten ſub litera *E*.

Digitized by Google

permanente, & a ſe oculis propriis uſurpato, quando teſtimonium iſtud ſubſequentium ſæculorum Scriptores ſuo teſtimonio corroborarunt, indubitanter receperunt, atque argumenta unius alteriusve Scriptoris junioris in contrarium allata longe inferioris momenti eſſe dignoſcuntur.

Sed nunquid ambo hi teſtes ſunt ferme coævi (a)? vitam Romani ab incerto authore conſcriptam, & actis Antwerpienſibus inſertam, nemo, quantum ſcimus, usque nunc argumentis ſat validis impugnavit, multo minus expugnavit. Acta Eucherii equidem eſſe ſincera negant, ſed potius a quodam Monacho ſæculi VII. in literas eſſe relata volunt, aut certe Eucherii junioris eſſe perhibent: ſed quibus fundamentis? ſane inſufficientibus, quæ fidem rei geſtæ minime infringunt, & facillime ex teſtimoniis fortioribus & antiquioribus convelli poſſunt. Demus quod acta Eucherii, quæ olim ſub illius nomine circumferebantur, parum ſincera aut adulterata fuerint, noviora certe a Chlifletio edita indubitatæ eſſe fidei noſcuntur (b).

Eadem fides Actorum ex continua quaſi traditione corroboratur.

Quis jam in numerum coget Scriptores, & monumenta ſubſequentium ſæculorum? Ex ſæculo VI. prodeat Avitus Viennenſis, ex cujus operibus a Jacobo Sirmondo editis & ingenti cura collectis (c) conſtat, antiquitus ſanctis hiſce MM. Agauni fuiſſe templum conſecratum, poſtea collapſum, & iterum reſtauratum, & in illius dedicatione ipſum Avitum habuiſſe ſermonem, cujus ſaltem fragmentum extat, ex quo colligitur, jam tunc temporis extitiſſe *acta Legionis Thebææ*, eaque publice in conventibus fuiſſe prælecta populo (d). Supervacaneum ducimus coeteros Scriptores, Gregorium Turonenſem (e), Walafridum Strabonem aliaque monumenta, inter quæ Miſſale Gothico

(a) Saltem ſcripſerunt annis centum poſt martyrium, quod contigiſſe creditur anno 286. & quidem ſcribunt de cultu publico jam tunc exhibito.

(b) acta parum ſincera ſunt illa, quæ a Surio fuerunt edita; at vero genuina ac ſincera, quæ Chlifletius ex antiquo codice manuſcripto Monaſterii Jurienſis vulgavit. cit. Ruinart. pag. 271.

(c) Tom. 2. pag. 93.

(d) Fragmentum iſtud Homiliæ ab Avito dictæ deſcripſit Sirmondus ex antiquiſſimis in cortice exaratis ſchedis Bibliothecæ Thuaneæ, cujus titulus: *Dicta in Baſilica Sanctorum Agaunenſium in innovatione Monaſterii ipſius.* Homilia vero ſic incipit: *Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione beatiſſima nemo periit.*

(e) Lib. 1. de gloria MM. cap. 75. & lib. 3. Hiſt.

Digitized by Google

thico-Gallicanum (f) recenſere, & filum traditionis ad noſtra usque tempora texere. Quanti roboris ſint hæc argumenta, dicat Vir neutri parti ex integro addictus, nempe Moshemius, cujus teſtimonium unum ſupra attulimus, dum dicit, hanc hiſtoriam *tot monumentis & teſtimoniis eſſe munitam, quot nulla fere hujus generis alia.* Alterum ſic habet: *Clarum igitur eſt, niſi me omnia ſallunt, ineunte ſaltem quinto ſæculo, forte jam quarto, Rhætiæ & Valleſiæ incolas firmiter credidiſſe, ea, quæ de Legione Thebæa hodie narrantur, acta Legionis ejus habuiſſe, & legiſſe, templum illis dedicaſſe, in hoc templo memoriam illuſtrium illorum militum celebraſſe, Ducis Legionis Mauritii oſſa ſervaſſe; campum denique, in quo cædes ejus Maximiani contigit Imperio, monſtraſſe.*

Argumenta in contrarium.

Expendamus argumenta adverſæ partis, & quanti ſint ponderis, diſpiciamus. Primum eſt negativum a ſilentio Scriptorum coævorum petitum: neſcit enim Legionis Thebææ martyrium Euſebius Hiſtoriæ chriſtianæ parens, qui diligentiſſime alioquin martyrum celebrat memoriam: neſcit hanc hiſtoriam Sulpitius Severus, qui ſæculo V. in Gallia vixit, & hiſtoriam ſacram ſcripſit: neſcit Paulus Oroſius, qui tamen de Maximiani expeditione in Galliam commentatur: neſcit Prudentius Poeta, qui laudes martyrum ſua ætate notorum verſibus celebravit: neſcit Lactantius, qui tamen crudelitatem, & tragicum Maximiani, cujus mandato cæſa dicitur Legio Thebæa, fatum commemorat (g): neſciunt denique omnes ſæculi quarti, qui ad nos pervenerunt, Scriptores. Jam eſto quorumdam horum Scriptorum ſilentium non adeo magni ponderis eſſe videatur, plurimum tamen momenti habet ſilentium Lactantii, quippe qui res geſtas Maximiani optime ſciverat, & non tantum in ſuo libello ea omnia, quæ tunc temporis & in imperio & in aula Imperatoris gerebantur, fideliter ſcribit, verum etiam facinoribus, criminibus, & vitiis Maximiani neutiquam parcit, ut adeo ratio dari vix queat, cur hiſtoriam Legionis Thebææ ad negotium, quod tractabat, maxime pertinentem prætermiſerit, qui alioquin odium Maximiani in Chriſtianos, & mala illis illata ſatis copioſe perſequitur.

Argumentum primum eſt negativum.

Silentium Lactantii in hac re eſt maximi momenti.

Argumentum aliud fortiſſimum a duobus Mauritiis.

Aliud longe fortiſſimum argumentum in eo eſt, quod teſte Baronio (h) Græci die 21. Febr. Mauritium quemdam Tribunum militum juſſu

(f) Vid. Liturg. Gallic. lib. 3.
(g) Lib. de mortibus Perſecutorum.
(h) In Adnot. ad diem 22. Septemb. Martyrologii Romani.

juſſu Maximiani una cum ſeptuaginta militibus Apamææ in Syria Chriſtianæ Religionis nomine occiſum Mauritio Gallico-Germano plane ſimilem religioſiſſime colant. Inde autem quid ſequitur? nempe quod vel duo fuerint Mauritii Tribuni, & hi ferme eodem tempore martyrium ſimile ſubierint, quod ab omni veritatis ſpecie abhorret; vel quod Græci ſuam hiſtoriam de ſuo Mauritio a Latinis mutuaverint. At vero id difficillime aſſeritur: ſiquidem Theodoretus expreſſe teſtatur, quod Græci jam Sæculo V. ſuum Mauritium inter primi ordinis Martyres habuerint (i). Itaque longe veroſimilius videtur, quod Latini Græcorum Mauritium ex Syria in Galliam tranſtulerint, & hiſtoriam ejus multis fabulis amplificaverint (k).

Argumentum aliud contra martyrium Legionis Thebææ ex rebus & factis, quæ videntur incredibilia, petitum.

Iterum aliud argumentum ex ipſa hiſtoria Mauritii extundere conantur Scriptores adverſi, quippe quam multa ab omni fide aliena in ſe continere exiſtimant. An non omnem fidem ſuperat, quod illo tempore in exercitu Romano integra Legio fuerit tota quanta ex Chriſtianis compoſita? Magis incredibile eſt, Maximianum in hoſtes proficiſcentem, & illis jam propinquum tantam vim militum ex Oriente ad bellum felicius gerendum accerſitam trucidare, & hac ratione ipſum ſuum exercitum infirmare, atque ſpe victoriæ ſe privare voluiſſe: utut enim ſævi eſſet ingenii, bellicæ tamen rei peritiſſimus, & prudentiſſimus Imperator erat. Anne veroſimile eſt, quod tot inter milites nemo ſaluti ſuæ aut ſimulando, aut deficiendo conſulere voluerit? Denique mirabile aiunt, & inauditum eſſe, tantum agmen patientiſſime carnificibus ſuis ſe occidendum præbuiſſe, neque vitam armis defendere auſum fuiſſe.

Argumentum ex actis falſificatis.

Accedit, quod *acta*, quæ extant hodie, *felicis Legionis* variis erroribus ſint affecta, & potius ab imperito quodam Monacho Sæculi VIII. quam ab Eucherio in literas relata videantur. En argumenta, quibus Joan. Dubordieu fidem hiſtoriæ Thebæanæ labefactare contendit!

Hæc argumenta non ſatis probant.

Hæc licet ſpeciem quamdam veritatis præſeferant, tanti tamen roboris non ſunt, ut argumenta anteriora infringant, aut omnino prævalere valeant. Quantum argumentum negativum probet in concurſu argumenti poſitivi, tunc potiſſimum, quando ratio graviſſima ſilentii aſſerri poteſt, norunt omnes, qui artis Criticæ ſunt peritiores.

Refutatur argumentum negativum.

Et inprimis quidem quid miramur ſilentium Euſebii aliorumque Africæ & Aſiæ Scriptorum, qui utique rem in Europa, & in vallibus Alpinis geſtam facile ignorare potuerunt? Plura alia in Europa facta Euſe-

(i) Græcar. Affectionum Lib. VIII.

(k) Moshemius loc. cit.

Euſebius præteriit, quippe qui exornandæ hiſtoriæ Orientali maxima ex parte ſuas ingenii vires impendit. Plus in Sulpitio Severo, ut, quod res eſt, fateamur, difficultatis eſt, utpote qui in Gallia vixit, & natura levis & valde credulus fuiſſe dicitur, certe factum iſtud non prætermiſſurus, ſi vel popularis rumor de glorioſa tot militum morte ſuo ævo per Galliam ſparſus fuiſſet. Sed videtur ipſe Sulpitius aptiſſimam ſuppeditare reſponſionem, qui, poſtquam de Diocletianæ perſecutionis gravitate & crudelitate breviter quidem, ſed nervoſe dixerat: *Hac tempeſtate omnis fere ſacro Martyrum cruore orbis infectus eſt... nullis unquam bellis mundus exhauſtus eſt.* Poſt pauca alia ſubiicit, ſe brevitatis cauſa nullos Martyres nominatim recenſere velle, etſi acta eorum extent: *Etſi*, inquit, *etiam mandatæ literis præclaræ ejus temporis martyrum paſſiones, quas connectendas non putavi, ne modum operis excederem* (l). Sed nec tantum eſt difficultatis in Lactantio, quantum ſe perſpicere exiſtimat Moshemius, ut Virum ſublimioris ingenii, qualem in Moshemio reveremur, a ſua opinione deterrere, & in opinionem contrariam flectere debeat. An non enim etiam Lactantius probabilius fuit natus Nicomediæ in Aſia? dein cum jam eſſet ſenio confectus, in aula Conſtantini Imperatoris egit inſtructorem filii ſenioris Criſpi Cæſaris, & ſua opera pleraque conſcripſit: quam facile itaque & ipſe cædem Legionis Thebææ, haud ſecus ac Euſebius, aliique ſæculi IV. Scriptores in confinibus Galliæ & Germaniæ factam ignorare, aut lapſum memoriæ pati potuit; aut illam ſtudioſe vel ob rerum ſcribendarum copiam, vel quod res propius imperium, Aſiam, & Africam attingentes ſcribere in animo habuerit, prætermittere voluit?

Refellitur argumentum ex ſilentio Sulpitii petitum.

Item ex Lactantio.

Duos eodem ferme tempore Mauritios eosque Tribunos in diverſis locis martyrium ſubiiſſe nec impoſſibile eſt, nec ab omni veritatis ſpecie alienum, ea potiſſimum ex ratione: quod martyrium & hiſtoria utriusque non ſit omnino æqualis. Mauritius noſter occubuit cum integra Legione, in qua ſexies mille & ſexcenti milites fuiſſe afferuntur (m): alter Mauritius cum ſeptuaginta militibus. Et quare Latini potius quam Græci cujusdam plagii, corruptionis & impoſturæ arguantur? anne major fides debetur Theodoreto, quam Eucherio Lugdunenſi, & Scriptori vitæ S. Romani, ejusdem ætatis Scriptoribus? longe gravioribus certe monumentis nititur hiſtoria Latinorum, quam Græcorum.

Vindicantur duo Mauritii.

 Illa,

(l) Hiſt. ſacræ lib. 2. cap. 32.
(m) Vid. acta horum MM. apud Ruinardum.

Digitized by Google

Quæ videntur incredibilia, explicantur. Illa, quæ ex rei geſtæ hiſtoria ſunt deprompta, & a veri ſpecie aliena, abſona, & incredibilia multis videntur, tam firma non ſunt, ut expediri nequeant: neque ab illis rationibus Legioni Thebææ (n) multum metuendum eſt, dummodo hiſtoria ſufficienti authoritate ſuſtentetur: nam ſi ea, quæ de *Legione fulminatrice* ſub Marco Aurelio referuntur, ſi non certitudinem (o), ſaltem veriſimilitudinem habent, multo minus abſona & incredibilia videri poſſunt, & longe majorem fidem merentur, authoritatemque habent, quæ de integra *Legione Catholica* ſub Maximiano leguntur: quippe quod eo tempore res Chriſtianorum multo magis firmatæ, & plurimum amplificatæ fuerint. Eſto autem Maximianus fuerit Imperator ſagaciſſimus, ac rei militaris peritiſſimus, fuit tamen Tyrannus, idololatra, & hoſtis Chriſtianorum capitaliſſimus. Quid non egerunt Tyranni ex odio fidei Catholicæ, & ſuperſtitione ſuæ Religionis? quippe quos omnem tyrannidem in Chriſtianos exercuiſſe, ac ſpem victoriæ obtinendæ in adjutorio falſorum Deorum ferme unice collocaſſe ex hiſtoria Romana docemur. Neque alicui aut mirum, aut incredibile videri debet, quod integra *Legio Catholica* potius crudeliſſimam oppetere mortem, quam falſis Diis ſacrificare voluerit: Anne unica Legio numeroſiſſimo exercitui ſe opponere voluit aut potuit? Illa incredibilis conſtantia, fortitudo, & magnitudo animi martyrum turmatim cæſorum divinitus roborata, quam acta MM. loquuntur, fortiſſimo eſt argumento, inauditum & mirabile non eſſe, quod integrum Chriſtianorum agmen ſe ſuis Carnificibus patientiſſime occidendum præbuerit.

Argumenta ſententiæ contrariæ ſunt minus ſufficientia. Judicet jam æquus rerum arbiter, an argumenta contraria tot fortiſſimorum documentorum fidem continua traditione firmatam & corroboratam infringere & continuam traditionem, poſſeſſionem & præſcriptionem turbare valeant. Noſtra argumenta tanti momenti viſa ſunt Moſhemio, ut ſuam deſuper ſententiam dicere auſus non fuerit, ſed veluti in æquilibrio hæſerit. In fine nihilominus in opinionem adverſam propendet, & hiſtoriam Legionis Thebææ multis fabulis auctam & amplificatam exiſtimat, atque ſuæ exiſtimationis quasdam con-

(n) Sunt verba Moſhemii loc. cit. quin tamen argumenta adverſa diluere aggrediatur.

(o) Vid. Daniel Larroquani Diſſert. de Legione fulminatrice, in qua utriusque partis rationes affert. Proſtat alia Diſſertatio ſub eodem titulo Laurentii Moſhemii.

Digitized by Google

conjecturas affert prorſus imaginarias, quas affectus minus ſincerus in res ſacras Catholicas procul dubio dictaverit (p).

De Martyrio & hiſtoria S. Urſulæ ac Sociarum remiſſive.

De martyrio & hiſtoria S. Urſulæ ac ſociarum ejus, quæ in barbaras Hunnorum manus incidentes ad Rheni littora pro fidei & pudicitiæ cuſtodia glorioſam martyrii palmam reportaverunt, plura dicere non vacat. Pleraque in his actis eſſe incerta, haud pauca falſo immixta, parum ſincera, apocrypha, ea potiſſimum, quæ de earum omnium & ſingularum virginitate, ac numero referuntur, concors hiſtoricorum hodiernorum eſt doctrina. Quapropter ipſa etiam Eccleſia in ſuo Martyrologio emendato earum feſtum indicat ſub nomine *Sociarum* & ſine numero. Videantur authores paſſim (q). Plura de Statu eccleſiarum Germanicarum trium primorum ſæculorum ſcribere prohibemur tum ob defectum documentorum, tum quod illa ipſa documenta, quæ communius circumferuntur, valde eſſe corrupta, depravata & adulterata; imo non pauca eorum eſſe omnino adulterina, ſuppoſititia, & ſpuria deprehenſum fuerit. Quare plerique Scriptores eccleſiaſtici, qui de origine Religionis Catholicæ, & Eccleſiarum Germaniæ ex profeſſo agunt, valde jejune, & nonniſi cum ingenti ſcrupuloſitate hanc materiam tractant: Itaque tranſitum ad Sæc. IV facere liceat, in quo ſe lætiora offerunt auſpicia.

CAPUT II.

DE
Statu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Conſtantini M. usque ad initium Monarchiæ Francicæ.

§. I. *Status Religionis Catholicæ in Germania in compendio delineatur.* II. *Quænam Eccleſiæ ſingulariter ſpectabiles, & ſingularibus juribus, ac privilegiis nobilitatæ.* III. *De Statu Hierarchico inter Epiſcopos introducto.* IV. *De Vicariis Sedis Apoſtolicæ.* V. *De Primatibus & Metropolitis.* VI. *De electione eorum.* VII. *De Synodis in Gallia, & Germania celebratis.* VIII. *De Statu Hierarchico, nexuque inter*

(p) Loc. cit.
(q) Vid. Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. Sæc. IV. Art. V. Præfat. Benedicti XIV. ad Martyr. Roman. & innumeri alii.

Digitized by Google

inter Romanum Pontificem, & Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ. IX. *In ſpecie quoad cauſas controverſas, & judicia eccleſiaſtica.* X. *Quo jure eccleſiaſtico eccleſiæ fuerint uſæ.* XI. *De nexu inter Statum Eccleſiaſticum & Politicum.*

§. I.

Tandem ſerenior Phœbus univerſæ illuxit Eccleſiæ, poſtquam Conſtantinus devicto Maxentio, ejuratoque gentiliſmo religionem Catholicam amplexatus fuit, & famoſiſſimum ſuum, ac verbis prorſus prægnantiſſimis conceptum promulgavit edictum (r), atque Chriſtianis liberrimam fecit facultatem exſtruendi eccleſias, operandi ſacris, celebrandi Synodos, eaque omnia agendi, quæ ad cultum divinum, ad promovendam, ampliandamque Religionem catholicam aut neceſſaria, aut utilia viderentur. Jam Chriſtiani prodire in publicum, peragere divina, Imperatores magnificentiſſimas exſtruere eccleſias, Epiſcopi confluere in Synodos, damnare hæreſes, Ipſi Imperatores ſeveriſſima contra Ethnicos æque, quam hæreticos & ſchiſmaticos edere decreta, rem Catholicam tueri, defendere atque modis omnibus promovere. Ad Germaniam & Galliam ſi oculos convertamus,

Sæc. IV. in Gallia & Germania jam floruit Religio Catholica.

equidem utramque perpetuis bellorum hisce etiam ſæculis IV. & V. inter Romanos, Gothos, Alemannos, aliosque Germaniæ populos geſtorum tumultibus fuiſſe agitatam, attritam, ac ferme conquaſſatam legimus: attamen & Religionem Catholicam, & Eccleſiam immenſa accepiſſe incrementa, nemo negaverit. Fuere, ſi qui alii orbis

Epiſcopi Germaniæ Sæc. IV. zeloſiſſimi.

Catholici Epiſcopi, Germani & Galli in defendenda fide, amplificanda Eccleſia, promovendaque Religione Zeloſiſſimi, interfuere Synodis Generalibus (s), convocarunt Synodos particulares, & nihil non egerunt, quod ratio muneris paſtoralis Epiſcoporum humeris impoſiti

A Pontificibus ſingulariter in honore habiti.

deſiderat. Quapropter mirum videri non debet, quod Eccleſiis Germaniæ & Galliæ ſingularis honos fuerit habitus ab ipſis Romanis Pontificibus, ipſi Imperatores cauſas eccleſiaſticas Epiſcoporum Germaniæ judicio decidendas commiſerint (t), Pontifices ſuas vices gerendas dele-

(r) Edictum Conſtantini ex Euſebio lib. 10. cap. 5. Hiſt. Eccleſ. & Lactantio lib. de mort. Perſecut. cap. 48. refert Maſcovius Geſchichte der Teutſchen lib. 6. N. 21 quod omnino legi meretur.

(s) In Concilio Sardicenſi anno 347. e ſola Germania Rhenana 10. Epiſcopi aſſederunt teſte Schannat Concil. German. Tom. I. Præfat. §. 11.

(t) E. g. cauſam Donatiſtarum commiſit Conſtantinus M. Materno Colonienſi, Rheticio Auguſtodunenſi, & Marino Arelatenſi.

Digitized by Google

delegaverint, quoſdam eorum Sedis apoſtolicæ Vicarios conſtituerint, eorumque eccleſias ſingularibus juribus & privilegiis exornaverint. Age, atque hæc omnia & ſingula ſecundum ordinem non nihil diſtinctius videamus.

§. II.

Ad Epiſco, pos Moguntinum, Trevirenſem, & Colonienſem probabiliter jam in Sæc. IV. Jus Metropoliticum pervenit.

Memoria recolamus ea, quæ cap. præced. tum de diſtributione Germaniæ antiquiori, & noviori a Conſtantino M. facta, tum de primariis Germaniæ Eccleſiis Moguntina, Trevirenſi, & Colonienſi diximus. Haſce Eccleſias ſequioribus etiam temporibus ſingulariter eminuiſſe, indubitatæ veritatis res eſt: nam ſi Sæc. IV. jam dignitas Metropolitica ab urbibus Metropolibus mutuari cœpit; ſi ipſa Synodus Nicœna, quam Sæc. IV. & V. in Germania & Gallia viguiſſe certum eſt, jus Metropoliticum in primarias ſedes, urbesque primarias tacite transfudiſſe videtur, non potuit non fieri, ut harum urbium Epiſcopi ſingularium jurium, Metropoliticorum præcipue prærogativis eminerent: cum, uti in antecedentibus dictum fuerat, Treviris fuerit urbs Metropolis per Diœceſin Galliarum, & ſedes Præfecti Prætorii; Moguntia Metropolis Germaniæ primæ; Colonia Agrippina Germaniæ ſecundæ. Hoc unice dolendum, quod omnes hæ tres Eccleſiæ Sæc. V. vel penitus attritæ, vel mirum in modum fuerint conquaſſatæ. De Moguntia produnt hiſtoriæ, quod Sæc. V. circa annum 410. a Vandalis capta; poſtea ab Attila Hunorum Rege circa annum 454. funditus exciſa fuerit, ut ne cadaver quidem urbis, aut nomen ipſius ſupereſſet, usque dum Theodeberti Francorum Regis beneficio reſtitui cœperit. Ferme ſimilia fata fuit experta Colonia vix non eodem tempore, cum hoc ſolo diſcrimine, quod non penitus conciderit. De Treviri quid dicamus? etiam hæc graſſantibus per Belgicam Francis multum fuit attrita, ut jam Honorio Imperatori ſedem Præfecturæ Prætorii Galliarum Arelaten transferre neceſſum fuerit, a quo tempore multum priſtini ſplendoris Treviris amiſit, ferme in ſqualore & ruina jacuit, ipſa tamen Eccleſia nunquam intercidit. Urbem hanc celeberrimam quater ab hoſtibus eo ævo captam & occupatam vivaciſſimis coloribus haud ſecus quam ingentem acervum lapidum depingit Salvianus Sæc. V. author (u). Quanto autem in honore tunc temporis fuerint Epiſcopi harum Eccleſiarum, quis dicere ſufficiet? ex qui-

Treviris, Moguntia, & Colonia Agrippina tres Metropoles exciſæ, & penitus attritæ.

Epiſcopi harum Eccleſiarum ſummo in honore habiti potiſſimum Maternus & Agrætius.

(u) Vid. Salvianus lib. 6. de gubernat. Dei, ubi miſerrimum harum Eccleſiarum ſtatum graphice deſcribit.

Digitized by Google

quibus duos nominare liceat, quos ſingulari in pretio habuit Conſtant. M., nempe Maternum Colonienſem, quem idem Conſtantinus una cum duobus Galliæ Epiſcopis Auguſtodunenſi, & Arelatenſi in cauſa Donatiſtarum ad Imperatorem provocantium Judicem conſtituit (x). Alter fuit Agrœtius, qui Concilio Arelatenſi an. 314. habito ſubſcripſiſſe legitur. De Metropolitano Trevirenſi Petrus de Marca affirmare non veretur, quod olim jus convocandi concilia nationalia per Galliam ad ipſum pertinuerit, utpote quæ paſſim apud Scriptores hujus ævi, de quo hic agimus, Metropolis Galliarum audit.

Quatuor celebriores Eccleſiæ & Epiſcopi Galliarum.

Ab Eccleſiis & Epiſcopis Germaniæ tranſitum facimus ad Eccleſias & Epiſcopos Galliarum: inter has eminuere Eccleſia Lugdunenſis, Arelatenſis, Viennenſis, Auguſtodunenſis. Eccleſiam Lugdunenſem ab antiquitate, ſuis Epiſcopis, maxime S. Irenæo, & celebrato ibidem Concilio eſſe famoſam ſupra diximus. Hiſce tamen temporibus, quorum viciſſitudines perluſtramus, vix ulla ſingulari prærogativa eminuit, uſque dum beneficio Pontificum & Regum primatus dignitatem obtinuerit, jamque in Sæc. IX. a Lothario I. Imperatore prima Gallorum Eccleſia dicta fuerit (y).

Eccleſiæ Arelatenſis dignitas & eminentia.

De Arelatenſi Eccleſia quid dicamus? plura occurrunt argumenta, quibus Eccleſiæ hujus dignitatem & præeminentiam demonſtrare non foret difficile. Et quidem tanti Epiſcopum illius æſtimavit Conſtantinus M., ut illum cum Materno Epiſcopo Colonienſi, & Auguſtodunenſi ad examinandam, diſcutiendamque cauſam Donatiſtarum Judicem quaſi delegatum conſtituerit; & quod plus eſt, approbante Sylveſtro Papa Arelate Synodum illam celeberrimam, quam S. Auguſtinus univerſalem vocat, in eadem cauſa celebrandam indixerit. Ampliora dignitatis incrementa accepit, poſtquam excifa a Vandalis urbe Trevirorum Honorius Imperator ſedem Præfecturæ Galliarum Arelaten tranſtulit, & Matrem omnium Galliarum vocavit, unaque conſtituit, ut conventus ordinarius ſeptem provinciarum in ea urbe habeatur ad ordinandam politiam. Et quoniam dignitas, quæ civitatibus competebat in ordine civili, facile communicabatur Epiſcopatibus earum urbium, inceſſit Epiſcopum Arelatenſem ambitio ſibi vindicandi titulum primi Metropolitæ Galliarum. Profecto hanc

(x) Suſpicatur Schilterus de libert. Eccleſ. Germ. cap. 4. quod Maternus tunc temporis utramque Eccleſiam tam Colonienſem, quam Trevirenſem rexerit: quod an cum veritate dici poſſit, valde ſubſiſtimus.

(y) Vid. Petrus de Marca in Diſſert. de Primat.

Digitized by Google

hanc dignitatem Patroclus Arelatenſis a Zoſimo Romano Pontifice impetrare tentavit, a quo tamen aliud non obtinuit, niſi particulam quamdam juris cujusdam metropolitici, vi cujus nulla perſona eccleſiaſtica vel Romam, vel alio contendere poſſet, niſi epiſtolam formatam ab Epiſcopo Arelatenſi accepiſſet.

Sed neque iſtud privilegium fuit reale, ſed tantum perſonale (z). Iſtud aliaque privilegia a Zoſimo Patroclo Arelatenſi conceſſa, quæ inter pertinet privilegium ordinandi Epiſcopos Provinciæ Viennenſis, & utriusque Narbonenſis, viam aperuerunt ambitioni Epiſcoporum Arelatenſium, adeo, ut ad Exarchatum Galliarum aſpirare auſi ſint. Hanc ob rem Hilarius Arelatenſis in ſecunda Synodo Arelatenſi decerni procuravit, ut penes Epiſcopum Arelatenſem poſthac foret poteſtas convocandi Synodum Gallicanam, quoties illi viſum fuerit ita expedire. At Leo I. ferre non potuit præſumptionem Hilarii, vetuitque, ne deinceps Synodos cogeret ex variis provinciis (a), quin & dignitatem metropolitanam ademit, eamque Viennenſi Epiſcopo adjudicavit. Verum paulo poſt jus & authoritatem convocandi Synodum Galliarum Epiſcopis Arelatenſibus conceſſit Hilarius Papa circa an. 462. & demum pedetentim factum eſt, ut Epiſcopus Arelatenſis vicariatum Sedis apoſtolicæ obtineret. Totam rei geſtæ ſeriem fuſe & erudite exponit Petrus de Marca (b). *Epiſcopi Arelatenſis Vicariatus Sedis Apoſtolicæ.*

De Eccleſia Viennenſi pauciſſima dicere liceat, quam jam ſæc. II. prælatam fuiſſe Lugduno, teſtis eſt epiſtola quædam ab Euſebio relata, & ad Aſiaticos deſtinata (c); Id quod ideo factum eſſe credunt, non quod jam tunc Metropoleos dignitas penes illam fuerit, ſed quia ex inſtituto Galbæ eo tempore prærogativa & præcedentia in ordine civili competebat Viennæ, non Lugduno (d). De controverſia Epiſcopi Viennenſis & Lateranenſis propter jus metropoliticum nimis longum *Eccleſiæ Viennenſis dignitas.*

(z) Petrus de Marca de Concord. lib. 5. cap. 30. & ſeq.

(a) *Suis unaquæque provincia ſit contenta Conciliis, nec ultra Hilarius audeat conventus indicere Synodales &c.* legitur in epiſt. 86. ad Epiſcopos Provinc. Viennenſ. & in novella conſtitut. Valentiniani III. vid. Petrus de Marca lib. V. cap. 30. N. 9. & N. 11.

(b) Loc. cit.

(c) Vid Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 1.

(d) Petrus de Marca Diſſert. de Primat. N. CXII.

gum foret dicere. Qua autem ratione ipſi dignitas metropolitica a Leone I. fuerit attributa, mox antea diximus. De Eccleſia, vel potius Epiſcopo Auguſtodunenſi ideo ſolum mentionem facere voluimus: quia Conſtantino M. ipſum duobus Epiſcopis Colonienſi & Arelatenſi velut delegatum ad decidendam cauſam Donatiſtarum adjungere placuit.

Eccleſia Laureacenſis quandonam in Metropolim erecta? A Gallia revertamur ad Germaniam, ſeu ad Noricum, in quo nobis exhibetur Eccleſia Laureacenſis, de cujus antiquitate, & origine, & præeminentia jam in cap. præced. aliqua diximus. De eo dubitatur, quandonam in Eccleſiam metropoliticam fuerit erecta. *Diverſa opinio.* Putant Viri quidam doctiſſimi cum Antonio Pagio, id factum eſſe a Symmacho Pontifice, qui ad Epiſcopum illius ſcripſit epiſtolam famoſiſſimam, in qua Pontifex totus quantus eſt in exornandis honoribus hujus Eccleſiæ, ejusdemque Epiſcopis Pallium tanquam ornamentum tunc Patriarchis, Exarchis, & Primatibus proprium deſtinavit. Alii putant, quod huic Eccleſiæ dignitas metropolitica obvenerit ex interitu Urbis Syrmienſis an. 441.

Opinio Hanſitii. Utramque hanc opinionem refellit doctiſſimus Hanſitius (e); illam priorem quidem in epiſtola Symmachi circa finem ſæc. V. data fundatam: quia in illa Pontifex dignitatem Metropoliticam vel omnino Exarchalem non tam confert, quam ſupponit, dum ait: *Pallium tibi deſtinavimus, quo uti debeas ſecundum morem Eccleſiæ tuæ;* Poſteriorem de translatione dignitatis Metropoliticæ ex interitu Urbis Sirmienſis Laureacum facta ex eadem refutat epiſtola, in qua Pontifex Epiſcopo Laureacenſi uſum Pallii confert, atque pro ratione motrice ad hanc dignitatem conferendam neutiquam ad jus aliquod ex Metropoli Sirmienſi appellat, ſed unice illius antiquitatem & fundationem ab ipſis Apoſtolis factam velut motivum principale allegat. *Amplitudo Eccleſiæ Laureacenſis* De Amplitudine Eccleſiæ Laureacenſis idem author fuſe agit, oſtenditque, quod ſe in omnes utriusque Pannoniæ tam ſuperioris quam inferioris provincias extenderit, quin & Rhœtiam ſecundam ſeu Vindeliciam intra Oenum, Lycum & Danubium ſitam (aliud ſine dubio ſtatuendum de Norico inferiori) illius juri Metropolitico fuiſſe ſubjectam, argumentis ſat validis probare contendit (f). Cæterum fatentur Scriptores, hujus Metropoleos fata adeo eſſe obſcura, ut vix certi aliquid afferi poſſit: nec mirum hoc videri debet, eo quod limes ille perpetuis Gothorum, Longobardorum, Hunnorum, & Sclavorum

(e) In Germ. ſacra cap. 1. & cap. 12. (f) Loc. cit.

Digitized by Google

vorum vaſtationibus fuerit obnoxius. In eo ſolo conveniunt Hiſtorici, quod dum ſæcul. VIII. Hunni, & Avares regionem omnem circa Anaſum flumen ſitam ferro & igne depopularentur, Laureacum funditus fuerit exciſum, cujus jam non niſi aliqua rudera prope Anaſianum Auſtriæ oppidum videre licet. Hac tempeſtate furente Epiſcopus Laureacenſis Vivilo Patavium velut in locum tutiorem confugit, ibique Epiſcopus fuit conſtitutus (g). Opportunus etiam hic foret locus agendi de aliis ab antiquitate celeberrimis Eccleſiis Epiſcopalibus per Germaniam erectis, quales ſunt Wormatienſis, Spirenſis, Argentoratenſis, Verdunenſis, Metenſis, Tullenſis &c. quorum Epiſcopos Concilio Sardicenſi ſubſcripſiſſe legimus, niſi tempori cedendum foret.

Laureacum exciſum.

§. III.

De **Statu Hierarchico** in Germania & Gallia ſæcul. IV. & V. inter Epiſcopos introducto, quatenus quidam eorum majori & ampliori jurisdictione præditi ſingularia jura ſeu Metropolitica ſeu Primatialia exercuerunt, tanto minus dubitari poteſt, quanto plura & validiora argumenta nobis res in Germania & Gallia geſtæ ſuppeditant: nam demus, quod ante tempora Conſtantini M. & diviſionem Imperii ab ipſo factam nemo Epiſcoporum fuerit (Epiſcopos Alexandrinum & Antiochenum excipimus propter Can. 6. Concilii Nicæni, qui de illorum jure tanquam antiquo, & moribus introducto loquitur) qui ampliori eoque Metropolitico jure gaviſus fuerat, quemadmodum probare contendit doctiſſimus Pagius (quamquam etiam de hoc dubitari valeat: eccur enim in aliis Eccleſiis potiſſimum urbi Metropoliticæ cohærentibus idem fieri non potuit, quod in præfatis Eccleſiis Alexandrina, & Antiochena factum fuiſſe legimus?) attamen ſæc. IV. & V. Epiſcopos plures Germaniæ & Galliæ in dignitatem & Jurisdictionem ampliorem & Metropoliticam eluctatos fuiſſe tum hactenus dicta, tum mox dicenda evidentiſſime oſtendunt.

Status hierarchicus inter Epiſcopos Galliæ & Germaniæ ſæc. IV. & V.

Inprimis enim certum eſt, quod Synodus tam Nicæna, quam Sardicenſis in Gallia & Germania uſu fuerint receptæ: quis autem igno-

Argumtisex commonſtratur inter Epiſcopos fuiſſe quosdam Metropolitas.

(g) Atque inde ſuam originem controverſia inter Patavium & Salisburgum ratione dignitatis Archi-Epiſcopalis tamdiu agitata. Cardo enim difficultatis ad id devolvitur, utrum Eccleſia Laureacenſis Patavii ſolum continuata, an vero novus prorſus Epiſcopatus ibidem fuerit conditus. Vid. Differt. de prærog. Eccleſ. Salisburg.

Digitized by Google

ignorat in Can. 4. Concilii Nicæni verbis expreſſis cautum eſſe, ut Epiſcopi neo-electi a Metropolitano confirmentur (h)? quem latent electiones Epiſcoporum per Germaniam & Galliam factæ in præſentia Metropolitani? qua ratione ſatisfieri potuit eidem Synodo Nicænæ jubenti (i), ut ſingulis annis bis celebrentur Synodi provinciales, & in iis cauſæ majores diſcutiantur, examinentur, & retractentur? Hæc, inquam, quomodo fieri potuere, ſi nemo Epiſcoporum fuit, qui jura Metropolitica exerceret? undenam ortæ ſunt diſſenſiones & controverſiæ inter Epiſcopos Arelatenſem & Viennenſem, niſi quod Arelatenſis excisa Treviri, & translata ad ſuam urbem ſede Præfecti Prætorii ipſo jure ad ſe tranſiiſſe jura Eccleſiæ Trevirenſis, ſibique deberi Primatum exiſtimaverit? an neſcimus, quod ævo Conſtantiniano diviſiones Eccleſiarum, ſi Africam excipiamus (k), factæ ſint juxta diviſionem imperii, ut jam ille fuerit Metropolita, qui fuit Epiſcopus urbis Metropoliticæ? Notanter diximus *ævo Conſtantiniano:* quia ſequioribus ſæculis id non conſtanter fuiſſe obſervatum dicemus. Nunquid in hodiernam usque diem Gallia gloriatur libertatibus ſuis Gallicanis, uti vocare conſuevit, & inter has numerat illud præcipue, quod a tempore Synodi Nicænæ omnes cauſæ majores in Synodis particularibus & provincialibus, quibus ut plurimum præſidebant Metropolitæ, fuerint terminatæ, quin vel recurſus, vel provocatio vel appellatio ad Sedem Pontificiam fuerit admiſſa? equidem non ignoramus, quod Imperatores in Gallia Synodos ſaltem extraordinarias convocaverint, prout in ſpecie de famoſiſſima Synodo Arelatenſi ab ipſo Conſtantino M. congregata ſcimus: ſed id non excludebat literas Metropolitanorum ad comprovinciales Epiſcopos, neque Patriarcharum ad Metropolitanos (l). Imo Pet. de Marca aſſerere

Diviſiones Eccleſiarum factæ olim juxta diviſionem Imperii.

(h) Canon ſic habet: *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui in Provincia ſunt, Epiſcopis ordinari: ſi autem hoc ſit difficile &c. per tres omnino eundem in locum congregatos abſentibus quoque ſuffragium ferentibus tunc electionem fieri; Eorum autem, quæ ſiunt, confirmationem in unaquaque provincia a Metropolitano fieri.*

(i) Can. 5. ubi dicitur: *Placuit annis ſingulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari &c.*

(k) In hac enim nulla habita ratione Metropoleon Epiſcopus ordinatione antiquior habebatur pro Primate, ſolo Epiſcopo Cæſareenſi excepto, qui erat Primas Africæ perpetuus.

(l) Petrus de Marca de Concor. lib. VI. cap. 19.

Digitized by Google

ſerere non dubitat, quod antiquitus ante exciſionem ſuæ Eccleſiæ Epiſcopi Trevirenſes, utpote quorum civitas erat Metropolis Galliarum, Synodos convocaverint, quod ipſum jus ſibi poſtea Epiſcopos Arelatenſes arrogare voluiſſe ex dictis conſtat (m). Hæc omnia ex mox dicendis magis conſtabunt.

§. IV.

Nullus in Germania nomen Patriarchæ vel Exarchi aſſumpſit.

Stabilita Hierarchia inter Epiſcopos Germaniæ & Galliæ dilucidandum reſtat, qualis ergo fuerit, & quo jure Patriarchico, Exarchico, Primatiali, vel Metropolitico cæteris præfuerint illi Epiſcopi, quibus jura ſublimiora competebant. Inprimis nihil legimus, quod ullus Epiſcoporum Germaniæ & Galliæ nomen Patriarchæ, vel Exarchi aſſumpſerit: quamquam ſaltem Epiſcopus Trevirenſis illud aſſumere jure potuiſſet, quippe qui fuit Metropolita per totam Diœceſin Galliæ, a qua olim Exarchi dicebantur (n).

Epiſcopus Arelatenſis ſolus, & nemo alius Epiſcoporum Galliæ & Germaniæ Vicariatum Apoſtolicum quæſiviſſe legitur.

Quare unice de Vicariis Sedis Apoſtolicæ, & poſtea Primatibus, & Metropolitis nobis erit videndum. De Vicariatus apoſtolici origine plura alibi diximus. Attamen ut hujus mentionem hic faceremus, nobis perſuaſit ambitio Epiſcopi Arelatenſis, quem apud Pontifices, præſertim Zoſimum Vicariatum modis omnibus quæſiiſſe ſupra diximus, eſto illum ſero nimis obtinuerit. De alio quodam Metropolita tam Germaniæ, quam Galliæ non legimus, quod hunc titulum & poteſtatem ei cohærentem vel ambierit, vel obtinuerit. Sed nec Epiſcopi Arelatenſes hoc ævo, de quo ſcribimus, dignitate Vicarii Sedis apoſtolicæ fuere ornati: etſi Pontifices Zoſimus, & Hilarius, & Symmachus eisdem Primatum per Galliam cum ampliſſimis juribus conceſſerint, & Symmachus omnino pallio Cæſarium Arelatenſem exornaverit, usque dum Vigilius Papa Auxonio Epiſcopo Arelatenſi una cum Pallio etiam Vicariatum Sedis apoſtolicæ contulerit

I 3 (o).

(m) Ibid. cap. 17. N. IV.

(n) Nam ſicut diximus in Diſſert. de Stat. Eccleſiæ, cap 2. in eo erat diſcrimen inter Metropolitas, & Exarchos, quod Metropolitæ uni vel alteri provinciæ; Exarchi econtra pluribus provinciis in Diœceſi aliqua exiſtentibus præfuerint: nam eo tempore Diœceſis complectebatur plures provincias, ſicut loc. cit. explicavimus.

Digitized by Google

(o). Alium hocce ævo fuiſſe Epiſcopum ſeu in Germania ſeu in Gallia, cui honor Vicariatus apoſtolici obtigit, non legimus.

§. V.

Plures in Gallia & Germania fuere Metropolitæ, quos vocabant Primates, Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Laureacenſis &c. Utrum dignitas Metropolitica ſemper obtigerit Epiſcopis urbium Metropolitiarum?

In Germania & Gallia plures fuiſſe Metropolitas, quos Galli ſæpius vocavere *Primates*, nempe Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem in Germania prima & ſecunda; Laureacenſem in Norico; Lugdunenſem, Viennenſem, & Arelatenſem in Gallia, ex dictis conſtat. Nobis hic incidit quæſtio, quam alibi excutere (p) prætermiſimus, & proin hic præterire non poſſumus, utrum nempe ſemper dignitas Metropolitica obtigerit Epiſcopis urbium Metropoliticarum, adeoque forma imperii eccleſiaſtici juxta formam & diviſionem imperii ordinata ita fuerit, ut, ubi erat ſumma poteſtas politica, pariter foret major imperii eccleſiaſtici jurisdictio.

Ita antiquioribus temporibus, & ævo Conſtantiniano fuiſſe obſervatum, nos communis provinciarum praxis docet, atque hunc morem adhuc ſæc. V. obtinuiſſe docet nos tum Innocent. I. in reſponſo ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum dato, dum ait: *Secundum priſtinum provinciarum morem Metropolitanos Epiſcopos convenit numerari* (q); tum deciſio cauſæ inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos coram Synodo Taurinenſi agitatæ, dum quisque eorum ſolidam provinciæ Viennenſis ordinationem prætenderet: cenſuit enim Synodus, totius Provinciæ Primatus honorem ei eſſe deferendum, qui ſuam civitatem probaret eſſe Metropolim. At vero hæc intelligenda ſunt de antiquis Metropolibus juxta diviſionem imperii Romani conſtitutis: poſtea enim ab hoc more recedere placuit, neque e bono Eccleſiæ eſſe viſum fuerat, ut politia ſacra juxta normam politiæ ſæcularis ordinaretur. Hujus rei teſtimonium præbet Innocentius in reſponſione ad præfatum Alexandrum data: *nam quod ſciſcitaris, utrum diviſis imperiali judicio provinciis, ut duæ Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari, non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum DEI Eccleſiam commutari, honoresque aut diviſiones perpeti,*

quas

(o) Epiſtolam Vigilii ad Auxonium datam refert Petrus de Marca lib. 5. cap. 36. N. 2. & 3.

(p) Nempe in Diſſert. noſtra de Statu Eccleſiæ, & Hierarchia Eccleſ. ubi originem & jura Metropolitarum excuſſimus.

(q) Hoc reſponſum refert Maſcovius in Diſſert. de Primat. §. 7. & legitur cap. 1. diſt. 10.

Digitized by Google

quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Sic etiam quando Imperatores duas provincias in unam contraxere, antiquæ Metropoles nihilominus ſuum ſtatum conſervarunt (r). Tali modo, quum Reges in urbe aliqua ſibi ſedem elegerunt, non ſtatim illa facta fuit Metropolis, multoque minus ad eccleſiaſticam rationem id pertinuit (s): quamquam plures occaſionem inde nactæ ſint archiepiſcopale obtinendi faſtigium (t). Quod ſi quis cauſam inquirat, ob quam Epiſcopis Metropoleos ſublimior eaque Metropolitica poteſtas fuerit collata, eam ſuggerit Can. IX. Concil. Antiocheni, qui ita habet: *Epiſcopum, qui Metropoli præeſt, etiam curam ſuſcipere oportet totius provinciæ, eo quod in Metropoli concurrant undique, qui habent negotia: unde viſum eſt, eum quoque honore præcedere, reliquos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo.* Accedebat ratio decori, quæ id ipſum perſuadebat haud ſecus quam in electione Imperatoris, ut potius nobilis quam ignobilis aſſumatur: quum enim Epiſcopi urbium Metropoleon aliunde multum ſplendoris ex ipſa dignitate loci mutuarent, in neminem profecto majori jure poteſtas Metropolica transfundi poterat. *Cur olim Epiſcopi Metropolium obtinuerint poteſtatem Metropoliticam.*

§. VI.

De electione, confirmatione, & conſecratione Epiſcoporum & Metropolitarum in Germania & Gallia hisce temporibus nempe ab ævo Conſtantini usque ad Monarchiam Francicam pauca dicamus. Neutiquam dubitamus, quod electiones in Germania juxta normam univerſalis Eccleſiæ in præſentia Metropolitani, Epiſcoporum comprovincialium, cleri, & populi fuerint celebratæ; ipſa autem confirmatio & conſecratio a Metropolita fuerit collata. Quapropter de his plura dicere ſupervacaneum ducimus. ***Quomodo antiquitus factæ ſint electiones Epiſcoporum.***

§. VII.

Acturi de Conciliis Germaniæ & Galliæ non eſt nobis animus agendi de Conciliis Generalibus ſæc. IV. & V. celebratis, qualia fuere Nicœnum I. cui Occidentales tanquam appendicem addiderunt Synodum Sardicenſem, Conſtantinop. I., Epheſinum, & Chalcedonenſe. ***Concilia Germaniæ.***

(r) Vid. Maſcovius in Differt. de Primat. § 7. ubi id exemplis illuſtrat.
(s) Idem ibid.
(t) Hac ratione dignitatem Metropoliticam conſecuti ſunt Epiſcopi Pariſienſis, & Viennenſis in Auſtria.

Digitized by Google

ſe. Itaque in conciliis particularibus non tam enucleandis, quam ſimpliciter recenſendis noſtra unice ſudabit opera: ubi id prævie animadvertendum duximus ex Joan. Douiat, quod plures Scriptores Synodorum Germanicarum ante ſæc. VIII. & tempora Caroli vix ullam mentionem faciant, cujus cauſam cit. author in eo ponit: quod, quum ante Carolingicos Chriſtiana Religio non niſi tenues admodum in Trans-rhenanis regionibus radices egerit, Synodorum Germanicarum exigua fuerit habita ratio: maxime quod eo ævo ſub Romanis Germania fuerit pars Galliæ, & Synodi particulares in Germania celebratæ Gallicis conventibus connumerentur, nec facile a Synodis Gallicanis ſejungi valeant. Atque hæc fuit ratio, cur laudatus Author ſuam epocham in recenſendis Synodis particularibus Germaniæ auſpicetur a ſæc. VIII. (u). Verum non video, cur ex hoc capite Synodi Germanicæ anteriores ſimpliciter præteriri debeant: quare animo nobis fixum eſt, epocham illarum cum doctiſſimo Pfaffio a ſæc. IV. auſpicari, & Synodos Gallicas a Germanicis accurate ſejungere. Vid. quæ alibi diximus (x).

Synodi particulares ſunt vel ordinariæ, vel extraordinariæ. Sunt autem duplicis generis Synodi particulares diſtinguendæ, videlicet ordinariæ, & extraordinariæ. Ordinarias illas dicimus, quæ ex præſcripto legis debebant celebrari, quales fuere Provinciales, quas juxta canonem Synodi Nicænæ ſingulis annis celebrare oportuit: extraordinarias illas vocamus, quæ vel occaſione electionis, & confirmationis epiſcopalis, vel alicujus hæreſis erumpentis, aut alterius negotii conciliariter diſcutiendi erant celebrandæ. Inprimis dubium non eſt, quod & Galli & Germani decretis Synodi Nicænæ & Sardicenſis, quippe apud ipſos receptis, inhæſerint, ſuasque Synodos provinciales ordinarias more conſueto celebraverint. Itaque Synodos ut plurimum extraordinarias, easque celebriores recenſebimus.

Galli & Germani decretis Synodi Nicænæ & Sardicenſis uſi ſunt.

Synodi Gallicanæ recenſentur. Ordiamur a Synodis Gallicanis, quas inter primum locum meretur Synodus *Arelatenſis* an. 314. juſſu Conſtantini M., ad quem Donatiſtæ a Concilio Romano ſub Melchiade Pontifice damnati appellaverant, ſub Sylveſtro Pontifice in cauſa Cæciliani Carthaginenſis celebrata. Hanc Synodum S. Auguſtinus *univerſalis Eccleſiæ* dicere non dubitavit, & hodierni Scriptores inter Concilia *quaſi univerſalia* numerare ſolent (y). Duplicem difficultatem hæc Synodus faceſſit viris

Arelatenſis valde celebris

(u) In Prænot. Canon. lib. 2. cap. 17.
(x) Tom. I. Quæſt. III. de Concil. cap. 4.
(y) Vid. Tom. I. Quæſt. III. de Concil. cap. 2.

Digitized by Google

Viris eruditis, quarum prima in eo conſiſtit, in quo ſenſu a S. Auguſtino dicta fuerit, aut dici potuerit *univerſalis*: altera conſurgit ex ipſa appellatione a concilio Romano ad Pontificem facta, & inde ſecuta convocatione concilii ab Imperatore attentata. Sequitur Concilium *Valentinum* Valentiæ in Gallia regnante Damaſo Pontifice an. 374. reſtaurandæ diſciplinæ eccleſiaſticæ cauſa a 30. Viennenſis, aliarumque vicinarum provinciarum antiſtitibus celebratum. Subſequitur *Taurinenſe* tempore Honorii Imperatoris, & Siricii Romani Pontificis apud Auguſtam Taurinorum circa an. 397. congregatum, in quo deciſa eſt controverſia de primatu Viennenſis Provinciæ inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos, inter quos diviſæ ſunt Eccleſiæ ejusdem Provinciæ. Item *Regenſe* imperante Valentiniano, & ſedente ad clavum Eccleſiæ Sixto III. an. 439. apud Reios, quæ civitas eſt Narbonenſis provinciæ contra ordinationem Ebredunenſis Epiſcopi per duos tantum Epiſcopos factam habitum. Arauſicanum I. an. 441. Valentiniano Auguſto, & Leone I. Pontifice celebratum. *Vaſenſe*, ſeu *Vaſionenſe* an. 442. ſub Valentiniano Imperatore, & Leone I. Pontifice coactum. *Arelatenſe* II, quod Ravennius Epiſcopus Arelatenſis ſub Leone I. an. 452. celebraſſe legitur. *Arelatenſe* III. in cauſa Fauſti Lirinenſis ab eodem Ravennio an. 455. celebratum. *Turonenſe* I. Cæſaroduni tempore Hilarii Pontificis an. 461., & demum *Veneticum* in Aremicorum civitate Venetenſi circa annum 465. a Turonenſis provinciæ ſex Epiſcopis habitum. Atque hæc ſunt concilia particularia ſæc. IV. & V. in Galliis celebrata, quæ ſimpliciter referre voluimus. Commentaria quædam brevia in pleraſque has Synodos vid. in Cabaſſutio (z).

Concilia Germanica alibi retulimus (a). Et eorum nonniſi tria hisce ſæculis celebrata reperimus, nempe unum *Agrippinenſe* circa medium Sæc. IV., *Trevirenſe* de an. 386. *Veſontinum*, quod alii volunt *Viennenſe* de anno 404. Interea temporis lucem publicam aſpexit nova Conciliorum Germaniæ editio opera P. Joſephi Hartzheim adornata, quæ omnino legi meretur. Atque hæc de Conciliis dicta ſufficiant.

§. VIII.

Germania & Gallia cum Sede Romana communicavit in unitate fidei & diſciplinæ eccleſiaſticæ.

Germaniam & Galliam non modo in unitate fidei, verum etiam diſci-

(z) Notit. Hiſt. Eccl. ad ſæc. IV. & V.
(a) Tom. I. Quæſt. III. de Concil. in fine.

Digitized by Google

diſciplinæ eccleſiaſticæ cum Sede Romana communicaſſe, atque in ea centrum unitatis, ac primatum Petri ſuſpexiſſe, nemo ſanus negaverit. Utrumque nobis probandum incumbit, ea potiſſimum ex ratione, quod Galli antiquas ſuas libertates, ſicut vocant, jactitantes neſcio cujus infidelitatis erga ſedem Romanam hinc inde arguantur. Age igitur! tentemus vadum, & quid rei ſubſit, audiamus! Agimus primo argumento negativo: an enim Galli hisce temporibus aliquid moliti ſunt contra Sedem pontificiam? an non conſtanter damnarunt hæreſes, quas Eccleſia damnavit, & Roma? num communicarunt cum ſchismaticis? tantum abeſt ab ipſis hoc, ut Germani & Galli e ſua communione rejecerint, quos Roma rejecerat. Quam non opportunam occaſionem habuiſſent ſeſe ſeparandi a communione Romani Pontificis, ſuamque authoritatem eſſerendi ſupra primatum & judicium Romani Pontificis Epiſcopi Germaniæ & Galliæ Colonienſis, Arelatenſis, & Auguſtodunenſis, quibus Conſtantinus vices delegavit reformandi judicium Melchiadis Pontificis contra Donatiſtas inſtitutum? Nunquid hoc ipſum facere potuiſſent in Synodo Arelatenſi, quam Conſtantinus M. celebrari voluit, ut cauſa Donatiſtarum pleniori judicio terminaretur? Hujus rei aliud exemplum nobis occurrit: miſerunt Euſebiani ſuam formulam fidei in pſeudo-ſynodo Antiochena a ſe cuſam, eamque obtulerunt Valenti Imperatori in Galliis agenti, ut illam Epiſcopis Galliarum exhiberet, quod etiam factum. Veruntamen in id induci non poterant Epiſcopi Galliarum, ut eam reciperent: ſed potius eandem ſimpliciter rejecerunt: imo Maximinus Trevirenſis viros illos, quos S. Athanaſius comites, vel duces habuit in via, ne quidem ad communionem admiſit. An non Epiſcopi Galliæ & utriusque Germaniæ, ut ſuam cum Eccleſiæ Capite communionem teſtatam facerent, interfuere Conciliis a Pontifice celebratis, Sardicenſi præcipue, cui interfuiſſe leguntur Epiſcopi tum Galliarum Maximinus Trevirenſis cum Epiſcopis Metenſi, Tullenſi, Verdunenſi, aliisque; tum Germaniæ primæ Martinus Moguntinus, Victor Wormatienſis, Amandus Argentinenſis; tum Germaniæ ſecundæ Euphrates Colonienſis, & Servatius Tongrenſis? nunquid etiam receperunt canones conciliorum, quibus tota utebatur Eccleſia Occidentalis, illos non modo, qui ad fidei dogmata, verum etiam ad capita diſciplinæ eccleſiaſticæ pertinent, eisdemque ſuam quoque diſciplinam quoad ea potiſſimum, quæ judicia eccleſiaſtica, deciſionem cauſarum, & celebrationem Synodorum particularium ſpectant, conformare contenderunt? Quod autem Gallicani Epiſcopi tunc temporis

Gallos non obſtantibus ſuis libertatibus Gallicanis fideles erga ſedem Romanam fuiſſe, argumentis comprobatur.

Digitized by Google

poris primatum Romani Pontificis ſuſpexerint, ex ſola Hiſtoria Eccleſiæ Arelatenſis diſcere licet: Quid non tentarunt Epiſcopi Arelatenſes, ut ſuam ſedem non modo ſupra Viennenſem elevarent, ſed etiam primam omnium ſedium epiſcopalium per omnes Galliarum plagas facerent, & hoc modo primatum conſequerentur? & quis eorum ambitionem coercuit niſi Leo I. Romanus Pontifex? aut ſi nullum primatum in Romano Pontifice agnovit Patroclus Arelatenſis, eccur tam moleſtus fuit Zoſimo Pontifici, ut ab eo titulum primi Metropolitæ Galliarum eblandiretur? eccur Epiſcopi Arelatenſes ad dignitatem primatialem, quam totis viribus quærebant, & votis ardentiſſimis ambiebant, eluctari nequiverunt, usque dum Romanos Pontifices in ſuas partes traherent? verum miſſis his

§. IX.

Galli ſua judicia eccleſiaſtica veluti ſuprema habuerunt, ſeque appellationibus ad ſedem Romanam oppoſuerunt.

Jam ad id veniamus, in quo rei cardo vertitur, videlicet ad Judicia eccleſiaſtica, deciſiones cauſarum, & appellationes ad Romanum Pontificem admittendas. In eo hactenus ſibi ipſis conſtantes fuerunt Galli, quod judicia ſua eccleſiaſtica, ea nempe, quæ in Conciliis ſuis celebrarunt, veluti ſuprema habuerint, & appellationibus ad Sedem pontificiam ſeſe vehementer oppoſuerint, provocantes ad antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam, potiſſimum vero ad Concil. Nicænum, in quo ſtatutum legitur, ut cauſæ minores ab Epiſcopis, cauſæ majores, ſpecialiter depoſitio Epiſcoporum, in ſynodis provincialibus quot annis bis habendis deciderentur (b). Huic canoni temperamentum adhibuit Synodus Sardicenſis in gratiam Epiſcoporum gradu ſuo dejectorum, data licentia provocandi ad Pontificem, ut judicium renovetur in Provincia (c). De hoc canone Concilii Sardicenſis quamplurima forent dicenda, utpote qui Pontificibus occaſionem præbuit urgendi appellationes transmarinas, cui ſe tantopere oppoſuerunt PP. Africani. Verum iſta huc non pertinent, & de iis fuſius diximus alibi (d).

Explicatur doctrina Gallorum in materia appellationum.

Ut igitur ad ſcopum noſtrum veniamus, in eo conſiſtit doctrina Doctorum Gallicanorum: Inprimis negant & pernegant Galli, quod unquam ante ſynodum Sardicenſem appellationes fuerint factæ ad Romanum Pontificem. Aſſerunt 2do, quod ne quidem in Concilio Sardicenſi, ad quod tamen Pontifices provocant, tale jus appellan- di

K 2

(b) Can. 5. (c) Can. 6.
(d) Tom. II. Quæſt. I. de Coll. Jur. Eccleſiaſt. a ſæc. IV.

Digitized by Google

di ei fuerit aſſertum, ſed non niſi jus retractandi & reformandi, ſeu dandi *Epiſcopos* delegatos, & quidem *vicinos*, & Regionarios, qui citra ordinem in appellatorio obſervandum acta prioris judicii revideant, approbent, confirment; vel, ſi non omnia legitime fuiſſe facta conſtiterit, non ipſi ſententiam ferant, ſed procurent, ut cauſa in ſynodo majori diſcutiatur, examinetur, & decidatur. Aſſerunt 3tio, Inſiſtendum eſſe potius Decreto Concilii Nicæni, quod cauſas majores ſine conceſſione ulterioris appellationis decidi voluit in ſynodis provincialibus, quam canoni Concilii Sardicenſis, quod non tantum non fuit generale, ſed nec ſtatim, nec ubique in Eccleſia Occidentali receptum. Aſſerunt 4to, equidem provocationes & conſultationes ad Sedem Romanam in cauſis tam fidei, quam diſciplinæ eccleſiaſticæ ſemper fuiſſe in uſu; at non appellationes in cauſis judicialibus a Synodis particularibus ad Pontifices tanquam Judices ſuperiores: quum id contrarium fuerit canoni Concilii Nicæni, & diſciplinæ univerſalis ferme Eccleſiæ. At quis non videat toto cœlo differre jus appellandi a jure ſimplici conſultandi, provocandi, vel etiam retractandi? Verum de his alibi fuſius diximus, quæ hic quaſi incidenter, obiter, & perfunctorie animadvertere voluimus, ne quis ſibi falſas ideas de Syſtemate Gallicano faciat, aut ſe ad ſiniſtras opiniones induci patiatur. Vid. deſuper Petrus de Marca, Elias Du-Pin, Joannes Launoius, Natalis Alexander, quorum ultimus tamen Pontifici jus appellandi tanquam jus jam ante Concilium Sardicenſe ipſi proprium, & in hoc noviter ſtabilitum vindicat. Hisce unum addere liceat, quod, etſi jus appellandi ad Pontificem juris eſſe divini concedamus, nihilominus tamen hoc jus reſtrictionem patiatur: ſecus & Patres Africanos appellationibus transmarinis ſeſe vehementiſſime opponentes, & ipſos Germanos noſtros ſua gravamina contra avocationes, & frequentes appellationes ad Pontificem factas tam in Conciliis Eccleſiæ, quam in Comitiis Imperii deponentes, & ipſum Concil. Trident. quod appellationibus pontificiis arctiores poſuit limites, erroris accuſare debemus.

Diſtinguunt inter jus appellandi & retractandi.

Jus appellandi ad Pontificem etſi divinitus conceſſum patitur reſtrictionem.

§. X.

Quo jure uſæ fuerint Eccleſiæ Galliæ & Germaniæ?

Si quis jam ex nobis quærat, quo igitur jure uſæ ſint Eccleſiæ Galliæ, & Germaniæ? in promptu eſt reſponſio: nempe regebantur canonibus Concilii Nicæni, & Sardicenſis; item canonibus ſuarum Synodorum, conſuetudinibus, & obſervantiis. Num Codex Eccle-

ſiæ

Digitized by Google

ſiæ univerſalis circa an. 385. incerto authore editus, poſtea a Concil. Chalcedonenſi approbatus, & variis canonibus auctus, & tempore Leonis I. ab Eccleſia Latina receptus etiam in Germania & Gallia vim juris eccleſiaſtici obtinuerit, non adeo liquet.

§. XI.

Nexus inter ſtatum Eccleſiaſticum & Politicum, Imperatores & Pontifices ac Epiſcopos demonſtratur.

Duobus hisce ſæculis arctiſſimum fuiſſe nexum inter Statum Eccleſiaſticum, & Politicum, Imperatores & Pontifices, ac Epiſcopos nemo negaverit: Et quid mirum? cuinam enim alteri Religio Catholica ſuum florem, Eccleſia ſua debet incrementa, niſi Conſtantino M. illiusque Succeſſoribus? Indigebat tunc maxime Eccleſia ope & auxilio Imperatorum, ut illorum authoritate contra Ethnicos, Gentiles, Judæos, & hæreticos magno numero, & ingenti vi Eccleſiam invadentes ſuſtentaretur, facile collapſura, niſi Imperatores ſuppetias tuliſſent. Quare Eccleſiæ utendum erat prudenti œconomia, & Imperatoribus jura quædam ſpecialia indulgenda: ut quid ergo mirum, quod Imperatores tunc temporis ferme in omnibus negotiis eccleſiaſticis majoribus ſummam quodammodo poteſtatem exercuerint, Concilia Generalia convocaverint, iisdem cum aliquali ſaltem præſidentia interfuerint (e), Judices delegatos in cauſis eccleſiaſticis conſtituerint (f), tot leges ad ſtatum eccleſtaſticum pertinentes condiderint (g)? etſi enim hæc jura eſſe propria Pontificum & Epiſcoporum nemo negaverit, attamen Eccleſia œconomiæ cauſa diſpenſare potuit, ut ab Imperatoribus exercerentur. Perluſtremus hiſtorias hæreticorum, Schismaticorum, & variarum controverſiarum in Eccleſia ingenti animorum contentione agitatarum, & comperiemus, quod ferme in omnibus hiſce intervenerit authoritas Imperatorum, & in coercenda hæreticorum audacia, ac compeſcenda ſchiſmaticorum pertinacia aliquo modo eminuerit, & velut ultimam manum appoſuerit (h). Ad Galliam & Germaniam tranſitum faciamus. Quis Maternum Colonienſem, Marinum Arelatenſem, Rheticium Auguſtodunenſem Judices delegatos conſtituit in cauſa Donatiſtarum? quis concilium in hac ipſa cauſa Arelatenſe indixit, niſi Conſtantinus M.? an non in controverſia inter Epiſcopum Arelatenſem, & Viennenſem agitata

Eccleſia Imperatoribus jura quædam ſpecialia indulſit.

Imperatores ea diverſimode exercuerunt.

(e) Nempe connivente æconomiæ cauſa Eccleſia.

(f) e. g. in cauſa Donatiſtarum, de qua ſupra.

(g) Vid. Codex Theodoſ. & Juſtinianæus.

(h) Erant nempe Imperatores Advocati Eccleſiarum, & executores canonum.

Digitized by Google

gitata Imperatorum interceſſit authoritas? & quis alius decretum Leonis I., quo Hilarium Arelatenſem deturbavit e ſuo primatu, confirmavit, niſi Valentinianus Imperator? cujus conſtitutio legitur inter Novellas Theodoſianas Tit. 24. (i) Ad Imperatorem Conſtantem Euſebiani miſerunt ſuam formulam fidei, ut illam Epiſcopis Galliarum exhiberet. Neque dubitare licet, quod ut plurimum in conſtituendis Epiſcopis, celebrandis Synodis, aliiſque negotiis eccleſiaſticis expediendis junctis viribus egerint Imperatores, Metropolitæ, & Epiſcopi (k).

CAPUT III.

DE

Statu Eccleſiarum Germanicarum ab origine Monarchiæ Francicæ usque ad Imperatores Germaniæ.

§. I. *Status Eccleſiarum Germanicarum in genere ſub utraque ſtirpe Merovingica, & Carolingica.* II. *Incrementa Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ per Germaniam ex converſione Germanorum,* III. *ex Epiſcopatibus noviter erectis.* IV. *De illuſtrioribus Epiſcopatibus.* V. *Incrementa ex inſtituto Monaſtico.* VI. *Ex erectione ſcholarum.* VII. *Ex vita communi Clericorum.* VIII. *De Statu Hierarchico inter Epiſcopos.* IX. *De electione, confirmatione, & inveſtitura Epiſcoporum remiſſive.* X. *De nexu inter Pontificem, & Epiſcopos Galliæ & Germaniæ.* XI. *De Pallio, & juramento Epiſcoporum.* XII. *De Synodis Galliæ & Germaniæ.* XIII. *De Comitiis.* XIV. *De nexu inter ſtatum Eccleſiaſticum & Politicum.*

§. I.

Hiſtoria a tempore ſtirpis Merovingicæ usque ad Imperatores Germanos eſt valde celebris & notabilis.

Quum nulla hactenus fuerit ſæculorum ſeries, in qua Eccleſia & Religio Catholica tot experta fuit viciſſitudines, atque hæc ipſa, de qua inpræſentiarum agere conſtituimus, facile quisque divi-

(i) Hæc Novella odioſa eſt Gallis: quia Imperator in ea expreſſe aſſerit, in cauſis majoribus judicium Pontificis eſſe requirendum.

(k) De Imperatore id ſemper accipiendum eſt cum grano ſalis conformiter principiis Catholicis communibus.

Digitized by Google

divinaverit, cur illuſtrandis rebus eccleſiaſticis Germaniæ a tempore ſtirpis Merovingicæ ad Imperatores usque Germanos ſingularem periodum deſtinare placuerit: hæc enim illa ætas, in qua per Germaniam & Galliam refloruere omnia, Religio, Eccleſia, Imperium. Hæc illa ætas, qua plerique Germaniæ Epiſcopatus erecti, innumera Monaſteria fundata, populi Germanici fere omnes, quorum vel ſola nomina recenſere nimis longum accideret, lumen veræ fidei aſpexerunt. Hæc illa ætas, ad quam appellant Catholici non minus, quam Acatholici; illi quidem, utpote quibus non poteſt non eſſe nota pietas, religio, & liberalitas illa Imperantium illius ævi: quum enim nihil magis cordi illis foret, quam bonum religionis, & incrementum Eccleſiæ, nihil profecto antiquius habuere Imperatores & Reges Francici, quam ut cultum divinum promoverent, Eccleſiam quam ampliſſime dilatarent, atque diſciplinam Eccleſiæ puram, ſanctam, & ſimplicem aut conſervarent, aut reformarent. Quem in finem erexerunt Epiſcopatus, fundarunt Monaſteria, celebrarunt Synodos, Eccleſiis quam ampliſſima privilegia, immunitates, & proædrias conceſſerunt; Iſti vero, id eſt Acatholici, qui, quando legunt, quod eo ævo Imperantibus ab Eccleſia amplior quædam jurisdictio prudentis œconomiæ cauſa fuerit permiſſa, ita, ut convocaverint Concilia, electionibus Epiſcoporum interfuerint, hos quodammodo confirmaverint, & inveſtierint, in ſuis comitiis quamplurimas ordinationes eccleſiaſticas fecerint, inde argumentum deducere ſolent ad hodiernum ſtatum Eccleſiæ & Imperii, atque in Imperantes omnem poteſtatem & jus in ſacra cum appendice omnium jurium epiſcopalium transferre non dubitant. Dum autem hiſtoriam Monarchiæ Francicæ luſtrare conſtituimus, nolumus nos immiſcere variis controverſiis hiſtoricis, atque illi præprimis, a quo nempe ducendum ſit exordium Monarchiæ Francicæ. Alii quippe volunt, Clodovæum, qui anno 481. ſalutatus eſt Francorum Rex, non ſolum fuiſſe primum Regem Chriſtianum, ſed etiam in Francorum Regum ſerie primum eſſe reponendum, adeoque primum auſpicem Monarchiæ Francicæ. Alii econtra ante Clodovæum alios quatuor in Francorum ſerie conſtituunt, videlicet Pharamundum, Clodionem, Merovæum, & Childericum. Quoniam vero hi quatuor Reges in Francia Cis-rhenana ſeu Gallia regnaſſe non leguntur; ſed tantum veteris Franciæ, ſeu Trans-rhenanæ regno potiti ſunt, ſatius ducunt plerique Scriptores auſpicia Monarchiæ Francicæ a Clodovæo ducere. Id etiam animadvertendum eſſe duximus, tres eſſe ſtirpes Regum Francicorum, nempe Merovin-

Ad hanc ætatem appellant Catholici & Acatholici.

Acatholici ab hac ætate ad noſtram male argumentantur.

Exordium Monarchiæ Francicæ eſt incertum.

Tres ſunt ſtirpes Regum Francicorum.

Digitized by Google

rovingicam, ad quam pertinent non modo Reges illi, qui incipiendo a Clodovæo uſque ad Childericum III., in quo prima ſtirps deſiit, ſceptra regni Francici tenuerunt, ſed etiam anteriores quatuor antea nominati, quos in veteri Francia ſceptro fuiſſe potitos diximus. Secunda ſtirps ſuam ducit originem a Pipino, nomen tamen eidem dedit Carolus M., quippe a quo cæteri Reges Francici appellati ſunt Carolingici. Hæc ſtirps deſiit in Ludovico hujus nominis V., Lotharii filio, qui obiit an. 987. Tertia ſtirps ſuum ortum habet ab Hugone Capeto, qui anno prædicto ad capeſſenda ſceptra Francica evocatus fuit, & ab hoc hodierni Reges Galliarum ſuum trahunt ſanguinem, & Capetiani appellantur. Id unice dolemus, quod ratio inſtituti noſtri non permittat ſuſius in res hiſtoricas, easque nobiliſſimas excurrere; cœterum vero anguſtiſſimis temporum limitibus ita ſimus circumſcripti, ut ne quidem materias ſcopo noſtro proximiores ea, qua par eſt, diligentia diſcutere ſit conceſſum.

§. II.

Omnis ferme Germania olim ſuperſtitionum tenebris conſepulta.

Emenſuri incrementa Religionis & Eccleſiæ Catholicæ a converſione Germanorum auſpicium eſſe ducendum exiſtimavimus. Omnem ferme Germaniam denſiſſimis conſepultam fuiſſe ſuperſtitionum tenebris, nemo ignorat, cujus populi per omnes Europæ plagas effuſi nihil niſi arma noverant. Inde Gothi, Wandalique, Rugi, Heruli, atque Turcelingi, nec non aliæ etiam feroces gentes prodierunt, *tantum a cæterarum gentium more, ac natura*, uti loquitur Mabillonius (1), *diſſentientes, ut, quæ cæteræ pro religionibus ſuis, iſtæ contra omnium religiones bella ſuſciperent.* Iſtius gentis converſio tentata non ſemel, ſed innata indigenarum feritate ſemper fuit impedita ad Sæc. usque VIII., ſi forte Rheni accolas excipiamus, & Bajoarios, quos ſub principatu Theoderici Clodovæi Magni filii Chriſtianæ religioni acceſſiſſe legimus. Itaque duas periodos ſtatuamus, unam a Clodovæo usque ad Carolum M; alteram a tempore Caroli M. usque ad extinctionem ſtirpis Carolingicæ, & quænam gentes hisce temporibus Eccleſiæ catholicæ acceſſerint, videamus.

Prima periodus a Clodovæo usque ad Carolum M.

Converſiones Germanorum Sæculo V. & VI.

Incipiamus a Sæc. V., ad cujus finem Burgundos Chriſtianæ fidei nomen dediſſe referunt, licet cæteroquin Arianiſmo fuerint infecti. Maxime vero memorandi veniunt Franci, qui ſub Rege Clodovæo noviter converſo & ipſi converſi fuere. Sæc. VI. jam plures con-

(1) Præfat. 1. in Sæc. 3. Benedict. §. 2.

Digitized by Google

converſiones Germanorum ſeſe offerunt: eo enim ævo in Germaniam veniſſe legimus Viros apoſtolicos Gallum & Columbanum, quorum opera magna pars Suevorum & Bojoariorum fidem catholicam fuit amplexata: quin ulterius refert Spanhemius (m), quod eo ævo Reges Ariani Suevorum, Burgundionum, Viſigothorum, & Wandalorum ad fidem orthodoxam acceſſerint.

Adhuc lætiora ſunt auſpicia Sæc. VII., quo tempore in Germaniam venit magnus ille Germaniæ, & Bojoariorum præcipue Apoſtolus, & primus Epiſcopus Juvavienſis S. Rupertus, cui primam fidei lucem debent Bojoaricæ, aliæque finitimæ gentes. Hoc ipſo tempore, & ſæculo exeunte in Germaniam venit Willibrordus primus Archi-Epiſcopus Ultrajectinus, cui converſiones Friſiorum, & Batavorum, & Anglo-Saxonum debentur. Sed nec prætereundæ ſunt converſiones Germanicæ per Columbanum, & Kilianum, eorumque ſocios factæ, quas tamen melius ad ſequens Sæculum reſervamus. *Item Sæc. VII.*

Sæc. VIII. Religio catholica mira, eaque immenſa accepit incrementa. Converſionem itaque in Germania labente hoc Sæculo aggreſſus fuit Sanctus Kilianus Franciæ Orientalis ob id vocatus Apoſtolus. Dein Egbertus Presbyter & Monachus Anglus, nutu tamen divino in proprium ſolum ab Oceano rejectus. Miſſi ſunt ab eo, qui negotii periculum facerent, Suidbertus & ipſe Monachus Anglicanus cum ſociis 12., quorum opera Bonutuarii ad fidem adducti. Ante omnes commemorandus venit Bonifacius cum ſuis, qui Thuringiam, Haſſiam, Buchoniam, Sueviam, aliaſque provincias legibus Chriſti imbuit, vere Germaniæ Apoſtolus nuncupatus: neque enim alius quis in id opus plus laboris impendit, nemo unus plus gloriæ inde retulit. His annumerandi ſunt Bonifacii Adjutores, & diſcipuli Lullus, Burchardus, Willibaldus, Wunebaldus Epiſcopi, Wigbertus Abbas cum ſociis, fœminæ etiam ſanctæ & piæ Thecla, Lioba, Walburgis &c. quid dicam de Sanctis Anſchario, Remberto, aliiſque ſeptentrionalium populorum prædicatoribus? quid de Virgilio Carinthiæ Epiſcopo, & innumeris aliis? quid de ipſo Carolo M. cujus opera potiſſimum & auxilio tot populi armis ab ipſo ſubacti religionem catholicam receperunt? Atque hæc velut in compendio dicta ſufficiant de converſione Germanorum (n). *Sæc. VIII. Apoſtoli Germaniæ recenſentur.*

§. III.

(m) Hiſt. Chriſt. Sæc. VI. n. 2.

(n) Vid. Mabillonius loc. cit.

Digitized by Google

§. III.

Quampluri-mi Epiſcopa-tus in Germania funda-ti recenſen-tur usque ad Sæc. IX.

Si quæ fuere Eccleſiæ tempora, quibus illa ex inſtitutione Epiſcopatuum immenſa accepit incrementa, ea certe fuere tempora Merovingica & Carolina. Circumſpiciamus oculis noſtris univerſam Germaniam ſecundum omnes quatuor mundi plagas, & in ea quamplurimos, innumeros & tot Epiſcopatus, ut nullum ferme ſit regnum, in quo aut plures ſunt Epiſcopi, aut major Epiſcoporum dignitas, jurisdictio, eminentia (id quod ſine invidia aliorum dixero) & hos ferme omnes Sæcul. VI. VII. VIII. & IX. aut eſſe fundatos, aut dotatos, atque ſingularibus jurium, privilegiorumque ampliſſimorum ornamentis condecoratos fuiſſe comperiemus.

Age, Epiſcopatus illos ſimpliciter recenſeamus absque eo, quod illorum hiſtorias noſtra qualicunque opera illuſtremus, utpote quibus rerum circumſtantiæ, & temporum anguſtiæ id non permittunt. Præprimis vero præterire non poſſumus quosdam epiſcopatus jam ſæculis præteritis erectos, quorum hic memoriam facere oportet, & ſunt potiſſimum ſequentes: Tridentinus, ubi jam ad an. Chr. 45. quemdam Epiſcopum nomine Jovinum ſediſſe exiſtimant; Epiſcopatus *Sabinianus*, cujus primus Epiſcopus fuit S. Caſſianus circa an. 350. Hartwigus tamen Epiſcopus circa annum 1038. ſedem epiſcopalem Brixium tranſtulit; Wormatienſis, ubi jam an. 347. Epiſcopus quidam nomine Victor ſederat, quem Concilio Sardicenſi interfuiſſe diximus. Idem dicendum de Epiſcopatu Spirenſi, Argentinenſi, Metenſi: nam & horum Epiſcopos inter PP. Concilii Sardicenſis ſediſſe aſſeruimus. Hisce addunt Scriptores Epiſcopatum Auguſtanum, cujus initia etſi communius ad ſæc. II. & III. referre ſoleant, attamen vera illius incunabula a S. Zoſimo circa an. 590. ad clavum ſedente eſſe deducenda exiſtimant. Ratisbonenſis, ubi S. Severinus an. 470. primus fuit ordinatus Epiſcopus. Seriem tamen horum Epiſcoporum deducunt communiter Scriptores a Garibaldo A. 740.

Jam ad ſæcula, quorum hiſtoriam hic illuſtrandam ſuſcepimus, veniamus. Itaque ſæc. VI. ſequentes Epiſcopatus in Germania erectos legimus, nempe Conſtantinum, ubi primus Epiſcopus circa an. 570. fuit S. Maximus; *Juvavienſem* ſeu Salisburgenſem, quem erexit S. Rupertus circa an. 582. & poſtea Leo III. in Archiepiſcopatum circa an. 798. evexit. Primus Archiepiſcopus fuit Arno. Quoniam vero de Eccleſia Salisburgenſi, illiusque prærogativis inſignibus prorſus, & talibus, quibus nulla alia in orbe Catholico eminet Eccleſia, alibi

Digitized by Google

alibi ex profeſſo agere conſtituimus, plura de ea hic agere nolumus; Paſſavienſem, quem an. 598. ex ruinis Eccleſiæ Laureacenſis conſurrexiſſe multi autumant. Tenuere illius Epiſcopi dignitatem Archiepiſcopalem, ſeque Archiepiſcopos Laureacenſes nominarunt, atque hunc titulum ſibi a Pontificibus confirmari procurarunt, attamen illum ex poſt depoſuerunt: id quod ſæc. X. a Chriſtiano Epiſcopo Paſſavienſi factum eſſe aſſerunt (o). Sæc. VII. Eccleſiam Ultrajectenſem erectam legimus, quorſum Sergius Papa circa finem illius Sæculi ad fidem Friſonibus prædicandam miſit Vuillibrordum, Virum inſignem prorſus, qui annorum 50. ſpatio novam hanc eccleſiam ſevit, rigavit, & excoluit. Huic addamus Epiſcopatum Spirenſem, qui, licet jam antiquitus fuerit erectus, ſuam tamen formam integram, ac perfectam debet Dagoberto Regi Franciæ, qui eidem ſuum Capellanum Athanaſ. dedit Epiſcopum.

Progrediamur ad Sæc. VIII. & IX. Atque hæc ſunt duo illa Sæcula fæcundiſſima, quæ tot progerminarunt Epiſcopatus, quot cætera ferme omnia in Germania non produxerunt. Primus nobis occurrit Epiſcopatus Friſingenſis, quem an. 724. fundavit Grimoaldus Dux Bavariæ, & primus Epiſcopus rexit S. Corbinianus ad prædicandum Evangelium a Gregorio II. in Germaniam miſſus. Sequitur Epiſcopatus *Euſtadianus*, ad quem ordinandum S. Bonifacius an. 745. miſit S. Wilibaldum, eumque primum ordinavit Epiſcopum. Subſequitur Epiſcopatus Herbipolenſis, vulgo Würceburgenſis, cui S. Bonifacius an. 751. præfecit S. Burchardum. Venit Epiſcopatus Osnabruggenſis. Atque hic eſt omnium primus, quem Carolus M. an. 772. vel, ut aliis placet, an. 776. fundavit, cujus primus Epiſcopus erat Withq natione Friſo. Idem Carolus M. an. 780. una cum Witekindo fundavit Epiſcopatum Mindenſem, eique Epiſcopum præfecit Herimbertum. Eundem CarolumM. velut primum Fundatorem reveretur Epiſcopatus Werdenſis an. 786. erectus, cui tanquam primus Epiſcopus præfuit Suidbertus jure merito Apoſtolis Germaniæ annumerandus. Haud ſecus Eccleſia Bremenſis ex ordinatione Caroli M. in Epiſcopatum fuit evecta, ac primum Epiſcopum accepit S. Willehadum an. 788. Similiter Eccleſia Paderbornenſis a Carolo an. 795. fuit ab Epiſcopatu Wirzeburgenſi ſeparata, & effecta Cathedralis, habuitque primum Epiſcopum Hathumarum Saxonem. Atque hi ſunt Epiſcopatus, quos religio & pietas Regum, & Ducum, & præcipue Caroli M. fundavit, erexit, & bonis ampliſſimis quam liberaliſſime dotavit.

L 2 Haud

(o) Hund. Metrop. Saliſb. Tom. I. pag. 302.

Digitized by Google

Epiſcopatus Sæc. IX. erecti.

Haud ſecus fœcundum erat Sæculum IX. quo labente ſequentes erecti ſunt Epiſcopatus, quos inter primum locum occupat Epiſcopatus Monaſterienſis, qui ſuam debet fundationem Carolo M. & primum habuit Epiſcopum S. Ludgerum Friſonem an. 805. Eodem Sæculo Epiſcopatum Halberſtadienſem an. 814. fundavit Ludovicus pius, eique Epiſcopum dedit Hildegrinum Friſonem. Idem Ludovicus Eccleſiam Hildeſienſem jam antea a Carolo M. fundatam in Epiſcopatum extulit, quod idem dicendum de Epiſcopatu Hamburgenſi, ubi Ludovicus S. Anſgarium tanquam primum Epiſcopum ad Sedem Epiſcopalem an. 834. promovit. Atque hi ſunt Epiſcopatus Sæc. VIII. & IX. erecti, quorum origines ſimpliciter referre placuit. Equidem non ignoramus, quod non pauca a nobis de primis illorum incunabulis relata in dubium vocentur e. g. de Epiſcopatu Hildeſienſi, Hamburgenſi. Quoniam vero inſtituti noſtri non eſt agere Criticum, & aliunde a temporum limitibus coanguſtamur undique, his prætermiſſis de illuſtrioribus Epiſcopatibus aliqua dicere conſtituimus.

§. IV.

Eccleſiæ Arelatenſis, Viennenſis, Rhemenſis, & Lugdunenſis in Gallia Vicariatum Apoſtolicum obtinuerunt.

De Arelatenſi.

Inter Eccleſias horum temporum illuſtriores numeramus illas, quæ aut Vicariatu Sedis Apoſtolicæ, aut dignitate Primatiali, Metropolitica aut aliis ſingularibus prærogativis fuerunt inſignitæ. In Gallia quatuor reperimus Eccleſias, quibus honor Vicariatus apoſtolici obtigit, nempe Arelatenſem, Viennenſem, Rhemenſem, & Lugdunenſem. De controverſiis inter Epiſcopos Arelatenſem & Viennenſem tanta animorum contentione agitatis, de ipſa etiam ambitione Epiſcoporum Arelatenſium, maxime vero Cæſarii Arelatenſis in cap. præced. dictum ſuit. Itaque poſt multas altercationes tandem Cæſarius Arelatenſis a Symmacho Papa jam in Sæc. V. pallium, ac tandem Sæc. VI. a Vigilio vicariatum obtinuit (p). Hic Vicariatus ab initio erat temporarius perſonæ potius, quam ſedi affixus; ſed poſtmodum poſt iteratas a Sede apoſtolica obtentas confirmationes evaſit perpetuus. Attamen tempore Gregorii VII. & Nicolai I. hunc Vicariatum jam jam fuiſſe extinctum, obliteratumque, ex epiſtolis horum Pontificum luculentiſſime commonſtratur. Simillimum veri eſt, quod cadente ſtirpe Merovingica ex incuria Majorum domus

(p) Cum hoc ævo pallium non niſi Vicariis Sedis apoſtolicæ fuerit collatum, haud pauci exiſtimant, quod Cæſarius una cum pallio Vicariatum Sedis apoſtolicæ receperit, quorum ſententiæ non refragamur.

domus tunc temporis primas tenentium factum fuerit, ut hæc dignitas in Bonifacium Moguntinum Sedis apoſtolicæ per Germaniam Legatum transfunderetur. *De Rhemenſi.* Honor Vicariatus obtigit per aliquas provincias Epiſcopo Rhemenſi, eumque S. Remigio contulit Hormisda Papa in totum Clodovæi regnum. Utrum Vicariatus iſte fuerit temporarius, vel perpetuus, ut etiam ad ſucceſſores Remigii dimanaverit, non convenit inter Scriptores Galliæ (q). Quidquid tamen de hoc ſit, id certum eſt, quod cum ſtirpe Clodovæi hic Vicariatus ferme una cum Eccleſia interierit. *De Viennenſi.* De Viennenſi non eſt, quod dicamus, & jure merito dubitari poteſt, num durante illa lite inter ipſum & Epiſcopum Arelatenſem dignitatem Vicariatus obtinuerit, etſi aliquoties ſententiam contra Arelatenſem, ſpeciatim a Leone I. ſibi faventem obtinuerit. *De Lugdunenſi.* Similiter de Vicariatu Lugdunenſi aliqua dicere huc non pertinet: quum illius primatus ad poſteriora Sæcula X. & XI. referri debeat (r). De Primatibus Galliarum hic quædam ſingularia veniunt animadvertenda. Iidem, qui fuere Primates in Gallia, fuere etiam Vicarii Sedis Apoſtolicæ. Horum dignitas & Primatia una cum ſtirpe Clodovæi occidit. Verum ubi Bonifacius venit in Galliam & Germaniam, ut res collapſas reſtauraret, emendaretque, ipſe eccleſiis reſtituit, deditque novos Archi-epiſcopos, & a Sede apoſtolica obtinuit, ut uſum pallii acciperent: quo factum eſt, ut ſimul fierent Primates eatenus ſaltem, quatenus nulli amplius Primati forent ſubjecti (s). *Duo alii Vicarii apoſtolici per Galliam Metenſis & Senonenſis.* Duos adhuc reperimus Epiſcopos Galliæ celebriores, qui honore Vicariatus apoſtolici fuerunt exornati, nempe Metenſem, & Senonenſem. Prior poſt obitum Bonifacii Moguntini, eo quod eſſet Patruus Imperatoris Lotharii, vicariatum obtinuit a Sergio Papa; poſterior a Joanne VIII. Quoniam vero Epiſcopi Galliæ rei novitati multum reſtiterunt, uterque hoc honore ſeſe abdicavit.

Ad Germaniam noſtram revertamur, & ante omnia iterum ob-

 tutum

(q) Thomaſſin part. 1. lib. 1. cap. 30. Num. 10. ubi utriusque ſententiæ fundamenta refert.

(r) Nam, ut ait. cit. Thomaſ. loc. cit cap. 33. N. 7. haud ſcio, an Lugdunenſis etiam Archi-Epiſcopus præſumeret, affectaretque Primatis nomen, antequam illum Gregorius VII. hac poteſtate vere indueret.

(s) Nam duplicis generis ſunt Primates: quidam ſub ſe habent alios Metropolitas; quidam ſaltem in eo ſenſu ſunt Primates, quod nulli Primati pareant. Et tales fuere hi Primates Galliarum.

tutum noſtrum in nobiliſſimas ſedes Moguntinam, Trevirenſem, & Colonienſem figamus. Quantas Eccleſiæ iſtæ præcedentibus ſæculis paſſæ fuerint calamitates, ita ut Treviris non modo omni dignitate exuta, verum etiam excifa fuerit, in ſuperioribus abunde dictum fuerat. Sed jam omnes Eccleſiæ, & inter has Moguntina præcipue ferme ad ſupremum dignitatis eccleſiaſticæ, imo etiam quodammodo politicæ ſunt ſublimatæ.

Eccleſia Moguntina antea exciſa ad ſupremam dignitatem aſcendit.

Incipiamus a Moguntia. Fuit profecto Moguntia olim Urbs Metropolis primæ Germaniæ, quo tempore procul dubio ex regula Synodi Nicænæ etiam eminuit poteſtate metropolitica. Tametſi vero ex Scriptoribus eccleſiaſticis id convincenter probari non poſſe omnes aſſerant: attamen tam facile præſumi nequit, quod in his provinciis a canonibus Synodi Nicænæ per Galliam & Germaniam receptis fuerit receſſum (t). Capta dein a Vandalis fuit Moguntia, & labentibus Imperii rebus aliquoties adeo afflicta, ut vix nomen urbis remaneret. Sed Theoberti Francorum Regis auſpiciis annitente Sidonio ejus Epiſcopo reſtitui cœpit, ita ut quidam exiſtiment ipſam etiam dignitatem fuiſſe reſtitutam. Cæterum poſt mortem Childerici regnantibus Majoribus domus res tam eccleſiaſticæ, quam politicæ per bella civilia ita fuerunt turbatæ, ut ad annum usque 743. Gallia Archi-Epiſcopis caruerit, donec opera Bonifacii cum Pipino & Carolomano de reſtaurandis per provincias dignitatibus archi-epiſcopalibus agentis in Concilio Sueſſionenſi tres fuerint Archi-Epiſcopi conſtituti, nempe Rothomagenſis, Rhemenſis, & Senonenſis, & hi a Pontifice pallio ornati. Tempore hoc intermedio nihil occurrit; quod in laudem Sedis Moguntinæ vergeret. At vero rebus per Bonifacium ſic conſtitutis tandem Zacharias Pontifex Bonifacium ob res adeo præclare geſtas Epiſcopum Moguntinum conſtituit, eique dignitatem Metropoliticam una cum Vicariatu Sedis Apoſtolicæ contulit, ac præter Germaniæ gentes, quas Bonifacius ad fidem erudierat, quinque Civitates Galliæ eidem ſubjecit (u). Epiſtolam Zachariæ ad Bonifacium ſcriptam paſſim exhibent Scriptores. Equidem Zacharias ſolummodo mentionem dignitatis Metropoliticæ facit, nihilominus

Zacharias Pontifex Epiſcopum Moguntinum fecit Metropolitam & Vicarium apoſtolicum, & quinque Civitates Galliæ eidem ſubjecit.

(t) Nam. ex Can. 6. tunc temporis deſumebant regulam, vi cujus dignitas Metropolitica deberet eſſe affixa urbi Metropoli.

(u) Sunt autem illæ 5. Civitates Tungris, Colonia, Wormatica, Spiracia, & Trectis. Pro Colonia tamen reſcriptum effectu caruit, uti teſtatur Petrus de Marca differt. de Primat. §. 77.

Digitized by Google

nus tamen Bonifacium vices Legati Pontificii, Vicarii apoſtolici, ac Primatis per Galliam ſubiiſſe teſtantur Scriptores, nominatim Hincmarus, & ipſe rerum demonſtrat eventus, eoquod Bonifacius jura & Primatus & Vicariatus apoſtolici per Galliam & Germaniam exercuerit. Animadvertunt tamen Scriptores Gallici, quod privilegium illud honoris ac poteſtatis, quo Pontificis nomine fungi juſſus erat Bonifacius, quoad Gallias unice perſonæ illius; quoad Germaniam vero Sedi Moguntinæ fuerit affixum: ſed neque quoad Germaniam fuiſſe perpetuum Vicariatum & Primatum Sedis Moguntinæ, etſi illum Zacharias omnino voluerit eſſe ſtabilem, fixum, & permanentem, rei eventus docuit, de quo vid. Thomaſ. (x). Itaque Moguntina fuit Sedes prima per Galliam & primam Germaniam. De aliis prærogativis, quæ eidem in ſtatu tam Eccleſiaſtico quam Politico acceſſerunt, infra recurret mentio.

S. Bonifacius vices Legati, & Vicarii apoſtolici per Galliam ſubiit.

Fuit hoc privilegium perſonale perſonæ Bonifacii affixum.

Utrum fuerit reale quoad Germaniam dubitatur.

De Colonia Agrippina videamus, quam fuiſſe Metropolin Germaniæ ſecundæ ſupra probavimus. Etiam huic civitati dignitas Metropolitica in notitia Imperii aſſeritur, eamque jam in Sæc. IV. eidem inhæſiſſe ſat luculenter demonſtrat Petrus de Marca (y). Hanc Metropolin variis bellorum cladibus fuiſſe afflictam, & attritam, nemo facile dubitaverit. Converſis ad Clodovæi Regis exemplum ad Chriſti fidem Francis effloruit iterum Eccleſia Colonienſis. Jus Metropoliticum antea velut extinctum reſcripto Zachariæ iterum fuiſſe reſuſcitatum ſcribit Petrus de Marca, illudque ex epiſt. 8. Zachariæ Papæ ad Bonifacium data oſtendit, in qua legitur: *De civitate namque illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia juxta petitionem Francorum per noſtræ authoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tuæ ſanctitati direximus pro futuris temporibus ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem.* Verum effectu caruit hoc conſilium: ſiquidem, poſtquam Bonifacius Moguntiæ Sedem obtinuit, ille ipſe Zacharias huic Metropoli Tungros, & ipſam Coloniam ſubjecit, ut ſupra diximus. Verum etiam hoc reſcriptum ſuum effectum non obtinuit, & mox Colonienſi Eccleſiæ jus Metropoleos fuit reſtitutum (z). Varia ſub Carolingicis Imperatoribus Colonienſes Præſules obtinuiſſe honorum & dignitatum ornamenta infra dicemus.

Eccleſia Colonienſis efficitur Metropolitica.

Jam de Metropoli Treviri dicendum, quam per Diœceſin Galliarum juxta diviſionem Imperii a Conſtantino M. factam fuiſſe Metropolin

Item Trevirenſis.

(x) Part. 1. lib. 1. cap. 31. §. 5. (y) Diſſert. de Primat. §. 75.

(z) Maſcovius in Diſſert. de Metrop. §. 33.

Digitized by Google

polin primam, & Sedem Præfecti Prætorii ſupra aſſeruimus. Quam ſiniſtra fata Treviris fuerit experta, quomodo attrita, & conquaſſata, alibi dictum fuit. Quanquam vero urbs Treviris in ſuo ſqualore & ruina jaceret, non tamen ipſa Eccleſia intercidit: nam legimus, quosdam illius Epiſcopos ſub primæ ſtirpis Regibus Synodis in Gallia celebratis interfuiſſe (a). Præterea demus, quod jus ſuum Metropoliticum per Gallias amiſerit: illud tamen intemeratum retinuit per Belgicam primam. Sed nec æquo animo tuliſſe Præſules Trevirenſes translationem Juris Metropolitici & Primatialis ad Eccleſiam Arelatenſem aliasque Galliæ Eccleſias, & Voluſianum Epiſcopum Trevirenſem apud Hilarium Pontificem confirmationem jurium Metropolitanicorum & Primatialium per Galliam ſollicitaſſe, teſtis eſt Broverus (b). Interim Trevirenſem Præſulem poſt illam rerum Imperii & Eccleſiæ per Galliam converſionem jus Primatiæ per utramque Belgicam obtinuiſſe, vix dubitari poteſt: & exinde colligitur, quod Nicolaus I. Teugualdum illius urbis Epiſcopum in ſententia contra illum, & Archi-Epiſcopum Colonienſem lata Belgicæ Provinciæ Primatem vocet. Circa Sæc. X. & ſæcula ſeq. Epiſcopos Trevirenſes Bullas pontificias obtinuiſſe, quibus jura Primatus illorum confirmabantur, res aliunde eſt notiſſima (c).

Eccleſia Laureacenſis in Norico olim Metropolitica.

Ad Noricum Germaniæ revertamur, & quænam hoc ævo Eccleſiæ ſingularibus prærogativis præcipue dignitatis Metropoliticæ fuerint exornatæ, videamus. Atque hic primo ſe offert Eccleſia Laureacenſis, cujus Epiſcopos Metropolitica dignitate polluiſſe, indicio maxime ſunt literæ Symmachi Papæ an. 498. ad Theodorum Laureacenſem datæ, quibus ei uſum etiam Pallii conceſſit. Literæ hæ prægnantiſſimis verbis ſunt conceptæ, easque exhibet Hanſitius in Germania ſacra (d). Poſtquam vero Laureacum funditus fuit exciſum, dignitas Epiſcopalis & juxta aliquos etiam Archi-Epiſcopalis Patavium fuit translata. Sæc. demum IX. Arno Epiſcopus Salisburgenſis a Leone III. ad inſtantiam Caroli M. & ipſius Bojoariæ Epiſcoporum dignitate & pallio Archi-Epiſcopali fuit ornatus an. 798. eique

Metropolitica fuit effecta Salisburgenſis ſub Leone III.

(a) Sic Nicætius ſubſcripſit Concilio Arvernenſi an. 535. celebrato; item Aurelianenſi V. & Arvernenſi. II. idem Maſcovius ibid.

(b) Vid. cit. Maſcovius §. 44.

(c) Apud eundem authorem legitur Bulla Pontificia a Joanne XIII. ad Theodoricum Trevirenſem data.

(d) De Epiſcopatu Laureacenſi.

Digitized by Google

que ſubjectæ Eccleſiæ Sabionenſis, nunc Brixienſis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Patavienſis, & Niwenburgenſis. Sed non æquo animo id tulerunt Epiſcopi Paſſavienſes, qui veteris Eccleſiæ Laureacenſis Metropoliticam dignitatem identidem reſtaurare conati ſunt: ab illo igitur tempore graviſſimæ agitatæ ſunt lites inter Epiſcopos Paſſavienſes, & Archi-Epiſcopos Salisburgenſes, de quibus agere nimis longum foret. Paſſavienſibus favebant Eugenius, & Leo VII. Agapetus & Laureacenſem, & Salisburgenſem vocavit Metropolitas. Benedictus VII. utriusque Metropoleos terminos definivit (e). Denique Eccleſia Salisburgenſis jus Metropoleos ſub Ottone III. evicit. Animo nobis conſtitutum erat etiam de Prærogativis Archi-Epiſcoporum Moguntini, Colonienſis, & Trevirenſis in ſtatu politico ipſis competentibus agere. Sed de his commodius cap. ſeq. agemus.

Deſuper obortæ lites inter Archi-Epiſcopos Salisburgenſes & Epiſcopos Patavienſes.

§. V.

Poſtquam incrementa Religionis Catholicæ, & ornamenta Eccleſiæ Germanicæ ex erectis Epiſcopatibus, & eorum prærogativis, juribus, privilegiis, ac præeminentiis emenſi ſumus, placuit aliqua addere de inſtitutis Monaſticis, ex quibus res Eccleſiaſticæ haud minora acceperunt incrementa, & ornamenta. Inſtitutum Monaſticum Sæc. IV. jam invaluiſſe, & ab eo tempore mirum in modum ferme in omnia regna fuiſſe diffuſum, alibi diximus (f). Quare his prætermiſſis ad inſtitutum Monaſtico-Benedictinum veniamus, cui præter Angliam, Hiſpaniam & Italiam Gallia præcipue & Germania non modo religionem Catholicam, verum etiam alia incrementa & ornamenta in acceptis referre debet. Vix regula Benedictina per Maurum & ſocios illius Galliis invecta fuerat, ea pervaſit omnes ferme Galliæ & Germaniæ provincias, cæteraſque regulas, quales erant Joan. Caſſiani, Honorati Arelatenſis, Martini, Columbani &c. ita abſorpſit, ut regula Benedictina ſola in Germania & Gallia dominaretur, ſola in conciliis fuerit approbata, ac quæſtionis fuerit, num præter Benedictinos alii dentur Monachi, cujus teſtem damus non modo domeſticum Mabillonium, ſed etiam extraneum eruditiſſimum Thomaſſinum. Ille (g) ſic habet: *Hæc ſola* (videlicet regula Benedictina) *a ſummis Pon-*

Incrementa rei eccleſiaſticæ in Germania ex inſtitutis Monaſticis.

Præſertim ex inſtituto Benedictino, quod ferme ſolum per Galliam & Germaniam dominabatur.

(e) Vid. cit. Maſcovius, & noſtra Diſſertatio de Statu Eccleſiæ cap. 3.
(f) Tom. II. Quæſt de hiſtoria Jur. Eccleſ.
(g) In Præfat. ad ſæc. Bened. II.

Digitized by Google

Pontificibus Gregorio M. & Bonifacio commendata, ac promulgata, hæc ſola in frequentibus Conciliis maxime Gallicanis celebrata, ac Monachis omnibus præſcripta, quod nulli alteri regulæ conceſſum legimus. Iſte vero ſequentia: *Dominabatur tunc ergo ſola Benedicti regula, ita ut memoria pene excidiſſent Columbani, Cæſarii, & Aureliani regulæ.* Et iterum: *Carolus M. cum plurimas quæſtiones alias Epiſcopis annotandas, hanc quoque propoſuit, an Monachi poſſint eſſe alterius, quam Benedicti regulæ* (h)? Jam paucis dicamus, quæ incrementa in rem eccleſiaſticam Germanicam ex converſione gentium ad fidem Catholicam Monachorum potiſſimum ſudoribus, & laboribus comparata, ex erectione & inſtitutione tot Eccleſiarum Epiſcopalium per Monachos Benedictinos erectarum & ordinatarum, ex fundatione tot illuſtriſſimorum Monaſteriorum, eorumque Epiſcopis & Abbatibus, ex literarum ſtudiis per Monachos in Germania inſtitutis redundaverint.

Provinciæ Germanicæ ferme omnes debent Religionem Catholicam Monachis Benedictinis, qui præcipuis Germaniæ Eccleſiis tanquam Epiſcopi præfuerunt.

Circumſpiciamus omnem noſtram Germaniam, & Germaniæ Provincias. Nonne hæ ferme omnes fidem Catholicam debent Monachis Kiliano & ſociis, Suidberto, Willibrordo, Vulframno, Bonifacio, Lullo, Burchardo, Willebaldo, Wunibaldo &c.? de quibus §. 2. diximus (i). Intueamur Eccleſias Cathedrales Germaniæ Ratisbonenſem, Friſingenſem, Euſtadianam, Wirtziburgenſem, Trajectenſem ad Rhenum, Bremenſem, an non his, & aliis pluribus aut primi præfuerunt, aut ſucceſſu temporis fuerunt præfecti Monachi, & in his loco Canonicorum primitus inſtituti? de innumeris per Germaniam fundatis illuſtrioribus Monaſteriis quid dicamus? quorum non niſi pauca, eaque illuſtriora recenſuiſſe ſufficiat. Hæc inter primas ferunt Monaſterium Fuldenſe an 744. a S. Bonifacio erectum; Campidunenſe, cujus primus Abbas fuerat Theodorus an. 750. Hirsfeldenſe, quod ſuam fundationem vel Pipino an. 737. vel S. Lullo Bonifacii in ſede Moguntina ſucceſſori debet; Corvejenſe ab Adelhardo Abbate an. 822. erectum; Elwangenſe quondam Abbatia Benedictina ab Erlopho, & Hariolpho Epiſcopis an. 764. fundatum; Werdenſe a S. Luidgero primo Monaſterienſi Epiſcopo inſtitutum; Abbatia S. Emmerami a Theodone Duce Bavariæ an. 697. fundata. Sed quis reliquorum omnium inibit numerum? De Scholis Monaſticis commodius §. ſeq. dicemus. Ne vero Cicero pro domo eſſe videa-

(h) Tom. 1. lib. 3. cap. 25. & ſeq.
(i) Vid. Mabillonius præf. 1. ad Sæc. Benedict. §. 1. 3. 4. & ſeq.

Digitized by Google

deamur, ad Annaliſtas & Scriptores impartiales, & Mabillonium noſtrum provocamus, & appellamus (k).

§. VI.

Scholæ publicæ a Carolo M. erectæ cum incremento rei eccleſiaſticæ.

Ad florem rei tam Eccleſiaſticæ, quam Politicæ plurimum facere literarum, bonarum artium, atque ſcientiarum ſtudia nemo erit adeo protervæ frontis, ut illud in dubium vocare audeat. Quare Carolus M. nihil antiquius habuit, quam ut Scholas públicas tam in ſedibus Epiſcopalibus, quam Abbatialibus erigeret, & reſtauraret. Alibi jam de hisce Scholis, & Palatinis præcipue egimus (l). De Scholis Monaſteriorum aliqua ſuperaddenda eſſe exiſtimavimus.

In ſcholis Monaſteriorum præcipue floruerunt ſtudia.

In his ergo præcipue literarum ſtudia fuiſſe erecta, viguiſſe, & floruiſſe, in comperto eſſe putamus, id quod paucis nobis erit demonſtrandum: inprimis de S. Bonifacio legimus, quod ipſe omnem ſuam curam & ſolicitudinem in id impenderit, ut literarum ſtudia excolerentur; ſed non alibi, niſi in Monaſteriis: quare ſcholas publicas erigi curavit in Fritislarienſi primum; & poſtea Fuldenſi Monaſterio. Atque, ne ſcholæ hæ corruerent eo mortuo, ſcripſit graviſſimam epiſtolam ad Fulradum magnæ authoritatis in regno Francorum Virum, quam in doctiſſimo Mabillonio (m) videre licet.

In his ſcholis filii etiam Regum erudiebantur.

Quanti nominis illæ Scholæ fuerint, inde colligere licet, quod Regum etiam filios in monaſteriis literarum ſtudiis fuiſſe imbutos legamus, nominatim Lotharium Caroli Calvi filium in Monaſterio S. Germani, Theodoricum III., Pippinum Caroli M. Parentem, aliosque. Et quot non Viri ad dignitates epiſcopales evocati ex his prodierunt ſcholis?

Induſtriæ Monachorum debentur ferme omnia antiqua documenta, & literarum ſtudia.

lubeat conſulere mox ante citatum Mabillonium. Dein conſtans hodiernorum Scriptorum, etiam Criticorum, eſt ſententia, quod ferme omnia antiqua documenta debeantur induſtriæ Monachorum, ita ut vel nihil, vel parum eorum, quæ in antiqua retro acta ætate facta fuerunt, haberemus, aut ſciremus, niſi ſudor, labor, & induſtria illorum ea nobis conſervaſſet.

Monachi perperam variorum defectuum & errorum accuſantur.

Hoc ſolum vitio vertunt Monachis, quod multa ex nimia credulitate ſcripſerint; haud pauca adulteraverint, & plura nobis ſuppoſuerint. Verum iſta probanda erunt, & tamdiu pro illorum fide ſtat præſumptio, usque dum evidentiſſimis argumentis ſua aſſerta probaverint. Interim neutiquam negamus hinc inde aliquam ſim-

(k) Vid. idem author. loc. cit.
(l) Diſſert. de Statu Eccleſiæ cap. 2.
(m) In præf. 1. ad Sæc. 3. §. 4.

Digitized by Google

ſimplicitatem, vel nimiam credulitatem irrepſiſſe, quam tamen neutiquam probant argumenta exceſſivæ Criticæ innixa, qualia ſunt, quæ Critici non pauci, neſcio qua invidiæ, vel odii paſſione agitati in inſtitutum Monaſticum, in publicum producere conſueverunt.

§. VII.

De inſtituto vitæ communis a Crodogango remiſſivè.

Non eſt, quod multum dicamus de vita communi Clericorum ſeu Canonicorum, quam Crodogangus Metenſis Epiſcopus inſtituit, & ex qua hodierna Capitula tam Cathedralia, quam Collegiata proximiorem ſuam ducunt originem (n). Approbavit hoc inſtitutum Carolus M., & per aliquot ſæcula perduravit, donec Canonici liberioris vitæ ſtudio agitati, vitamque communem perhorreſcentes ſe ſuaque bona, & jura a menſa Epiſcopi ſeparaverint. Plurimum ſane utilitatis in Eccleſias potiſſimum Gallicas & Germanicas ex hoc inſtituto redundaſſe, facile quisque ſibi perſuaſerit: Nam inde prodierunt tot Epiſcopi morum ſanctitate, & doctrina conſpicui, quorum vel nomina recenſere nimis longum foret. De hoc inſtituto videantur, quæ diximus in Differt. de ſtatu Eccleſiæ.

§. VIII.

Acatholici ſtatum Hierarchicum a Pontificibus inter Epiſcopos Germaniæ turbatum peſſime clamitant.

Jam ad id, cujus gratia ferme omnia, quæ hactenus dicta ſunt, diximus, veniamus, nempe ad Statum Hierarchicum inter ipſos Epiſcopos Germaniæ: hunc enim per ambitionem, arrogantiam, & dominatum Pontificum variis artibus, technis, dolis & fraudibus, maxime vero per Vicariatum Apoſtolicum, Pallium Archi-Epiſcopale Metropolitis obtruſum, & Juramentum Epiſcopis impoſitum potiſſimum opera S. Bonifacii, quem Pſeudo-Apoſtolum Germaniæ communi nomine appellare non erubeſcunt, paſſim clamitant, & vociferantur hodierni DD. Proteſtantici, ex quibus ſolum nominaſſe Boehmerum ſufficiat. Quare in id nobis erit incumbendum, ut hanc materiam caute, circumſpecte, ſincere, & fideliter explanemus.

Status Hierarchus inter Epiſcopos Germaniæ ſalvus & incolumis perſtitit.

In hoc §. unice dilucidabimus nexum Hierarchicum inter Epiſcopos, qua nempe ratione Epiſcopi illum conſervaverint, & conſervare ſtuderint. Cætera contra Pontificios auſus & attentata obmoveri ſolita infra diluemus, quando de Pallio, & nexu Hierarchico inter Pontificem, & Epiſcopos agemus. Profecto nexum Hierarchicum

(n) Vid. dicta in Differt. de Statu Eccleſ. & Hier. Eccleſ.

Digitized by Google

Argumentis, factis & exemplis id demonſtratur.

cum inter Epiſcopos, Metropolitas, & Primates fuiſſe ſummum, tot Synodi particulares per Galliam, & Germaniam celebratæ, ineluctabili ſunt argumento. Et nunquid ex omnibus horum temporum annalibus conſtat, quod neque in electionibus, & confirmationibus Epiſcoporum, neque in exercenda juriſdictione Epiſcoporum, & cauſis controverſis decidendis, neque in convocandis ſynodis ſeu præceſſerit, ſeu ſupervenerit authoritas Pontificum? Libera erat electio Epiſcoporum, & a plebe, Clero, & Epiſcopis, interveniente tamen ut plurimum authoritate Regum & Imperatorum peragebatur, ſicut videbimus: omnes cauſæ majores decidebantur in ſynodis particularibus: nullæ ad Pontificem fiebant appellationes in Gallia, aut ſi quæ fuerint factæ, aliam poteſtatem decidendi cauſas in Pontifice non agnoverunt, niſi jus *retractandi*, vi cujus Pontifex conformiter Concilio Sardicenſi debebat dare Judices delegatos, & quidem vicinos, qui ſi cauſam eſſe retractandam duxerint, ultimata deciſio non a Pontifice fieri poterat, ſed majori ſynodo erat ſubjicienda, ut illam ſententia finali decideret: & quidem in Sæc. V. Pontifices cauſas ad ſe devolutas remittebant ad ſynodos provinciarum, prout feciſſe legitur Bonifacius I. & Cœleſtinus I. (o). Leo I. eas ſubjiciebat judicibus delegatis, id quod fecere etiam illius ſucceſſores (p). Atque ut hanc diſciplinam, & nexum Hierarchicum inter ſe ipſos Epiſcopi Galliarum, quibus ſe illo ævo ut plurimum adjungebant Epiſcopi Germaniæ ſaltem minoris primæ & ſecundæ, ſalvum & intactum conſervarent, in id omnem curam & ſolicitudinem ſuam impendebant, ne quid ſynodo Nicænæ, antiquioribus canonibus, ſuæque diſciplinæ contrarium irreperet. Quid non fecerunt Metropolitæ Gallicani, dum Bonifacius an. 742. in ſynodo a ſe celebrata decrevit, ut poſthac omnes viverent in unitate, & ſubjectione Eccleſiæ Romanæ, & Vicarii B. Petri; Metropolitæ vero a ſede Romana Pallium quærerent, & per omnia canonice obſequerentur præceptis S. Petri? Num huic conſilio & decreto ſe ſubjeciſſe exiſtimamus? neutiquam, ſed potius rei novitate perterriti, juſtoque metu agitati, ne ad inſolitam quamdam obedientiam in Sedem Apoſtolicam adigerentur, & ne authoritate illa, qua usque tunc Metropolitani gaudebant, exciderent, ſibique ipſis & ſuis humeris vinculum novum injicerent, cunctati

Epiſcopi Galliæ & Germaniæ nexui inter ſe conſervando maximopere ſtuduerunt, & hinc noluerunt Pontifici jurare obedientiam, neque petere aut acceptare Pallium Archi-Epiſcopale.

(o) Id probat Petrus de Marca ex epiſtolis horum Pontificum ad Epiſcopos Galliarum datis. lib. 7. cap. 17.

(p) Ibid. cap. 18.

Digitized by Google

cunctati ſunt, quodammodo obluctati ſunt, & Pallium ſuo modo aſpernati ſunt, prout conqueritur Bonifacius in epiſt., quam ſcripſit ad Zachariam: eo quod Metropolitani Rothomagenſis, Remenſis, & Senonenſis Pallium, quod pro ipſis Bonifacius a Pontifice poſtulaverat, accipere detrectarent (q): donec tandem Archi-Epiſcopis perſuaſum fuerit, Pallium non niſi in ſignum honoris, & amplioris juriſdictionis in Archi-Epiſcopo reſidentis communicari. Aliud rei huic explicandæ aptiſſimum exemplum afferre liceat. Emerſerat in lucem famoſiſſima illa collectio pſeudo-Iſidoriana, cui inſertas eſſe ſcimus epiſtolas ſuppoſititias antiquorum Pontificum a Clemente usque ad Siricium ſcriptas. Et quis neſcit, has epiſtolas juribus Epiſcoporum & Metropolitarum valde eſſe præjudicioſas, & in iis poteſtatem Pontificum mirum in modum ampliari, efferri, ſublimarique? eodem tempore prodiit in lucem collectio 80. Capitulorum ſub nomine Capitulorum Hadriani Papæ. Sed num ambas has collectiones ſine contradictione, & ſimpliciter ab Epiſcopis Galliæ receptas exiſtimamus? ita eſt: fuere receptæ, ſed non aliter, niſi in quantum cum antiquioribus canonibus conſpirarent, prout teſtatur Hincmarus, quem citat Petrus de Marca (r): qua vero ratione Galli nihilominus in unitate fidei, doctrinæ, & diſciplinæ eccleſiaſticæ cum Romano Pontifice ſteterint, Primatum agnoverint, conſultationes, relationes, provocationes, imo etiam appellationes impropriaſ admiſerint, in ſeq. dicetur.

Vehementer ſe etiam oppoſuerunt Collectioni Iſidori, acceptandæ.

Eam tandem ſub conditione acceptarunt.

§. IX.

Forma eligendi Epiſcopos jam Sæc. V. fuit mutata.

Quomodo electio Epiſcoporum in Gallia & Germania fuerit peracta.

Agamus de electione, confirmatione, & inveſtitura Epiſcoporum per Galliam, & Germaniam. Jam Sæc. V. antiquior mos eligendi in loco vacantis Eccleſiæ deſierat: quia incommodum acciderat Metropolitis & Epiſcopis comprovincialibus in loco aliquoties longe diſſito abjecto & vili confluere. Quare in Gallia potiſſimum & Germania non opus erat, ut ſemper omnes Epiſcopi confluerent: vel enim eligendus erat Metropolita, vel ſimplex Epiſcopus? Ad electionem Metropolitæ omnibus Epiſcopis erat confluendum; ad electionem Epiſcopi non aliis, niſi quos juſſerat Metropolita. Præerat autem electionibus Metropolita, & illum præficiebat Eccleſiis Epiſcopum,

(q) Verba epiſtolæ ſunt hæc: *quod promiſerunt, tardantes non impleverunt, & ventilatur, & quid inde perficere velint, ignoratur.*

(r) Lib. V. cap. 20.

Digitized by Google

pum, in quem plura concentrarunt ſuffragia. Sub utraque ſtirpe Merovingica & Carolingica tam in Gallia quam in Germania ſub ipſo Carolo M., Ludovico Pio, Carolo Calvo, & reliquis ſucceſſoribus ſua erant ſuffragia & Clericis non modo civitatenſibus, ſed hinc inde etiam ruralibus; ſua quoque Monaſteriis civitatum; ſua etiam populo.

De interventione Imperatorum & Regum in electionibus Epiſcoporum remiſſive.

Ingens jam hic explananda venit difficultas circa conſtitutiones Epiſcoporum a Regibus & Imperatoribus factas, circa ipſas electiones non niſi interveniente, & non raro prævalente authoritate illorum celebratas, de qua plura dicemus infra. Interim ſequentia annotaſſe ſufficiat: & primo quidem extant plures canones ſynodorum, quibus electiones jubentur fieri a Clero & populo, absque eo, quod favor, gratia, vel juſſus Principis intervenire debeat. 2do hoc non obſtante proſtant plura exempla, ex quibus colligitur, quod Reges Galliæ Epiſcopos nominaverint, conſtituerint, & ſedibus epiſcopalibus præfecerint, quibus emolliendis, & in benigniorem partem interpretandis mirum in modum inſudat Thomaſſinus (s), inter alia aſſerens, quod nominatio regia ordinarie ſuffragia Cleri & populi non tam præveneril, quam comitata, aut ſecuta fuerit. 3tio idem Author aſſerit, quod equidem Carolomannus, & Pipinus epiſcopatibus præfecerint Epiſcopos, ſed cum conſilio ac conſenſu Epiſcoporum, & Magnatum. 4to innegabile eſt, quod Zacharias Papa Pipino Regi nominationes Epiſcoporum conceſſerit: attamen ob urgentes temporum rerumque neceſſitates id factum eſſe credendum eſt. 5to Carolus M. in Capitularibus ſuis Clero & populo jus eligendi liberum reſtituit: quamquam cæteroquin Clero & populo ſine conſenſu Principis ſeu Regis ad faciendas electiones Epiſcoporum confluere non licuerit. 6to a tempore Caroli M. ſucceſſores non raro intervenerunt, ſeque implicarunt electionibus, eas tamen nihilominus Clero & populo liberas eſſe volebant. 7mo. Quod ſi aliquoties factum eſſet, ut Reges aliquem mitterent cum armatis quaſi precibus, eum vel commendando, vel jubendo, ut in Epiſcopum eligeretur, id Epiſcopi non fecerunt, niſi prius in illius vitam, doctrinam, & mores inquirerent. 8vo. Peracta electione vota deferenda erant ad Regem, & Imperatorem, & ab illo vel confirmatio, vel inveſtitura petenda (t). Opportuna hic foret occaſio agendi de famoſo Can. Hadrianus diſt 93. in quo Carolo M. legitur conceſſa facultas ordinandi ſedem apoſtolicam, & inveſtien-

(s) Tom. II. lib. II. cap. 14.
(t) Idem Thomaſ. loc. cit. cap. 22. & 23.

Digitized by Google

ſtiendi Epiſcopos; item de ipſa Inveſtitura per annulum & baculum: verum hæc differimus ſtudioſe ad cap. 6. noſtræ Quæſtionis, in qua collectiones Juris Germanici recenſebimus. Cæterum hoc ævo adhuc in confirmationibus, & conſecrationibus antiquum morem fuiſſe obſervatum, ita ut electus a Superiore immediato confirmaretur, neutiquam dubitamus. Quæ vero quoad hoc punctum ex poſt fuerint immutata, §. XI. dicemus.

§. X.

Nexus Hierarchicus inter Eccleſiam Romanam, & Germanicas.

Proteſtantibus exoſum eſt ævum Carolingicum.

Jam ad explanandum nexum Hierarchicum inter Eccleſiam Romanam, & inter Eccleſias Gallicanas, & Germanas accingimur, in cujus dilucidatione tanto major nobis eſt collocanda opera, quanto pluris intereſt, ut ſua cuivis, Pontifici, & Epiſcopis jura determinentur, & Politia ſacra Pontificum ab impoſturis Proteſtantium vindicetur. Jam in §. præced. monuimus, Ævum Carolingicum præcipue Proteſtantibus eſſe exoſum: eo quod, uti ajunt, hoc tempore Pontifices prima ſui Dominatus fundamenta collocaverunt, auream libertatem Eccleſiarum Germaniæ & Galliæ in vincula conjecerunt, antiquam Eccleſiæ diſciplinam peſſundederunt, jura Metropolitarum & Epiſcoporum ſibi tum reſervarunt, tum ſuppreſſerunt. Quod ut facilius & felicius conſequerentur Pontifices, Politia quadam palliata ſub ſpecie majoris dignitatis in Epiſcopos derivandæ utendum eſſe rati ſunt, ſicut prætendunt Proteſtantes.

Tria ſunt accuſationis capita: conſtitutio Vicariatus Apoſtolici; conceſſio Pallii; & exactio juramenti.

Tria autem potiſſimum ſunt accuſationis capita, in quibus Pontifices rei aguntur, quorum primum ad conceſſionem Vicariatus Sedis Apoſtolicæ; alterum ad diſpenſationem, vel, ut loqui amant, obtrusionem pallii, & impoſitionem juramenti antea inconſueti, & nunc Pontificibus deponendi; 3tium ad epiſtolas antiquorum Pontificum collectioni pſeudo-Iſidorianæ inſertas pertinet. Ex eo enim, quod quidam Metropolitæ ſpecioſo & ſuperbo titulo Vicarii Sedis Apoſtolicæ gaviſi fuerint, hi ipſi neſcio quid honoris & dignitatis eidem ineſſe exiſtimantes ſua propria jura neglexerunt, majori ſibi honori ducentes, ſi poteſtate pontificia, quam propria cauſas deciderent, & ſic alienis potius, quam propriis radiis coruſcarent. Inde ulterius factum eſt, ut tales Vicarii ipſa jura aliorum Metropolitarum & Epiſcoporum invaderent, eaque ſuis Heris, id eſt Pontificibus, vindicarent. Pallium Archiepiſcopale paſſim inter ferreos compedes, quibus Pontifices Epiſcopis & Metropolitis ſuam libertatem juraque tum metro-

Digitized by Google

S. Bonifacius propterea convitiis & calumniis ab illis impetitur.

Cauſam libertatis amiſſæ, & depreſſæ jurisdictionis Epiſcoporum in collectionem Iſidorianam reiiciunt.

metropolitica tum epiſcopalia eripuerunt, collocare conſueverunt. Atque hæc ipſiſſima eſt ratio, cur Bonifacius, magnus ille Epiſcopus Moguntinus, & Germaniæ Apoſtolus tot convitils & calumniis a Proteſtantibus proſcindatur, & non niſi pſeudo-apoſtolus audire debeat, quippe qui non modo vicibus Vicarii apoſtolici functus fuerat, verum etiam in ſynodo ſua Metropolitis legem poſuit petendi Pallium. Cauſam non ultimam amiſſæ libertatis, poteſtatisque ex parte Epiſcoporum; & econtra ampliatæ jurisdictionis Pontificum in collectionem Iſidorianam rejiciunt. Quum enim huic collectioni inſertæ eſſent epiſtolæ ſpuriæ antiquiſſimorum Pontificum, in quibus poteſtas convocandi ſynodos particulares, eisdem præſidendi, cauſas majores decidendi, aliaque jura tam Metropolitarum, quam Epiſcoporum Romano Pontifici velut primatui illius cohærentia adſcribuntur, non potuit non ſequi ingens ſtrages jurium epiſcopalium. Inde factum eſt ulterius, ut jam ſynodi particulares deſinerent, frequentiores appellationes ad Romanum Pontificem fierent, hi ipſi multas cauſas, quarum deciſio quondam ad ſynodos pertinuit, ad ſe traherent, ipſi autem Metropolitæ & Epiſcopi ſua jura ſegnius, quam par erat, proſequerentur (u).

Conſultationes, provocationes & relationes ad Sedem Pontificiam ævo Carolingico valde frequentes.

In triplici caſu habebant locum.

In cauſis diſciplinæ eccleſiaſticæ dubiæ, & quare?

Priusquam hisce obveniamus, juvat anteriorem inter Pontifices & Epiſcopos nexum non nihil dilucidare. Illud, quod cap. præced. de conſultationibus, provocationibus, & relationibus ad Sedem pontificiam in cauſis non modo fidei, ſed etiam ævo Conſtantiniano usque ad Imperium Francicum factis diximus, jure longe majori de periodo Merovingica, & Carolingica dicendum venit. Quoniam vero id ipſum exemplis authenticis ibidem non communivimus, juvat rei hujus exempla hic afferre. In triplici autem caſu potiſſimum fiebant relationes ad Pontifices, nempe in cauſis dubiæ diſciplinæ; a conciliis tam generalibus, quam nationalibus; & in cauſis inter Metropolitas & Epiſcopos controverſis. In cauſis dubiæ diſciplinæ ea potiſſimum ex cauſa frequentiores fiebant relationes ad Sedem apoſtolicam, quod eodem jure, nempe canonibus ſynodi Nicænæ uſæ fuerint Eccleſia Romana, & Eccleſiæ Gallicæ & Germanicæ, & tam Galli quam Germani centrum unitatis in Sede apoſtolica eſſe conſtitutum, & ab hac ſinceriorem canonum interpretationem, veramque illorum

(u) Ita Doctores Proteſtantici, ſed prorſus iniquiſſime, quorum convitia mox infra confutabimus.

illorum mentem eſſe mutuandam crediderint. Hunc conſultandi uſum Innocentius I. arceſſit ab inſtitutione Majorum (x), eumque in variis ſuis epiſtolis luculentiſſime exprimit, & in centro unitatis inter ſuam, & cæteras Eccleſias fundat (y). Exempla hujus diſciplinæ in hiſtoriis eccleſiaſticis proſtant non tot, quin plura: ita Himerius Epiſcopus Tarraconenſis Siricium Pontificem de quinque diſciplinæ capitibus conſultaſſe legitur, cui Pontifex anno 385. reſcripſit: *Ad ſingulas cauſas, de quibus ad Romanam Eccleſiam, utpote ad caput tui corporis retuliſti, ſufficientia, quantum opinor, reſponſa dedimus.* Neque quis exiſtimet, illa reſponſa habuiſſe vim ſimplicis conſilii, aut interpretationis mere doctrinalis, ſed erant velut deciſiones ex canonibus, & traditione mutuatæ, quibus omnino erat aſſurgendum. A Conciliis quoque tam generalibus, quam particularibus tales relationes ad Sedem apoſtolicam fuiſſe factas, nemo ſanæ mentis aut hiſtoriæ modice peritus negaverit. An non Patres Concilii Sardicenſis ſuam fecerunt relationem ad Julium Papam (z)? nunquid ſynodus Arelatenſis contra Donatiſtas a Conſtantino M. congregata ſuper iis, quæ in ea fuerunt acta, retulit ad Silveſtrum Pontificem (a)? imo etiam Concilia provincialia, in quibus deponebantur Epiſcopi, etſi ab illis non potuerit provocari ad Pontificem, ſuas tamen ad eum relationes miſerunt, ne contingeret, ut ipſe ab hujuſcemodi Epiſcopis deciperetur, & ad dandas literas communicatorias ſe induci pateretur (b). De cauſis Epiſcoporum ad Sedem pontificiam delatis quid dicamus? res notiſſima eſt, quod, poſtquam Pontifices receptionem & executionem canonum Sardicenſium omni contentione urſerunt, frequentiſſimus fuerit concurſus ad Pontificem. Cæterum ea prudentis æconomiæ diſcretione uſi fuerunt Pontifices, ut, ne ipſos canones Nicænos, aut Sardicenſes violarent, tales cauſas communiter vel ad ſynodos

In cauſis Conciliorum Generalium & particularium.

In cauſis Epiſcoporum controverſis.

(x) In epiſt. enim ad quemdam Epiſcopum ſic habet: *mirari non poſſumus, dilectionem tuam ſequi inſtituta Majorum, omniaque, quæ poſſunt recipere aliquam dubitationem ad nos, quaſi ad caput, & apicem Epiſcopatus referre.*

(y) In epiſt. ad Epiſcopos Macedoniæ inquit: *ad Eccleſiam noſtram relatio quaſi ad caput Eccleſiarum miſſa currebat.*

(z) Ita enim legitur in epiſt. Synod. *hoc optimum, & congruentiſſimum videbitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri Apoſtoli Sedem de quibusque provinciis referant Sacerdotes.*

(a) Petrus de Marca lib. VII. cap. 14. §. 2.

(b) Idem ibidem N. 3.

Digitized by Google

nodos provinciales remiſerint, vel Judices delegatos, & quidem vicinos, juxta normam a Concilio Sardicenſi præſcriptam, dederint (c).

Jam ut ad id, quod rei caput eſt, veniamus, inquirendum nobis eſt, qua ratione antiquior illa diſciplina per conceſſionem Vicariatus Apoſtolici, Pallii Archi-Epiſcopalis, & collectionem pſeudo-Iſidorianam mutata, jamque ſublimior longe, & amplior Principatus eccleſiaſticus non ſine diſpendio jurium Synodalium, Metropoliticorum, & Epiſcopalium ſimul, tamen ſine læſione juſtitiæ in Pontificem fuerit translatus. Profecto pro ſinceritate animi noſtri, & rei veritate, quam unice inquirimus, negare non audemus, quod præfatæ epiſtolæ ampliandæ, dilatandæque pontificiæ authoritati quam optime ſerviverint: ut ideo mirum non ſit, quod Nicolaus I. illarum receptionem mirum in modum apud Gallos & Germanos urgere non deſtiterit: ab illo enim tempore deſierunt Synodi particulares, frequentiores factæ ſunt appellationes ad Sedem pontificiam, cauſæ majores antea in Conciliis deciſæ tribunali pontificio fuerunt ſubjectæ. Verum quis inde intervenientem aliquam fraudem pontificiam inferat? num enim ipſi Pontifices has epiſtolas fabricarunt? iſtud nemo hactenus affirmare auſus fuit. Num violenter obtruſerunt? ſed neque hoc ſine grandi piaculo dici valet. Urſerunt illam receptionem, quod nemo negat: non vero violenter obtruſerunt. Et quis hoc ipſum vitio vertat Pontifici? univerſus ferme orbis Catholicus collectionem Iſidorianam ingenti cum applauſu amplectebatur, epiſtolæ eidem inſertæ ſe ipſas ſua antiquitate commendabant, de illarum ſinceritate & veritate vix ullus dubitabat. Ut quid ergo jure prætendere, ſibique poſtliminio vindicare non poterant Pontifices illa jura, quæ a ſuis Prædeceſſoribus piiſſimis juxta ac ſanctiſſimis, totique orbi Catholico ſumme venerandis fuiſſe exercita legerunt?

Epiſtolæ Romanorum Pontificum ad eorum authoritatem ampliandam omnino fuerunt aptæ.

Pontifices, quia earum receptionem promoverunt, non debent fraudis argui.

De Vicariatu Sedis apoſtolicæ, in quo neſcio quid fraudis & malitiæ pontificiæ ineſſe credunt Proteſtantes, quid dicamus? Expendant, quæſo, Proteſtantes ſepoſitis præjudiciis, invidia, odio, & livore, quo feruntur in Pontifices, illorumque jurisdictionem & primatum, expendant, inquam, temporum, rerumque circumſtantias, in quibus Pontifices erant collocati. Innegabile eſt, & nec ipſi negare poſſunt, quod jam ævo Merovingico & Carolingico (ſed quid ad noviora tempora provoco?) quod, inquam, a primis Eccleſiæ temporibus jam jam Epiſcopi per omnes mundi plagas in Sede pontificia centrum

Nihil etiam fraudis latet in Vicariatu Apoſtolico.

Epiſcopi ſemper in Eccleſia Romana centrum unitatis ſuſpexerunt, & cum ea in rebus & cauſis du-

N 2

(c) Can. 6.

Digitized by Google

biis fidei & diſciplinæ communicarunt.

centrum unitatis ſuſpexerint, cum ea in unitate fidei & diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſaltem quoad ea capita, quæ in Conciliis generalibus fuerant ſtatuta, communicaverint, in cauſis dubiis fidei, doctrinæ, & diſciplinæ ad illam recurrerint, innumeræ relationes, conſultationes, & provocationes (nolim dicere appellationes) a Conciliis tam particularibus, quam generalibus, in cauſis fidei & diſciplinæ dubiis, in cauſis etiam inter ipſos Epiſcopos agitatis, & per ſynodos particulares deciſis fuerint delatæ: ut quid ergo mirum, ſi Pontifices, poſtquam Religio Catholica in omnes orbis angulos & terras remotiſſimas fuit invecta, maxime quod recurſus ad Sedem Romanam aliquoties fuerit difficilior, non raro ipſa cauſa celeriorem expeditionem & deciſionem exegerit, quosdam conſtituerint Epiſcopos, & in eos majorem ſui principatus eccleſiaſtici particulam liberalius diſpenſarint, quatenus & bono univerſalis Eccleſiæ, ipſisque juribus pontificiis invigilarent, & ſuo nomine in cauſis occurrentibus jus dicerent. Nunquid imperantes, quorum imperium in plures, easque longe diſſitas provincias protenditur, conſtituunt magiſtratus, ut ipſorum nomine cauſas expediant? profecto longe optabilius accidere debuerat Epiſcopis habere Judicem delegatum, quam cum ingenti difficultate Romam usque recurrere. Hac ratione melius eſſe conſultum rebus, cauſis, litigantibus, conſulentibus, & provocantibus, quis non perſpiciat? poſſunt meliores haberi probationes, celerior & felicior exſpectari exitus, melior fieri informatio, & inquiſitio in loco proximiori, quam in terris remotis. Et econtra quam non facile poteſt contingere, ut Pontifex male informetur? quam difficile Romæ exactiores poſſunt haberi probationes? & an non poteſt Pontifex ignorare conſuetudines, obſervantias, traditiones, & jura particularia locorum? quare ipſi Epiſcopi in ſynodo Sardicenſi congregati *Sedis apoſtolicæ memoriam honorare* volentes Pontifici non tam jus appellandi, quam retractandi, uti vocant Galli, concedere voluerunt, optantes, ut cauſæ ad Tribunal Pontificis devolutæ non Romæ per Pontificem, ſuosque Conſiliarios, ſed in partibus per *Judices delegatos*, eosque *vicinos* examinentur, inquirantur, reformentur (d)? Quare ipſi Metropolitæ, nominatim Cæſarius Arelatenſis, tantopere inſtiterunt, ut Vicariatum vel eblandirentur, vel violenter extorquerent?

Vicariatus apoſtolicus defenditur.

Jam

(d) Can. 6. *Si vobis placet, S. Petri memoriam habeamus &c. & det Judices.* Hunc Canonem alibi explicavimus.

Digitized by Google

Jam oro, atque obteſtor, dicat mihi aliquis, num in hoc agendi modo aliquid fraudis, doli, ambitionis, & malitiæ deprehendat? ſomnia hæc ſunt in cerebro hominum male affectorum excogitata, qui ſuis ſomniis deluſi, & ſiniſtris paſſionibus in transverſum acti omnia in malam interpretantur partem, & Pontificibus talia aſſingunt, de quibus ipſi nec cogitarunt, nec ſomniarunt. Profecto ſi vera ſunt, quæ Proteſtantici Doctores de aſtutia, technis, dolis & fraudibus Pontificum fingunt, & ſomniant, tunc peſſimum genus mortalium, quod unquam terra aluit, & ſuſtinuit, fuere Pontifices, qui ſua nocendi arte, peſſimis conſiliis, & principiis pſeudo-politicis omnes Machiavellos, Monarchomachos, aliosque hujus furfuris homines quam longiſſime ſuperarunt. Sed fortaſſis liberales valde erunt hi Doctores in concedendo totum. Sed qua arte ſuas probabunt calumnias? anne honeſti & prudentis viri eſt facta graviſſimorum Virorum ferme omnia & ſingula in peſſimam trahere partem, graviſſimorum criminum accuſare, & condemnare? tædet & pudet hisce immorari. Jam ad tertium criminationis genus ex Archi-Epiſcopali Pallio deſumptum venimus. Itaque de pallio ſingulariter nobis eſſe agendum exiſtimavimus. *Proteſtantes ſunt calumniatores Pontificum iniquiſſimi & injurioſiſſimi.*

§. XI.

Atque hoc eſt *vinculum* illud *iniquitatis*, ſi DD. Proteſtanticis eſt credendum, quo Metropolitæ manibus pedibusque ligati & primitus leniter, ac ſuaviter vincti demum miſeram ſervire ſervitutem coacti ſunt. Nomen Pallii eſt nomen vagum, & innumeras habet ſignificationes: quandoque operimentum ex panno confectum; quandoque veſtimentum, quod aliis ſuperimponitur, amiculum reliquis veſtimentis injectum, indumentum Chriſtianorum, Philoſophorum, Monachorum, Monialium, nubentium, mappas altarium, vel etiam veſtes Sacerdotum ſignificat (e). Prout autem hic ſumitur, eſt ſingulare veſtimenti genus in deſignationem Patriarchalis, Primatialis, vel Archi-Epiſcopalis officii, dignitatis & plenitudinis paſtoralis collatum. *Pallium Proteſtantibus audit vinculum iniquitatis.* *Ejus definitio.*

Obſcuriſſima prorſus hujus Pallii eſt origo, & de ea tot ferme ſunt ſententiæ, quot capita. Quidam illius originem ab ipſo Petro arceſſunt, fingentes, quod S. Marcum hoc pallio ornatum Alexandriam, *Origo illius obſcura.*

(e) De variis Pallii ſignificationibus vid. Gloſſar. Carol. du Freſne voc. Pallium. Et Pertſchius in Tract. Can. de Pallio contra doctiſſimum Barthelium ſcripta cap. 1.

Digitized by Google

driam, poſtea Maternum ad Trevirenſem Eccleſiam miſerit (f). Alii ipſum Marcum illius authorem pro Eccleſia ſaltem Alexandrina faciunt (g): Alii pro authore venditant Linum Pontificem (h): alii Marcum Sylveſtri ſucceſſorem (i); alii vero, & ferme communius cum illuſtriſſimo Petro de Marca, & Ludov. Thomaſſino (k) a pallio Imperatorum derivant, illudque munificentiæ Imperatorum adſcribunt: hos enim pallio quodam ſplendidiori uſos fuiſſe, & poſtea illius uſum Pontifici & Patriarchis ſacra operantibus conceſſiſſe aſſerunt, donec ſucceſſu temporis hic ipſe uſus Primatibus, Vicariis Sedis apoſtolicæ, ac demum omnibus Metropolitis, ac quibusdam etiam Epiſcopis fuerit conceſſus, quorum argumenta adducere nimis longum foret. Atque hæc ſententia a plerisque Theologis & Juriconſultis tam Catholicis quam Proteſtantibus fuit adoptata, & primas obtinuit, quam fuſiſſime examinat laudatus Pertſchius, cui id laudis dare debemus, quod nemo illorum, quos legimus, majori cum diligentia, & accuratiori inquiſitione materiam de pallio tractaſſe nobis ſaltem videatur (l). Poſtquam autem hic author ferme omnes opiniones ſuis animadverſionibus illuſtraverat, ipſe ſuas conjecturas opponit, & ante omnia animadvertit, quod, quum jam ante Concilium Nicænum Epiſcopi Romani, Alexandrini, & Antiocheni ſingulari honoris, dignitatis, & Jurisdictionis prærogativa eminuerint, hos inter præcipue Alexandrinus ob ampliſſimum diſtrictum ſuæ curæ epiſcopali ſubjectum erigere criſtas voluerit, eo potiſſimum ex capite, quod tunc invaluerit opinio, Marcum Evangeliſtam hujus Eccleſiæ fundatorem extitiſſe. Hic ergo, quum tanta polleret auctoritate, ut ſe a cæteris Epiſcopis externo quoque habitu diſtingueret, quum videret jam Epiſcopos Romanum & Antiochenum ſingulari amictu incedere, imo Epiſcopum Jeroſolymitanum a Conſtantino M. ſplendidum accepiſſe indumentum non ignoraret, faſcias invenit & corpori ſuper reliqua veſtimenta impoſuit. Ne vero rei

Sententia communior quæ?

Opinio ſingularis Joan. Pertſchii. Originem Pallii ipſe refundit in Epiſcopum Alexandrinum, & Hieroſolymitanum.

(f) Chriſtianus Lupus de Afric. Eccleſ. Rom. appell. cap. 13.
(g) Liberatus in Breviario cap. 20.
(h) Uti Maximus de veſte Sacerd.
(i) Euſebius Serm. de Epiphan. quem tamen ſermonem eſſe ſuppoſitum fatentur ferme omnes.
(k) Petrus de Marca de Concord. lib. 6. cap. 6. Thomaſ. part. 1. lib. 2. cap. 45.
(l) Loc. cit.

Digitized by Google

rei novitas quempiam offenderet, Marcum jam primum Sedis Alexandrinæ Antiſtitem tali amiculo fuiſſe uſum finxit.

Haud ſecus Sedes Jeroſolymitana tunc temporis inter præcipuas cenſebatur ob peracta ibidem fidei myſteria; licet cæteroquin fuerit filialis eccleſiæ Cæſareenſis, neque ullam juriſdictionem in alias Eccleſias illius Epiſcopi exercuerint, illud ſingulari ſibi honori ducentes, quod eſſent ſucceſſores Jacobi Apoſtoli, qui ab ipſo Chriſto primus Jeroſolymorum Epiſcopus fuit creatus. Itaque poſtquam ſynodus Nicæna priſtinum hujus ſedis honorem confirmaverat, mox illius Epiſcopi arripuerunt occaſionem de primatu cum Cæſareenſi Epiſcopo digladiandi, atque ſingulari habitu ſeſe diſtinguendi, faſciasque ſub nomine *Pallii* a S. Jacobo geſtati ſuis humeris imponendi. Et quoniam illo ævo provinciæ eccleſiaſticæ plerumque ad normam Imperii civilis fuerunt ordinatæ, & Epiſcopis in primaria urbe ſedem habentibus proedria non modo honoris, ſed etiam poteſtatis fuit aſſignata, a vero non abhorret, quod etiam veſtitu quodam ſe diſtinxerint, & forſan ad exemplum Alexandrini, & Jeroſolymitani faſciata pallia ſibi vindicaverint. Quare laudatus author originem Pallii Epiſcopis Alexandrino & Jeroſolymitano adſcribere, eamque in illa tempora, quibus provinciarum eccleſiaſticarum fuit facta diviſio, rejicere videtur. Succeſſu temporis, pergit Pertſchius, factum eſt, ut hujus pallii uſum, cujus formam ab Omophorio Græcorum derivatum eſſe exiſtimat, Epiſcopi in urbibus Metropolibus conſtituti aliis Epiſcopis communicarent, quatenus hoc amictu a reliquis ſacerdotibus in adminiſtratione ſacrorum diſcerni poſſent: itaque illi, qui nullum Superiorem Epiſcoporum agnoverunt, pallium iſtud de menſa ſacra ſumpſerunt, ſuisque humeris impoſuerunt: cæteri vero illud a ſuis Metropolitis in ſua confirmatione & conſecratione acceperunt. Sed quis non videt, hanc opinionem æque eſſe incertam, ac reliquorum Doctorum opiniones, quas Pertſchius refutandas aſſumit, adeoque meris innitatur conjecturis? prout ipſe Pertſchius fatetur. Noſtrum non eſt hæc ad incudem vocare & accuratius expendere.

Pallio primitus uſi ſunt Epiſcopi in urbibus Metropolibus conſtituti, & poſtea idem aliis Epiſcopis communicarunt.

Paulo aliter de Pallio Latino vel potius Pontificio, quod hodie mittere ſolent Pontifices, & de quo nobis hic potiſſimum eſt ſermo, ſcribit Pertſchius, ſupponitque, quod haud ſecus in Latina, quam in Eccleſia Græca eminentiores Epiſcopi ſua habuerint pallia, priusquam illud a Romanis Pontificibus in teſſeram majoris poteſtatis fuerat conceſſum, cujus rei exemplum affert ex ſynodo Matiſconenſi an. 581. in Galliis celebrata, in qua ſtatutum, ut *Archi-Epiſcopus ſine pallio*

Aliud eſt Pallium Pontificium, & aliud Archi-Epiſcopale.

pallio miſſas dicere non præſumat (m): qua in re ſibi conſentientes habet ipſos etiam Doctores Gallos, qui inter Pallium *Gallicum*, & Metropolitis ſuis proprium, & *Pontificium* ſeu *Romanum* accurate diſtinguunt: Illud prius pridem antea habuere Metropolitæ Galliæ: iſtud poſterius primum obtinuere Sæc. VIII. poſt ſynodum Bonifacianam. Itaque prima veſtigia Pallii Pontificii per Eccleſiam Latinam diſperſi occurrunt ad finem Sæc. V., & incidunt in tempora Symmachi Pontificis, qui illud Cæſario Arelatenſi in Gallia, & Theodoro Laureacenſi conceſſiſſe legitur (n). Bene tamen hic animadvertendum, inde neutiquam inferri poſſe, quod uſus Pallii Romani antea non fuerit aliis Epiſcopis conceſſus: quum Symmachus in ſua epiſtola ad Theodorum data expreſſe provocet ad antiquos mores (o). Hæc non niſi obiter circa originem Pallii animadvertere libuit. Qua arte uſus Pallii fuerit diffuſus, infra dicemus. Cæterum neutri ſententiæ noſtrum calculum adjicimus, ſed potius ex illorum numero nos eſſe libere profitemur, qui ſe originem Palliorum non potuiſſe inveſtigare confitentur.

Prima Pallii Pontificii veſtigia occurrunt ad finem Sæc. V.

Quæ Pallii materia & forma?

Pauca de materia & forma antiqui & hodierni pallii dicamus. Eadem prorſus difficultas in determinanda materia & forma pallii, quæ in illius inveſtiganda origine occurrit. Non pauci illud velut veſtimentum quaſi integrum per corpus defluens ad inſtar palliorum, quæ hodie geſtare ſolemus, auro gemmiſque exornatum nobis depingunt (p): alii ad inſtar faſciæ humeros circumdantis ad modum Omophorii Græci ex materia vili & lanea confectum nobis exhibent. Sed nolumus hiſce immorari, quos utiliora vocant: appellamus igitur ad ſæpius laudatum Pertſchium, qui nihil intermiſit, aut præterivit eorum, quæ ad elucidationem hujus rei ſervire poſſunt. Quænam autem ſit forma hodierni pallii, ferme omnibus & ſingulis patet.

Illius

(m) Can. 6.

(n) De Pallio Cæſario Arelatenſi a Symmacho conceſſo expreſſam facit mentionem Vigilius Papa in epiſtola ad Auxanium Cæſarii ſucceſſorem data, qua ipſi confert Vicariatum Sedis Apoſtolicæ, in epiſt. 7. & 11. ad Theodorum data.

(o) Verba epiſtolæ hæc ſunt: *Majorum more, & ſecundum morem Eccleſiæ tuæ.*

(p) Vid. cit. Pertſchius, ubi diſſertationem Papebrochii, & ſententiam Barthelii de forma pallii ſub incudem revocat.

Digitized by Google

Illius formam deſcribit Innocent. III. (q), & ex eo Nicolaus de Bralion (r). Innocentius ſic habet: *Pallium fit, & contexitur ex candida lana, habet circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ſive faſcias ex eodem panno ab utraque parte dependentes: quatuor autem cruces purpureas ante & retro a dextris, & a ſiniſtris; ſed a ſiniſtris pallium eſt duplex, ſimplex a dextris, cui in tres partes tres acus inſiguntur (ſpinas alii vocant) quibus conſuitur.* Addit cit. de Bralion, hodierna pallia habere ſex cruces, easque nigras non purpureas, nempe quatuor in circulo ante & retro a dextris & a ſiniſtris, & unam in medio utriusque lineæ: attamen formam palliorum non eſſe hodiernis moribus æqualem ex eo ſuſpicamur, quod nobis diverſæ figuræ pallia exhibeantur, qualia exhibet cit. Pertſchius, & inter alia Pallium Colonienſe, quod ultimo defunctus Sereniſſimus Colonienſium Archi-Epiſcopus & Elector a Curia Romana accepit, in quo octo conſpiciuntur cruces ſex purpureæ, & duæ nigræ (s).

Forma illius deſcribitur ab Innocentio III.

Forma Pallii Colonienſis ſingularis.

Paucis etiam modum conficiendi, & benedicendi pallia deſcribamus. Itaque Subdiaconi Pontificii, quos eſſe quinque aſſerunt, duos candidiſſimos procurant agnos in feſto S. Agnetis ad Eccleſiam illius nomini dicatam (t) deportandos. Imponuntur hi agniculi duabus ciſtellis ſupra equum. Conductor autem equi tranſit per plateam ante Palatium Vaticanum, ubi Papa e feneſtra illis benedictionem ſua manu elargitur. Tum per mediam urbem ad prædictam eccleſiam deducuntur, & in Miſſa ſolemni ad *Agnus DEI* a Canonicis hujus Eccleſiæ offeruntur. Poſtea traduntur duobus Canonicis Baſilicæ Lateranenſis, qui curam illorum rurſus dictis Subdiaconis apoſtolicis committunt. Hi illos in paſcua particularia (u) ad certum tempus agunt, & dein lanam detonſam certis Monialibus in filum ducendam tradunt. Ex his filis, adhibitis tamen aliis ex ordinaria lana, quum pallia, quæ aliquoties per anni ſpatium deſiderantur, vix ſufficiant,

Modus conficiendi & benedicendi Pallium.

(q) Lib. 1. Myſt. Miſſ. cap. 63.
(r) In differt. Partic. de Pall. cap. 3.
(s) Pertſchius loc. cit. cap. 2. §. 15.
(t) Ideo vero in Eccleſia S. Agnetis offeruntur, quia hæc Athleta ſicut nomine, ita & moribus agnæ ſimillima fuit.
(u) Card. Bona ſcribit, hos agniculos in aliquo Monialium Monaſterio nutriri. Rer. Liturg. cap. 24. §. 16.

Digitized by Google

ficiant, conficiuntur pallia, & dein vel a Subdiaconis vel a Monialibus in faſciolas præparantur. Jacent hæc pallia in altari, ſuper quo S. Petri corpus ſepultum eſt per aliquod tempus, priusquam ſolenniter benedicantur. Hæc benedictio non fit ſingulis annis, ſed prout neceſſitas palliorum mittendorum exigit, & ordinarie committitur Epiſcopo, qui vices Cardinalis Archipresbyteri Baſilicæ Vaticanæ S. Petri ſuſtinet. Hic ergo die, qua viſum fuerit, non in ipſo altari S. Petri, ſed in quodam inferiori ſepulturæ illius vicino ritu præſcripto benedicit, qua benedictione peracta per noctem ſupra altare ſepulturæ S. Petri relinquuntur, & reconduntur in capſula ſeu arcula, quæ aſſervatur ſupra Cathedram S. Petri, qua primum Romæ ſediſſe perhibetur. Atque inde eſt, cur hoc pallium de corpore S. Petri deſumptum dicatur: quia nempe vel ſupra ſacra lypſana reponitur; vel quia ſignificat derivationem poteſtatis in B. Petro ejusque ſucceſſoribus reſidentis. De modo dandi & impetrandi pallium infra agetur.

Cur dicatur de corpore B. Petri deſumptum.

Quis Pallii diſpenſator? An Pontifex irrequiſito Archi-Epiſcopo poſſit Epiſcopo conferre Pallium?

De ipſo diſpenſatore neceſſario nobis eſſe agendum duximus: eo quod paucis abhinc annis in cauſa pallii Herbipolenſis vehementiſſime fuerit controverſum, an Pontifex ſolus irrequiſitis Archi-Epiſcopis pallium ſimplici Epiſcopo conferre valeat. Hæc antequam examinemus, quædam ex antea dictis memoria ſunt recolenda, & quidem illud inprimis, quod in Eccleſia Orientali Metropolitæ ſibi ipſis Pallium ſeu Omophorium impoſuerint; cæteris autem Epiſcopis in ipſa ſua confirmatione & ordinatione contulerint. Utrum vero ſucceſſu temporis Orientales a ſede Romana pallia acceperint, vehementer controvertitur. Pro Pontifice militant varia exempla, quæ hinc inde a Scriptoribus referuntur: ſic enim ajunt, quod Greg. M. pallium miſerit Nicodemianæ civitatis Epiſcopo; item Epiſcopo primæ Juſtinianeæ, Corynthiorum. Verum hæc omnia, & plura alia hujuscemodi exempla ſubleſtæ fidei eſſe oſtendit laudatus Pertſchius (x), probatque, quod Romana Sedes nec Patriarchis, nec Exarchis, nec Metropolitis Orientis pallia contulerit; ſed tunc demum, quando Franci Imperium Conſtantinop. aliasque Orientis regiones occupaverant, Latinis Patriarchis ibidem conſtitutis hæc ornamenta miſerit. Illud etiam revocandum in memoriam, quod Metropolitæ præcipue in Gallia ſua pallia propria & ſingularia independenter a Pontifice habuerint; & primus, qui pallium Romanum accepit, fuerit Epiſcopus Cæſareenſis, cui id a Symmacho miſſum fuerat.

Argumenta pro Pontifice, & contra.

His-

(x) Vid. Pertſchius cap. 7. §. 6. & ſeq.

Quo jure Pontifex diſpenſet Pallia, & qua arte ſuum jus in praxin redegerit?

Hisce ſuppoſitis videndum, qua arte & ratione poteſtas diſpenſandi pallia ad Pontifices, & quo jure ad ipſos pervenerit: Nos neutiquam dubitamus, quod Pontifex hanc poteſtatem jure Patriarchico, vel Primatiali ſeu Primatus univerſalis ſibi vindicet. Attamen qua arte Pontifex jus diſpenſandi pallia in uſum deduxerit, & in praxin deducere, imo Metropolitis neceſſitatem imponere potuerit, ut illud neceſſario ipſis petendum foret, altioris indaginis quæſtio eſt. Doctores proteſtantici iterum hoc technis, fraudibus, & politiæ Pontificum adſcribere non verentur, aſſeruntque, uſum hujus juris tunc potiſſimum obtinuiſſe, quando Pontifex Vicarios Sedis apoſtolicæ conſtituere cœperat. Pertſchius conjecturatur, quod Pontifices primitus illud contulerint Metropolitis ſuburbicariis, ſeu illis, qui ab ipſis conſecrationem obtinere, & in Synodos cum ipſis confluere debuerant; & primum poſtea Vicariis, quibus ſuas vices in terris remotioribus commiſerant.

Proteſtantes id fraudibus adſcribunt Pontificis.

Succeſſive ſimplicibus Epiſcopis fuit conceſſum.

Ante tempora Gregorii pauca, nec alia conceſſi pallii veſtigia occurrunt, quam quod Arelatenſes, & Laureacenſes Epiſcopi illo ornati fuerint. A tempore Gregorii M. uſus illius factus fuit frequentior, illudque pluribus Archi-Epiſcopis non tantum e. g. Auguſtino in Angliam miſſo, Conſtantino Mediolanenſi, Leandro Hiſpalenſi, Londonienſi, Eboracenſi &c. ſed etiam ſimplicibus Epiſcopis e. g. Dono Meſſanenſi, Joanni Syracuſano, Joanni Panormitano, Syagrio Auguſtodun. Lugdunenſi &c. Gregorius illud conceſſiſſe legitur, quin tamen illos ſemper Vicariatus apoſtolici prærogativa exornaverit. Veſtigia Gregorii ſecuti ſunt ſui Succeſſores, illudque paſſim Epiſcopis ſimplicibus conceſſerunt: ita pallio ornavit Gregorius II. Corbinianum Friſingenſem, Joannes V. Agilbertum Cenomanenſem, Hadrianus II. Actardum Nannetenſem, Joannes VIII. Epiſcopum Papienſem, Paſchalis II. Bambergenſem &c. ſed de his infra.

Metropolitis neceſſitas impoſita petendi pallium.

Tandem in Synodo illa celeberrima a Bonifacio Moguntino celebrata ſta utum fuit, ut omnes Metropolitæ poſthac pallium a Pontifice reciperent (y). Hac conſtitutione non obſtante diu poſt Bonifacii tempora Antiſtites Franciæ & Galliæ cunctati ſunt; imo plane neglexerunt pallia Romana petere (z). Sæculo IX. jam plerique

O 2 Me-

(y) Quo anno, & ubinam hæc Synodus celebrata fuerit, incertum eſt. Communius tam n annum 742. aſſignant.

(z) Hujus exempla ſunt in Abele Epiſcopo Rhemenſi, qui pallium ſibi transmiſſum acceptare noluit; & illius ſucceſſore Turpino, qui per aliquot annos non impetrato pallio ſederat &c.

Uſus Pallii ſucceſſive factus eſt univerſalis.

Metropolitæ Romano pallio ſuperbierant, jamque opinio invaluerat, ſolum Pontificem eſſe diſpenſatorem Pallii Archi-Epiſcopalis: Pontifices vero ipſi, ſpeciatim Nicolaus I. in concedendo uſu pallii ad conſuetudinem univerſalem in Gallia & Germania receptam provocarunt (a). Quod an revera a parte rei ita ſe habuerit, inde dubitare licet, quod Pontifices in ipſis Synodis a ſe congregatis de neceſſitate petendi pallium Metropolitis imponenda egerint, in ſpecie Joannes VIII. in Synodo Ravennatenſi an. 857. decretum hujus tenoris ediderit: *Quisquis Metropolitanus in tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam, Palliumque ſuſcipiendum ab Apoſtolica Sede, nulla inevitabili neceſſitate imminente non miſerit, commiſſa ſibi dignitate careat &c.* (b). Sæculo demum XI. Gregorius VII. lege ſtabili ſtatuit, ut omnes Archi-Epiſcopi pallium a Sede Romana impetrarent, priusquam ſuo officio fungantur. Atque ab hoc tempore Pontifices liberam ſibi diſpenſandi pallii poteſtatem vindicarunt, quatenus illud poſſint concedere, quomodo, & quibus libuerit. Hæc vero diſciplina, ac liberior conceſſio pallii etiam Epiſcopis collati non paucas, easque graviſſimas excitavit controverſias, ſicut mox audiemus.

Gregor. VII. lege ſtabili obligavit Metropolitas, ut petant pallium.

Ab hoc tempore jus diſpenſandi illud pertinet ad Pontifices.

Quibus uſus Pallii fuerit conceſſus, & ex jure concedi debeat?

Ex his facile colligere licet, quibus uſus pallii fuerit conceſſus, & concedi ex jure debeat. In Eccleſia Latina nempe primitus concedebatur Metropolitis provinciarum ſuburbicariarum; poſtea Vicariis Sedis apoſtolicæ; a tempore Gregorii M. paſſim tam Metropolitis, quam Epiſcopis. A tempore Bonifacii Moguntini neceſſitas Metropolitis fuit impoſita illud petendi, quæ tamen ex dictis vim legis non obtinuit. Succeſſive invaluit conſuetudo in Germania & Gallia illud petendi, non tamen univerſalis, usque dum lege firma tam in Concilio Ravennatenſi, quam a Gregorio VII. lata Metropolitis injunctum fuerit, ut illud peterent, & ante obtentum pallium ab uſu functionum Epiſcopalium abſtinerent. Ab hoc tempore ergo, ut mox dictum, Pontifices illud pro ſuo libitu diſpenſarunt. Et quidem Pontifices hac ſua poteſtate uſos fuiſſe, exempla habemus tum antiqua in Epiſcopo Dolenſi ſub Innocent. III. & Bambergenſi, tum noviora in Epiſcopo Paſſavienſi, tum noviſſime in Epiſcopo Herbipolenſi,

(a) Sic enim habet Nicolaus I. in reſponſ. 73. ad conſulta Bulgarorum: *Ita Galliarum omnes & Germaniæ, & aliarum regionum Archi-Epiſcopos agere, ut Pallium recipiant.*

(b) Can. 1. vid. Pertſchius.

Digitized by Google

ſi, quidquid contradixerit Archi-Epiſcopus Moguntinus, aliique Archi-Epiſcopi Germaniæ.

Fundamenta & rationes controverſiæ in cauſa Pallii inter Eccleſiam Moguntinam & Herbipolenſem agitatæ.

Hac occaſione quæſitum fuit, utrum Pontifex irrequiſito Archi-Epiſcopo uſum Pallii concedere valeat Epiſcopis ſubjectis? Dico notanter *ſubjectis*: aliis enim Epiſcopis exemptis, & ſoli Sedi Pontificiæ ſubordinatis poſſe indulgeri (c), & ſæpius fuiſſe conceſſum uſum pallii nemo negaverit. Proſtant in hac quæſtione varia ſcripta a Viris doctiſſimis Barthelio pro Eccleſia Herbipolenſi, & quodam innominato authore pro Metropoli Moguntina in lucem edita, quæ nobis omnia ad manus ſunt. Utriusque partis argumenta collegit, & variis animadverſionibus illuſtravit, & pro juribus Metropoliticis ſtrenue decertavit aliquoties a nobis citatus Pertſchius. Abſit, ut nos controverſiæ hujus arbitros interponamus, aut noſtrum calculum cuicunque parti adjiciamus. Interim pro aliquali notitia eorum, quibus hæc ſcripta ad manus non ſunt, quædam argumenta pro utraque parte facientia afferre licebit. Doctiſſimus Barthelius proram puppimque collocat in ſequentibus, & quidem 1mo in liberrima poteſtate Pontificis, vi cujus pallium poteſt concedere, quibus libuerit, dummodo id ſine præjudicio tertii faciat, aut ſi etiam de poteſtate ordinaria id nequeat, poterit de plenitudine poteſtatis. 2do ſe fundat in continua praxi, ex qua conſtat, quod uſum pallii Pontifex paſſim aut certe pluribus Epiſcopis conceſſerit. Fundat ſe 3tio in eo, quod Pontifex uſum pallii Epiſcopo Herbipolenſi conceſſum ita reſtrinxerit, & limitaverit, ut Archi-Epiſcopo Moguntino nec minimum ſit pertimeſcendum præjudicium (d). Hisce oppoſuere Moguntini Scriptores 1mo, quod poteſtas Pontificis attemperanda ſit SS. canonibus, decretis, & conſuetudinibus Eccleſiæ; neque Pontifex plenitudine poteſtatis uti poſſit, & debeat, niſi evidens neceſſitas Eccleſiæ id exigat, & nemini inferatur præjudicium, utpote quæ ipſi data eſt non in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ. Jam vero an non canones Conciliorum, decreta Pontificum, & conſuetudo ſolis Metropolitis uſum pallii velut proprium, tanquam notam characteriſticam, qua mediante a ſuis Suffraganeis diſcernerentur, vindicant? Et quænam illa fuit inevitabilis neceſſitas utendi plenitudine poteſtatis in concedendo uſu pallii? 2do quomodo verificabitur ſignificatio pallii in ſimplici Epiſcopo? quum utique pallium in Archi-

O 3 Epi-

(c) Tales ſunt Eccleſia Bambergenſis, & nunc Paſſavienſis.
(d) Vid. Barthelius, & Pertſchius cap. 7.

Digitized by Google

Epiſcopo ſignificet prærogativam amplioris poteſtatis, & Archi-Epiſcopalis officii. Quapropter ex liberiori conceſſione uſus pallii, quod hactenus ſemper fuit creditum eſſe ſingulare ornamentum Archi-Epiſcoporum, vileſcet illius pretium & æſtimatio, & in veſtimentum commune degenerabit. 3tio Innegabile eſt, quod Pontifices pluribus Epiſcopis uſum pallii diſpenſaverint: ſed quandonam, & quomodo id factum eſſe arbitramur? factum id fuit tempore Gregorii M. & ſuorum Succeſſorum, priusquam pallium effectum fuit *ornamentum ſolis Metropolitis proprium.* Ab eo autem tempore, ut plurimum Epiſcopi exempti illius uſum obtinuerunt; vel ſi qui Suffraganei obtinere moliti ſunt, contradixerunt, obſtiterunt, ſeſeque vehementiſſime oppoſuerunt Archi-Epiſcopi; Pontifices vero ipſi aliquoties illorum conſenſum requiſiverunt. An non Epiſcopo Dolenſi pallii uſum ſollicitanti id denegavit Innocentius III.? equidem quosdam Epiſcopos Galliæ pallii decus a Sede Romana accepiſſe legimus, ſed non niſi accedente conſenſu Metropolitani (e): An non Trevirenſis Archi-Epiſcopus ſe oppoſuerat, dum Epiſcopi Metenſes uſum pallii urgerent; & tandem in honorem Pontificis eatenus acquieverat, quatenus illius uſus ad dies vitæ Stephani Metenſis Epiſcopi fuit reſtrictus? An non ipſi Pontifices agnoverunt, hujusmodi conceſſiones vergere in præjudicium Archi-Epiſcoporum? & hinc Martinus V. uſum pallii interdixit Epiſcopo Paſſavienſi: eo quod hic uſus non poſſit non vergere in præjudicium Archi-Epiſcopi Salisburgenſis. Et quis neſcit, circa finem elapſi ſæculi Epiſcopum Friſingenſem aſpiraſſe ad uſum pallii, ſed deſtitiſſe, quando ab Archi-Epiſcopo Salisburgenſi fuit contradictum? Demum permittamus talem uſum, neſcio, quibus clauſulis reſtringi, limitari, & coarctari, experientia tamen conſtat, quod omnes ſimiles clauſulæ partum aut nihil proficiant; neque per illas omne præjudicium ſufficienter præcaveri valeat. Denique quis neſcit, ne quidem Patriarchas Orientis fuiſſe paſſos, ut Polyſtaurion commune fieret ornamentum Epiſcoporum (f)? Hæc in neutrius præjudicium dicta volumus.

De modo impetrandi & concedendi Pallium. De modo impetrandi, & concedendi pallium pauciſſima diſſerere lubet. Diverſus fuit modus impetrandi, & conferendi pallium. Sæpe ſæpius ad preces Epiſcoporum præcedentes pallium fuiſſe collatum exempla habemus in Epiſcopis Arelatenſibus. Non raro intervenere

Aliquoties ad preces Im-

(e) Cit. Pertſchius loc. cit. §. 33.
(f) Thomaſ. part. 1. lib. 2. cap. 49.

venere preces Regum, Imperatorum, & Reginarum, vel Epiſcoporum: ſic enim pro Sabaudio Arelatenſi intervenit Childebertus Rex; pro Syagrio Auguſtodunenſi Brunechildis Regina; pro Turpino Rhemenſi Carolus M.; pro tribus Archi-Epiſcopis Galliæ Bonifacius. Aliquoties Pontifices motu proprio pallium conceſſerunt, uti Gregorius M. Dono Meſſanenſi, Joanni Syracuſano, Joanni Panormitano, Leandro Hiſpalenſi; Greg. II. Auguſtino Angliæ Apoſtolo, Epiſcopis Londinenſi & Eboracenſi. Sæc. IX. non niſi ad preces Metropolitarum Pontifices miſerunt pallium, prohibentes, ne ante illud obtentum ſuo fungantur officio. Sæc. X. Metropolitæ per Legatos & Procuratores illud petere, & literas vel propria manu exaratas, vel ſaltem ſubſcriptas mittere conſueverunt (g). Sæc. XI. quidam Metropolitæ nullo jure cogente Romam perrexerunt pallio exornandi (h). Poſtea a Gregorio VII. neceſſitas fuit injuncta in propria perſona illud Romæ petendi (i): quæ tamen ſucceſſu temporis iterum fuit remiſſa, neque ultra duo Sæcula duraſſe legitur (k). Petebatur ab ætate Gregorii I. a petentibus fidei profeſſio ſine promiſſione obedientiæ & fidelitatis usque ad Zachariam Pontificem. Poſtea Bonifacius introduxit profeſſionem obedientiæ contranitentibus ex poſt quibusdam Metropolitis. Formulam profeſſionis Gregorius VII. transmutavit in Juramentum fidelitatis, cujus formula adhuc legitur, mutatis tamen vel additis quibusdam, in Pontificali Romano, illudque in hodiernam usque diem præſtare obligantur tam Metropolitæ, quam Epiſcopi, priusquam vel conſecrantur, vel pallio induuntur. Primus, qui illud præſtitiſſe legitur, fuit Henricus Aquilejenſis Archi-Epiſcopus in Concil. Rom. VI. De hoc juramento infra recurret mentio. Solebant inſuper Pontifices in collatione pallii ſalubria Epiſcopis dare & ſuperaddere monita, de quibus videatur Pertſchius.

peratorum & Regum; aliquoties conceditur motu proprio.

Ab impetrantibus olim requirebatur promiſſio fidelitatis & obedientiæ.

Gregorius VII. mutavit in juramentum, quod omnes præſtare tenentur.

Quis primus juraverit.

Modus petendi & conferendi pallium hodie uſitatus eſt ſequens: hodie ergo pallium communius petitur per Procuratorem ſpecialiter ad

Modus petendi & conferendi hodie uſitatus.

(g) Exemplum eſt in Pilgrimo Laureacenſi Præſule, prout legere eſt in epiſt. ad Benedictum VIII. data.

(h) Fecit hoc Adalramus Salisburg. Archi-Epiſcopus, & ab Eugenio II. illud obtinuit; item Elphegus Cantuarienſium Epiſcopus.

(i) Exempla hujus rei plura affert Thomaſ. loc. cit. & Pertſchius cap. 10. §. 9. item Petrus de Marca.

(k) Vid. Thomaſ. lib. 2. cap. 57. N. 5. neque hujus neceſſitatis amplius occurrit mentio in Decret. Greg. ad Tit. de auth. & uſu Pall.

Digitized by Google

ad id delegatum, & quidem juxta formulam conſuetam *inſtanter*, *inſtantius*, & *inſtantiſſime*, petique debet intra tres menſes poſt confirmationem & conſecrationem: ſecus Prælatus jure ſibi exinde quæſito excidit (l). Itaque die ſtatuto Procurator venit ad locum deſtinatum, qui communius eſt vel capella domeſtica Cardin. Diaconi, vel ipſa Eccleſia Apoſtoli Petri, & in ea altare majus. Ubi igitur Cardinalis cum ſuis Capellanis, & uno ex Subdiaconis apoſtolicis, quibus ex dictis cura conficiendorum, & aſſervandorum palliorum incumbit, advenit, præfatus Subdiaconus pallium in medio Altaris expanſum reponit; ipſe autem Archi-Epiſcopus, vel Procurator nomine illius ad Cardinalem ad cornu Evangelii ſtantem accedens procumbit in genua, & ſub forma conſueta: *Ego N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime peto mihi tradi, & adſignari pallium de corpore B. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Paſtoralis officii*, petit pallium, & tunc Cardinalis de altari ſumit Pallium, illudque humeris procumbentis Prælati ſub certa verborum formula ſuperimponit. Poſtea Cardinalis Prælatum, vel ejus procuratorem recipit ad oſculum pacis, & Clericus ceremoniarum de humeris accipit pallium, & præſentibus teſtibus deſuper inſtrumentum publicum confici rogitat. His peractis Procurator pallium in loco ſacro aſſervat, & demum in vaſculo ex argento fabricato ad Archi-Epiſcopum mittitur. Olim nihil dandum erat pro pallio, & quævis exactio ſeveriſſime erat prohibita (m). Hodie multo & ingenti ære ab Archi-Epiſcopis Germaniæ potiſſimum eſt redimendum, ſuper quo aliquoties ſua gravamina depoſuerunt Germani. Quo modo pallium poſtea conferatur Archi-Epiſcopo, videri poteſt in Pontificali Romano.

Hodie pallium multo ære redimendum.

Uſus pallii fuit varius, olim unice ad miſſarum ſolemnia pertinuit.

De uſu & authoritate Pallii quædam ſuperaddere liceat. Olim uſus pallii unice ad Miſſarum ſolemnia pertinuit; & quidem in Gallia ex Concilio Matiſconenſi ita neceſſarius reputabatur, ut Archi-Epiſcopo ſine pallio miſſas dicere non liceret (n); & Gregor. M. ad Joannem Ravennatenſem ornamento pallii etiam in Litaniis ſolemnibus utenti reſcribere non dubitaverit, de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus eſſe auditum, quod extra miſſarum tempus pallii uſum ſibi vindicet; & contraria praxis ſit contra omnium Metropo-

(l) Can. 1. diſt. 100.
(m) Can. 3. diſt. 100. vid. Epiſt. IV. Zachariæ Concil. Tom. VIII.
(n) Can. 6.

Digitized by Google

ropolitanorum conſuetudinem (o). Quare idem Pontifex in conceſſione pallii Syagrio Auguſtodunenſi, Leandro Hiſpalenſi, & Maximo Salonitano facta illius uſum ad ſacra tantum miſſarum ſolemnia reſtrinxiſſe legitur (p). In omnibus tamen ſuis reſcriptis Pontifices ad mores & conſuetudines Eccleſiarum provocarunt (q). Poſtea ad certa etiam loca, tempora, & actus fuit reſtrictus uſus pallii, cujus innumera exempla exhibet Pertſchius (r). Jam Sæc. IX. Pontifices dies certos & fixos, & Feſta ſolemnia determinarunt, quibus uti pallio liceret, id quod in hodiernam usque diem facere conſueverunt. In Miſſis tamen defunctorum nullus eſt uſus pallii. Soli Patriarchæ Conſtantinop. Eccleſiæ Latino Innocentius III. indulſit, ut in ſepulturis Imperatorum, aliorumque Magnatum ac Principum uti poſſit (s). Quondam uſus pallii ad ſolam Eccleſiam fuit reſtrictus: placuit vero ex poſt Pontificibus, ut ſub nomine Eccleſiæ veniret tota provincia (t).

Ad certa loca tempora & actus fuit reſtrictus.

Etiam ad certa feſta.

An in Miſſis de requiem uſum habuerit?

De eo diſputant DD. num Archi-Epiſcopus pallio uti poſſit in Eccleſiis ſuæ provinciæ exemptis? proſtat contra Archi-Epiſcopos præjudicium apud Andream Savſſay (u), qui refert, quod dum ſub Franciſco I. Cardinalis Ludovicus Burbonius in Abbatia S. Dionyſii exempta pallio ornatus divina celebraret, Prior monaſterii exemptionem oppoſuerit; Cardinalis vero ipſe ex poſt id a ſe fieri non debuiſſe faſſus fuerit. Quod ſi rationibus dimicare liceret, haud difficile nobis accideret, hanc poteſtatem Archi-Epiſcopis vindicare, maxime, ſi ad tempora antiquiora provocare vellemus, quibus credebatur

An in Eccleſiis ſuæ Diœce, eos exemptis?

Quid olim pallium ſignificaverit?

(o) Graviſſima erat controverſia inter Greg. M. & Epiſcopos Ravennatenſes: eo quod iſti pallio uterentur in Lytaniis majoribus. Et eo res devenit, ut Succeſſor Joannis Ravennatenſis ſuper tumulum S. Apollinaris per ſanctiſſimam Trinitatem & corpus Martyris jurare debuerit, quod ante tempora Joannis Ravennatenſis Epiſcopi Ravennatenſes pallium extra Eccleſiam in Lytaniis geſtaverint.

(p) Lib. 7. epiſt. 113. 126. Greg. M.

(q) Sic quando Symmachus Epiſcopo Laureacenſi conceſſit uſum pallii, addidit: *utere ſecundum morem Eccleſiæ.*

(r) Cap. 11. §. V. & ſeq.

(s) Legitur hoc in Regeſtis Innocentii III. cap. 98.

(t) Cap. 1. de auth. & uſu pallii.

(u) De Myſt. Gall. ſcript. Rit. 4. cap. 10.

Digitized by Google

tur pallium dari non in ſignum plenitudinis paſtoralis officii, ſed in ſignum unitatis, vel concentrationis cum Sede Romana, in ſignum ſubjectionis reſpectu Pontificis, & immunitatis ſimul reſpectu aliorum Epiſcoporum, & vel maxime etiam tanquam ornamentum ſingulare in ordine ad divina cum majori ſolemnitate celebranda. Et quare plenitudinem paſtoralis officii & amplioris jurisdictionis in Eccleſia exempta pallium ſignificare non deberet, non quidem in hanc, ſed in alias eccleſias exercendæ? profecto Archi-Epiſcopum poſſe geſtare pallium ſaltem de licentia Pontificis extra provinciam nemo dubitat, & tamen jurisdictionis ſignificationem tunc habere nequit. Et anne datur aliqua Eccleſia, quæ tam ampla exemptione gaudet, ut in nullo caſu Epiſcopo vel Metropolitæ ſubjaceat? certe ipſa Synodus Tridentina, & authores paſſim plures recenſent caſus e. g. quoad celebrationem Feſtorum, in quibus exempti Epiſcopis ſubjacent, eorumque ſtatuta obſervare tenentur.

Habet ſuam ſignificationem etiam in Eccleſiis exemptis.

Alia pallii ſignificatio antiquior, & alia novior.

Quantum ad authoritatem pallii mox antea dictum, quod olim neutiquam plenitudinem paſtoralis officii ſignificaverit, ſed magis in ſignum unitatis, communionis, ſubjectionis, & velut ornamentum ſingulare, quo in celebratione divinorum utendum foret, conceſſum fuerit, cujus opinionis ipſe S. Bonifacius, qui uſum pallii per Galliam & Germaniam propagavit, fuiſſe videtur: quum expreſſe addat in Can. Synodali, ut pallium recipiant, & in *obedientia & fidelitate ſtent &c.* quamquam hic ipſe ex poſt, dum quidam metropolitæ id recipere tergiverſarentur, illis perſuaſerit, quod pallium in ſingulare ornamentum concedatur. Paulo poſt Paſchalis I. ſcripſit, per pallium ſignificari *honorem Sacerdotalis Officii*, & demum Urbanus II. cum pallio indulgeri *totius Sacerdotalis dignitatis plenitudinem.* Qua loquela poſtea uſi ſunt omnes illius ſucceſſores Gelaſius, Honorius, Alexander III. Lucius III. Innocentius III. &c.

De juramento a Metropolitis & Epiſcopis præſtando.

De myſtica ſignificatione pallii, lanæ, faſciarum, crucum, linearum, acuum &c. nimis longum foret dicere (x). Quare de juramento a Metropolitis & Epiſcopis ante conſecrationem & receptionem pallii Pontifici præſtando, de quo jam ſupra, dicamus. Atque hoc eſt illud juramentum, quod hodierni Proteſtantes velut iniquum, injuſtum, libertatibus eccleſiarum, juribus Epiſcoporum, quin & Imperatorum Germaniæ,

(x) Vid. Franc. Florens Comment. ad Tit. de auth. & uſu pallii. Item de Braſion de pallio Archi-Epiſ. Innocent. III. lib. de Myſter. Miſſ. Item Pertſch. loc. cit. cap. 12. §. VI. & ſeq.

Digitized by Google

maniæ, & toti Imperio Romano ſumme præjudicioſum criminantur. Itaque, ſicut diximus, olim ſimplex facienda promiſſio fidei, poſtea authore Bonifacio fidelitatis & obedientiæ, quæ dein a Gregorio VII. in ſolemne transmutata fuit juramentum, licet adhuc ſub judice lis ſit, utrum ipſe hujus juramenti ſit author. Huic juramento ſe quosdam variorum regnorum Epiſcopos oppoſuiſſe ſat aperte colligitur tum ex cap. 4. de elect. & elec. pot. tum ex alia epiſt. Paſchalis ad Archi-Epiſcopum Poloniæ data, in qua Hungaris & Polonis præſtationem hujus juramenti perſuadere omnibus modis nititur, tum ex mox dicendis: & quod magis eſt, ſcribunt hodierni Proteſtantes, quod quidam Germaniæ Epiſcopi conſcientiæ ſibi duxerint talia juramenta utpote Eccleſiarum ſuarum, & totius Imperii juribus ſumme nociva præſtare, atque de talibus juramentis tollendis, vel temperandis conſilia publica fuerint agitata. Hujus rei probandæ cauſa afferunt duo exempla unum Hermanni Archi-Epiſcopi Colonienſis, qui, quum an. 1544. reformationem inſtituere vellet, & a Capitulo Cathedrali juramentum ab ipſo depoſitum objiceretur, reſpondiſſe fertur, nullum pactum, *nullum jusjurandum, quo Dei honos violatur, vim obligandi habere ullam.* Alterum ex medio Sæc. XVI. afferunt de Wilhelmo Kettler electo Epiſcopo Monaſterienſi, qui graviſſimis conſcientiæ ſtimulis pulſatus, utrum ſalva conſcientia illud juramentum deponere valeat, deſuper conſuluit Joannem Caſſandrum Theologum. Hic ergo inter alia Epiſcopo neo-electo conſuluit, ut, priusquam ſolemne deponeret juramentum, vocaret Notarium publicum cum teſtibus, & coram his ſuam ſolemniſſimam proteſtationem interponeret, quod per ſuum juramentum ad nihil ſe velit obligare, quod vel honori Dei, vel ſuæ conſcientiæ, vel bono ſuæ Eccleſiæ foret contrarium. Hunc ipſum morem faciendi proteſtationes in una, alterave alia Eccleſia obſervari ſcimus. Verum ut hoc faceret præfatus Epiſcopus, perſuaderi non potuit: quare maluit Epiſcopatum reſignare, quam tale juramentum præſtare (y). Cauſam horum ſi ex Proteſtantibus quæras, dant ſequentem: nempe hoc ipſo, quod Principes eccleſiaſtici juramento ſint devincti Pontifici, huic obediendum obtemperandumque erit potius quam Imperatoribus, & legibus Imperii fundamentalibus. Inde quid ſequetur niſi tumultus in publico, contradictiones in comitiis, adverſa conſilia in tractandis negotiis publicis?

Huic juramento ſe vehementer oppoſuerunt quidam Epiſcopi, imo illud deponere ſibi conſcientiæ duxerunt

Quid pro conſcientia relevanda agere ſoleant?

Defenditur Pallium contra obtrectationes & calumnias Proteſtantium.

Ex hactenus adductis patet, quid de pallio & juramento a Metro-

P 2

(y) Vid. diſſertatio, quam de juramentis Principum Eccleſ. edidit Buderus, Jenæ impreſſa 1748.

Digitized by Google

politis & Epiſcopis Pontifici præſtando ſentiant DD. Proteſtantici, a quibus parum diſtant quidam etiam Catholici: noſtrum itaque erit utrumque vindicare. De pallio ſi loquamur, illud iisdem prorſus argumentis vindicatur, quibus Vicariatum apoſtolicum vindicavimus. Primas eſt Pontifex, Caput Eccleſiæ eſt: & cur unitatem inter caput & membra conſervare, ſtabilire, & communire non liceat? eccur ad fidelitatem & obedientiam ſibi debitam obligare non valeat? num ſolus Pontifex adeo miſeræ, ac miſerrimæ conditionis eſſe debet, ut a ſuis ſibi ſubjectis fidelitatem & obedientiam exigere non poſſit? an non jam antea hunc primatum ſuſpexere Metropolitæ & Epiſcopi omnes in ſuis conſultationibus, relationibus ad Sedem pontificiam factis? pro quo ſtabiliendo nihil aptius aut opportunius viſum fuerat, quam in ſignum communionis per aliquod ſignum externum invicem communicare. Profecto nemo nobis perſuadebit, ut credamus, quod Pontifices de fictitia illa ſervitute humeris Epiſcoporum ſuperimponenda, juribus Metropolitarum ſupprimendis, ſuoque principatu diffundendo cogitaverint, vel ſomniaverint, prout DD. Proteſtantici ſomniant. Ab illo tempore, quo pallium fuit conceſſum, authoritatem Metropolitarum quodammodo fuiſſe diminutam, negare non poſſumus. Num vero uſus pallii, illa profeſſio fidelitatis & obedientiæ in cauſa fuerint, divinare non audemus. Lubeat non nihil illorum temporum præcipue Sæc. X. XI. & XII. circumſtantias perluſtrare, diſſidia inter Pontifices & Imperatores, ſchiſmata per Principes ſæculares conflata, fota, & aucta, quibus pleroſque Germaniæ Epiſcopos implicatos fuiſſe, ita ut eorum pauciſſimi fuerint, qui Pontifici adhærerent, nemo ignorat, nundinationes Epiſcopatuum, aliaque: & quis vitio vertere poterit Pontificibus, quod arctiori vinculo ſibi devinxerint Epiſcopos, quos aliquoties partibus Imperatorum ſua poteſtate abutentium, & ipſa jura epiſcopalia invadentium inhæſiſſe compertum habebant? Anne exiſtimamus, quod Metropolitæ & Epiſcopi ſua jura, privilegia, & prærogativas, in quorum legitima poſſeſſione in hodiernam usque diem exiſtunt, conſervaturi fuiſſent, niſi Pontifices ſeſe machinationibus poteſtatum ſæcularium velut murum æneum oppoſuiſſent? Agendum erat non modo de poteſtate Pontificum, ſed etiam Epiſcoporum tum conſervanda tum ſtabilienda. Utramque labefactatam, attritamque fortaſſis lugerent Epiſcopi Germaniæ, ſi authoritate Pontificis non fuiſſet ſuffulta. Id cæteroquin innegabile eſt, quod neſcio cujus culpa magna jurium pars Metropolitis & Epiſcopis fuerit ſubtracta, & Pontifici reſervata. De Hermanno Colonienſi, & Wilhelmo Monaſterienſi

Miſerrima tempora Sæc. X. XI. & XII.

Metropolitæ & Epiſcopi debent conſervationem ſuorum jurium Pontificibus.

ſatius

ſatius eſt tacere, quam multa dicere: utriusque fata aliunde nota ſunt. Neque ex hoc juramento tam grandia pertimeſcenda ſunt præjudicia Imperatoribus & Imperio, & propriis Eccleſiis Epiſcoporum, ac ſomniant Proteſtantes: quum juramenta non obligent in præjudicium tertii; & in tantum ſervanda ſint, in quantum ſervari poſſunt ſine præjudicio tertii: ſua ſervanda fides Eccleſiæ univerſali, ſua imperio, ſua Eccleſiis propriis. *Nil præjudicii ex hoc juramento timendum.*

§. XII.

Acturi de ſynodis Germaniæ & Galliæ quædam generalia præmittere neceſſum duximus: & quidem quadruplicis Generis ſynodi pro recta intelligentia ſynodorum in Gallia & Germania celebratarum ſunt diſtinguendæ, nempe *Regionales*, id eſt, *Nationales*, ſeu *Diœceſanæ*, *Majores*, *Provinciales*, & *Regiæ*. Primi generis, id eſt, *Regionaria*, ſeu *Diœceſana* Concilia illa erant, ad quæ totius regni, Exarchatus, vel Diœceſeos confluebant Epiſcopi, & paſſim vocabantur *Generalia*, & hæc in Gallia poſt diviſionem imperii inter filios Clodovæi erant duplicis generis, nempe vel ex pluribus, vel ex paucioribus provinciis conflata: in eo tamen differunt concilia *Nationalia* in Germania, & Gallia celebrata a conciliis *Diœceſanis*, quod *Diœceſana* a *Diœceſibus* juxta diviſionem imperii conſtitutis (z); *Nationalia* a *regno* ex pluribus provinciis coadunato fuerint dicta. Originem ſynodorum *Diœceſanarum* Petrus de Marca a diviſione imperii in quatuor *Diœceſes* facta; *Nationalium* ab Imperatoribus Valente, Gratiano, & Valentiniano derivat (a). Hujusmodi Concilia, ſi de antiquioribus temporibus loquamur, jure optimo dici poſſunt illa, quæ a Stephano in cauſa rebaptizantium, & a Victore in cauſa Quartodecimanorum leguntur eſſe celebrata, ſicut & pleraque Carthaginenſia Africæ. In eo autem cit. author ponit diſcrimen inter Concilia generalia Orientis, & generalia Occidentis, quod priora hoc ipſo, quod fuerint a Patriarcha convocata, ſupremæ; poſteriora inferioris fuerint authoritatis, eo quod provinciæ Galliæ, & Germaniæ ſupremam Romani Patriarchæ authoritatem colerent (b). Concilia *Nationalia* antiquitus ab Epiſcopo Trevirenſi fuiſſe *Quadruplicis generis ſynodi in Gallia & Germania.* *Nationales probabiliter convocavit Trevirenſis Epiſcopus.*

(z) Olim Romanum imperium in quatuor Diœceſes fuiſſe diviſum, quarum quælibet integra regna, & plures provincias complectebatur, alibi diximus.

(a) De concord. lib. 6. cap. 17.

(b) Loc. cit. cap. 20.

ſe convocata, cum fuerit Metropolita per Diœceſin Galliæ & Germaniæ, haud ex vano ſuſpicatur citatus author (c). Hanc poteſtatem poſtea ambiiſſe, ſibique arrogaſſe Epiſcopum Arelatenſem, poſtquam Sedes præfecti Prætorii Arelaten fuit translata, ex dictis cap. præced. conſtat. Hæc concilia ex ſtatuto ſynodi Agathenſis ſaltem ſemel in anno, & ex præſcripto ſynodi Matiſconenſis ſingulis trienniis celebranda erant: ſed nec unum, nec alterum fuit obſervatum (d). *Præcipue vero Rex.* Convocatio harum ſynodorum ad Reges pertinebat, ita tamen, ut auctoritas Metropolitarum non fuerit excluſa: nam ad hos Reges dabant literas, quibus acceptis Metropolita major cæteros Metropolitas, & Epiſcopos convocabat (e). Sub Caroli M., ejusque ſtirpis imperio bis in anno habebantur concilia generalia, quæ tamen potius ad comitia, de quibus §. ſeq. agemus, ſunt referenda. In his ſynodis Gallicanis condebantur novi canones, dummodo non eſſent contrarii canonibus conciliorum univerſalium, & definitivo judicio terminabantur cauſæ eccleſiaſticæ, quæ ſynodis particularibus videbantur difficiliores. In cauſis majoris momenti, quarum deciſio Epiſcopis in ſynodo congregatis videbatur difficillima, conſulenda erat Sedes apoſtolica (f).

Synodi majores. Secundi generis Concilia dicebantur Majora, & erant extraordinaria, & convocabantur ab Imperatoribus & Regibus ad judicandas appellationes eorum, qui a judiciis ſynodi Provincialis provocaverant.

Synodi provinciales. Tertii generis erant ſynodi *Provinciales*, quales bis in anno celebrari præcepit ſynodus Nicæna I., licet in Gallia & Germania id non fuiſſe ſemper obſervatum legamus. Synodi iſtæ convocabantur a Metropolitis, & in his decidebantur cauſæ majores, ita tamen, ut in cauſis fidei, & diſciplinæ eccleſiaſticæ fieret conſultatio & relatio ad Pontificem. Cæteræ cauſæ maxime judiciales ultimato judicio harum ſynodorum decidebantur, quin appellationi ad Pontificem locus fuerit conceſſus. Alia igitur via damnatis non ſuppetebat, quam ut Principi ſupplicarent, quatenus ipſe per reſcriptum juberet, ut cauſa de novo in Synodo *majori* diſcuteretur. Atque hæc celebrandi ſynodos provinciales conſuetudo in Occidente ad Sæc. usque nonum perduravit, quo ſucceſſive fuit abolita. Qua ratione id factum fuerit, jam in anterioribus dictum fuit (g).

Quarti

(c) Lib. 6. cap. 17. N. 4.
(d) Thomaſ. Tom. II. cap. 48. N. 9.
(e) Idem Petrus de Marca lib. 6. cap. 13.
(f) Idem cap. 21. (g) Idem loc. cit.

Digitized by Google

Quarti generis erant Concilia *Regia*, quæ in eo differebant a ſynodis *Eccleſiaſticis*, quod iſtæ cauſas ſingulares; illæ vero generales ad diſciplinam Eccleſiæ & Reipublicæ pertinentes diſcuterent, adeo, ut ſi quæpiam ſynodus eccleſiaſtica novos canones condidiſſet, non antea rati fuerint, niſi Concilio Regio examinati, & confirmati eſſent. Hæc concilia fuere frequentia ſub Pipino, Carolo M., Ludovico Pio, & Carolo Calvo, & ad ea non modo Epiſcopi & Abbates, ſed etiam Magnates & Proceres fuere vocati: verum quoniam hæc concilia *Regia* conveniunt cum comitiis, de iis §. ſequenti dicemus. *Synodi Regiæ.*

Jam Concilia tam *Nationalia*, quam *Provincialia* Galliæ & Germaniæ recenſenda veniunt. Concilia *Nationalia* & Gallica, & in certo ſenſu ſupra explicato *generalia* Thomaſſinus a tempore Clodovæi usque ad Carolum M. refert ſequentia, *Agathenſe*, *Aurelianenſia quinque*, *Pariſienſe* II. & III. *Lugdunenſe* II., *Turonenſe* II., & *Matiſconenſe* (h): *Nationalia* Germaniæ videri poſſunt apud Joſephum Hartzheim (i). Tempore Caroli M. in uſu erant Concilia *Regia*, ſeu *Comitia*, de quibus §. ſeq. Ulterius de Carolo M. refert Eginhardus (k), quod, quum jam provectæ eſſet ætatis, anno 813. juſſerit, ut Epiſcopi Galliarum conventus eccleſiaſticos agerent in quinque locis, id eſt apud Arelatenſem urbem, Moguntinam, Rhemenſem, Turonenſem, & Cabilonenſem, id quod Epiſcopi fideliſſime ſunt executi. *Recenſentur Concilia Nationalia.*

Inter omnes ſynodos tempore Caroli M. celeberrima eſt ſynodus Francofurtenſis an. 794. celebrata. Hac in ſynodo ſequentia potiſſimum diſcuſſa & deciſa ſunt: 1mo examinata fuit cauſa Elipandi Archi-Epiſcopi Toletani, & Felicis Epiſcopi Urgellenſis, qui in ſynodo Romana antea damnati fuerant, quod docerent Chriſtum non fuiſſe *naturalem*, ſed *adoptivum* filium Dei, & in hac ſynodo ſententia Concilii Romani fuit confirmata. 2do deliberatum fuit, an ſynodus Nicæna II., quæ adorationem imaginum præceperat, tanquam ſeptima ſynodus œcumenica foret recipienda, & in Can. 2. decretum fuit, illam ſynodum eſſe repudiandam rejiciendam & damnandam: ubi tamen animadvertendum, quod hæc quæſtio utpote ad dogma fidei pertinens a ſolis Epiſcopis fuerit definita. 3tio Thaſſiloni Duci Bojariorum, qui ad ſynodum acceſſerat, ut veniam a Carolo peteret, venia data eſt a Rege. 4to controverſia inter Archi-Epiſcopos Viennenſem & Arelatenſem definita fuit. 5to *Synodus Francofurtenſis valde eſt celebris. Præcipua illius capita.*

(h) Tom. II. lib. 3. cap. 48.
(i) Concil. Germ. Tom. I. de Concil. Germ. Sæc. VI. VII. & VIII. celebratis.
(k) Ad annum 813.

Digitized by Google

5to cauſa Gebodi Epiſcopi agitata fuit, & poſtquam illius ordinationem perperam eſſe factam deprehenſum fuit, Metropolitanus, & Epiſcopi eum deponere juſſi ſunt. Ingens hic occurrit difficultas magna animorum contentione agitata inter DD., qua nempe ratione ſynodus Francofurtenſis ſynodum Nicænam II. rejicere, & damnare potuerit; & quid de hac damnatione ſit ſentiendum? communis ferme eſt reſponſio DD., ſynodum Francofurtenſem errore facti deceptam fuiſſe: eo quod Patres in eadem congregati crediderint, a ſynodo Nicæna tale adorationis genus imaginibus exhibendæ fuiſſe ſtatutum, quale debetur ſupremo Numini. Verum an hoc modo nodus iſte Gordius ſufficienter ſolvatur, Theologis decidendum relinquimus (l). Aliud adhuc Concilium Germanicum ad Sæc. IX. refert Douiat, nempe Moguntinum an. 888. ſub Stephano V. alias VI. occaſione inaugurationis Arnulphi Germaniæ Regis habitum. Cui addatur Concilium Aquisgranenſe de an. 809. De aliis minoribus videatur mox antea citatus Hartzheim loco citato.

Damnavit ſynodum Nicænam II. errore facti.

§. XIII.

De Comitiis quid fuerint?

A ſynodis ad *Comitia* tranſitum facimus, quæ paſſim cum ſynodis *Regiis* ſolent confundi. Itaque Comitia Francorum nihil aliud erant, quam Conventus Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque Procerum, & Magnatum Imperii ab ipſo Imperatore, vel Rege in palatio regio ſub præſidio vel Regis, vel Comitis Palatii congregatorum, ut in iis de rebus concernentibus ſtatum publicum ſeu Eccleſiæ ſeu imperii tractaretur. Hæc Comitia jam ſub ſtirpe Merovingica erant in uſu, & frequentius convocabantur, licet non ſingulis annis. Hac ſtirpe concidente annis ſingulis, ſub ſtirpe Carolingica bis in anno habebantur. Ad ea ipſe Rex convocabat, & in duas claſſes dividebantur, quarum primam occupabant Epiſcopi & Abbates; ſecundam Duces, & Comites. In ſeparato conventu, quem ſynodum vocabant, agebant Prælati eccleſiaſtici, & in alio Proceres & Magnates cum ipſo Rege. Hisce addit Thomaſſinus conventum tertium ſub ſtirpe Carolingica ſuperadditum, in quo conſultabant Abbates cum probatis Monachis de rebus monaſticis (m). Paſſim hæc Comitia vocantur Placita, Conventus Generales, Synodi, Conſilia, & Concilia, quamquam nomen ſynodi Conventui Epiſcoporum ordinarie fuiſſe attributum legamus. Sub ſtirpe

Quomodo convocata & celebrata?

(l) De hoc vid. Mabillonius in præfat. ad Sæc. IV. Bened.
(m) Tom. II. lib. III. cap. 51.

Digitized by Google

ſtirpe Hugonis Capeti hæc comitia dicuntur Parlamenta: interim Parlamenta hodie toto cœlo differunt a Comitiis antiquis. Poſtquam hi Conventus ſuas ſeſſiones, conſultationes & negotia abſolverunt, exordium denique ſumpſit Conventus communis, in quo tum cauſæ communes ad ſtatum utriusque Reipublicæ tam Eccleſiaſticæ, quam Politicæ pertinentes diſcuſſæ, definitæque fuerunt, tum negotia & eccleſiaſtica & ſæcularia antea in conventibus ſeparatis diſcuſſa toti conſeſſui fuere propoſita, deſuper deciſiones factæ, & communi omnium conſenſu approbatæ, & tunc primum reſolutiones præconceptæ dicebantur Capitularia, de quibus cap. V. agemus.

Summa tunc Communio inter Statum eccleſiaſticum & politicum. Communi conſilio negotia majoris momenti terminata.

Hæc ideo dicta volumus, ut inde appareat, quanta tunc temporis fuerit communio, unitas, & concentratio inter ſtatum Eccleſiaſticum, & Politicum, inter Reges, & Epiſcopos, inter Prælatos Eccleſiaſticos, & Magnates, ac Proceres Imperii; & quomodo cauſæ Eccleſiaſticæ non a ſolis Imperantibus, aut eorum Proceribus, ſed communi conſilio utriusque ſtatus eccleſiaſtici & politici fuerint diſcuſſæ, deciſæ & terminatæ: & ita quidem, ut Præſules eccleſiaſtici in negotiis non modo eccleſiaſticis, ſed etiam ſæcularibus ſua præ Ducibus, & Comitibus tulerint ſuffragia, quod ut & hodiernis temporibus fiat, optandum foret, ſperari tamen vix poteſt. Fuſius hanc materiam de Comitiis examinat Thomaſſinus (n) aliique Galliæ & Germaniæ Scriptores.

§. XIV.

Intimus inter Statum Eccleſiaſticum & politicum illorum temporum nexus oſtenditur.

Recto Diſſertationis noſtræ filo ad explicandum nexum inter ſtatum eccleſiaſticum & politicum ducimur. Eſt hæc materia rei gravitate, & difficultatum magnitudine nulli ſecunda. Quare nihil nobis magis in votis eſt, quam ut tantum nobis virium, ingenii, eruditionis, & temporis foret, quantum ad hunc nexum pro meritis illuſtrandum a nobis requiri haud ignoramus: quum enim hodierni Proteſtantes in eo magnopere deſudent, ut ex hispotiſſimum Sæculis argumenta pro ſtabiliendo *jure in ſacra* in ſuos Principes neſcio qua perturbati animi inconſiderantia & exceſſivo Religionis ſuæ dilatandæ ſtudio quam liberaliſſime translato emendicent, haud exiguum nos Eccleſiæ obſequium præſtituros confidimus, ſi monſtratum a nobis fuerit, quod hoc potiſſimum ævo indivulſo nexu Eccleſia cum Imperio fuerit conglutinata,

(n) Tom. II. lib. 3. a cap. 43. & ſeq.

Digitized by Google

nata, fineſque inter Eccleſiam & Imperium ita directi, ut, quæ ſunt DEI, DEO, &, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari fuerint data, ſecus ac volunt DD. Proteſtantici, qui, quidquid eſt juris in materia ſive fidei & Religionis, ſive diſciplinæ, ſive jurisdictionis ſacræ, in ſuos Principes transferunt, tanto ſe jam feliciores exiſtimantes, quanto remotiores a jugo papali exiſtunt, cæterum parum curantes, quod longe gravius jugum ſuis humeris portandum ſuperimpoſuerint. Equidem quod plebs & vulgus jugum illud non ſentiat, facile elargimur, utpote quibus effrœnis conſcientiarum libertas omni auro argentoque eſt pretioſior: utrum vero viri docti, & eruditi, quibus datum eſt intimius Myſteria Religionis & Eccleſiæ perſcrutari, interne non doleant, & commiſſum in erigendo ſyſtemate Religionis ſuæ errorem non deplorent, nobis perſcrutari non licet: ſcrutabitur ille, qui corda & renes ſcrutatur DEUS (o). Itaque in id nobis præcipue erit incumbendum, ut nexum inter Pontifices & Imperatores; & poſtea inter Imperatores & Epiſcopos tam in materiis fidei & Religionis, quam etiam diſciplinæ eccleſiaſticæ oſtendamus, quibus ita conſtitutis argumentis in contrarium afferri conſuetis obviabimus, & pro majori hiſce rebus lumine affundendo Jura eccleſiaſtica, quæ ſibi Imperatores & Reges vindicarunt, & ea, quæ hodierni Proteſtantes ſuis adſcribere Principibus conſueverunt, velut parallela collocabimus, ut inde appareat, quam enormiter hodierni Proteſtantes, & nonnulli etiam Politici exorbitent, dum Principibus ſæcularibus ea jura vindicant, de quibus, ut ea ſibi arrogarent, nec Catholici Principes, nec eorum Proceres ſomniarunt.

Imperatores & Reges quæſtionibus fidei & Religionis non ſe immiſcuerunt.

Exemplum in Childerico rege.

Atque illud præcipue immortali cedit gloriæ, quod Reges & Imperatores quæſtionibus fidei & Religionis ſeſe non immiſcuerint, in cujus rei teſtimonium duo nobis ſuppetunt exempla omni exceptione majora. Miſerat an. 503. Childericus Rex ad Gregorium Turonenſem, jubendo, ut *S. Trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantum DEUS nominaretur, quum Pater ſit idem qui eſt Filius, itemque ipſe ſit Spiritus S. qui Pater & Filius* (p). Epiſcopus ei reſpondit: *hac credulitate relicta pie Rex, hoc te oportet ſequi, quod nobis poſt Apoſtolos alii Doctores reliquerunt:* & in tantum eidem reſtitit cum reliqua ſynodo, ut Rex tandem acquieverit, ſeque ſynodo ſubjecerit.

Alte-

(o) Vid. dicta Tom. I. q. I. cap. 4. item infra dicenda de Statu Eccleſ.

(p) Verba mandati ſunt ſequentia: *ſic volo, ut tu & reliqui Doctores Eccleſiarum credatis, quod Sma Trinitas non in perſonarum diſtinctione, ſed tantum DEUS nominetur.* Ita rem refert Greg. Turon. lib. V. cap. 44. & ult. Conf.

Digitized by Google

Alterum exemplum nobis ſuppeditat ſynodus Francoſortenſis, in qua tum de legitima damnatione Elipandi Archi-Epiſcopi Toletani, & Felicis Epiſcopi Urgellenſis, tum de adoratione imaginibus juxta præſcriptum ſynodi Nicænæ II. impendenda agebatur. Jam vero licet Carolus M. huic ſynodo adfuerit, & deliberationibus Epiſcoporum interfuerit, attamen neutri quæſtioni ſeſe immiſcere voluit, ſed utramque Epiſcopis ſolis decidendam reliquit (q). Imitabatur nempe Carolus veſtigia Conſtantini M. aliorumque Imperatorum, qui aliquoties ſynodis adfuerunt, non ut eis præſiderent, ſed ſua authoritate ſuffulcirent, de cætero totum judicium in decidendis quæſtionibus fidei Epiſcoporum judicio relinquentes. Noverat Carolus M. triſtiſſima fata, quæ Eccleſia experta fuit ex eo, quod ſe Imperatores negotiis Religionis immiſcuerint, in materiis credendorum edicta ediderint, prout fecere Heraclius, & Conſtans ſua Ecthesi, & typo: & hinc ſatius duxerat humiliter obedire, quam ſuperbe dominari Eccleſiæ Præſulibus.

Alterum in Carolo M.

Carolus imitatur veſtigia Conſtantini.

Quam arcta inter Pontifices & Imperatores fuerit communio in rebus fidei, & Religionis, vel ſola, quam invicem exigere ſolebant, fidei profeſſio luculentiſſimo eſt argumento. Talem profeſſionem a Pelagio I. noviter electo Childebertus Rex miſſio ob id Romam Ruſſino Legato exegiſſe legitur, cui etiam obſecundavit Papa, cujus profeſſio ex Ivone deſumpta Decreto Gratiani inſerta legitur, & ſic habet: *pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe, ſacræ Scripturæ præcipiunt* (r). Hoc ipſum jam antiquitus Imperatores Pontificibus feciſſe, teſtis eſt Symmachus Papa in Apologia adverſus Anaſtaſium Imperatorem epiſtol. 7. in qua ſcribit, omnes Catholicos Principes, ſive cum Imperii gubernacula ſuſceperunt, ſive cum apoſtolicæ Sedis novos agnoverunt Præſules inſtitutos, ad eam ſua protinus ſcripta miſiſſe, ut ſe docerent, ejus eſſe conſortes, & qui hoc non fecerunt, ab eadem ſe profiteri alienos. Fiebant hæ mutuæ confeſſiones unionis retinendæ cauſa, ut ſciretur, cujusnam fidei & communionis quisque eſſet, eique ſecure communicaretur. Succeſſu temporis factum eſſe, ut Imperatores Pontifici præſtito juramento fidelitatem adpromitterent, nemo eſt, qui ignorat.

Pontifices & Reges invicem mittere conſueverunt profeſſionem fidei.

Fiebant in ſignum unionis retinendæ.

Ad capita diſciplinæ & Canonum eccleſiaſticorum veniamus: an neſci-

Etiam ad obſervantiam canonum ſe invicem obligabant.

Q 2

(q) Petrus de Marca lib. 6. de Concor. cap. 25.

(r) Vid. Decret. Gratian. cauſ. 25. Q. 1. cap. 10. in quo reſcriptum plenis verbis legitur.

Digitized by Google

neſcimus, quod tum Pontifices electi ſe Regibus, & Imperatoribus, tum Imperatores, priusquam gubernacula regni ſuſciperent, ſe ad obſervantiam canonum eccleſiaſticorum obſtrinxerint? prout expreſſe in Capitularibus Francorum proviſum legimus (s). Nunquam Reges & Imperatores relationibus, conſultationibus, & provocationibus a ſynodis particularibus, a judiciis eccleſiaſticis ad Sedem Pontificiam factis obicem poſuerunt, in dubiis fidei & diſciplinæ capitibus interpretationes a Pontifice per Epiſcopos exegerunt, illiusque expoſitionibus haud ſecus quam deciſioni finali acquieverunt. Nunquam Reges aut Imperatores contradixiſſe legimus, dum ipſi Epiſcopi ſuas cauſas ad Sedem Romanam detulerunt, prout Epiſcopos Arelatenſem & Viennenſem feciſſe legimus. Et quod magis eſt, miſerunt Pontifices pallia ad Epiſcopum Arelatenſem, Bonifacium Moguntinum, aliosque Galliarum Metropolitas, conſtituerunt Vicarios Sedis Apoſtolicæ illos ipſos Epiſcopos, & tamen non contradixerunt Reges & Principes, imo ſine ulla contradictione fieri permiſerunt, ut ſe Epiſcopi Germaniæ & Galliæ novo, & antehac inaudito fidelitatis & obedientiæ juramento Pontifici obſtringerent (t). Neque ullus ex omnibus Eccleſiæ Gallicanæ Doctoribus, illis etiam, qui Pontificis authoritati adulari, aut velificari non conſueverunt, hactenus repertus fuit, qui non libere profiteretur, Pontifices Romanos ſummam inſpectionem habuiſſe per Galliam & Germaniam in iis, quæ unitatem & conformitatem fidei ac liturgiæ ſacræ, atque manutenentiam canonum totius Eccleſiæ reſpicerent. Profecto piaculo ſibi non ducit Petrus de Marca, licet cæteroquin Pontificum juribus parum faveat, libere ſcribere, quod fundamentum libertatum Gallicanarum præcipuum in intima illa unitate & communione inter Sedem Apoſtolicam, & Eccleſias Gallicanas ſit quærendum (u).

Imperatores & Reges provocationibus ad Sedem Pontificiam nullum poſuerunt obicem.

Galli in intima unione cum Pont fice ſtare gloriantur.

Quid jam de jure *Patriciatus* & *Advocatiæ* a Pontificibus in Reges translato, & ab his ingenti cum gaudio non modo ſuſcepto, verum etiam egregie prorſus exercito dicamus? verum mox in limine nobis ſubſiſtendum, quum necdum liqueat, in quo jus *Patriciatus* & *Advocatiæ* conſiſtat? quo jure Principibus competat? & quid juris aut obligationis importet? Quæſtio hæc eſt ſummi momenti, & acerrime diſputatur, ſane non ex alia ratione, quam quod hodierni politici *jus* il-

(s) Vid. Balucius Præfat. Capitular. §. 21. & ſeq.
(t) Vid. dicta de Pallio.
(u) Lib. I. de Concord. ferme per totum.

Digitized by Google

lud *Regium*, uti vocant, in Eccleſiaſtica ut plurimum ex jure Advocatiæ, vel ipſum jus Advocatiæ ex *jure Regio* derivare, & exinde ſequelas rei Eccleſiaſticæ ſumme adverſas deducere ſoleant. Quapropter operæ pretium eſſe duximus hanc materiam accuratius diſcutere. Sit ergo

CAPUT IV.

DE

Statu Eccleſiarum Germanicarum ſub Patriciatu & Advocatia Regum ac Imperatorum, aliorumque Advocatorum.

§. I. *Quid ſit Advocatia in genere, & an jurisdictionem importet?* §. II. *De Advocatia togata & armata, ac utriusque origine.* §. III. *De Advocatia œconomica ac jurisdictionali.* §. IV. *Univerſali & particulari.* §. V. *De titulis acquirendi Advocatiam.* §. VI. *De commodis Advocatorum, & inde ſecutis abuſibus, malis, & ruinis Eccleſiarum.* §. VII. *De fundamento juris Advocatiæ Majeſtaticæ, ſeu Regiæ.* §. VIII. *In quo jus Patriciatus conſiſtat, & quæ jura ac obligationes importet?* §. IX. *Quomodo jus Patriciatus & Advocatiæ in Reges & Imperatores fuerit translatum?* §. X. *In quo Patriciatus Romani dignitas conſiſtat?* §. XI. *De translatione Imperii vulgo ita dicta.* §. XII. *De donationibus Pipini & Caroli in Romanam Eccleſiam.* §. XIII. *De nexu inter Imperatores, Reges & Epiſcopos Germaniæ.* §. XIV. *De jure Eccleſiaſtico Germaniæ remiſſive.*

§. I.

Priusquam de jure Patriciatus & Advocatiæ Imperatorum, & Regum agamus, juvat quædam de jure Advocatiæ & Advocatis in genere præmittere, quæ quæſtioni hic diſcutiendæ multam lucem affundent. Materia hæc de jure Advocatiæ, & Advocatis Eccleſiarum præcipue Monaſteriorum adeo eſt abſtruſa, delicata, ac ampla, ut in hodiernum usque diem non liqueat, undenam ipſum nomen *Advocatia* ſit derivandum, origo Advocatiæ petenda, ex quo jure deſcendat, *De Advocatis Eccleſiarum.*

 ſcendat,

Digitized by Google

Libri in hac materia ſcripti ſunt innumeri.

ſcendat, quid ſit, & quid juris involvat? Extant in hac materia libri innumeri, inter quos plurimi habetur *Tractatus Juridico-Politico-Hiſtoricus de Advocatia armata, ſive Clientelari Patronorum jure & poteſtate Martini Mageri* (x).

Nomen Advocati & Advocatiæ undenam deſumatur?

Nomen *Advocati* derivant ab *advocando*, prout innuit Schardius his verbis: *Adrianus Papa Carolum M. ſibi & Eccleſiæ advocavit.* Et poſt pauca: *propter quod dicunt, quod omnes, qui fuerunt Romanorum Imperatores poſt ipſum, & ipſe Advocati Eccleſiæ ſint, & debent ab Eccleſia advocari* (y). Conſentit Dufreſne voc. *advocare*, ſi per verbum *advocare* intelligamus: *rem quandam in ſe ſuſcipere.*

Varia Advocatorum nomina.

A ſuo munere paſſim Advocati dicuntur *Defenſores*, *Cauſidici*, *Tutores*, *Procuratores*, *Vice-Domini*, Schutz- und Schirm-Herrn, Kaſten-Vögt (z); quandoque etiam ſignificatione laxiori *Patroni*, non nunquam *Adminiſtratores Eccleſiaſticorum Proventuum*, & *Oeconomi*.

Definitio Advocatiæ difficillima.

Jam videndum, quid proprie ſit *Advocatia* Eccleſiarum? Quia *Advocatia* quam latiſſime patet, & tam ex parte *objecti*, quam ex modo *acquirendi*, eamque *exercendi* eſt diverſa, non nunquam ampla valde, non raro arctioribus limitibus circumſcripta, atque ex conſtitutionibus, legibus, obſervantia, & conſuetudine varia jura, prærogativas, & obligationes ſibi annexas habet, difficillimum ſane eſt talem ſtatuere definitionem, quæ illius naturam determinet, aut illius proprietates exhauriat, ut adeo mirum videri non debeat, quod circumferantur tot definitiones, quot ſunt authores (a). Præcipua difficultas provenit tum ex ipſo vocabulo *Advocatiæ*, tum ex vulgatiſſima illa quæſtione, utrum *Advocatiæ* qua tali competat jurisdictio? Quoad vocabulum *Advocatia*, cum ſit valde ambiguum, & careat ſpeciali ſignificatione, exiſtimant, illud eſſe accipiendum ſecundum conſuetudines locorum, & juxta *materiam ſubſtratam & circumſtantias* interpretandum (b). Quoad quæſtionem de jurisdictione notiſſimum eſt illud commune: Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit (c).

Nobis

(x) Tales Scriptores & libros plures recenſet Pfeffingerus Corp. Jur. Pub. Tom. I. pag. 1152.

(y) De Jurisd. Imperiali.

(z) Vid. cit. Pfeffinger loc. cit.

(a) Plures refert Pfeffinger ad Vitriarium lib. 1. Tit. 15. pag. 1155.

(b) Eſt igitur Vogten verbum valde ambiguum, hat auch keine ſpecial ſignification, oder etwas gewiſſes zu importiren, ſondern muß nach Gelegenheit und Gebrauch, oder Gewohnheit des Landes den Herren, der Städte, die es brauchen, interpretirt, und accommodirt werden. Wehnerus voc. vogt.

(c) Legitur apud omnes Scriptores.

Digitized by Google

Nobis profecto tantæ difficultatis res non videtur eſſe genuinam *Advocatiæ* naturam explicare: dummodo in eo ſenſu ſumatur, in quo ex primæva ſua inſtitutione, ex ſuo fine & ſcopo, in quem fuit inſtituta, ac communi antiquiſſimorum Scriptorum exiſtimatione ſumi debet; inter prædicata eſſentialia & primordialiter eidem annexa, & poſtea vel ex præſcripto legum conſuetudinum & obſervantiarum, vel ex pacto & fœdere adventitia diſtinquatur, & ad materiam ſubſtratam atque circumſtantias attendatur: eo ferme modo, quo in materia *feudi* diſcurrere ſolemus, in qua inter *feudum proprium* & *improprium*, inter prædicata eſſentialia, & naturalia diſtinquimus. *Redditur facillima, ſi attendenda attendantur.*

Advocatiam originaliter ſpectatam eum in finem eſſe adinventam, ut Eccleſiæ & Monaſteria haberent ſuos defenſores tam *togatos*, quam *armatos*, res eſt ex tota retro acta antiquitate, & concordi Scriptorum opinione notiſſima (d). Sed quia defenſio non habet certos & determinatos limites, & prorſus diverſa eſſe poteſt ex parte objecti & modo defendendi, mirum non eſt, quod diverſæ ſpecies Advocatiæ fuerint adinventæ, eidemque varia alia jura, quæ ad defenſionem Eccleſiarum pertinere videbantur, acceſſerint. *Advocatia ex ſuo fine diverſa.*

Hoc bene intellecto difficile non eſt genuinam Advocatiæ dare definitionem. Dicamus ergo, quod Advocatia Eccleſiarum ſit *jus & officium defendendi Eccleſias, earumque perſonas, bona ac jura, lege, conſuetudine, obſervantia, pacto & fœdere conſtitutum.* Qualia jura, officia & obligationes involvat Advocatia, infra dicemus. *Genuina Advocatiæ definitio.*

Ex hac itaque definitione patet, quod ea omnia, quæ ſpeciem defenſionis ac protectionis non nudam ac ſimplicem, ſed ſuis effectibus, quos Advocatia ex jure quocunque annexos habet, inſtructam ſapiunt, ad Advocatiam vel *togatam* vel *armatam* pertineant. Inde conſectarium eſt 1mo, quod advocatia ex primæva inſtitutione, natura, origine, ſcopo & fine nullum involvat jus jurisdictionis vel Imperii, adeoque verum ſit vulgatum illud: Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit; iique, qui in protectionem & tutelam ſuſcepti ſunt, maneant nihilominus ſub jurisdictione ordinaria ſui Magiſtratus, cui in omnibus, ut antea, parere debent, prout diſerte docet Jus Canonicum in cap. Recepimus, & in cap. ex parte de Privileg. & Jus Civile in l. deſertorem §. fin. ff. de re milit. nec non communis Doctorum opinio. *Ex quo colligitur*, ait Robertus Kolbius (e), *quod Advocatia ex* *Ex ſe nullam Advocatia involvit jurisdictionem.*

(d) Vid. mox infra dicenda de origine Advocatiæ.
(e) In Aquila certante pro immunitate & exemptione Eccleſiarum &c. Francofurti anno 1687. edicta, Confut. Sign. IV. a 3. §. 1.

Digitized by Google

ex ſui natura non importet jurisdictionem, etiamſi Dominus Territorialis hoc officium gerat. Et iterum (f): *apud omnes Canoniſtas & Legis peritos receptiſſimum, & in utrisque ſcholis decantatiſſimum, quod Advocatia regulariter conſtituta jurisdictionem in Eccleſias, in perſonas Religioſas, & bona eccleſiaſtica nullatenus importet, etſi Criminalem aut etiam Civilem jurisdictionem annexam habeat.* Hujus ratio per ſe patet: Siquidem aliud eſt patrocinium, defenſionem, & protectionem aſſumere; & aliud jus dicere aut imperium exercere: illud proprium eſt Advocatis; iſtud Judicibus. Unde Cicero ſanctiora illa Romanorum tempora deſcribens pulcherrime ait: *patrocinium Sociorum penes eos fuiſſe, non Imperium* (g). Et Grotius: *ſicut patrocinium privatum non tollit libertatem perſonalem, ita patrocinium publicum non tollit libertatem civilem* (h).

In quo ſenſu Advocatia poſſit involvere jurisdictionem?

Interim nihil prohibet, quo minus Advocatia involvat jurisdictionem: non quod eam ex natura ſibi annexam habeat, & Advocato jus in perſonas, eccleſias, earumque bona tribuat; ſed in quantum ſapit ſpeciem defenſionis: quatenus Advocati nomine Eccleſiarum & Monaſteriorum jura jurisdictionis & Imperii eisdem competentia, eo ferme modo, quo Tutores & Curatores nomine clientum, hodierni Judices & Prætores nomine Monaſteriorum jus in judiciis dicunt, jura jurisdictionis Monaſterio annexa per exercitium conſervant, contra iniquos invaſores, turbatores, & violatores defendunt, & ne vel præſcriptione vel alio modo amittantur, ſedulo invigilant. Et idcirco in hunc usque diem ſacræ univerſitates idoneos ſubditis laicis præficiunt Judices, aut Prætores, reſervata ſibi ſuprema inſpectione & directione, in quantum eis permiſſum.

Ad Eccleſias una cum bonis tranſiit jurisdictio.

Prælatis Eccleſiarum non licebat exercere jurisdictionem.

Age! hanc rem ex hiſtoriis illuſtremus, ex quo Eccleſiæ & Monaſteria fundos, agros, terras titulo quocunque acceperunt, & poſſidere cœperunt, una cum territoriis etiam jurisdictio tam civilis, quam criminalis eisdem annexa ad ea tranſiit. Ea autem antiquitus erat Eccleſiæ diſciplina, quæ Prælatis & Abbatibus jurisdictionem civilem, & multo magis criminalem exercere prohibuit. Valebant nempe adhuc illa axiomata: *Clericos non debere ſe immiſcere negotiis ſæcularibus; arma Clericorum eſſe orationes, fletus & lacrymas; Eccleſiam non ſitire ſanguinem, & quæ ſunt aliæ hujus generis formulæ a Gratiano in cap.* 1. 2. 3. 19. *Cauſ.*

(f) Confut. ſign. X. Art. 3. §. 1.

(g) Lib. 2. de offic.

(h) Lib. 1. cap. 3. n. 21.

cauſ. 23. *q.* 8. *& paſſim alibi coacervatæ* (i). Idcirco, quia Prælati ipſimet jurisdictionem exercere non poterant, Advocatos illis conſtituerunt Imperatores, vel jus tales eligendi illis conceſſerunt: quatenus hanc provinciam tuerentur, ac jurisdictionem omnem explicarent, prout videre eſt in Scriptoribus paſſim (k), donec Epiſcopi & Prælati excuſſo Advocatorum, nec non Comitum & Ducum jugo, quorum potentia res eccleſiarum non raro admodum affligebantur, vel gravi pecunia ſoluta, vel gratia Cæſarum ſe in libertatem vindicarint. Hoc modo in libertatem plenam vindicati Prælati & Abbates Regalia & jurisdictionem in feudum, quo olim Advocati illa tenuerunt, ab Imperatoribus ſibi dari poſtularunt, facileque obtinuerunt (l). Quandonam Prælati & Abbates regalia, & jurisdictionem cum imperio & jure territoriali acceperint, incertum eſt. Aliqui originem hujus rei a temporibus Pipini, a quo Richardum Epiſcopum Herbipolenſem Ducem Franconiæ fuiſſe ſalutatum ſcribunt (m): Alii a temporibus Caroli M. & Ludovici Pii repetunt: vulgo enim traditur, quod Carolus M. Comitatum Campidunenſem Abbati cum omnimoda Jurisdictione territoriali tradiderit (n). Unde nati ſunt verſiculi vulgatiſſimi:

Idcirco vel Imperatores eis conſtituerunt Advocatos, vel jus eligendi conceſſerunt.

Prælati acceperunt jura Regalium & jurisdictionis

Quandonam? incertum eſt.

Herbipolis ſola judicat enſe & ſtola:
Campiduna ſola judicat enſe & ſtola (o).

Itaque in ſenſu hactenus explicato verum eſt, quod olim Advocatia involverit jurisdictionem, non quidem ex natura Advocatiæ ſed ex rati-

(i) Hac ſuper re meretur legi Claudius Eſpencæus lib. 2. Digreſſ. cap. 6. ubi graviter conqueritur contra arma Clericorum. Item Zieglerus in tract. de Epiſcopo milite, in quo hiſtorice refert, quando & quomodo Epiſcopi & Clerici militiam fuerint ſecuti.

(k) Vid. Cangius in gloſſario voce Advocati Eccleſ. Magerus de advocat. armat. cap. 2. pag. 232.

(l) Boehmer Jus Eccleſ. ad Tit. de feudis §. 80.

(m) Trithemius ad an. 752. ubi ait: *Cum jam Rex eſſet Pipinus, ducatum S. Burchardo Epiſcopo Würzburgenſium I. & ejus ſucceſſoribus de conſenſu Caroli filii ſui & omnium Procerum totius Regni donavit in proprium.*

(n) Bruſchius in Monaſt. Germ. chronolog. pag. 102.

(o) Illam Ducatus translationem in Epiſcopum Herbipolenſem vehementiſſime impugnant Scriptores, quorum argumenta collegit Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 1. Tit. 15. §. 13. ſimiliter illam juris Regalis translationem in Abbatem Campidunenſem vocat in dubium Boehmer loc. cit.

Hodie Monaſteria exercent jurisdictionem, quorum Prætores non ſunt Advocati.

ratione diſciplinæ eccleſiaſticæ, conſtitutionibus Imperatorum, & voluntate ipſorum Prælatorum. Hodie Monaſteria exercent ſuam jurisdictionem per ſuos Officiales, Judices & Prætores, quos tamen male vocaveris Advocatos Eccleſiarum, quales olim fuere, utpote a quibus toto cœlo differunt, atque jus Advocatiæ præter tuendi poteſtatem vix amplius quidquam jurisdictionis importat (p). Atque ex his colligitur, in quo ſenſu verum ſit illud vulgatum: Schutz und Schirm geben keine Obrigkeit, & in quo ſenſu Ockelius (q) ſcribere potuerit: *errant, qui omnes Advocatos Monaſteriorum pari modulo cum Protectoribus nudis, & jure Clientelari metiri ſtudent, & pleno ore illud dicterium crepant:* Schutz und Schirm geben keine Obrigkeit.

Advocatia non infert Superioritatem Territorialem.

Imperator non exercuit jus Advocatiæ Majeſtaticæ, quando in Pace Weſtphalicâ plures Eccleſias ſæculo addixit.

Ex jure Advocatiæ male infertur jus reformandi.

Ex his ulterius conſequitur & quidem a fortiori, Advocatiam regulariter non inferre ſuperioritatem territorialem, ut cum Conringio (r) fatentur ipſi Proteſtantes, adeoque graviter hallucinari eos, qui ex dicto jure inferunt, Imperatoribus competere Dominium Majeſtaticum directum & altum in urbem Romanam, & ditiones Pontificias, aut jurisdictionem in Eccleſiam Romanam. Item ſibi ipſis contradicere illos Authores, qui cum Struvio (s) docere non verentur, quod Imperator *jus Patronatus Regium* exercuerit, quando vi Advocatiæ Majeſtaticæ, quæ ipſi in Epiſcopatus & Monaſteria Germaniæ competit, per Pacem Weſtphalicam cum ſtatuum conſenſu, contradicente licet Papa, tot Epiſcopatus & Abbatias ſæculo addixit: cum tamen paſſim fateantur, & doceant, nullum jus Superioritatis exercendæ invitis clientibus, nullam jurisdictionem aut ſubjectionem, ſed merum defenſionis officium inferri poſſe. Ex quo porro ulterius ſequi neceſſum eſt, quod jus protectionis & Advocatiæ, niſi ſit conjunctum cum jure territoriali, non tribuat jus reformandi, prout in Pace Weſtphalica (t) deciſum eſt, ac proinde male inferri: Patronus gaudet jure Protectionis:

(p) Pulchre ait Magerus de Advoc. armat. cap. 2. §. 233. *Si naturam hodiernæ Advocatiæ recte perpendamus, aſſerendum eſt, modernis Protectoribus, qualescunque ſint, & quocunque nomine indigitentur, occaſione ac virtute Advocatiæ præter tuendi poteſtatem, eique annexa, plus juris non competere, ideoque in protectione tam Eccleſiarum, quam locorum ſæcularium regulariter Advocatis jus defendendi tantum tribui.*

(q) De Palatio regio. pag. 104.

(r) Tom. I. fol. 510.

(s) Syntag. J. P. cap. 10. §. 40.

(t) Art. 5. §. 44.

Digitized by Google

nis: ergo etiam jure reformandi. Denique ex dictis jure optimo infertur, eos, qui ſunt ſub alicujus protectione, propterea non eſſe ejusdem ſubditos. Unde etiam clientes non appellantur Schirms Unterthanen, ſed Schirms Verwandte: Etenim cliens ſuam poteſtatem neutiquam in Protectorem transfert. Obligatus eſt cliens ut fœderatus, non ut ſubditus: eſto fortaſſis tutelam & protectionem ſui Superioris ſibi ſtipuletur: Nam ſicuti pulcherrime ratiocinatur Grotius (u): *talis cenſebitur eſſe Superior non poteſtate ſed authoritate & dignitate.*

Ex his jam apparet, qualenam ſit diſcrimen inter *Advocatos* Eccleſiarum, & inter antiquos & ſimplices *œconomos*, *Præpoſitos*, & *Vicedominos*. *Advocatis* ex dictis incumbit defenſio Eccleſiarum: *Præpoſitis* mandabatur regimen Clericorum inferiorum: *Vicedomini* nomine Epiſcoporum præerant Vaſallis Laicis: *Æconomi* nudam habebant adminiſtrationem rei æconomicæ. Quamquam officium *Æconomi* poſtea degeneraverit in *Advocatiam*, uti infra de *Advocatia œconomica* dicemus (x).

§. II.

Hactenus de natura Advocatiæ: Jam ad originem & diviſionem illius. Principaliſſima diviſio procul dubio eſt illa ex modo eam exercendi deſumpta, qua dividitur in *togatam*, & *armatam* (y). Illa paſſim etiam vocatur *forenſis*, & deſtinatur ad cauſas clientum in foro contentioſo defendendas, procurandas, & agendas: hæc ſibi conjunctam habet vim compellendi, ita, ut Advocatus, qui alicujus civitatis, territorii, Eccleſiæ, aut Monaſterii tutelam in ſe ſuſcepit, illam etiam armis adverſus vim inique, & præter jus fasque illatam defendere teneatur. *Dividitur in togatam & armatam.*

Utriusque originem indagemus: Antiquior videtur illa *forenſis* ſeu *togata*, cujus primævam inſtitutionem referunt ad Sæculum V., quo Donatiſtæ, & Ariani inſtinctu Stiliconis animati eccleſias invaſerunt, earumque bona diripuerunt. Ut ergo eorum audaciæ contraveniretur, ſupplicaruntPatres inConcilioCarthaginenſi vulgoAfricano an. 407.celebrato Imperatoribus, *ut dent facultatem defenſores conſtituendi ſcholaſticos, qui in* *Origo Togatæ antiquior ex Concil. Carthag.*

(u) Lib. 1. cap. 3.
(x) Vid. Thomaſſinus Tom. III. lib. 2. cap. 55. ubi optime animadvertit, Vicedominos hinc inde a Scriptoribus permiſceri cum Advocatis, & plura alia de Vicedominis nec non Advocatis utiliter diſquirit.
(y) Hæc diviſio utroque jure eſt recepta, prout videbimus.

Digitized by Google

in actu ſunt vel munere defenſionis cauſarum, ut more Sacerdotum Provinciæ (id eſt Gentilium) *iidem ipſi habeant facultatem pro negotiis eccleſiarum, quoties neceſſitas flagitaverit vel ad obſiſtendum obrepentibus vel ad neceſſaria ſuggerenda ingredi judicum ſecretaria* (z). Sed & pro cauſa egenorum ſupplicarunt Patres hoc tenore: *ab Imperatoribus viſum eſt univerſis poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut Defenſores eis adverſus potentiam divitum cum Epiſcoporum providentia delegentur* (a). Intra anni ſemiſſem votis Patrum reſponderunt Imperatores condita hac lege: *ut quæcunque de nobis ad Eccleſiam tantum pertinentia ſpecialiter fuerint impetrata, non per coronatos, ſed ab Advocatis eorum arbitratu & judicibus innoteſcant, & ſortiantur effectum* (b). Hæc vero potius eſſe intelligenda de Advocatia *forenſi* ſeu *togata*, quam *armata*, ex ipſis verbis colligitur, in quibus fit mentio tum *Scholaſticorum*, quorum ſane conditio ea non fuit, ut par eſſet vim vi repellendo, tum *judicum* & *judiciorum*, quorum ſtrepitus inter arma raro admodum auditur (c). Ratio autem aſſumendi Advocatos forenſes petenda eſt ex ratione diſciplinæ eccleſiaſticæ & dignitate ſtatus eccleſiaſtici: indecorum enim videbatur, & indignum Clericis, ut ipſi coram judicibus compareant, munus advocatorum ſubeant, litibus ſe immiſceant. Interdictum quoque erat Clericis jurare, & juramentum calumniæ in prima litis conteſtatione deponere, quod per advocatos fieri poſſe ſtatuit lex Longobard. Deſuper audiatur Du Freſne in Gloſſario (d), ubi ſic ait: *Advocatos habere juſſi ſunt Epiſcopi, Abbates & Sacerdotes, quia cum ii ſæcularia placita adire vetentur, ſi quid quærere, aut in jure reſpondere neceſſe haberent, id per Advocatos facere poſſent, ut eſt in Codice Canon. African. cap. 97. in Concil. Mogunt. Can. 12. in lege Longobard. lib. 3. Tit. I. §. 11. & alibi paſſim. Et cum legibus cautum ſit, ut nemo Clericorum jurare præſumat, & in prima litis conteſtatione jusjurandum calumniæ omnes principales perſonæ ſubire teneantur, ut hoc officium Advocatis ſuis delegare poſſint, ſanxit lex Longobard. lib. 2. Tit. 47. §. 8.*

Advocatia forenſis quas ob cauſas adinventa.

Munia Advocatorum forenſium.

Ex hoc textu ſat luculenter eruitur, quænam fuerint munia Advoca-

(z) Can. 64. Synod. Carthag. V.
(a) Can. 42. qui refertur in Decret. Gratian. Can. 10. Cauſ. XXIII. q. 3.
(b) Vid. l. 38. Cod. Theod. de Epiſ. Eccleſ. & Clericis.
(c) Contradicit P. Leonard. Grebner S. J. Tract. Hiſt. Jurid. de ſtat. Eccleſ. Part. 3. Obſervat. II. fol. 91.
(d) Voce Advocati Eccleſ.

Digitized by Google

vocatorum: nam pergit ulterius idem Author: *intererant igitur Comitum Placitis, & ut Patroni eccleſiarum ſuarum jura tuebantur: In diſtractionibus ac alienationibus rerum eccleſiaſticarum eorum requirebatur conſenſus: ſi donationes aut reſtitutiones fierent Eccleſiis, illi illas ratas habuere, ut eſt in Privilegiis Eccleſiæ Hamburgenſis. Advocatorum etiam munus erat Monaſterii bona ab omni rapina & indebitis exactionibus in judicio illæſa conſervare, ut eſt in charta Echerti Epiſcopi Bambergenſis, & in Metropoli Salisburgenſi Tom. II. pag. 29. Eorum denique conſilio utebantur Abbates in majoris momenti negotiis, ut eſt in Chronico Lauriſhamenſi* (e). Hæc procul dubio intelligenda ſunt de temporibus, quibus authoritas Advocatorum crevit, eorumque poteſtas ad rei æconomicæ bonorumque adminiſtrationem fuit extenſa. De aliis Advocatorum officiis nec non modo illos aſſumendi, conſtituendi, vel poſtulandi plura dicentur, ubi de Advocatia *æconomica*, & *jurisdictionali* infra agemus.

De Advocatia *armata* jam videamus, cui occaſionem præbuere invaſiones Barbarorum, ſpolia, deprædationes, rapinæ Laicorum maxime Potentiorum, quibus obnoxiæ fuere Eccleſiæ & Monaſteria. Originem & occaſionem Advocatiæ armatæ egregie depingit Meibomius: *Cum vero Monaſteriis*, inquit, *ex liberalitate Principum ſæpenumero territoria ampla cum oppidis, pagis, præfecturis, villis, paſcuis, vineis, nemoribus, cum omnibus ſimul juribus & privilegiis donarentur - - - Non raro centauri Harpyæque potentiores eccleſiaſticis bonis tanquam corvi rapaces ea ſibi vendicabant, inque profanos uſus convertebant, ut inde miniſtrorum Eccleſiæ & pauperum ratio nulla haberi potuerit. Ad horum corvorum harpyarumque rapacitatem & petulantiam infringendam opus erat Eccleſiis Defenſoribus, qui non minus juſti, quam potentes eſſent. Vocati ſunt vulgo hi Advocati, ſeu Patroni, Germanice* Kaſten-Vögte oder Schirm-Herren (f). **Origo & occaſio Advocatiæ armatæ.**

Ætas illa, qua Advocati armati primitus fuere conſtituti, determinari nequit. Advocatiam hanc jam ſub prima Regum Galliæ Dynaſtia obtinuiſſe, ſub ſecunda ſeu Carolingica frequentiorem, & hac corruente in Germania ab illo potiſſimum tempore, quo bella privata, jus manuarium, diſſidationes in uſu erant, frequentiſſimam evaſiſſe, mox demonſtrabimus. **Quandonam Advocatia armata ſuum ortum habuerit?** Modus aſſumendi vel conſtituendi Advocatos fuit diverſus. Antiquitus & primitus Reges & Imperatores Eccleſiis & Monaſteriis dabant ſuos Defenſores. Ita Dagobertus Rex Galliæ anno 603. in Diplomate ſpeciali, quod exhibet Magerus, Trevirenſis **Modus aſſumendi vel conſtituendi tales Advocatos diverſus: illuſtratur exemplis.**

R 3

(e) Loc. cit. (f) Tom. III. rerum German. lib. 2.

renſis Eccleſiæ defenſorem & advocatum conſtituit Arnulphum regii ſanguinis Principem, & Auſtriæ Moſellanicæ Ducem (g). Idem hujus Arnulphi filium Theodulphum Abbatiæ S. Mauri; Pipinus Lambertum Auſtraſiæ Ducem fecit Advocatum Trevirenſis Eccleſiæ. Carolus M. Augiæ diviti advocatum dedit Adelbertum Brigantinum comitem. Idem Carolus, poſtquam in Concilio Moguntino (h) ſub ipſo Carolo celebrato ſtatutum fuit, ut pro omnibus Eccleſiis & Monaſteriis conſtituantur Advocati, legem tulit de Advocatis Eccleſiarum deinceps a Principe poſtulandis: *Defenſores*, inquit, *Eccleſiarum adverſus potentias ſæcularium ſeu divitum ab Imperatore ſunt poſcendi* (i).

Reges Francici jus eligendi Advocatos permiſerunt Eccleſiis.

Ab hac lege poſtea receſſerunt Reges Francici, utpote quibus teſte Thomaſſino (k) præſtabilius viſum fuerat, eam poteſtatem eligendi Advocatos Eccleſiis permittere: id quod firmatur canone Concilii Rhemenſis II. anno 813. in quo legitur, *ut Præpoſiti & Vice-Domini ſecundum regulas vel canones conſtituantur* (l). Fiebat autem hæc electio vel præſentibus comitibus aut Miſſis Regiis; aut ex conceſſione Regia iis abſentibus pro lubitu ab ipſis Prælatis, ut adeo opus fuiſſe ſingulari conceſſione vel privilegio videatur (m). Tale privilegium a prima ſui origine habet Ordo Ciſtercienſis, vi cujus alium Advocatum præter Principem admittere non tenetur, niſi libere & revocabiliter malint Religioſi alium ſibi aſſumere, quidquid in contrarium obmoveat Struvius & alii: id quod Fridericus II. Imperator palam conteſtatus, & ſua confirmatione profeſſus eſt inquiens: *tam communi Ordinis libertate quam præſenti conſtitutione & confirmatione eſſe exempta* (n).

Quomodo facta electio?

Opus erat privilegio, quale habet Ordo Ciſtercienſis.

Eccleſiæ, vel earum fundatores ſibi aſſumpſerunt Advocatos.

Quin & ipſas Eccleſias & Monaſteria vel ultro ſe Regibus dediſſe, aut a ſuis fundatoribus in tutelam fuiſſe oblata legimus. Sic Monaſterii Stradenſis fundatores illud defenſioni Pipini Regis commiſiſſe refert author vitæ S. Genulfi (o): Eidem Pipino Monaſterium S. Galli defenſionis gratia tradidit Waltramus Comes teſte Ratperto Monacho. Author Chronici Laurishaimenſis ad annum 776. refert, quod Gundelandus Abbas hoc Monaſterium cum omnibus ad illud pertinentibus in manus, & Mundeburdum (p) glorioſi Regis Caroli tradiderit.

(g) Lehmannus lib. 2. Chronic. Spirenſ. cap. 36.
(h) Can. 50. (i) Lib. 3. 5. & 7. Capitular.
(k) Tom. II. lib. 2. cap. 55. (l) Can. 24.
(m) Vid. Pfeffingerus in annot. ad Vitriarium Tom. I. pag. 1159.
(n) Magerus lib. cit. cap. 1. n. 31.
(o) Lib. 2. cap. 8.
(p) Verbum iſtud *Mundeburdum* frequentiſſime occurrit apud Scriptores, & ni-

Digitized by Google

Haud infrequenter ipſi Imperatores, eſto a temporibus Carolingicis aliunde eſſent univerſales Eccleſiæ protectores, ex ſpeciali benevolentiæ affectu quasdam Eccleſias & Monaſteria in ſuum Mundiburdium & ſpecialem protectionem editis deſuper Diplomatibus receperunt. Hujus Advocatiæ plurima ubique extant monumenta. Otto I. Imperator Monaſterium Gemblacenſe anno 948. in ſpecialem recepit tutelam, & ſui abſentis loco ſubſtituit comitem Lovanienſem (q): Otto II. Advocatiam Eccleſiæ Paſſavienſis in ſe ſuſcepiſſe legitur apud Luniger (r): Fridericus II. anno 1223. Monaſterio Hirſaugienſi ſuam protectionem adpromittit his verbis: *ſub protectione & defenſione noſtra & Imperii recipimus ſpeciali* (s). Idem repetit in privilegio Denckendorffenſi, & Petershuſano hoc tenore: *recipimus in ſpecialem protectionem noſtram Monaſterium de Petridomo* (t): Rudolphus I. Imperator an. 1275. Albam Dominorum recipiens inquit: *ſub noſtra & Imperii protectione recepimus & recipimus ſpeciali* (u). Albertus I. an. 1305. *Monaſterium*, ait, *Bebenhuſen cum perſonis & rebus ſuis noſtræ tuitioni ſeu defenſioni ſpeciali immediate præſentibus aſſumentes* (x). Conradus IV. an. 1240. Schüſſenriethenſe ita recepit: *ſub noſtræ & Imperii protectionis præſidio recipimus ſpeciali.*

Imperatores paſſim ex ſpeciali affectu Eccleſias in Mundiburdium & ſpecialem protectionem receperunt.

Exempla hujus rei.

In immenſum excrevit numerus Advocatorum, dum corruente familia Carolina jam tumultus bellici undique circumfremerent, in Germania præcipue bella privata, diffidationes graſſarentur: nam inde orta eſt neceſſitas ferme ſingulis Eccleſiis, etiam Parochialibus (y) providendi de Advocatis potentioribus, ut eas contra incurſiones, deprædationes, & injurias defenderent. Mirabile neſcio quid memorat author vitæ S. Udalrici, quod ille nullam dedicaverit Eccleſiam, cui non a fundatore optimam dotem aſſignari faceret, & cui non ſtatim ſuus adjiceretur defenſor & Advocatus hæreditarius, qui illico inveſtie-

Numerus Advocatorum crevit ob bella privata, & tumultus in Germania præcipue.

S. Udalricus nullam dedicavit Eccleſiam, quæ non habuit Advocatum.

hil aliud ſignificat quam defenſionem & protectionem, prout conſtat ex Marculſo l. 1. c. 24. & Sirmondo ad Tit. 26. capit. Caroli Calvi.

(q) Apud Miræum in Cod. Donat.

(r) Spicil. Tom. II. pag. 763.

(s) Apud Beſold. in docum. Monaſt. Hirſaug. & docum. Denckend.

(t) Lünig in ſpicil. Eccleſ. pag. 412.

(u) Idem Beſoldus in docum. Albæ Dom. n. 3. pag. 138.

(x) Idem in docum. Bebenhuſ.

(y) Vid. Boehmerus in Jure Parochiali Sect. VI. cap. 1.

Digitized by Google

ſtiebatur vexillo, quod ſanctiſſimus Epiſcopus altari ſuperimponendo quodammodo conſecrabat (z).

Advocatia Eccleſiis perniciosiſſima

Verum quam exitioſa, pernicioſa, & formidabilis hæc Advocatia armata evaſerit Eccleſiis & Monaſteriis; quæ mala graviſſima, & omnino exitialia inde eruperint, unde bona ſperabantur plurima; & quomodo illud, quod fuit inventum in defenſionis ſubſidium, converſum ſit in oppreſſionis inſtrumentum, infra dicemus, ubi de officiis, commodis, & ceſſatione Advocatorum agemus.

§. III.

Advocatia Æconomica & judicialis.

Alias diviſiones ab objecto Advocatiæ deſumptas non nihil illuſtremus. Inter has alia dicitur *Æconomica*; & alia *judicialis*: illa vernaculo ſermone Kaſten-Vogteia, conſervationi, & adminiſtrationi prædiorum, nec non jurium ad æconomiam ſpectantium intenta erat: Hæc jura jurisdictionis Eccleſiis & Monaſteriis innexa ſpectabat.

Æconomia alia interna, alia externa.

Verum non omnis Æconomia dici poteſt *Advocatia* æconomica: alia enim eſt æconomia *domeſtica* ſeu *interna*; & alia *externa*: Illa ab ipſis eccleſiaſticis curabatur, & reſpicit nudam, ſimplicem, & prudentem adminiſtrationem bonorum ad uſus quotidianos neceſſariorum: Hæc, uti dictum, prædia & jura ad æconomiam referenda continebat, uti feuda, Emphyteuſes, Canones, Cenſus, mancipia inſuper ſeu ſervos adſcriptitios. Hinc ad Curatorem Kaſten-Vogteticum pertinebant negotia, & contractus, venditiones, & quævis alienationes, quæ ſine illius authoritate erant infirmæ. Ipſæ etiam donationes Eccleſiis factæ ab eo acceptabantur. Quare optime dicit Pfeffingerus (a), *eſſe diſtinguendum inter veros Advocatos, & nudos Æconomos*, id quod etiam documentis confirmat.

Advocatia æconomica exolevit.

Hæc vero Advocatia jam dudum exolevit: quia hodie Prælati ſua bona, prædia & jura annexa per ſuos officiales tum Religioſos, tum ſæculares adminiſtrant: Neque jam amplius Advocatorum conſenſus ad alienationem bonorum eccleſiaſticorum requiritur, niſi aliter vel ex lege, vel pacto, vel moribus ſit introductum; & hoc jus fortaſſis Advocatis ſit reſervatum, vel in ſpecie collatum, prout illud pluribus Principibus eſſe reſervatum idem probat Magerus (b).

De Advocatia jurisdictionali.

De Advocatia *jurisdictionali* ſupra plura diximus, quæ proin vicariam poteſtatem tribuit nomine eccleſiarum & Monaſteriorum exercendi jurisdictionem eisdem annexam tam civilem quam criminalem: ſiquidem perſonas Deo dicatas manſuetudinem Chriſti æmulari, & a ſan-

(z) Thomaſſin. Tom. III. lib. 2. cap. 55. N. 9.
(a) Tom. I. lib. 1. Tit. XV. pag. 1158.
(b) De Advocat. armata. cap. 9.

Digitized by Google

ſanguinariis abhorrere judiciis omnino decet. Sed nec judiciorum civilium turbines congruunt in vitam eorum, qui procul a terrenorum negotiorum ſtrepitu ſe ſingulariter Dei ſervitiis devoverunt. Idcirco in hodiernam usque diem communitates ſacræ ſubditis laicis præficiunt Judices & Prætores ſæculares, ita tamen, ut ſibi ex natura officii, in quantum ratio ſtatus patitur, ſupremam inſpectionem & directionem reſervent.

De tribunali Advocati juriſdictionalis privilegiato.

Advocati juriſdictionales habebant tribunal quoddam ſingulare & privilegiatum, in quo cauſæ omnes, quæ vel ſubditos laicos, vel bona eccleſiarum concernebant, erant diſcutiendæ & decidendæ, ita ut ad aliud judicium deferri non potuerint. Extant in hanc rem quamplurima documenta, quorum aliqua refert Thomaſſinus (c). Ab his judicibus provocabatur tum ad *Miſſos* aut *legatos Regios*, qui certis temporibus provincias circumibant; tum ad ipſum *Regis Palatium*. Erant autem *Miſſi Regii*, *vel Dominici* ii, qui a Carolo M. & ejus poſteris per univerſum regnum dirigebantur, tum ut incumberent in omnium eccleſiarum, item & pauperum orphanorumque cauſas dirimendas; tum in cujuscunque generis hominum vitam ac mores inquirerent; tum diſciplinæ & ſacræ & civili reſtaurandæ vacarent (d). Horum officium erat ſane ampliſſimum, prout ex plurimis *Capitularibus* ſuſiſſime deducit Pfeffingerus ad Vitriarium (e), & inter alia dicit: *Miſſorum iſtorum officium fuit viſitare Comites ſingulorum Pagorum GAUER, numquid officium facerent? utrum Epiſcopi, & Comites inter ſe, & cum cæteris fideliter & concorditer viverent?* tempora autem, quibus circumeundæ erant provinciæ, deſcribuntur in Capitulari Caroli M. de an. 812. (f): *volumus propter juſtitias, quæ usque modo de parte Comitum remanſerunt, quatuor tantum menſibus in anno Miſſi noſtri legationes ſuas exerceant, in hyeme Januario; in verno Aprili; in æſtate Julio; in autumno Octobri; cæteris vero menſibus unusquisque Comitum placitum ſuum habeat, & juſtitias faciat. Miſſi autem noſtri quater in anno, uno menſe & in quatuor locis habeant placita ſua cum illis comitibus, quibus congruum fuerit, ut ad eum locum poſſint convenire.* Ad Palatium vero regium provocatio hæc tunc

Ab hoc appellabatur ad Miſſos & legatos Regios.

Quinam dicebantur Miſſi Regii?

Eorum officium ampliſſimum.

(c) Tom. III. lib. 2. cap. 55.

(d) Vid. idem Thomaſſ. Tom. II. lib. 3. cap. 92. item Lehman lib. 2. Chronic. cap. 10.

(e) Lib. 4. Tit. 3. pag. 462. & 63.

(f) Apud Baluzium Tom I. cap. 8. pag. 498.

tunc permiſſa erat, quando Miſſi Juſtitiam adminiſtrare, aut litem terminare non volebant, vel non poterant. Ad hæc certæ cauſæ ex natura ſua ad ipſum Regem, vel *Reſponſalem* eccleſiaſticum ſpectabant, quales erant Epiſcoporum & Abbatum, quæ non niſi in foro Epiſcopali, vel in palatio regio coram prædicto Reſponſali decidi potuere (g).

Requiſita Advocatorum. Requiſita Advocatorum erant diverſa, quæ hinc inde in Capitularibus Francorum delineantur. In Capitulari Pipini de an. 793. (h) ſic habetur: *Advocatum habeant Epiſcopi in ipſo Comitatu, ut abſque tarditate juſtitiam faciat, & ſuſcipiat. Et talis ſit Advocatus, liber homo, bonæ opinionis, Laicus aut Clericus, qui ſacramentum pro cauſa Eccleſiæ, quam peregerit, deducere poſſit juxta qualitatem ſubſtantiæ.* Et in Capitulari Caroli M. an 802. (i): *Epiſcopi, Abbates atque Abbatiſſæ Advocatos atque Vice-Dominos, Centenariosque legem ſcientes, & juſtitiam diligentes, pacificosque & manſuetos habeant.* Et aliud de an. 813. : *ut Epiſcopi & Abbates Advocatos habeant; Et ipſi habeant in illo comitatu propriam hæreditatem, & ut ipſi recti & boni ſint, & habeant voluntatem recte & juſte cauſas perficere* (k). Accedunt Capitula Ludovici Pii ex lege Longobardorum excerpta (l): *omnibus Epiſcopis, Abbatibus, cunctoque Clero præcipimus,* Vice-*Dominos, Præpoſitos, Advocatos ſive defenſores habere bonos, non malos, non crudeles, non cupidos, non periuros, non falſitatem amantes, ſed Deum timentes & juſtitiam in omnibus diligentes.* Imo in multis Capitularibus tales erant conſtituendi, quales meliores inveniri poterant (m).

Mos aſſumendi Sub-Advocatos. Quoniam vero qualitates requiſitæ non raro in Advocatis deſiderabantur, aut ipſi Adocati in varia negotia diſtenti ſuo munere rite fungi non poterant, invaluit mos ſubſtituendi Subadvocatos, quos aliquando ipſi Imperatores conſtituerunt, aliquoties Advocati ipſi aſſumpſerunt. Mos hic frequentior fuit eo ævo, quo Advocatiam armatam

(g) Capitulare tertium Caroli M. de an. 812. cap. 2. apud Baluzium Tom. I, pag. 497.

(h) Apud eundem Authorem. Loc. cit. pag. 595.

(i) Ibid. pag. 366.

(k) Ibid. pag. 509. Notant authores verba hæc: *ut Advocati habeant in illo Comitatu propriam hæreditatem:* fortaſſis ut facilior & frequentior eſſet ex vicino protectio; vel ut ipſum Advocati patrimonium vires ſuſtineat idoneæ cautionis.

(l) Vid. Lindenbrogius Cod. leg. antiq. pag. 644.

(m) Pfeffingerus Tom. IV. pag. 461.

Digitized by Google

tam receperunt Duces & Principes, ut eccleſias contra invaſiones & rapinas defenderent: nam quia hi jurium defendendorum in judicio non ſatis erant periti, Sub-Advocatos ad forenſes cauſas ſibi ſubrogarunt, quin tamen licuerit plures, quam unum ſubrogare, ne redditus Eccleſiarum in plures diſpergerentur, & diſſiparentur. Quapropter ipſe Imperator Otto I. Sub-Advocatorum lucra & ſalaria definivit (n). Utrum Advocati invitis Clientibus Sub-Advocatos obtrudere poſſint, ſolicite diſquirit Magerus (o).

§. IV.

Advocatia alia univerſalis, alia ſpecialis ex objecto vel titulo.

Iterum alia Advocatia *univerſalis*, & alia *ſpecialis*, & hoc vel *ex objecto*, vel *ex titulo*. Ex objecto *univerſalis* eſt illa, quæ ſe ad univerſam extendit Eccleſiam, qualis eſt illa Imperatorum Romanorum, qui in limine ſui Imperii jurare debent, quod velint tueri Chriſtianitatem, Sedem Apoſtolicam, ſummum Pontificem, & Eccleſiam Chriſti tanquam Advocati. Quæ proin Advocatia latius ſe extendit quam jurisdictio Cæſaris: quandoquidem vi hujus juramenti defendere Cæſar tenetur Eccleſiam non contra ſubditos ſuos tantum, ſed etiam contra Turcas, & quoscunque injuſtos ejusdem aggreſſores. Ex objecto *particularis* eſt, quæ ſe non niſi ad unam alteramve vel plures Eccleſias protendit.

Ex titulo univerſalis ſeu Majeſtatica quæ?

Ex titulo *univerſalis*, quæ etiam *Majeſtatica* ſolet dici, eſt illa, quæ ex vi legis regiæ ac juramenti, imo ex ipſa intima ratione principatus fluit, & officio principali naturaliter eſt annexa, quatenus princeps ſuam protectionem, ac defenſionem haud ſecus eccleſiis, & aliis communitatibus, quam cœteris civibus impendere, earum jura defendere, contra hoſtes tutari, vigili potentia communire, prolapſum rerum atque jurium congruis mediis impedire obligatur. Et de hac potiſſimum infra agemus; & quomodo ac in quo ſenſu cohæreat Imperio, explicabimus.

Ex titulo particularis quæ?

Ex *titulo particularis* eſt illa Advocatia, quam quis ex pacto, fœdere, vel alio quocunque titulo particulari, fortaſſis hæreditario, accepit; vel ex ſpeciali benevolentiæ affectu in ſe ſuſcepit, quo modo Imperatores quidam Eccleſias, & Monaſteria in ſuam tutelam & protectionem ſuſcepiſſe primum antea dictum fuit.

Specialis poteſt per ſe ſtare, vel accedere generali.

Poteſt autem hæc Advocatia ſpecialis vel accedere *generali* in Principe territoriali reſidenti, vel per ſe & ſolitarie ſtare in alio Principe quocun-

S 2

(n) Thomaſſ. loc. ſæpe cit. N. 6. (o) cap. 10. n. 569.

Digitized by Google

cunque. Eſto enim Princeps vi juris regii & principatus obligetur Eccleſiis ſuam protectionem generalem, haud ſecus quam aliis ſubditis, impertiri, non tamen tenetur ad defenſionem extraordinariam modis extraordinariis impendendam, ad quam obligatur, ſi titulo ſpeciali vel oneroſo vel lucrativo Advocatiam obtinuit. Et quoniam Principes territoriales haud raro propter impotentiam virium, locorum diſtantiam, aut alia impedimenta eccleſiis ſubvenire illarumque jura defendere nequeunt, providentiſſime agunt eccleſiæ, ſi de alio quoque Advocato potenti ſibi proſpiciant, & ab eo ſuppetias quærunt. Hujus rei innumera proſtant exempla, quod Principes extranei Eccleſias & Monaſteria in ſuam protectionem vel ſponte, vel rogati vel ex pacto aut alio titulo quocunque ſuſceperint.

§. V.

Ex titulo acquirendi Advocatia eſt multiplex: quales tituli? nempe reſervatio.

Ex hoc ulterius fluit, quod Advocatia ex modo & titulo acquirendi ſit multiplex. Quatuordecim hujusmodi modos enumerat Pfeſſingerus (p), qui ſunt *reſervatio*, quando Fundator Eccleſiæ illud pro ſe & ſuis poſteris agnatis & cognatis reſervat. Non enim jus Advocatiæ confundendum cum jure Patronatus, quod Eccleſia fundatoribus etiam incogitantibus in ſignum gratitudinis tribuit. Et hanc Advocatiam vocant *originariam*, de qua Scriptores paſſim (q).

Commiſſio.

Commiſſio: quando Reges olim committebant Advocatiam, & hoc vel efflagitantibus Epiſcopis (r); vel urgente neceſſitate iis etiam invitis (s). Et hæc dicitur *Dativa.*

Jus territoriale.

Jus territoriale. At vero ex jure territoriali non eſſe neceſſario inferendam Advocatiam, etiamſi Eccleſia ſit *in*, & *de* Territorio, niſi ad ſummum generalem, prorſus communem; quin ne hanc quidem, ſi Monaſterium vel Eccleſia ab omni Advocatia ſui Principis eſt libera ex fundatione, conſuetudine vel præſcriptione, aut alium ſibi Advocatum vel cum licentia ſui Principis, vel ex alio titulo ſibi elegit; multo minus ex Advocatia fluere jus territoriale, ex dictis ſupra conſtat. Inve-

(p) Tom. I. pag. 1159. 1160.

(q) Vid. idem Author loc. cit. ubi & authores, & Diplomata affert, ex quibus conſtat, Advocatiam ſpecialem perſæpe tam in Germania, quam in Gallia fuiſſe divulſam a jure Patronatus: vel quod Fundatores Collegio largiti ſint libertatem ſibi eligendi Advocatum; vel quia altiori providentia Advocatum potentiorem eſſe dandum cenſuerunt.

(r) Juxta Capitul. lib. 5. cap. 31.

(s) Lib. 7. Capitul. cap. 30.

Digitized by Google

Inveſtitura: quando vel Princeps de territorio concluſo inveſtitur ſub conſueta formula: Mit allen Prälaten und Klöſtern derſelben weltlichen Obrigkeit, Schutz-Rechten, und Advocatien; aut ipſi Prælati Advocatum eligunt, eumque de Advocatia inveſtiunt (t). *Inveſtitura.*

Electio: quando quis olim vel præſentibus Comitibus aut Miſſis Regiis, aut ex conceſſione regia iis abſentibus in Advocatum fuit electus. Hanc eligendi facultatem poſterioribus temporibus, quibus Advocatia evaſit exitioſa & damnoſa Eccleſiis, duramque æmulata fuit ſervitutem, ex privilegio vel a prima ſua inſtitutione & fundatione obtinere contenderunt Eccleſiæ & Monaſteria. Idcirco ingentis inſtar beneficii habuere, ſi liberam eligendi facultatem a ſuis fundatoribus obtinuere (u). Hæc Advocatia ſolet appellari *electiva*. *Electio.*

Item *Conventio*: quando e. g. Advocatia toti familiæ inhæret, & ex conventione unus tantum e. g. Senior exercet. Talis Advocatia dicitur *Gentilitia*. *Conventio.*

Tales modi ſunt ulterius *Donatio*, *Matrimonium*, quando e. g. fæmina ex fundatione hæres eſt Advocatiæ, ſuumque jus in Maritum transfert. *Succeſſio hæreditaria*, ex qua jus Advocatiæ ad quoscunque hæredes tranſit. In dubio Advocatia non præſumitur *hæreditaria*, ſecus ac eſt in Jure Patronatus, utpote quod in jure habet ſummos favores, & ſæpenumero eſt reale, ac proin cum re, cui fingitur inhærere, tranſit de uno poſſeſſore in alterum. Simile non legimus conſtitutum de jure Advocatiæ, neque par utriusque eſt ratio: cum ſæpe Monaſteriis, & Eccleſiis advocatia accidat prorſus difficillima ac exitioſiſſima. *Teſtamentum*: quando ex prima conſtitutione permiſſum eſt, quod Advocatia per ultimam voluntatem ad quoscunque hæredes transmitti poſſit. Atque hæc Advocatia appellatur *teſtamentaria*, prior vero *hæreditaria*. Item *emptio venditio*, dum jus Advocatiæ venditur, qualiter Witekindus Comes Waldeccenſis an. 1189. jus Advocatiæ cum annexis Bernardo Paderbornenſium Epiſcopo mediantibus trecentis argenti marcis in caſum, ſi in expeditione ſacra eſſet moriturus, vendidit (x). *Pignus*, quando Advocatia in vices pignoris ſubſtituitur. Exemplum hujus *Cæteri tituli recenſentur.*

(t) Pfeffingerus loc. cit. pag. 1159.

(u) Hujusmodi privilegium obtinuere diverſa Monaſteria Rotenmynſter, Albiſpacenſe, Anhuſanum, Blaubeuranum, Denckendorffenſe, Hirſaugienſe, Lorchenſe, Maulbrunenſe. vid. Magerus loc. cit. cap. 5.

(x) Charta transactionis extat apud Schatenum lib. 9. Annal. Paderborn. p. 883.

Digitized by Google

hujus dat Pfeffingerus (y). Demum jure optimo inter modos acquirendi Jus Advocatiæ numerantur *conſuetudo*, *& Præſcriptio* immemorialis, de quibus plura dicere ſupervacaneum videtur.

Hactenus, ni fallor, ſatis prolixe, naturam, originem, inſtitutionem, diviſionem Advocatiæ, illiusque acquirendæ modos, nec non qualitates, & officia Advocatorum delineavimus.

Commoda Advocatorum vel lege vel conſuetudine vel pacto conſtituta. Quamquam finis Advocatiæ extiterit unice bonum *clientis*, id eſt, Eccleſiarum & Monaſteriorum, tamen non defuerunt ingentia commoda etiam Advocatorum: ſiquidem ne aut ipſi aut Sub-Advocati gratis deberent impendere ſuam operam, quidam proventus vel lege publica, vel conſuetudine, vel pacto ſpeciali in vim ſalarii illis fuere aſſignati, qui appellabantur *Advocaticum*, *Jus Advocatitium*, *Juſtitia Advocatiæ*, vernacule **Vogt-Rechte**. Quædam Eccleſiæ & Monaſteria olim duplici protectione gaviſæ ſunt, *Pontificia*, & *Imperatoria* ſeu *Regia*. Utrinque definitum fuerat ſignum recognitionis: & quidem Papæ ſolvebatur *Aureus Bizantinus*, ut dicebatur, in ſupplementum veſtitus Apoſtolici; ſæculari autem Advocato *ſalarium* (z).

Olim tertia pars mulctarum illis ceſſit Diverſi generis ſalaria Advocatis fuiſſe aſſignata legimus. Quo tempore advocati nomine eccleſiarum ſæcularem jurisdictionem exercuerunt, uſus invaluit, ut tertia pars mulctarum eis ceſſerit, ſicut aliis judicibus (a). Atque hoc ſalarium lege taxatum ab Henrico III. & moribus ubique receptum fertur (b). Non nunquam certi proventus, fundi & agri Advocatis in præmium ſuæ operæ adſcripti ſunt. Exemplum præbet Chronicon Senonenſe, in quo legitur, quod Angelramus Metenſis Archi-Epiſcopus, cum jam non poſſet Abbatiæ Senonenſi Advocatiam impendere, eo quod eſſet Cancellarius Imperatoris, Advocatum deſignaverit, cui & certa quædam adſcripſit jura, fundos primum aliquos, tum tertiam partem *Emendarum*, ea lege, ut his contentus a cœteris abſtineret (c). In eodem Chronico refertur, quod Abbas Monaſterii S. Salvatoris a Bertholdo Epiſcopo Tullenſi extructi Advocatum adſciverit, eique jura in armenta, domos, reos, lites, ſtagna & piſcationes & id genus alia, nec non in proventus æquis partibus inter Abbatem & Advocatum dividendos addixerit

Aliquoties in vim ſalarii aſſignabantur fundi, agri, fructus.

Sed

(y) Pag. 1160. ubi refert, quod Otto IV. Advocatiam Abbatiæ Fabarienſis pignori dederit.

(z) Magerus cap. 5. n. 478.

(a) Chockier de Advocat. Q. 59.

(b) Vid. Thomaſſinus loc ſæpius cit. n. 3. ubi integrum textum refert.

(c) Idem loc. cit. n. 5.

Digitized by Google

Advocatia degeneravit in mala peſſima & ruinam Eccleſiarum.

Sed o Boni Superi! in quos non abuſus degeneravit Advocatia! quæ inde non conſecuta ſunt mala peſſima! ut cum veritate dici poſſit, remedium illud, quod erat inventum in defenſionem Eccleſiarum, ceſſiſſe in earum ruinam pernicioſiſſimam. Jam Sæc. XIII. in Concil. Generali Lateranenſi IV. graviſſime conqueſti ſunt Patres (d). Canon habetur in cap. 12. de pœnis, & ita habet: *in quibuſdam provinciis Eccleſiarum Patroni & Advocati ſeu Vice-Domini ſe in tantam inſolentiam erexerunt, quod non ſolum, cum vacantibus Eccleſiis debet de Paſtoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, & malitias, verum etiam de poſſeſſionibus aliisque bonis eccleſiaſticis pro ſua voluntate ordinare præſumunt; & (quod horrendum eſt dicere) in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cum igitur quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri, prohibemus expreſſe, ne Patroni vel Advocati ſeu Vice-Domini ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent, quam reperiatur in jure permiſſum.* Superaddidit huic canoni Concilium Generale XIV. Lugdunenſe excommunicationem latæ ſententiæ in prævaricatores (e).

Conqueruntur Patres Concilii Lateran. IV.

Excommunicatio in Advocatos.

Recenſentur mala inde orta.

Onera inſupportabilia eccleſiis impoſita, deprædationes, invaſiones, furta & rapinas Advocatorum, deſtructiones eccleſiarum, ruinas Monaſteriorum, uſurpationes bonorum eccleſiaſticorum, ac cœtera mala prorſus numero innumera, magnitudine maxima, auditu & dictu horrenda & turpiſſima ex Advocatia oborta fuſe recenſet, & hiſtoriis authenticis illuſtrat Author operis, quod inſcribitur: *Demonſtratio Jurium Status eccleſiaſtici*, vir longiori ſane vita digniſſimus, e quo non nulla delibare licebit.

Hoſpitationes.

Inter onera ſumptuoſa, moleſta, ſtatum dedecentia, Eccleſiis & Monaſteriis impoſita, recenſet author hoſpitationes tam transeuntis familiæ Advocatialis, quam venationibus ſe exercentis, canum & equorum, ſuum, ovium ſtabulationem & pabulationem, vecturarum ſubminiſtrationem, avenæ, hordei, aliarumque frugum, animalium quoque & reliquorum culinæ ſervitiorum depenſionem; Item hoſpitationes non modo ſumptuoſas ſed & moleſtas & indecentes ob introductas fæminas, & omne genus lixarum atque vervecum. *Unde factum eſt*, inquit, *ut non ſolum muri ſed & mores atque diſciplina eccleſiaſtica corruerint, tandemque totum defenſoribus ceſſerit in rapinam* (f).

(d) Can. 45.

(e) Refertur in cap. 13. de Elect. in 6. vid. etiam cap. 4. de ſtatu Monach. & cap. 2. de reb. Eccleſ. non alien. in 6. item Concil. Trident. ſeſſ. 22. de Reform. cap. 11.

(f) Inter alia exemplum affert de Monaſterio Bebenhuſano, quod an. 1515. ſuo

Digitized by Google

Ruinæ Monaſteriorum. Poſtea ex hiſtoricis refert deprædationes & incredibiles ruinas Monaſteriorum. Inter cœteros meretur audiri Zaſius ita ſcribens (g): *verum iſti* (id eſt Advocati) *pro defenſione ad quam tenentur, Monaſteria & eorum ſubditos ſæpe ſupprimunt, pro patrocinio oppugnant, ſubtrunt, ſpoliant, gravant, premunt, flagellant &c.* Plura ibidem legere eſt de celeberrimo quondam Monaſterio Augiæ divitis, cujus adverſa fata aliunde urbi & orbi ſunt notiſſima.

Spoliationes bonorum eccleſiaſticorum. Progreditur author ulterius, & de ſpoliationibus, invaſionibus bonorum eccleſiaſticorum, ac preſſuris clientum diſſerit. In hanc rem maxime facit, quod jam Sæculo IV. ſcripſit Salvianus (h): *Illud grave & peracerbum eſt*, inquit, *quod Defenſores hac lege paupertes tueri videntur, ut ſpolient; hac lege defendunt miſeros, ut miſeriores faciant defendendo: omnes enim hi, qui defendi videntur, defenſoribus ſuis omnem fere ſubſtantiam ſuam prius, quam defenduntur, addicunt, ac ſic, ut Patres habeant defenſionem, perdunt filii hæreditatem.* Merentur legi, quæ laudatiſſimus author refert de ſuppreſſione & oppreſſione Monaſteriorum Fuldenſis, Altahæ inferioris in Bavaria (i), Albæ Dominorum, Denckendorffenſis, Bebenhuſani; de teſtamento Ferdinandi I. Imperatoris, aliorumque, qui factorum ſuorum pœnitentes jugum graviſſimum ab eccleſiaſtico collo abſtulerunt vel auferre conati ſunt (k).

Oppreſſiones Monaſteriorum.

Advocatia fuit converſa in titulos ſumme præjuditioſos, ſubjecta commercio temporali, incorporata ærario Principis in Juriſdictionem contra naturam. Demum fuſius deducit, quomodo Advocatia, quæ ex natura ſua potius obligationem, quam jus importat, utpote adinventa in tutamen & ſolamen ſtatus eccleſiaſtici, in titulos ſumme præjudicioſos converſa, & commercio temporali fuerit ſubjecta. Atque inprimis *Jus illud advocaticum* patrimonio, ærario & cameræ incorporari cœpit. Inde factum eſt, ut jus Advocatiæ cum ſuo *Advocatico* paſſim veniret in omnes contractus venditionis, feudi, permutationis, oppignorationis,

Advocato pro unius anni venatoria hoſpitatione redimenda in vicem compenſationis ſolvere debuit 400. florenos, magnam ejus ævi ſummam. In ratiociniis vero de an. 1627. deprehendit, ſine ſalariis venatorum & aliis penſionibus, venationes conſtitiſſe 5000. florenis.

(g) Feud. 10. concluſ. 8. (h) Lib. de Gubernat. Dei.

(i) De hoc celeberrimo Monaſterio ferme a ſuis Advocatis depreſſo vid. Hundius in ſua Metrop. Saliſb. Tom. II. in Altaha infer.

(k) Etenim Ferdin. I. imminentis judicii divini conſideratione excitatus ſuis filiis paterne imponit, ut morem illum Bohemiæ tabulis regni illatum, quo per falſam perſuaſionem bona Eccleſiarum Cameralibus fuerunt adnumerata, aboleant, deleant, ac ſupprimant.

Digitized by Google

nis, & nonnunquam ingenti pretio fuerit venditum. In alium titulum longe præjudicioſiſſimum ſucceſſive Advocatia commigravit, nimirum in *Jurisdictionem*, id quod eſt contra naturam Advocatiæ in vero ſenſu acceptæ, quemadmodum ſupra probavimus. An non toto cœlo differunt Dominus, Judex, & Advocatus? & iterum cliens ac ſubditus, clientela ac ſubjectio, libertas & ſervitus? An non Advocatia ſimplicem importat defenſionem, & ex hac ratione extenditur etiam ad non ſubditos? Ut autem Advocati eo facilius & felicius conſequerentur jurisdictionem & Imperium, totam Advocatiæ naturam ſubvertere neceſſum ipſis fuerat. Res luce meridiana clarior eſt, non Clientum ſed Advocatorum eſſe, ut ſe ad obſequia fideliter præſtanda, ad bona & jura aliena pro viribus tuenda, promovenda, adminiſtranda obligent, Clientibus, ubi Advocaticum præſtiterunt, ad nihil aliud obſtrictis. Et ſane antiquitus Advocatos more tutorum in limine ſui muneris ad juramentum præſtandum de libertate, rebus, bonis & juribus fideliter defendendis adminiſtrandisque fuiſſe obligatos, ex præſcripto Urbani II. docent Trithemius (l), Beſoldus (m) & Magerus (n). *Illud a clientibus exegerunt.* Et en! Advocati juramento omiſſo, & ſtylo prorſus inverſo ipſis clientibus *homagium*, quod *clientelare* dixerunt, imponere non verebantur: quod etſi nihil erat aliud, quam promiſſio ſimplicis & nudæ fidelitatis reciprocæ conformiter pactis invicem initis, nihilominus ab homagio ad ſubjectionem, a protectione ad jurisdictionem argumentari, & tranſire non dubitarunt (o).

Quemadmodum Advocati olim defenſionem in imperium, & jurisdictionem vicariam pro clientibus in jurisdictionem in clientes converterunt, ita Advocatiam *œconomicam*, *Kaſtenvogteiam* olim dictam, in dominium & jus proprietarium contra naturam ſui officii commutaſſe leguntur: *Kaſtenvogteiam converterunt in Dominium.* ex quo factum eſt, ut Advocati de rebus eccleſiarum haud ſecus ac de ſuis diſponerent, eas dilapidarent, & in uſus peſſimos cum diſpendio inenarrabili ac ruina earum impenderent (p).

Ex his abuſibus ſuum ortum trahere famoſiſſimum illud *Jus Regaliæ*, de quo infra, idem author exiſtimat, quamquam nos alias cauſas & origines illius ſimus allaturi. Quæ ulterius habet hic author de extra-

(l) In Chronico Hirſaug. ad an. 1099.
(m) In Docum. Hirſaug. pag. 550.
(n) Cap. 9. n. 139. (o) Author Demonſtrat. pag. 121.
(p) Pag. 123.

Digitized by Google

extraditione, & *jure clavium*, in ipſo illius opere videri & legi poſſunt. Nobis ſufficit hæc pauca inde delibaſſe: cum enim opus iſtud non admodum multorum in manus pervenerit, operæ pretium nos facturos credidimus, ſi quædam in uſum & utilitatem eorum, quibus *ratio Status eccleſiaſtici* cordi eſt, inde depromeremus.

Advocatiæ tolluntur, grandi pecunia redimuntur. Hæc cum ita ſint, prout ſane ſunt certiſſima, mirum non eſt, quod jam antiquitus ante tempora Friderici II. (q), & præcipue illius ævo, ac noviſſimis temporibus plurimi ex Epiſcopis & Abbatibus has tutelares Advocatias vel grandi pecunia, vel quocunque alio titulo redemerint, & ab hoc jugo ſe ſe in totum paſſim exemerint (r). Interim in hanc usque diem quædam Monaſteria ſub graviſſimo Advocatorum jugo gemere, & in ſupremis Imperii tribunalibus litigare in comperto habemus. Hactenus de Advocatis eccleſiarum in genere.

§. VII.

De jure Patriciatus ſeu Advocatiæ, quodnam illius fundamentum? Ut jam ad id, cujus gratia hæc diximus, revertamur, nempe ad Patriciatum, vel Advocatiam eccleſiarum Imperatoribus, Regibus, & Principibus competentem, quam mox ante *Majeſtaticam* diximus, duo potiſſimum quæruntur 1mo, quodnam ſit fundamentum juris Advocatiæ: Et 2do, quænam obligationes, & jura eidem ſint annexa.

Juxta aliquos juri Regio cohæret, juxta alios eſt adventitium. Fundamentum prioris ſententiæ. Quantum ad radicem ſeu fundamentum, ſunt quidam qui illud *juri Regio cohærens*, & velut *innatum*, aut certe ex ipſo jure derivandum exiſtimant: plures vero illud *adventitium* ex determinatione Eccleſiæ commiſſum ſuſpiciunt. Illi priores in eo ſe fundant, quod, cum inter ſtatum eccleſiæ & imperii nexus intercedat arctiſſimus, & religio ſit vinculum cives continendi in ſuo officio, ac fundamentum felicitatis politicæ, eo ipſo jus *Advocatiæ juri Regio* veluti appendix cohæreat, ſicque Principi incumbat obligatio defendendi quemadmodum religionem, ita etiam eccleſias, earumque jura, ne una cum eccleſiis periclitetur religio, & corruente religione corruat imperium. Et demus Principem eſſe addictum ſacris Chriſtianis, nunquid ex hac hypotheſi, quod ſit Princeps & ſimul membrum eccleſiæ, fluit graviſſima obligatio defendendi eccleſiam veluti ex jure naturali & divino? & quidem

(q) Vid. Pfeffing. ad Vitriar. Tom. I. pag. 1161. ubi id oſtendit de Eccleſia Herbipolenſi, Monaſterio Corbeienſi, & Eccleſia Goslarienſi.

(r) Exemplo ſit Monaſterium Zwiffaltenſe, quod non ita pridem cum Duce Wirtenbergico ſuper Advocatia tranſegit.

Digitized by Google

dem duplici titulo, uno generali, quo ſingula membra alicujus Reipublicæ illam defendere ac tueri debent; altero ſpeciali, quia Princeps Catholicus eſt, & eo ipſo ex ſublimiori principio ad defendenda Eccleſiæ jura obligatur.

Fundamentum poſterioris.

Hi poſteriores ſuam proram, puppimque in eo collocant, quod inprimis diſtinquendum ſit inter Advocatiam *generalem* & *ſpecialem*: Illa priora argumenta quid aliud probant, niſi Advocatiam generalem a Principe debitam? quatenus Princeps qua membrum Eccleſiæ ſua officia communia debet conſecrare pro bono reipublicæ, & qua Princeps bonum reipublicæ omni meliori modo procurare: quod cum aliter fieri nequeat, niſi & religionem & jura eccleſiarum fortiter ac ſtrenue defendat, aperte conſequitur, inter præcipua Principis officia eſſe obligationem defendendi tuendique eccleſiam. Dein *Jus Advocatiæ* & *Patriciatus* utique a *jure Regio* eſt ſeparabile: qua enim ratione imperantes jus Advocatiæ eccleſiarum in ſe ſuſcipere poſſunt, qui cum ſuis ſubditis non ejusdem ſunt religionis? utpote quibus ſua religionis principia dictant, eccleſiam illam, & religionem, quam ſui ſubditi profitentur, eſſe falſam, impiam, execrabilem: niſi ex pacto, fœdere, vel alio ſpeciali titulo ad modos defenſionis extraordinarios obligentur (s). An neſcimus, quod non raro Eccleſiæ & Monaſteria jus Advocatiæ in eos tranſtulerint, quibus nullo titulo ſubjectionis civilis erant colligata (t)? An non frequenter Monaſteria in Ducum territoriis conſtituta ſub ſolius Imperatoris advocatico munimine quieverunt? utique aliquoties tam Principibus quam Præfectis Provinciarum demandata fuit Advocatia in Civitates, Eccleſias & Monaſteria ſoli imperio ſubjecta. Quid quod pleraque Monaſteria ſuos proprios habuerint Advocatos, aut ſibi quemquam pro arbitrio deligendi, & deſtituendi nacti ſint facultatem. Nunquid ex ſupra dictis jus imperii & jurisdictionis involvit jus Advocatiæ, nec econtra? quod adeo verum eſt, ut plerique Scriptores catholici ex eo ipſo, quod quis Advocati munus ſuſceperit, prævalido argumento contendant, jurisdictione in clientes illum eſſe deſtitutum juxta illud Teutonum Brocardicon: Schirm gibt keine Obrigkeit. Et certe ſi *jus Advocatiæ juri regio* cohæreat, quo jure Imperator aut Rex Galliarum jus Advocatiæ in Eccleſiam Romanam prætendere & exercere poſſunt? quod ſi jam *jus Advocatiæ juri regio* non

Advocatia ſpecialis non eſt innata juri regio.

(s) Quemadmodum in Germania Imperator & Principes territoriales ex pace Weſtphalica.

(t) Vid. dicta de Advocat. Eccleſ. in genere.

non ſit connatum & cohærens, aperte ſequitur, quod totum quantum jus Advocatiæ cum omnibus ſuis juribus annexis dependeat ab Eccleſia, illiusque determinatione, quæ quemadmodum libere adoptat Advocatos, ita etiam illorum jura tam activa quam paſſiva eidem innexa, unaque fines Advocatiæ, in quos ſe extendere debet, determinat: cum utique Chriſtus ſaltem in principiis Catholicorum Eccleſiam conſtituerit veluti Rempublicam ſeparatam, regimen illius in Præſules tranſtulerit, & Eccleſiæ rempublicam politicam, non Eccleſiam Reipublicæ politicæ ſubordinaverit, ut adeo, quidquid juris circa ſacra habent Principes, id totum ab Eccleſia habere credendum ſit.

Generalis advocatia annexa eſt juri regio.

Age! hæc non nihil enucleatius expendamus, ut eo luculentius conſtet, in quo principaliter jus Advocatiæ conſiſtat, in quo ſenſu *juri regio* cohæreat, vel ex determinatione Eccleſiæ proveniat. Non jam mihi ſermo de *Advocatia generali*, ſed *ſpeciali*. *Generalem* certe debent Principes ex jure naturali: & in hoc ſenſu Advocatia Eccleſiæ eſt annexa *juri regio* eatenus, quatenus Princeps haud ſecus eccleſias jus civitatis habentes, ac ſubditos, aliasque communitates, earumque jura, cuicunque religioni adhæreant, defendere, ſuamque protectionem generalem indulgere, ac in id conniti debet, ne, ſi eccleſiæ indefenſæ relinquantur, ipſe ſtatus reipublicæ periclitetur. Neque quis falſo ſibi perſuadeat, hanc doctrinam de religione ac defenſione Eccleſiarum in vim remedii pro conſervando bono Reipublicæ aſſumenda eſſe periculoſam, & Machiavelliſmo proximam: eo quod ſtante hac doctrina religio & Eccleſia, quæ ex ſanioribus fidei & rationis principiis reipublicæ dominari deberet, ordine præpoſtero eidem ſubiicienda foret: ſi quidem hoc modo facile poſſet Princeps divina politicis ſubjugare, Eccleſiam Reipublicæ ſubſternere, e. g. adminiſtrationi ſacramentorum leges profanas præſcribere, ſub prætextu, quod ſecus quies publica turbaretur (u).

Noſtra doctrina neutiquam eſt periculoſa.

Nihil

(u) Ita timet author *Commonitorii ad Civilis & publici Juris Conſultos Catholicos* an. 1755. Pedeponti impreſſus. Verba authoris ſunt hæc: *Argumentum porro iſtud, quod religio reſpici debeat ut medium ad continendum in officio populos, periculoſum videtur ſapere principium, Machiavellus quippe aliique paſſim Athei, Indifferentiſtæque, tametſi nulla Religionis cura tangantur, ſuadent nihilominus, ut ejus veneratio ſolicite populis inculcetur, quoniam Religio fortiſſimum vinculum eſt Cives continendi intra ſuos limites. Aſſumunt Religionem tanquam medium, & ſubordinant fini politico, quod ſentire procul abſit ab illuminato Chriſtiano, in cujus judicio vice potius verſa ſacroſancta Religio ſupre-*

Digitized by Google

Nihil ſane abſurdi, nihil periculoſi in eo deprehendimus, ſi ea quæ ſunt ordinis ſuperioris & ſupernaturalis in vim medii ad obtinendum finem temporalem, dummodo nulla alia lex ſuperior obſtet, aſſumantur e. g. ſi quis votum voveat, ut ſanitatem obtineat, ſacrificium offerat, ut lis optatum finem conſequatur. Quis Principem male facti accuſabit, ſi e. g. exercitum formidandum conducat ad defendenda bona eccleſiaſtica, quia prævidet, ex ruina Eccleſiarum ipſum ſtatum Reipublicæ turbatum iri? ſobrius uſus ſeparandus eſt ab abuſu. Obſtat ſane lex Chriſti, ne quis Principum adminiſtrationi Sacramentorum ſe immiſceat, utpote quam ſuis ſucceſſoribus commiſit. Interim cautela, quam habet author in nota inferiori citatus, bona eſt, & optima, dummodo bene explicetur, & in ſenſu ſano accipiatur.

Princeps qua Chriſtianus obligatur ad generalem Advocatiam.

Generalem ulterius debet Advocatiam Princeps qua *Chriſtianus*, qua *Catholicus*: quatenus qua membrum cœtus Chriſtiani nobiliſſimum ad inſtar cœterorum membrorum eo fortiori titulo jura cœtus defendere tenetur, quo majori pollet authoritate, & aliunde cœteris bono exemplo prælucere debet.

Advocatia generalis non eſt ſufficiens.

Idcirco de *Advocatia regia ſeu Majeſtatica ſpeciali* diſpiciendum. Quoniam ergo experientia compertum fuit, *Advocatiam generalem* haud eſſe ſufficientem ad infringendam vim Potentiorum, ad propulſandas injurias hoſtium, qui ab ævo Chriſti nunquam defuerunt, neque hodie deſunt, tales potiſſimum, qui bona eccleſiæ lividis, & invidia plenis aſpiciunt oculis, & ad ſuſtentandum ſtatum eccleſiæ de alio remedio fortiori ac potentiori cogitandum fuit. Et quorſum Eccleſia ſecurius confugere potuit, quam ad Imperatores & Reges de re eccleſiaſtica optime meritos, fortitudine animi, robore virium, armorum potentia formidandos? ut autem Eccleſia illos eo fortius ſibi devinciret, & facilius ad jus Advocatiæ aſſumendum alliceret, ſeque haud ingratam exhiberet, tam intuitu meritorum antecedentium, quam ex rationibus prudentiæ naturali, eccleſiaſticæ & Politicæ, vel, ut loqui ſolemus prudenti œconomiæ innixis honorabilem titulum Advocati & Patricii in illos transferendum, de ſuis juribus aliquid remittendum, atque ſuis Advocatis cedendum exiſtimavit, ut ea nomine miniſteriali ſub titulo *Advocati* exercerent, haud aliter, ac olim Advocati *jurisdictionales* nomine eccleſiarum jurisdictionem in ſubditos

Eccleſia confugit ad Imperantes.

mam finis rationem obtineat. Quis enim tam corrupto erit ſenſu, ut præpoſtere id, quod altius eſt, ſubalternandum illi exiſtimet, quod inferius eſſe ipſe agnoſcit. Alioquin ſi Publico civico cedere deberet Religio, facile foret divina politicis ſubjugare.

Digitized by Google

Patriciatus ſumma dignitas. ditos laicos exercuerunt. Profecto dignitatem *Patriciatus* a tempore Conſtantini M. ſummi fuiſſe æſtimatam ex eo colligere licet, quod non niſi Conſulibus & Præfectis Prætorii, vel aliis de Republica bene meritis collata fuerit (x). Mirum proinde non eſt, quod etiam Reges & Principes extranei jam olim ab Imperatoribus hac dignitate honorari voluerint (y). *a Carolo M. ſumme æſtimata.* Quanti prærogativam Defenſoris, Advocati & Patricii fecerit Carolus M., inde intelligimus, quod eam edictis ſuis præfixerit ſub hoc titulo: *Devotus ſanctæ Eccleſiæ Defenſor, & Adjutor.* Et in charta diviſionis regni inter filios tanquam in teſtamentaria diſpoſitione ann. 806. facta Puncto XV. ita plena devotione ordinat: *ſuper omnia autem jubemus, atque præcipimus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab Ævo noſtro Carolo & beatæ memoriæ genitore noſtro Pipino Rege, & a nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur* (z). *Etiam ab illius ſucceſſoribus.* Qua ratione jus *Patriciatus ſeu Advocatiæ* apud Reges Galliarum, eſto nomen Patricii in Carolo M. in Auguſtum electo deſierit, ſicuti falſo docet Petrus de Marca (a), perſeveraverit, & hi ſemper ingenti gloriæ ſibi duxerint jus Patriciatus ſub conditione honoris debiti a Sede Romana ſibi exhibendi poſſidere, in eodem ſcriptore Petro de Marca videri poteſt (b).

Quænam jura in Patricios & Advocatos ab Eccleſia fuerint translata? Quænam autem ſint jura illa, quæ ab eccleſia in Advocatos, Patricios & Protectores ex prædictis cauſis fuere translata, nondum in propatulo eſt. Exiſtimamus, ea eſſe determinanda ex factis hiſtoricis, ex obſervantia & conſuetudine eccleſiæ tam Romanæ, quam eccleſiarum inferiorum. Profecto olim Imperatores & Reges præcipua quædam Eccleſiæ jura exercuiſſe, e. g. Concilia convocaſſe, eisdem ſi non præ-

(x) Nam in l. 3. Cod. de Conſul. dicitur: *nemini ad ſublimem Patriciatus honorem aſcendere liceat, niſi prius aut conſulatus honore potiatur, aut Præfecturæ Prætorio.*

(y) Sic legimus hoc titulo honoratos Theodoricum & Athalaricum Italiæ Reges, Vitigem Gothorum Regem, Aretham Saracenorum Principem, aliosque.

(z) Vid. Corp. Jur. Germ. p. 719. & Petrus de Marca de Concord. lib. I. cap. 12.

(a) Rationem dat hanc, quod teſte Eginhardo, *cum Carolus M. imperium recepiſſet acclamatione populi Romani, & conſenſu Leonis, omiſſo Patricii nomine Imperator & Auguſtus fuerit appellatus.* Quaſi vero titulus Imperatoris titulum Patricii abſorberet. Verum hos titulos eſſe ſeparabiles ſupra probavimus.

(b) Loc. cit.

Digitized by Google

præfuiſſe, ſaltem interveniſſe, in electionibus Epiſcoporum partem habuiſſe maximam; quin & nominaſſe Epiſcopos, uti de Carolo M. referunt, in propatulo eſt. Quid ſi dicamus, hæc jura, ſi non omnia, pleraque ſaltem tum ex æconomia Eccleſiæ, tum ex jure Advocatiæ expreſſe vel tacite conceſſo, vel libere ab imperantibus cum conſenſu Eccleſiæ aſſumpto profluxiſſe, & a ſummis Principibus nomine Eccleſiæ ex officio *Advocatiæ* uſurpata; adeoque non *facta nuda, & ſimplicia*, ſed jure ſtabilita fuiſſe, contra Scriptores Acatholicos, & nonnullos Catholicos, qui neſcio quæ jura ex jure regio, & Majeſtatico extorquere conſueverunt (c).

Juriſconſultus Moguntinus modeſte perſtringitur.

Illius doctrina.

Conſentit cum hac doctrina Juriſconſultus quidam novitius Moguntinus in ſua *Diſſertatiuncula de fontibus Juris Canonici Germanici* &c. (d). Hic etſi cœteroquin principia foveat parum Catholica, a communi Catholicorum doctrina prorſus aliena, ab Acatholicis incaute & ex defectu ſanioris Theologiæ Catholicæ adoptata, e. g. dum ſtatum Reipublicæ ab Eccleſia exterminat, Epiſcopos e throno poteſtatis ſuæ judicialis deturbatos ad infima ſubſellia nudi Directoris & Inſpectoris detrudit &c. attamen, dum *de jure Advocatiæ* differit, jura ſupra nominata potiſſimum ex hoc jure Advocatiæ derivare non formidavit: licet hinc inde falſa quædam immiſceat. Juvat illius doctrinam hic admetiri: *quamvis verum ſit*, inquit, *nulli Principi Chriſtiano a Chriſto collatum eſſe ſacerdotium, nec ulli unquam imperanti incidiſſe, ſibi competere definitionem dogmaticam ſidei, adminiſtrationem Sacramentorum, ac poteſtatem abſolvendi & ligandi, quin potius ipſimet ſe ſe qua peccatores poteſtati clavium ſubjacere ultro recognoſcerent, nihilominus & hoc oportet concedere, Eccleſiam ſuis Principibus non tantum generalia protectionis impertiendæ jura & obligationes, utpote quæ per ſe jam Imperanti qua tali incumbunt, attribuiſſe, ſed ſimul eiſdem ulterius Advocatiam eccleſiaſticam conſignaſſe. Ad Advocatiæ hujus jura intelligenda oportet attendere, quales olim fuerint partes plebis in Eccleſia circa electiones Præſulum, & ſimilia negotia* (e). *Jam ipſis Imperantibus ad ſacra converſis nil naturalius erat, quam his, ſi non omnem,*

(c) Vid. Differt. de jure Regio paucis abhinc annis Monachii impreſſa. Item Commonitorium ad Juris-Conſultos Catholicos innominati authoris ſupra citatum.

(d) Fuit Moguntiæ impreſſa an. 1758. ubi graves excitavit tumultus, & fata habuit prorſus ſiniſtra, & quidem recte.

(e) In ultimis hiſce verbis videtur alludere ad ſyſtema Proteſtanticum, quod inter jura Majeſtatica & collegialia diſtinquit.

Digitized by Google

mnem, ſaltem potiſſimam horum jurium partem relinquere; & cum egregius eorundem pro bono Religionis & felicitate Eccleſiæ promovenda affectus undique ſe manifeſtaret, plura eisdem in ipſa Eccleſia jura concedere. Unde non mirandum, quod Socrates in proœmio lib. 5. hiſt. Eccleſ. ſcribere potuerit: ex illo tempore, quo Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa ſunt. Epiſcopi bene perſpiciebant, ſe non ideo eſſe Eccleſiæ Præpoſitos, ut ſubtiles de poteſtate ordinandi diſciplinam quæſtiones Eccleſiæ parum proficuas excitarent (f), *ſed ut voluntatem devotorum Principum promoverent, ſicque Eccleſiæ ejusque regimini mere charitativo cum effectu utiles ſe Prælatos oſtenderent: quapropter hunc fervorem Imperantium tantum abeſt, ut improbarent, quin potius eundem ſemper collaudarent ultro fatentes, eo ipſo Principes ſe ſe veros Eccleſiæ nutritios exhibere, & pietatem Religionemque ſibi curæ cordique eſſe commonſtrare, quod diſciplinam Eccleſiæ promovere, ſcandala vero reſecare allaborent.* Poſtea ex ſynodis Liptinenſi ſub Carolomanno an. 742., Arelatenſi ſub Carolo M. celebratis; nec non Capitulari Aquisgranenſi de anno 789. oſtendit citatus author, quomodo Imperatores in majoris momenti negotiis cum imperii ſui Præſulibus conſultaverint, in ſynodis deliberaverint, ita tamen, ut maxima poteſtas fuerit penes Imperatores, utpote qui ſynodos vel convocarunt, vel convocari præceperunt, concluſa promulgarunt, & executioni mandarunt. Denique ſic concludit: *Ex iis paucis jam facile genuina de indole Advocatiæ Eccleſiæ, quæ cuilibet Domino territoriali reſpectu Eccleſiæ ſuæ particularis, cujus ſcilicet membrum eſt, cuilibet Regi reſpectu Eccleſiæ ſuæ Nationalis, & Imperatori reſpectu Eccleſiæ Romanæ ac univerſalis competit, poterit formari idea, ſimulque cognoſci veritas illius Axiomatis, quod Principi competat jus, & incumbat obligatio proſpiciendi, ne Eccleſia ſua quidpiam capiat detrimenti; cur ideo non tantum ejus conſenſus adeſſe, aut ſaltem diſſenſus abeſſe requiratur, quando nova Eccleſia excitanda, antiqua diſmembranda aut ſupprimenda; quando Prælatus eccleſiaſticus eligendus, transferendus, deponendus; quando mutatio in diſciplina eccleſiaſtica ſuſcipienda, ordo Hierarchicus alterandus, & ſubordinatio Prælatorum infringenda; cur obligatus ſit ad diſciplinam Eccleſiæ reſtaurandam, & ideo canones inculcandos, eorumque providæ & utilitati particularis Eccleſiæ attemperatæ executioni inſiſtere.* Hucusque laudatus author, in eo laudandus, quod genuinam Advocatiæ indolem ex-

Plus juris & jurium, quam oportet Imperantibus & Advocatis vindicat.

(f) Quæ author habet de excitandis quæſtionibus circa poteſtatem ordinandi Eccleſiam, imaginaria ſunt, falſa ſunt. Longe aliæ rationes ſublimiores Eccleſiæ perſuaſerunt, ut de Juribus ſuis quædam remitteret.

Digitized by Google

explicet, veram originem manifeſtet, jura Principum in certo ſenſu eccleſiaſtica ex jure Advocatiæ potius quam jure regio derivet; in eo autem exceſſivus, quod jus Advocatiæ longiſſime ultra ſuos fines in ultimis verbis extendat, & conſenſum Advocatorum ferme in omnibus negotiis eccleſiaſticis requirat: quaſi vero juri Advocatiæ omnia jura eccleſiaſtica ſint innexa, & ex illo prono alveo fluant. Verumenimvero cum jus Advocatiæ principaliter non niſi officia defenſionis, & protectionis importet, quoad jura vero eidem cohærentia & adventitia ab Eccleſia dependeat, plane non video, quo jure propitio illa jura ab authore recenſita ex jure Advocatiæ derivari valeant. Jus Advocatiæ principaliter importat obligationem defendendi, & in quantum ſapit obligationem defendendi, inſtitutum eſt in favorem Eccleſiarum tanquam clientum: anne Advocatus libere aſſumptus ſeſe in omnia negotia clientis cum Advocatia non connexa immiſcere, vel omnia clientis jura ſibi vindicare valeat? Id ſane cederet in ſummum clientis præjudicium. In quantum vero jus Advocatiæ præter obligationes ſibi quædam jura annexa habet, dependet ab arbitrio & determinatione Eccleſiæ. Jam vero quis ſibi perſuadeat, quod Eccleſia una cum jure Advocatiæ ferme omnia ſua jura in Advocatos transferre, ſibi ipſi manus ligare, quo minus negotium majoris momenti ſine conſenſu Advocati peragere valeat, nec non jugum ſervitutis intolerabilis imponere, ſeque vaſallam, ancillamque ſuorum Advocatorum facere voluerit? Eſto! Princeps ſit Protector & defenſor ſuorum ſubditorum, num ideo ſe omnibus ſubditorum negotiis immiſcere, aut pleraque eorum jura prætendere valeat?

Suademus Doctori Moguntino antea laudato, cœteriſque Juris-Conſultis Catholicis, ut priusquam de juribus eccleſiaſticis ſcribere audent, principia catholica ex libris theologicis Catholicorum addiſcant, neque temere principia politico-eccleſiaſtica Doctorum Proteſtanticorum aſſumant. Ex neglectu certe ſanioris Theologiæ venit, quod noſtri Juriſconſulti pluries in principia Religionis noſtræ graviſſime impingant.

§. VIII.

Genuina explicatio & definitio juris Advocatiæ tam generalis quam particularis.

His jam bene intellectis facile eſt definire, in quo *jus Patriciatus & Advocatiæ* conſiſtat; quo jure Principibus competat; & quid juris ac obligationis importet: Nam ſi loquamur de *Advocatia Generali*, ea ſane

ſane innata eſt *juri regio* & fluit ex ipſo jure naturæ: non ideo tantum quia Princeps eccleſias jure civitatis donatas ad inſtar aliorum ſubditorum defendere debet; ſed ex eo etiam capite, quod conſervatio & bonum Reipublicæ politicæ ab ipſa conſervatione & bono Eccleſiæ dependeat, ea ferme ratione, qua bonum Reipublicæ dependet a bono civium. Quodſi Princeps inſuper ſit membrum Eccleſiæ, iterum habet obligationem graviſſimam ex jure naturali & divino ſaltem hypothetico, id eſt ex hypotheſi veræ Religionis promanantem, vi cujus tenetur defendere Eccleſiam, haud ſecus, quam membra Reipublicæ politicæ obligantur tueri ſuam Rempublicam, ſicut ſupra inſinuavimus.

Quodſi ſermo ſit de *Advocatia ſpeciali*, omnino tenendum eſt, quod licet Advocatia ex ſuis prædicatis eſſentialibus nihil juris activi in ſe contineat, & cum ſolis obligationibus conſiſtere valeat, nihilominus Advocatia hæc Eccleſiarum præter titulum honorificum *Advocati* plura jura activa eccleſiaſtica, non quidem ex natura rei, vel ex inſtitutione divina, quia Chriſtus *jus in ſacra* privative in Epiſcopos tranſtulit, ſed ex determinatione Eccleſiæ importat, tum in compenſationem meritorum, tum in bonum Eccleſiarum Advocatis conceſſa, ea lege, ut ea nomine Eccleſiæ pro Eccleſia; nec contra, ſed juxta canones Eccleſiæ exerceant.

Cujus juris Advocatia tam generalis quam particularis?

Ex his breviter conſequitur, *Advocatiam generalem in jus naturæ; ſpecialem in jus eccleſiaſticum* præcipue refundendam; & illam eſſe *innatam juri regio*; hanc *adventitiam.* 2do Errare non illos duntaxat Scriptores, qui jura Advocatorum Eccleſiæ ex *jure regio* derivant; ſed illos etiam, qui exiſtimant, *juri Advocatiæ ſpeciali* præter obligationes nihil *juris activi* ineſſe, ne quidem ex determinatione Eccleſiæ: iſtud enim aſſerere nec probabile eſt, nec proficuum Eccleſiæ. Quorſum enim refundemus illa jura eccleſiaſtica ab Imperatoribus exercita e. g. quando convocarunt Concilia, quando electionibus ac Conciliis ſi non præfuerunt, certe interfuerunt, & quidem cum inſigni prærogativa, niſi *in jus Advocatiæ*? ſed nec proficuum: nam dicamus, jus Advocatiæ eſſe ſterile, nudum, infœcundum, in nudis obligationum terminis conſtitutum: demamus eidem omnia jura activa; inde quid conſequetur, niſi quod Principes Advocatiam ſint aſpernaturi, ſua officia ſegnius obituri, & econtra ſuum *Jus Regium* quam latiſſime protenſuri.

Ex conſuetudine & obſervantia hæc jura ſunt definienda. Sunt ſtrictæ interpretationis.

Quænam autem ſint hæc jura, ex obſervantia, & conſuetudine eſt definiendum. Interim cum hæc jura, in quantum ex conniventia, determinatione & conceſſione Eccleſiæ exercentur ab Advocatis, ſint præter Jus divinum, & ex primæva inſtitutione Eccleſiæ propria, & ſi

Digitized by Google

ſi annectantur Advocatiæ, ſæpius vergant in præjudicium Eccleſiarum, ſunt ſtrictæ interpretationis, in dubio probanda, & ſtante dubio pro libertate Eccleſiæ erit pronuntiandum. 3tio Hanc ſententiam deſervire pro innumeris difficultatibus diluendis, quas pariunt facta hiſtorica e. g. dum legimus, quod Imperatores & Reges Concilia convocaverint, electionibus interfuerint, Epiſcopos nominaverint, ſicut jam ſupra diximus: nam ſi dicamus hæc eſſe nuda facta, nullo jure ſtabilita, nunquid offendemus Principes, & occaſionem dabimus dilatandi ſuum jus regium, aut certe hæc facta jure regio corroborandi? econtra ſi dicamus, quod ſummi Principes hæc fecerint ex jure Advocatiæ præſtabilito, nunquid & juribus Eccleſiæ, & authoritati Principum maxima ex parte erit conſultum? niſi ſiniſtris ſuorum Miniſtrorum principiis imbuti Principes jura Eccleſiæ cum juribus imperii confundant, aut omnino mira metamorphoſi in jura ſæcularia convertant, & conculcatis clavibus Petri nec gladium Pauli metuentes ſuum ſceptrum in ſancta ſanctorum usque extendere præſumant.

Hæc doctrina deſervit ad multas difficultates ſolvendas.

Nobis igitur, qualemcunque conceptum alii ſibi de jure Advocatiæ ſeu Patriciatus forment, jus Patriciatus nihil eſt aliud, quam Jus, vel ſi dicere malis, munus honorificum æque ac oneroſum cum certis prærogativis, obligationibus & juribus connexum tuendi, defendendique ſtatum, ſyſtema, bona & jura Eccleſiæ Imperantibus quoad obligationes vi Religionis, quam profitentur, & vi imperii, quod gerunt; quoad prærogativas vero & jura ex determinatione ipſius Eccleſiæ competens. In hac deſcriptione continetur utraque Advocatia generalis & ſpecialis, utriusque radix & fundamentum, nec in ea quidquam deprehenditur, quod quemcunque offendere poſſet.

Definitur jus Advocatiæ.

§. IX.

Jam quomodo Jus Patriciatus & Advocatiæ in Reges & Imperatores fuerit translatum videamus. Altius res foret repetenda ab eo tempore, quo Reſpublica Romana bellis civilibus labefactata ſenſim in Monarchiam ſeſe compoſuerat & plenius declarandum, quomodo ſub Imperatoribus ex licentia militum ferme omnem poteſtatem Imperatores ſolio vel admovendi, vel deturbandi ſibi vindicantium jactatum convulſumque fuerit imperium; qua arte poſt translatam a Conſtantino M. Byzantium regni ſedem, & poſt factam a Theodoſio inter filios diviſionem extiterint duo regna non alio fere fructu, quam ut divulſus ab Oriente Occidens Barbaris eo facilius ſuccumberet, ac denique

que Imperium Occidentis deſierit. Hiſce malis ſucceſſerunt longe majora, nempe irruptiones Barbarorum Italiam mirum in modum devaſtantium. Jam circa an. 476. Heruli irrumpentes regnum in Italia condiderunt, quamquam ultra annos ſedecim non ſteterit: quippe in Odoacro & cœptum & finitum eſt. Succeſſit eidem regnum Gothorum, cujus initia ſuperato Odoacro poſuit Theodoricus, qui utut a Juſtiniano an. 553. devicti ſint, præcipua tamen Italiæ pars non tam Orienti iterum conjuncta, quam ejus poſſeſſio inter gentes varias diviſa fuit, donec Longobardi a Narſete, ut credebatur, invitati poſt varias ex Pannonia ſuſceptas expeditiones Italiam fere totam circa an. 569. armis occupaverunt, exceptis Roma & Ravenna, quo ne penetrarent, impediti ſunt ab Exarchis Imperatorum, qui ſedem ſuam Ravennæ habuere, quin Imperatores Orientales rebus afflictis opem ferre vel voluerint, vel potuerint.

In his ergo circumſtantiis cum eſſent res Italiæ, tum propter attritam Exarchorum potentiam & diſſidiis inteſtinis ferme conquaſſatam, tum propter invaſionem Longobardorum ſub Luitprando Rege ſuo Exarchatum Ravennatenſem & Ducatum Romanum devaſtantium, jamque ipſam Romam arctiſſima obſidione circumquaque prementium, tum propter ipſam impietatem Iſauri Imperatoris Iconoclaſtæ, bellum atrox contra Chriſti Eccleſiam gerentis, viſum fuerat Gregorio III. R. P. exterorum auxilium implorare. Et quoniam eo tempore Reges Francici fortitudine animi, authoritate, & armorum potentia præpollebant, Gregorius III. duplici legatione (a) Carolum Martellum *Majorem Domus* ſollicitavit, eique Patriciatum Romanum eo pacto obtulit, ut Eccleſiam & Rempublicam Romanam a Longobardorum tyrannide liberaret (b). Verum ob utriusque & Pontificis & Regis mortem legatio ſuo caruit effectu. Electus fuit in Pontificem Zacharias Papa, qui animum Luitprandi jamjam Urbi Romæ imminentis ita demulſit, ut quatuor civitates Romano Ducatui ereptas reſtitueret, & nec ipſi Exarchatui

(a) Unius tantum legationis meminit Anaſtaſius, ſed duplicem fuiſſe miſſam conſtat ex continuatore Fredegarii, qui cap. 10. ſcribit, Gregorium non ſolum opem Caroli contra Longobardos, ſed etiam contra Imperatorem imploraſſe, qui, ut ait Baronius, concitaverat Longobardos contra Eccleſiam Romanam. vid. Pagius ad an. 740.

(b) Ex hoc inferunt originem Advocatorum Eccleſiæ Germanorum a Carolo Martello auſpicandam: quippe qui primus ad illam ſuſcipiendam fuit invitatus.

Digitized by Google

archatui Ravennatenſi arma inferre auderet. Sed ne longiores ſimus, & in res hiſtoricas excurramus, poſtquam Carolomannus depoſito regno habitum monaſticum induit, & Childericus III. Merovingicorum poſtremus in Conventu Sueſſionenſi regno fuit exutus, ſumma rerum devoluta fuit ad Pipinum Majorem Domus. Qua arte id factum fuerit, nolumus diſcutere: aliter enim res geſtas referunt Scriptores catholici, & aliter Acatholici: hi profeſſionem inſtituti monaſtici Carolomanni, exauthorationem Childerici, & elevationem Pipini ad capeſſendum ſceptrum Francicum fraudibus & dolis Pontificum pro ſuo more adſcribunt: illi omnia recto ordine fuiſſe acta, & Carolomannum ſponte aſſumpſiſſe habitum monaſticum, & Childericum legitime depoſitum, & Pipinum jure optimo in Regem fuiſſe aſſumptum ſcribunt (c).

Quomodo Pipinus factus fuerit Rex Francorum?

Sed ut ad id, cujus gratia hæc omnia diximus, perveniamus, poſt mortem Zachariæ Papæ ſucceſſit Stephanus II. aliis III. qui, quum Aiſtulphus Longobardorum Rex contra fœdus ad undecim annos a ſe initum (d) denuo Romam obſidione cingeret, & omne genus impietatis & crudelitatis exerceret; Imperator vero etſi imploratus a Stephano ferre ſuppetias recuſaret (e), ad Pipinum confugit, eumque ut Eccleſiam, ac Rempublicam protegeret, obteſtatus fuit, qui id adeo fideliter præſtitit, ut cæſis Longobardis Aiſtulphum coegerit Ravennam cum univerſo Exarchatu, Pentapolim, & 20. civitates in iis comprehenſas reſtituere, quas dein per ſcriptam donationem Stephano, ejusque Succeſſoribus tradidit perpetuo poſſidendas. De hac donatione infra recurret quæſtio. Atque hic ipſe eſt ille Pontifex, qui primus Pipinum una cum Filiis in Regem unxit, eique Patriciatum contulit (f).

Pipinus cum filiis primus ungitur a Pontifice.

A Pipino hic Patriciatus tranſiit ad Carolum M. cæterosque illius Succeſſores: & licet dignitatem Patriciatus ſaltem quoad nomen in Carolo M. deſiiſſe exiſtimet Petrus de Marca quando acclamatione populi Romani, & conſenſu Leonis omiſſo Patricii nomine *Imperator & Auguſtus* fuit renunciatus, attamen protectio Eccleſiæ Romanæ coronæ Francorum ante quæſita per confuſionem Patriciatus cum imperio ſublata non fuit, ſed ad omnes Caroli filios tranſmiſſa ea lege

U 3

(c) Vid. Schilterus de libert. Eccleſ. Germ. lib. 2 cap. 9.
(d) Vid. Petrus de Marca de Concor. lib. 3. cap. 11. §. V.
(e) Idem author ibid.
(f) Vid. Petrus de Marca lib. 1. cap. 12.

Digitized by Google

lege, ut illis non deſuper liceret familiæ erciſcundæ judicio agere. Ita ſcriptum in ſuis tabulis teſtamentariis ſupra citatis reliquit Carolus: ita egerunt ad exemplum Caroli illius filii & nepotes, qui inter præcipuas regni ſui curas, & ſceptri ſui decora habuere protectionem & Advocatiam Romanæ Eccleſiæ, eique in rebus anguſtis & afflictis ſuo auxilio non deſuere. Et ideo in hodiernam usque diem Reges Galliarum gloriantur titulo & nomine Advocatorum Eccleſiæ apoſtolicæ.

§. X.

Quid dignitas Patriciatus Romani? Porro autem inde reſultat quæſtio, in quo ergo illa *Patriciatus* Romani dignitas conſtiterit? Carolus de Freſne in Gloſſario latinitatis Tom. 3. exiſtimat, Patriciorum munus præcipuum fuiſſe eccleſias & pauperes contra vim potentiorum defendere; eos inſuper fuiſſe Præfectos urbis & Gubernatores præcipuarum civitatum aut provinciarum. Alii exiſtimant, eos fuiſſe præcipuos Conſiliarios Imperatoris. Optime ſentiunt Anton. Pagius (g), & Petrus de Marca (h) exiſtimantes, *Tria complectitur.* dignitatem *Patriciatus*, ab eo ſaltem tempore, quo Carolo Martello, ejusque Succeſſoribus fuit oblata, duo quædam vel omnino tria fuiſſe complexam, nempe protectionem ſeu defenſionem Romanæ Eccleſiæ, ad quam ſe Patricii per pactum cum Romanis Pontificibus initum obligabant, & jurisdictionem quamdam delegatam in urbe, & Ducatu Romano Patriciatus dignitati, ne eſſet ſterilis & infœcunda, annexam, haud abſimilem illi, qua Exarchi Italiam nomine Græcorum adminiſtrantes fungebantur, una cum honoribus invicem deferendis. Horum omnium fidem faciunt tum Annales Metenſes, & epiſtolæ inter Carolum & Leonem invicem ſcriptæ, tum ſequentium ſæculorum documenta. De Carolo M. in Annalibus Metenſibus (i) expreſſe dicitur, *eum legitimum tutorem, & defenſorem eſſe Eccleſiæ, quoniam Stephanus Papa illum unctione ſacra liniens in Regem ac Patritium Romanorum ordinavit.* En munus præcipuum Patricii Romanæ Eccleſiæ! De Epiſtola Caroli M. ad Leonem III. miſſa fidem facit Eginhardus in Annal. (k) ita ſcribens: *Leo per legatos ſuos claves confeſſionis S. Petri ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi Carolo miſit, rogavitque, ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum Roma-*

(g) In Critic. Baron. ad A. 740. n. 8.
(h) Lib. 1. de Concord. cap. 12.
(i) Ad annum 773. (k) Ad annum 796.

Digitized by Google

Romanum ad ſuam ſedem, atque ſubjectionem per ſacramenta firmaret. En! offert Pontifex Carolo ſubjectionem populi Romani ſacramento firmandam. Sed quænam hæc ſubjectio, niſi talis, quæ correſponderet juri Patriciatus, & debetur Protectori & defenſori tam Eccleſiæ, quam Reipublicæ Romanæ? Audiatur reſponſum Caroli (l): *Angelberto injunximus, ut ex collatione mutua conſeratis, quidquid ad exaltationem S. Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium eſſe intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo Prædeceſſore veſtræ ſanctæ Paternitatis pactum inii, ſic cum beatitudine veſtra ejusdem fidei & charitatis ſœdus inviolabile ſtatuere deſidero: quatenus Sanctitas veſtra, divina donante gratia, ſanctorum advocatis precibus, me ubique apoſtolica benedictio conſequatur, & ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ Sedes, Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur. Noſtrum eſt, ſecundum auxilium divinæ pietatis ſanctam ubique Chriſti Eccleſiam ab incurſu paganorum & ab infidelium devaſtatione armis defendere foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire.* Ecce! ipſe etiam Carolus non aliud Patriciatus ſui officium agnovit, quam defenſionem Eccleſiæ; neque aliam jurisdictionem, quam huic officio per pacta annexam, neque aliam ſubjectionem quam defenſori debitam. Hoc modo ſignificationem & dignitatem Patriciatus acceperunt præter Carolum M. etiam illius hæredes (m), & in hanc usque diem accipiunt reges Galliæ, nempe quæ principaliter ſolam protectionem Eccleſiæ Romanæ importat. Ex his etiam manifeſte liquet, quibus & quantis honoribus Pontifices & Romani ſuos Patricios mactaverint: nempe claves S. Petri, & vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus ad ſuos miſerunt Patricios, eosque Romam adventantes cum his ſignis ſuſceperunt, prout feciſſe legitur Hadrianus, quando Carolum a Papiæ obſidione Romam adventantem veluti Exarchum & Patricium ſuſcepit: *obviam illi ejus Sanctitas* (id eſt Hadrianus) ait Anaſtaſtius, *dirigens venerandas Cruces, id eſt, ſigna, ſicut mos eſt ad Exarchum aut Patricium ſuſcipiendum, eum cum ingenti honore ſuſcipi fecit.*

Quid miſſio clavium S. Petri & Vexilli Romanæ urbis.

Id-

(l) Epiſt. Caroli ad Leonem Tom. VII. Concil. vid. etiam Petrus de Marca loc. cit.

(m) Sic enim & Carolus M. & Ludovicus Pius in regnorum ſuorum diviſionibus filiis ſuis præceperunt, ut Eccleſiam Romanam Caroli Martelli & Pipini exemplo defendant, ſeque veros Patricios exhibeant: *ſuper omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant.* Eginhard. ad an. 886.

Digitized by Google

Ex ea non inferendum ſupremum urbis dominium.

Idcirco fallunt, & falluntur, qui ex hac miſſione clavium, vexillorum, & ſolemni inſtituta ex more recepto Patriciorum ad urbem deductione ſupremum urbis Romanæ dominium eruere volunt: nam præterquam quod jus protectionis & imperii ſeu dominationis toto cœlo differant; & ex jurisdictione, quam quis in aliquo territorio exercet, peſſime concludatur ad dominium, conſtat ex epiſtolis Greg. M., aliorumque Pontificum, quod hi jam olim conſueverint claves ex confeſſione ſeu ex ſepulchro S. Petri Chriſtianis Principibus mittere, quos tamen certum eſt, nullum habuiſſe dominium urbis, nullum in Ducatum Romanum Imperium (n). Vexillum autem S. Petri teſte Pagio (o) jam antea ante Carolum a Stephano II. ad Pipinum Caroli Patrem, & a Gregorio III. ad Carolum Martellum ejus avum fuit transmiſſum. Moris n...pe erat vexillum mittere ad Patricios Romanorum, aliosque Principes Chriſtianos, qui contra infideles, ſchiſmaticos, vel hæreticos aliosque Eccleſiæ hoſtes pugnaturi erant. Sic illud ſubſequentibus ſæculis Alexander II. Wilhelmo Notho Duci Normanniæ in bello contra Haroldum (p), Victor III. Roberto Guiſcardo in bello contra Græcos ſchiſmaticos (q), Urbanus II. Hugoni M. Viromanduorum Comiti in prima expeditione ſacra tradidiſſe feruntur (r). Quid quod Patriarcham Jeroſolymitanum claves ſacri ſepulchri cum vexillo ad Carolum miſiſſe, teſtes ſint Ado, & Eginhardus (s). Quis ex his arguet, Principes hos imperium quoddam in terras Romanas, aut Carolum M. in ſacrum habuiſſe ſepulchrum? Profecto ſe ipſum ferit Joan Schilterus (t), qui hiſce ſymbolis ſummam poteſtatem circa ſacra & civilia in urbe Roma & dominio Pontificis Italico in Carolum a ſede Romana fuiſſe translatam exiſtimat, idque probare contendit ex Joan. Mariana, qui lib. VII. de rebus Hiſpan. cap. 11. ita ſcribit: *Præmiſſæ fuerant ad Carolum claves Confeſſionis S. Petri, & urbis Romæ vexillum, indicio, cives & Pontifices ſe in ejus poteſtatem contradere.* Nam ex his verbis aliud extorqueri nequit, niſi quod Carolus quamdam juris-

(n) Tract. hiſt. Jurid. de Statu Eccleſ. P. Leonard. Grebneri S. J. Bamberg. 1755. edit.
(o) In Critic. Baron. ad an. 774. n. 4.
(p) Apud Ingulfum pag. 90.
(q) Ut notat Guillelmus Apul. lib. 4. de geſtis Norman.
(r) Ut habent paſſim Scriptores rerum Jeroſolymitanarum.
(s) Vid. Schilter de libert. Eccleſ Germ. lib. 2. cap. 11. §. 3.
(t) Loc. cit. §. 2.

Digitized by Google

riſdictionem reſpective delegatam explicandæ & exercendæ protectioni neceſſariam acceperit, talem nempe, qualem leges civiles omni juriſdictioni veluti cohærentem exiſtimant. En primum quaſi fundamentum arctioris nexus inter Pontifices, Reges ac Imperatores Galliæ ac Germaniæ ex jure *Patriciatus* & Advocatiæ reſultantis!

§. XL

Recenſentur egregie geſta Caroli M.

Novo prorſus eoque ſummo vinculo colligati ſunt Pontifices & Imperatores Germaniæ cum Eccleſia Romana ex translatione, uti vocant imperii & dignitatis Imperatoriæ a Leone III. in Carolum M. facta. Poſtquam nempe Carolus M. ſuis armis innumeros ferme Germaniæ populos, & inter hos Saxones præcipue, Hunnos, Sclavosque debellavit, ac francicis ditionibus totum illum terrarum tractum, qui usque ad Dravi confluentis in Danubium, & eosdem fluvios Dravum, Danubium & Arabonem (vulgo Rab) interiacet, adierit, ipſam Italiam ab Imperatoribus Græcis derelictam ſubegit, Papiam expugnavit, Deſiderium devicit, jamque & Patricius Romanæ Reipublicæ, & Rex Longobardorum audiret, quarta vice Romam venit, injuriam Leoni Pontifici illatam ulturus (u). Itaque poſtquam Leo in ſynodo Epiſcoporum ſe coram omnibus ordinibus juramento purgaverat (x) idem

Carolus Romæ renuntiatur Imperator. Et in eum translatum Imperium fertur.

(u) Refert Anaſtaſtius, Leonem more ſolito Litanias Majores VII. Kalend. Maii cum univerſo Clero & populo celebrantem a Paſchale Primicerio, & Campulo Sacellario Eccleſiæ Romanæ & reliqua nefariorum hominum manu effoſſis oculis, abſciſſa lingua & multis plagis ſaucium in tetrum carcerem ſuiſſe conjectum, ubi tamen nocte ſequente per interceſſionem SS. Apoſtolorum ingenti miraculo oculorum & linguæ uſum recepit. Teſtes præter Anaſtaſium ſunt Flodoardus, Alcuinus, Lambert. Schnaffnaburg.

(x) Duo hanc ſynodum faciunt celebrem: 1mo quia Præſules præſentes ſententiam dicere rogati dixerunt: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes & Vicario ſuo judicamur; ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, jubeat, canonice obediemus.* 2do Quod Pontifex, uti refert Anaſtaſtius, *Aſſumens Evangelium poſuit ſuper caput ſuum, & in conſpectu Caroli, ejusque militum aſſiſtentibus etiam perſecutoribus in hæc verba juraverit: Sic in die magni judicii ſim particeps Evangelii, ſicut immunis ſum crimine falſi mihi ab iſtis objecti.*

idem Pontifex in ipſo dominicæ Nativitatis die an. 800. Carolum M. ob egregia illius in Romanam Eccleſiam Chriſtique Vicarios merita conſentiente & applaudente populo Imperatorem & Auguſtum declaravit, hocque modo, ut ajunt, Imperium a Græcis in Carolum fuit translatum. Ita rem referunt Scriptores coævi ferme omnes, Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis, Eginhardus in vita Caroli M., Annales Francici, Paulus Diaconus, aliique.

Translationis vox dubia eſt.

Negant fuiſſe factam translationem imperii.

Verum plures, eæque graviſſimæ difficultates in hac ita dicta *translatione* ſeſe objiciunt diſſolvendæ, de quibus inter hiſtoricos, inter Jurispublici Doctores, aliosque mirum in modum dimicatur. Et quis in numerum coget Scriptores omnes, qui hac ſuper re ſcripſerunt? Inprimis ipſa vox *translationis* pluribus offenſæ eſt, eamque Scriptores non pauci dedignantur, reſpuunt, & rejiciunt, exiſtimantes, eam ex eo capite non eſſe adoptandam: quod imperium Occidentis jam pridem fuerit extinctum, adeoque in Carolum non tam translatum, quam in eo reſtauratum. Ita Antonius Pagius (y). Aliam rationem aſſignat Nat. Alexander (z), qui, licet negare non audeat, quod Carolus dignitatem Imperatoriam a Leone acceperit, attamen translationem imperii factam eſſe, aut dici poſſe ſimpliciter abnuit. Ecquid enim Leo III. in Carolum ſua populique acclamatione & ſubſecuta coronatione tranſtulit? num Imperium Orientale? ſed utique Pontifex Principes Græcos ſuo imperio Orientali ſuisque ditionibus privare nec voluit, nec potuit; & Irene Auguſta e legitima Orientis non tantum, ſed etiam quarumdam Occidentis provinciarum poſſeſſione deturbari non potuit: anne imperium Occidentale? at vero iſtud jam ante vel ex ſucceſſione hæreditaria quoad Galliam, & maximam partem Hiſpaniæ ad ſe devolutum; quoad Germaniam vero non tantum cis Albim, ſed etiam ulterius ad Oderam usque flumen & mare Balticum, atque ultra Danubium partem non modicam Pannoniarum, ac quoad Italiam, quidquid præter Romam & Ducatum Romanum Longobardicæ ditionis fuerat, vel bello partum, ſibique ſubactum, vel ſpontanea populorum deditione traditum jam jam poſſederat: num Patriciatum? verum hunc jure quaſi hæreditario a Pipino ad ſe devolutum jam ante habuit: an denique nudum nomen & titulum Imperatoris? ſed hunc ipſe Carolus aſſumere potuit, & Pontifex dare non potuit.

Abſit, ut hunc nodum Gordium diſſolvamus. Interim noſtras deſuper

(y) In Critica Baronii ad A. 800.
(z) Hiſt. Eccleſ. Sæc. IX. Diſſert. I.

Digitized by Google

ſuper cogitationes aperire licebit. Nolumus vero multum litigare de nomine *tranſlationis*. Sufficit nobis, ſi explicemus, quid Carolus M. ex hac ſolemni acclamatione, & quo titulo Imperium Romanum acceperit. Ut ordine agamus, Imperium Orientale ab Occidentali ſeparemus. Quoad Imperium Orientale certum eſt, illud quoad ſuas ditiones Græcis non fuiſſe ademptum, utpote in cujus poſſeſſione permanſerunt. Neque video, quo jure Græci ſuo imperio exui potuerint, niſi adoptemus principium quoddam prorſus dubium, & noſtris temporibus valde odioſum ac periculoſum, docendo, quod Pontifices Regibus & Principibus ita præſint, ut, ſi cauſa Chriſti & *Eccleſiæ ita exigat, poſſint eos regnis atque Imperiis exuere, eaque regna & imperia ad alios transferre* (a). Aut fortaſſis titulum Imperatoris a Græcis ablatum, & in Carolum translatum, vel hunc titulum Romæ, & ditionibus eidem annexis ita inhæſiſſe dicemus, ut nemo audiret Imperator, niſi qui eſſet Dominus Romani Imperii? Illud prius de ablatione & translatione dignitatis Imperatoriæ quoad Orientem æque parum dici poteſt, ac illud de translatione imperii Orientalis: Illud poſterius ſi dicamus, tunc eo ipſo amiſſo dominatu ditionum Romanarum Principes Græci amiſerunt dignitatem Imperatoriam, titulo Imperatoris exciderunt, Imperatores eſſe deſierunt, & hic titulus ad populum Romanum, quem Græci dereliquerunt, rediit, ut adeo cum veritate dici poſſit, titulum & nomen Imperatoris ſeu per translationem a Pontifice & populo Romano factam (nolumus multum ſuper nomine diſputare) ſeu per occupationem ad Carolum perveniſſe. Verum enim vero id dicere quis auſus fuerit, qui noverit, quod mortuo Joviniano A. Chriſti 364. facta ſit diviſio Imperii Romani in Orientale & Occidentale, adeo ut ſucceſſio Imperatorum Orientis plane diverſa ſit ad noſtra usque tempora a ſucceſſione Imperatorum Occidentis, & ambo dicti fuerint Imperatores. Id cum majori veritate dici poteſt, quod Græci una cum ditionibus Romanis amiſerint titulum *Imperatoris Romanorum*, & ipſius Occidentis, utpote qui ex ſubjectione urbis Romæ & ditionum eidem annexarum in Occi-

Græci imperio Orientali privari non potuerunt.

Non amiſerunt titulum Imperatoris.

Alius Imperator Occidentis & alius Orientis.

Titulum Imperatoris Romanorum Græci amiſerunt.

X 2 den-

(a) Hanc doctrinam usque nunc non admiſerunt Galli, eam refutavit Elias Du-Pin de antiq. Eccleſ. diſcipl. Diſſert. VII. Petrus de Marca, & alii. Inter propoſitiones a Clero Gallicano declaratas etiam hæc eſt, quod Pontifex nequidem poteſtatem indirectam habeat in temporalia Principum. Et quis neſcit, anno primum elapſo proſcriptos in Gallia fuiſſe libros ſummorum Authorum, qui ſimilem doctrinam tradiderunt &c.?

dentale imperium reliquum dimanaverat. Idcirco Imperatores Romani in hanc usque diem nunquam ſe Imperatores Orientis ſcripſerunt.

Imperatores Græciæ Italiam & imperium Occidentale in extremis neceſſitatibus non defenderunt.

Quoad imperium Occidentale res ex omni hiſtoria & ſupra dictis notiſſima eſt, Italiam, ac Longobardiam jam antea ab ipſis Exarchis & bellis inteſtinis ferme attritam invaſionibus barbarorum patuiſſe, & ab his mirum in modum ferme fuiſſe conquaſſatam, quin Imperatores Græciæ licet iterato ſollicitati rogatique ſuppetias ferrent. In his rerum circumſtantiis nemo præter Pontificem erat, qui res Italiæ ferme collapſas vel conſervaret, vel erigeret, vel reſtauraret. Hic ergo rebus afflictis Romanorum conſulturus, utpote apud quos maxima pollebat authoritate, duplicem legationem ad Carolum Martellum miſit, & vocatis ſucceſſive in auxilium Francis Carolo Martello & Pipino id effecit, ut Italia & præcipue Ducatus Ravennatenſis ab invaſionibus & devaſtationibus liberaretur. Quid poſt obitum Pipini factum fuerit, qua arte Deſiderius ditiones italicas & præcipue Romanas invaſerit, ferro & igne omnia devaſtaverit, Carolus a Pontifice in auxilium vocatus Deſiderium devicerit, Papiam expugnaverit, jamque Longobardorum Rex vocatus, & demum Imperator renuntiatus fuerit, ſupra diximus.

Pontifex rebus afflictis conſulit, & Francos in auxilium vocat.

Romani a Græcis derelicti.

Ex hac jam rerum geſtarum ſerie manifeſtum fit, quod inprimis Imperatores Græci, eſto iterato rogati ſollicitatique populum Romanum deſeruerint, eidem extrema neceſſitate laboranti nullas ſuppetias tulerint, ſed potius furori barbarorum ditiones Romanas reliquerint, atque adeo Imperium Romanum dereliquiſſe jure optimo videri potuerint. Inde quid ulterius ſequitur, niſi quod Græci ſuo imperio, ſuoque titulo Imperatoris Occidentalis exciderint; Imperium autem ipſum una cum titulis & prærogativis eidem cohærentibus ad Romanos tanquam populum jamjam liberum naturali veluti libertati reſtitutum redierit, jamque in illorum arbitrio fuerit, quemcunque alium Principem in ſubſidium, in auxilium, in defenſionem & protectionem vocare, & in hunc ſuas ditiones, ſuum imperium una cum annexis ſub lege, conditione, pacto & fœdere qualicunque transferre? Aut putamus vinculum ſubjectionis, quo ſubditi ex jure naturali ſuis Imperantibus colligantur, adeo eſſe firmum, ut ſtet & ſtare debeat neque ullo modo diſſolvi queat, eſto Imperantes ſuos ſubditos contemptim habeant, eos furori hoſtium relinquant, nec ope nec auxilio ſubveniant, etiam quando ſubvenire poſſunt, & debent? Nunquid in ſimilibus circumſtantiis titulo *derelictionis* præſumptæ locus erit dandus? Aut fortaſſis quiſquam titulum *derelictionis* in dubium vocare ſuſtinebit? ſed quæſo! quare

Græci ſuo imperio excidunt.

Romani a ſuo homagio abſoluti & in libertatem aſſerti.

Titulus derelicti oſtenditur.

Digitized by Google

quare Græci iterato ſollicitati ſuppetias non tulerunt, Romanas ditiones in manibus barbarorum reliquerunt, & veluti derelictim habuerunt? Anne vires deſuere? ſed quis ſibi perſuadebit, quod Orientales ab initio ſtatim Romanorum motuum ad metamorphoſin usque anni 801. perpetuo mediis ſalvandarum rerum caruerint? dum conſtat, quod non ſolum bella extera, ſed etiam civilia, quibus alter alterum fœda tyrannide ſede detrudebat, ſeque intrudebat, geſſerint; imo adhuc anno 788. tantæ eis fuerint vires, ut Deſiderii quoque filium exulem Adalgiſum armata manu in priſtinas Longobardorum ſedes reducere conarentur: quare non potius Romanorum cauſas defendebant? ſed demus tantarum virium non fuiſſe Græcos, ut vim vi repellere poſſent, an non alii animum manifeſtandi de ſuis retinendis præſto fuere modi præter arma? cur non Legatis literisve Romanorum defectionem, & Francorum occupationem deteſtati ſunt? cur non deficientiam virium ſuarum clamantibus auxilia Pontificibus Romanis contra Longobardos, verbis ad minimum bonam voluntatem referentibus, & ad ſervandam fidem exhortantibus probarunt? cur Senatum populumque Romanum debiti non juſſerunt eſſe memores? cur omnem deſtruendis ſanctorum imaginibus, & earum proſcribendis cultoribus, aliisque perpetrandis facinoribus, quæ dicere nefas ducimus, e. g. eruendis oculis, amputandis auribus operam impenderunt? nunquid hi erant modi ſibi reconciliandi animos Romanorum, eosque ſibi devinciendi, aut potius ſigna apertiſſima manifeſtativa voluntatis efficaciſſimæ derelinquendi Romanorum conſortium, eosque furori Barbarorum relinquendi? cur facta & agitata Romæ ab anno 796. ad 801. nullo ſigno improbabant, & peracta coronatione firmiſſimam ſtatim pacem Carolo offerebant? Hæcque ſufficiunt demonſtrandæ derelictioni (b).

Pontifex ſupremam adminiſtrationem Romani imperii habuit.

Stabilito titulo *derelictionis* illud adhuc animadvertendum eſt, quod, quia nemo fuerat, qui apud Romanos majori prævaleret authoritate, aut rebus gerendis aptior, atque adminiſtrationi Imperii a Græcis ad ſe modo quocunque delapſi magis idoneus eſſet, dubitandi locus non ſit, quin cura Imperii Pontifici fuerit demandata, ut, quidquid ipſe acturus foret, id omne a Romano populo foret ratihabitum.

Ad id attendendum ſub quo pacto conditione & quo titulo

Jam ad id cardo difficultatis devolvitur, ſub qua conditione, lege, pacto & fœdere Reges Francici, & ultimo Carolus M. ad ferendum auxilium a Pontifice nomine & ſuo & populi Romani fuerint evocati; an eum in finem ſolummodo, ut Defenſorum & Advocatorum

 inſtar

(b) Vid. Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 1. Tom. IV. pag. 366.

Franci Romanum Imperium ſubegerint.

inſtar Romanas ditiones e manibus Barbarorum extorquerent, easque Romanis vindicarent, fortaſſis in præmium egregie navatæ operæ e manibus Romanorum vel omnes vel partem earum recepturi; an ut jure belli eas occuparent, ſuasque facerent, adeoque non tam Romanis, quippe qui ſe ſua ſponte dedere ſpoponderant, quam ſibimet ipſis militarent: ſi primum, tunc quidquid a Regibus Francicis bello partum erat, ad Romanos pertinebat, in quorum poteſtate jam erat has ditiones in ſuos defenſores transferre. Si ſecundum, tunc ditiones occupatas Franci jure belli ſuas faciebant. In utroque caſu cum omni & tanto majori veritate dici poteſt, quod in Carolum M. non modo nomen, & ſolus Imperatoris titulus, ſed potius ipſum Romanum Imperium una cum titulo Imperatoris inter rudera antiquæ urbis latitante a populo Romano & præcipue a Romano Pontifice, qui rerum ſumma potiebatur, & Imperio nomine adminiſtratorio jure ſupremi dominii præerat, fuerit translatum, quanto certius eſt, quod Reges Francici, & ultimato Carolus nullum prorſus jus invadendi ditiones Romanas, easque ſibi vindicandi habuerint, ut adeo, quidquid juris, nominis, imperii & dignitatis ex fuſis, deletisque ad internecionem usque Barbaris acceperunt, id omne vel ex pacto antecedente cum Romanis inito, & per conſequens jure belli pactis innixo, vel ex poſt ex liberalitate, translatione, ceſſione, aut alio quocunque titulo a Romanis acceperint. Ex quibus conſequens eſt, quod Leo III. ſuo & totius populi Romani nomine ex pacto ſeu antecedente ſeu conſequente, quidquid adhuc juris & dignitatis Romæ latuerat, in Carolum M. transtulerit, & dignitatem imperatoriam in ruderibus antiquæ urbis latitantem reſtauraverit. Atque hæ ſunt noſtræ cogitationes in hac delicatiſſima & celeberrima quæſtione, id unum monentes, quod de nomine *translationis* parum ſimus ſoliciti. Nobis oſtendiſſe ſufficit, quod Carolus non nudum nomen, & titulum Imperatoris, ſed ipſum imperium Romanum una cum titulis & prærogativis eidem annexis non tam jure belli, quam alio titulo a Pontifice populoque Romano acceperit, ſalvo manente imperio Orientalium Imperatorum. Quidquid jam de hoc quoad Græcos ſit, Carolus omnis diſputationis materiam remoturus ad titulum confugit jure gentium probatum, publicas ſcilicet transactiones cum Græcis, quarum vigore Occidentalis Imperatoris dignitas cum annexis ſolemni lege ei fuit adſcripta (c). En alterum fundamentum arctioris nexus inter Pontifices, Reges Galliæ, & Impe-

Cum veritate dici poteſt, quod in Carolum M. non nudum nomen Imperatoris, ſed ipſum imperium fuerit translatum.

Leo III. ſuo & totius populi Romani nomine dignitatem Imperatoriam reſtauravit.

Carolus ſaltem ex ſupervenienti titulo legitimo imperium obtinuit, & factus eſt Romanorum Imperator.

(c) Vid. Pfeffingerus ad Vitriar. lib. I. Tit. II. pag. 52.

Digitized by Google

Imperatores Germaniæ, & Reges Galliæ audiunt Advocati univerſæ Eccleſiæ.

Imperatores Romanos! unde in hodiernum usque diem & Reges Galliæ & Imperatores Imperii Romano-Germanici audiunt Advocati Eccleſiæ Romanæ, cui Imperatores noſtri ſuam fidem juramento obſtringere debent. Utrum Carolus M. fuerit primus, qui juravit, & juramentum illud, quod ſub nomine Caroli M. circumfertur (d), ſit genuinum, nondum apud omnes in confeſſo eſt (e). Ottonem M. jam præſtitiſſe juramentum, aliosque Imperatores antiquiores certum eſt (f).

§. XII.

De jure eligendi Pontificem remiſſive.

Agendum hic etiam foret de jure eligendi Pontificem, ordinandi Sedem apoſtolicam, & inveſtiendi Epiſcopos, quod in Synodo quadam Romana in Carolum M. fuiſſe translatum legitur in famoſo capitulo Hadrian. diſtinct. 93. Sed de hoc commodius agemus cap. 5.

De donatione Pipini & Caroli M.

Hactenus de juribus a Pontifice in Reges, & Imperatores translatis egimus: jam de iis agendum, quæ Imperatores in Pontificem transtulerunt. Occurrit hic ante omnia famoſa donatio a Pipino & Carolo M. Pontificibus facta non nihil excutienda. Ex ſupra dictis conſtat, quod Pipinus cæſis ad Alpium anguſtias Longobardis univerſum Exarchatum una cum Pentapoli Stephano ejusque Succeſſoribus perpetuo poſſidendas donaverit circa an. 755., quam dein donationem Carolus M. confirmavit, eamque Ducatu Spoletano auxit (g). Quidquid jam ſit de aliis donationibus anterioribus, Conſtantiniana maxime, de qua videatur Nat. Alex. (h), & principatu in compluribus Italiæ provinciis, quo Pontifices jam ante donationem Pipini fuiſſe potitos

(d) Ex ordine Romano referunt Baronius ad annum 800. Goldaſtus, Limnæus, Strauchius aliique, quod Carolus in hæc verba juraverit: *In nomine Chriſti ſpondeo ac polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & B. Petro Apoſtolo, me Protectorem ac defenſorem fore hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout ſciero, poteroque.*

(e) Negat hoc juramentum cit. Pfeffingerus loc. cit. ex ratione, quod coævis teſtimoniis probari non poſſit.

(f) Vid. Decretum Gratiani. Diſt. 63. c. 33. Pfeffing. lib. I. Tit. III. pag. 885.

(g) Uti refert fuſe Anaſtaſius in vita Hadriani.

(h) Sæc. IV. diſſert. XXV. a. 1.

Digitized by Google

Hæc donatio evidentibus nititur teſtimoniis.

Pipinus & Carolus a Proteſtantibus inſtar Prædonum habentur.

Ambo defenduntur, & fuere juſti poſſeſſores.

tos aſſerunt (i), hæc donatio a Pipino facta, & a Carolo Magno confirmata auctaque adeo evidentibus nititur teſtimoniis, ut, quum eam plerique ex hodiernis Proteſtantibus in dubium vocare non audeant, ſaltem ſuperſtitionis & pietatis plus æquo ſuperſtitioſæ, & ſimplicitatis accuſare non erubeſcant (k): & quia factum negare nequeunt, jus ipſum impugnant, & ambos pientiſſimos Reges velut injuſtos prædones & uſurpatores rerum alienarum traducunt. Sed quæſo temporum rerumque circumſtantias expendant hi DD.: cuinam enim, dicant nobis, Reges Francici ſuas ſurripuerunt ditiones? num Imperatoribus Græcis? ſed hi jam antea Italiam pro derelicto habuere; aut ſaltem pro derelicto habuiſſe præſumi poterant, eo ipſo, quod invaſionibus Barbarorum reliquerint: num Longobardis? atque hi nonne erant invaſores injuſti, prædones iniqui, tyranni, hoſtes? quo enim jure Longobardiam cum cæteris adjacentibus provinciis occupare poterant, quæ neceſſario in dominium Romanorum recidere debuerant? Poſtquam ergo Reges Francici prædones hoſce e finibus Italiæ propulſarunt, quid prohibuit, quo minus ditiones a ſe occupatas Romano Pontifici populoque Romano, qui ſua jura antiqua eo ipſo, quod eorum defenſioni inter bellorum fremitus ſtrenue incubuiſſent, quin Imperatores ſeu militum copiis, ſeu pecuniarum facultatibus affuerint, retinuerunt, reſtituere potuerint? Sed alius oboritur ſcrupulus, qualenam dominium, directum, an utile Pipinus & Carolus in Pontificem transtulerint. Ratio dubitandi occurrit duplex, quarum unam præbet Sigonius, dum ait, Carolum terras illas jure principatus ſibi retentas Pontifici permiſiſſe: alteram ſuppeditat fortiſſima præſumptio pro Principe militans, quod nonniſi ſalvo jure imperii ſummo ſacere donationes ſoleat. Cæterum quum nemo coævorum Scriptorum alicujus reſtrictionis vel minimam mentionem faciat, ſed terminis utantur univerſaliſſimis, abſolutiſſimum dominium ſignificantibus; imo Ducatum Tuſcanum & Spoletanum ſingulari exceptione a Regibus Francicis fuiſſe reſervatum aſſerant, horum authoritas prævalere debet tum con-

Qualé dominium directum an utile in Pontifices translatum?

(i) Vid. Clariſſ. P. Leonardus Grebner S. J. in ſuo tract. de Statu Eccleſ. part. 3. ſelect. obſerv. ubi refert donationem Ariperti Regis, qui Alpes Cotias antea ad jura Sedis apoſtolicæ pertinentes reſtituit, quam dein donationem Luitprandus Rex confirmavit, ut adeo Pipinus non tam novam donationem feciſſe, quam ablata reſtituiſſe videri poſſet.

(k) Utriusque donationem referunt Eginhardus, aliique Scriptores coævi, Gregorius III. Zacharias I. Stephanus IV. & Hadrianus I.

contra Sigonium Scriptorem recentiorem, qui clauſulam probabiliſſime ex inſtrumento Ottonis deſumpſit (l), tum contra præſumptionem minus fundatam ea potiſſimum ex ratione, quod nec Pipinus, nec Carolus jam tunc jura imperii habuerint, aut ſi illa jure belli obtinuerint, illis renunciaſſe tanto fortior militat præſumptio, quanto certius eſt, quod Romanis ferre ſuppetias, rebusque collapſis ſubvenire, atque his quodammodo militare in animo habuerint.

Formula donationis nondum in lucem producta.

Hiſce non obſtant ſequentia: & 1mo quidem quod hactenus formula donationis nondum in lucem fuerit producta, ut inde conſtare poſſit, quid, quo tempore, & quomodo donatum: &, ſi verum eſt, quod hæc formula teſtibus Sigonio, & Baronio conſervetur in ſcriniis Eccleſiæ Romanæ, quare eam in publicum protrahere cunctantur Romani Præſules? Et quomodo Pipinus donare potuit, quod ſuum non erat, ſed potius Imperatoris fuit? qui eo tempore, quo Pipinus Aiſtulphum iniquum invaſorem devicit, animum retinendi nondum depoſuerat, ſed magis reclamandorum amiſſorum gratia legationem in Italiam, & Franciam miſerat (m). Quod ſi quis dicere velit, Græcos jam ſuo excidiſſe imperio, fateri neceſſum habet, quod ipſi Romani jus quæſitum in illas civitates & provincias habuerint, ſiquidem ex dictis ditiones & jura Græcorum ad Romanos revertebantur, qui cum fruſtra toties opem Imperatorum imploraſſent, jure naturæ in libertatem aſſerti videbantur, ut quem vellent vel Imperatorem vel defenſorem appellare, ejusque ſe fidei & imperio committere, merito poſſent. Quomodo ergo Pipinus Pontifici donare potuit, quod jam antea erat Pontificis & Romanorum? Demum Pipinus, & Carolus non alio animo nec in alium finem ingreſſi ſunt Italiam, quam ut *Princeps Apoſtolorum ſuam ſuſciperet juſtitiam, & civitates, quas Longobardi abſtule-*

An Pipinus donare potuerit?

(l) Otto nempe donationem a Carolo factam confirmavit cum clauſula: *ſalva in eosdem Ducatus noſtra Dominatione.* Verum hæc clauſula unice intelligi debet de Ducatu Spoletano, & Tuſco.

(m) Ita refert Anaſtaſ. *unus ex ipſis Legatis cæſareis Gregorius videlicet Protoſecretarius præcedens Apoſtolicæ Sedis miſſum celeriter prænominatum Francorum aſſecutus eſt Regem, quem & in finibus Longobardorum non procul a Papia reperit, & nimis eum deprecans, atque plura ſpondens tribuit imperialia munera, ut Ravennatium urbem, vel cæteras ejusdem Exarchatus civitates imperiali tribuens concederet ditioni.*

Num hæc donatio fuerit proprie talis? ſtulerant, *Beato Petro redderentur* (n). Aſt quæ hæc donatio? toto utique cœlo differunt *Donatio, Reſtitutio, Vindicatio.* Num ille mihi donat, qui meum mihi vindicat, reddit, reſtituit?

Vim formulæ donationis habet concors Scriptorum teſtimonium. Cæterum hæc tanti non ſunt, ut non facili negotio diluantur. In vim formulæ & inſtrumenti authentici valere debet concors Scriptorum coævorum teſtimonium, quidquid dein ſit de reſervatione formulæ in ſcriniis pontificiis, de qua fides ſit penes Baronium & Sigonium. Illa legatio Græcorum ad Pipinum directa jam ſera nimis fuit. *Repetitio Græcorum ſera nimis fuit.* Jam antea Græci ſuo imperio exciderant, quod Romanos a barbaris oppreſſos deſeruerint. Non tam ex jure aliquo Legati illi ſuas ditiones repetebant, quam ut reſtituantur, ſupplicabant, & animum Pipini muneribus demulcere ſtudebant. *Non fuit donatio ſtricte dicta.* Coetera id ſolummodo probant, hanc donationem non eſſe in omni rigore talem, ſed latius ſumptam, quatenus Pipinus & Carolus in ſenſu explicato potius reddidere Pontifici & Romanis, quæ jam antea eorum erant, quam jus aliquod ſuum, quod ſibi acquirere non intenderant, in illos de novo transferrent. Quid ſi dicamus, quod Pipinus & Carolus ex pacto antecedente cum Romanis inito jure belli civitates & provincias a ſe occupatas ſecerint ſuas? an non in hoc ſuppoſito donatio proprie dicta locum habebit?

Utrum Pontifices ante donationem Pipini quamdam principatum politicum habuerint? Duo adhuc controvertuntur, quorum primum eſt, utrum Pontifices ante donationem Pipini quemdam principatum politicum in provinciis Italiæ habuerint: alterum, quid donatio Pipini contineret, & quas civitates complecteretur. Prima quæſtio facillimæ foret ſolutionis, ſi donatio Conſtantiniana firmo ſubſiſteret pede: ſed quoniam hæc paſſim rejicitur, ad aliud fundamentum erit recurrendum. Et profecto quod Pontifices jam antea quasdam provincias poſſederint, invictis demonſtratur argumentis. Inprimis extant duæ epiſtolæ Stephani Papæ ad Pipinum (o), in quarum una nomine B. Petri ad eundem ſcribit. In ambabus advocat Pipinum cum Francis, *ut ablata a Longobardis reſtituat B. Petro.* *Donatio Pipiniana antiquior probatur.* Aliam donationem, Pipiniana antiquiorem refert Paulus Diaconus (p): *Hoc tempore*, inquit, id eſt ex computatione Baronii A. 704. *Aripertus Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum* (quo patrimonio continebatur Genua

(n) Ita paſſim loquuntur Anaſtaſius, Eginhardus, Hincmarus. Audiatur H. Coccejus Jur. Pub. cap. 7. *Pipinus*, inquit, *jure belli nihil ſibi quæſivit, ſed ut Romanis erepta reſtitueret.*

(o) Baron. in Annal. ad annum 755.

(p) Lib. 6. de geſtis Longobard. cap. 28.

Digitized by Google

nua & tota ejus ora maritima usque ad fines Galliæ) *quæ quondam ad jus pertinuerant Sedis apoſtolicæ, ſed a Longobardis multo tempore fuerant ablata, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam literis Romam direxit.* Ubi vides, hunc Regem prædictas terras non tam donaſſe, quam reſtituiſſe: quia jam quondam, adeoque ante Aripertum & annum ſalutis 704. ad jus apoſtolicæ Sedis pertinuerant. Hanc donationem vel potius antiquæ poſſeſſionis reſtitutionem poſtea confirmavit Luitprandus Rex, qui cum deinde mutato conſilio quatuor urbes Ducatus Romani invaſiſſet, a Zacharia Papa adductus tandem eſt, ut eas Romanæ Eccleſiæ reſtitueret (q). De Pipino refert Anaſtaſius, quod jurejurando promiſerit Stephano II. ſummo Pontifici, *ſe, ut placitum illi fuerit, Exarchatum Ravennæ & Reipublicæ jura ſeu loca reddere modis omnibus; Aiſtulphum vero per Miſſos admonuiſſe, ut jura & loca ſanctæ Dei Eccleſiæ, & Reipublicæ reſtitueret; imo armorum vi eum adegiſſe, ut juraret, ſe illico reſtituturum civitatem Ravennatium cum diverſis aliis civitatibus.* Eadem loquendi formula utuntur Eginhardus (r). Paulus Diaconus (s), & alii Synchroni cum Hadriano I., qui in epiſtola ad Conſtantinum & Irenen teſtatur, *Carolum M. tam provincias quam civitates, ſeu caſtra & cætera territoria, imo & patrimonia, quæ a perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti Dei Eccleſiæ reſtituiſſe, cujus & jure eſſe dignoſcebantur.*

Ab ævo Conſtantini M. Pontifices habuere poteſtatem politicam in varias ditiones Italiæ.

Ex his, ni fallor, abunde demonſtratum manet, jam inde ab ævo Conſtantini Pontifices Romanos quamdam habuiſſe poteſtatem politicam in varias ditiones Italiæ ſaltem ſubordinatam ſummo Cæſarum dominio, donec tandem circa annum 754. & ſeq. plenam tum harum ditionum, tum ipſius Romæ & Ducatus Romani atque Exarchatus Ravennatenſis adminiſtrationem, vel jus qualecunque munificentia & liberali donatione ſaltem latiori Regum Francorum Pipini & Caroli M. auctam firmatamque obtinuerunt.

Quoad alteram quæſtionem Scriptores non ſunt concordes. Juxta Ana-

(q) Apud Baronium ad an. 742. Anaſtaſius ita loquitur: *quatuor civitates redonavit in oratorio Salvatoris intra Baſilicam S. Petri. Nam & Sabinenſe patrimonium, quod per annos fere triginta erat ablatum - - per donationis titulum ipſi B. Petro Apoſtolorum Principi reconceſſit.*

(r) In vita Caroli ait, Aiſtulphum a Pipino, Deſiderium a Carolo adactum, ut erepta Romanis oppida & caſtella reſtitueret.

(s) Lib. 6. cap. 60. *Carolus Deſiderio direxit ſuos Miſſos, ut B. Petro Apoſtolo, quas abſtulerat, pacifice redderet civitates,*

Digitized by Google

Non conſtat quas provincias hæc donatio comprehenderit.

Anaſtaſium (t) hæc donatio tres provincias complectebatur, Picenam, Flaminiam, & Æmiliam, atque in iis viginti præcipuas civitates, inter quas Ravenna, Ancona, Bononia & Ferraria eminebant. Leo Oſtienſis longe latioribus eandem donationem terminis extendit (u). Neque id mirum videri debet, quod Reges Francici adeo ſe liberales erga Pontifices exhibuerint. Fecere id tum ex ſuo religionis zelo, & reverentia, qua in Eccleſiam Romanam ferebantur, tum ea ratione ducti, quod jure cenſere potuerint, pleraſque has ditiones ad Romanam Eccleſiam pertinere: ſiquidem non modo plures Italiæ, ſingulariter Spoletani Ducatus populi diuturna Longobardorum ſævitia fatigati ſe ſua ſponte Hadriano I., & quidem fidei ſacramento, ut refert Anaſtaſius (x) dediderunt, verum etiam ſoli Pontifices fuere, qui Italiam ab Imperatoribus derelictam, in complures Duces & Longobardos diviſam, omni auxilio deſtitutam, ferme attritam & conquaſſatam tanquam præcipua Reipublicæ Romanæ membra tanto tempore, tanto impendio & periculo contra inſultus, invaſiones & deprædationes defenderunt, &, ne Barbaris in prædam cederet, conſervarunt: quo reſpexiſſe videtur Hadrianus, dum ait, plures provincias & territoria a *Carolo reſtituta fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, cujus & jure eſſe dignoſcebantur.*

Reges Francici cur adeo liberales fuerint erga Pontifices?

Nexus inter Pontifices, & Francos continuatus.

Nexus iſte inter Pontifices & Imperatores hactenus ſtabilitus perduravit in Succeſſoribus Carolingicorum, ſeque potiſſimum manifeſtavit in electionibus Pontificum, & coronationibus Imperatorum, licet cæteroquin negari non poſſit, hinc inde inter Pontifices & Imperatores quædam enata fuiſſe diſſidia, quæ tamen communionem inter ipſos neutiquam interruperunt. Nobis iſta fuſius proſequi ob temporum circumſtantias prohibitum eſt.

§. XIII.

Nexus inter Imperatores & Epiſcopos Germaniæ.

Oſtenditur ex Synodorum celebratione in rebus & fidem & diſciplinam concernentibus.

De arctiſſimo nexu inter Reges, Imperatores, & Epiſcopos Germaniæ quid dicamus? talis, ac tantus ille fuit, ut vix major eſſe poterit. Elucet hæc communio ex tot Synodis Nationalibus in cauſis fidei, & diſciplinæ congregatis; ex Comitiis Imperii, in quibus Epiſcopi & Abbates primas obtinuerunt; ex officiis, quibus Præſules in aula Imperatorum fungebantur.

De

(t) In vita Stephani III.
(u) In Hiſt. Caſſin. lib. 1. cap. 7.
(x) *Ejus provoluti pedibus obnixe deprecati ſunt, ut eos in ſervitio B. Petri, ſanctaque Romanæ Eccleſiæ ſuſciperet*, ait Anaſtaſius.

Digitized by Google

De Synodis quid dicamus? Quotieſcunque aliqua controverſia vel ad fidem, vel ad diſciplinam pertinens exoriebatur, toties Imperatores eam non ſuo ingenio decidebant, nec Archicapellano committebant, ſed clariſſimos Epiſcopos & Abbates ſcripto ſententiam ſuam, vel conſilium rogabant, quæ, ſi non ſufficerent argumenti gravitati, omnes Epiſcopos ad Synodum vocabant, cujus manifeſtiſſima exempla habemus in Synodo Francofurtenſi, & Aquisgranenſi, in quarum prima doctrina Felicis, & Elipandi una cum quæſtione de adoratione imaginum; in altera vero quæſtio de particula *filioque* ſymbolo Conſtantinopolitano addenda examinata fuit (y), ita tamen, ut ſuæ eſſent partes Prælatis eccleſiaſticis; ſuæ Regibus & Imperatoribus. In rebus fidem concernentibus, uti mox ab initio hujus §. diximus, ſoli Epiſcopi erant Judices: in rebus diſciplinaribus aliquoties relatio fiebat ad Imperatores pro confirmandis canonibus a ſe conditis. Ita fecere Epiſcopi Provinciæ Moguntinæ, Colonienſis, & Salisburgenſis, qui anno 813. Moguntiæ in Synodo convenerunt, eaque finita ad Imperatorem hoc modo ſcripſerunt: *De his tamen omnibus valde indigemus veſtro adjutorio, atque ſana doctrina, quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis perſtrinximus, a veſtra authoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe judicaverit, & quidquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra magnifica imperialis dignitas jubeat emendare* (z). Non raro Imperatores convocaſſe Synodos ex prudenti æconomia & permiſſione Eccleſiæ pariter dictum fuit ſupra.

Item ex Comitiis, quomodo fuerint celebrata.

De comitiis quid dicamus? Hisce Epiſcopos & Abbates interfuiſſe, hosque cauſas eccleſiaſticas in ſeparato conventu agitaſſe, & in negotiis eccleſiaſticis non modo, ſed etiam profanis ante Duces & comites ſua contuliſſe ſuffragia, quis neſcit? Haud ſecus præcipuis muneribus fungebantur Epiſcopi & Abbates in aula Regis & Imperatoris. Quantæ authoritatis in aula Imperatoris fuerit Archicapellanus, nemo ignorat (a). Erat ille poſt regiam familiam primus aulæ gubernator, pri-

Epiſcopi & Abbates præcipuis muneribus fungebantur in aula Imperatoris, in

(y) Celebrata fuit hæc Synodus anno 809. & in ea non obſtante, quod Pontifex deſuper conſultus particulam *filioque* eſſe intermittendam ſuaſerit, ſtatutum, ut reſervaretur. Vid. Schilter lib. 2. cap. 11. §. 12.

(z) Ita refert Maſcov. Princ. J. Pub. lib. 5. cap. 1. §. 9.

(a) Dicebatur Archicapellanus a capella regali. Olim capellæ dicebantur illa opertoria, quibus condebantur S. reliquiæ, & quoniam hæc reliquiaria poſtmodum fuere incluſa ædificiis, hæc ipſa dicebantur capellæ. De his plura ſcribit Thomaſſinus, & Boehmer ad Tit. de capel. Monach.

ſpecie de Archicapellano, & ſummo Cancellario.

primumque in miniſterio Palatino locum tenebat, a conſiliis intimis Regis in negotiis & cauſis eccleſiaſticis ad Imperatorem delatis: ipſe ſub ſua cura habebat Clerum palatii: ipſe Clericorum & Monachorum, quibus vetitum erat adire aulam Imperatoriam, cauſas defendebat, examinabat, decidebat. Archicapellanus non minus quam alii Epiſcopi, quorum conſiliis utebantur Reges & Imperatores, ipſos ſequebantur belli pacisque tempore, quocunque pergerent. Huic ſociabatur ſummus Cancellarius, ſub quo erant Cancellarii, & Notarii, qui præcepta regia ſcriberent, & ſecreta illius cuſtodirent: atque hos pariter de clero fuiſſe paſſim ſcribunt authores, neque enim pro more illorum temporum facile ſecreta literarum extra Clerum emanaverunt (b). Et quis neſcit, quod hodierni Publiciſtæ officia, quibus hodie in Imperio funguntur Electores eccleſiaſtici, ab officiis Palatinis antiquioribus in aula Imperatorum geſtis derivare ſoleant (c)?

Archi officia Electorum ſuam originem habent ab officiis Palatinis.

Quænam dicantur officia palatina?

Ne tamen lectorem noſtrum omnino ieiunum abire patiamur in materia officiorum palatinorum, a quibus Archi-officia Electorum eccleſiaſticorum præcipue S. R. I. derivari ſolent, admodum pauca de illis dicere haud inutile fore exiſtimamus. Nomine *officiorum palatinorum* veniunt præcipua illa *officia aulica*, quæ in aula Regum Francicorum obtinuerunt: & dicebantur *palatina* a palatiis, quæ Reges Franci per ſingulas Regni provincias habebant. Has ad continendos in ſuo officio populos ſæpius & quidem ſumma cum pompa obire ſolebant comitantibus & inſervientibus illis, quibus officia palatina committebantur. Erant autem officia palatina plura & diverſi generis.

Succeſſive invaluerunt apud Francos,

Officia iſta in Francorum Regiis & Palatiis nec uno eodemque tempore, nec ſimili, quo deinde apparuerunt, ſplendore & numero prodierunt. Reges enim creſcentibus in dies magis magisque viribus ex amplioribus quoque Miniſtrorum honoribus famæ ſuæ aliquid addere conſultum & honorificum eſſe ducebant. Inde eſt, quod apud diverſos Francorum Reges & diverſis temporibus diverſos officiales palatinos legamus. Inter primos recenſendi veniunt *Majores Domus*, qui erant ſupremi Status miniſtri ſub Regibus Merovingicis, & dicebantur proprie *Aulæ Præfecti*: etſi ab aliquibus cum Comitibus palatinis, imo etiam aliis Officialibus palatinis confundantur (d). Sic e. g. Dapifer, Coneſtabulus ac Camerarius apud Albericum Monachum trium fonti-

Majores Domus. Aulæ Præfecti, non confundendi cum Comitibus palatinis.

um

(b) Maſcov. loc cit. lib. 3. cap. 7. §. 11.
(c) Idem ibid. Sic e. g. Moguntinus fungitur officio Archicancellarii &c.
(d) Vid. Freherus ad A. B.

um (e) vocantur *Majores Domus*, quorum tamen officia erant longe inferiora & prorſus diverſa. Quo tempore Majores Domus cœperint, certo dici nequit. Conſtat autem Badechiſilum quemdam, poſtea Epiſcopum Cenomanenſem jam tempore Clotarii I. aulam direxiſſe. Regni potentia diſponebatur per Majores domus, Regibus ſolo nomine regnantibus, & fuit ſemper maxima. Qua arte ob inertiam Regum eorum poteſtas creverit, in principatum & veluti tyrannidem degeneraverit, dicere huc non ſpectat. Quandonam cœtera officia veluti innumera invaluerint, certo non conſtat. Saltem magis præcipua & notiora referre licebit, qualia ſunt magni Referendarii, magni Apocriſiarii, Archicapellani, Archicancellarii, Dapiferi, Coneſtabuli, Camerarii ſeu Cubicularii, Seneſcalli, Buticularii, Manſionarii, aliorumque. Audiatur Hincmarus, qui, dum de officialibus palatinis, quos adhuc in ſua adoleſcentia noverat, loquitur, ita habet: *Poſt eos (Apocriſiarium & ſummum Cancellarium) ſacrum Palatinum per hos Miniſtros diſponebatur, per Camerarium videlicet, & Comitem Palatii, Seneſcallum, Buticularium, Comitem ſtabuli, Manſionarium, Venatores principales quatuor, falconarium* (f).

Potentia Majorum Domus ſumma.

Varia officia palatina, eaque magis præcipua recenſentur.

Si quis autem ſcire deſideret, undenam Reges Francici ſua petierint aulæ officia, exiſtimant Viri doctiores, quod ea non tam a Romanæ, quam aulæ Conſtantinopolitanæ moribus mutuaverint. In quocunque enim ſtatu Romanum Imperium conſideretur, Romani unicum ſuum præſidium, decus, ſplendorem & gloriam in ſelectiſſimis militum cohortibus, nec non Conſulibus, Senatibus, ac Tribunis collocabant, & externum aulæ ſplendorem, ac inanem pompam quodammodo aſpernabantur (g).

Franci ea mutuarunt a moribus aulæ Conſtantinopolitanæ.

Imperatoria Sede Roma Conſtantinopolim, maximo imperii malo, a Conſtantino translata Imperatores Aſiaticorum Monarcharum mollitiem & faſtigia induere cœperunt. Et ut ſplendoris & potentiæ ſuæ apertiora extarent judicia, aulæ miniſtros diverſis ſub titulis lateri ſuo adhærere voluerunt. Officia hæc & dignitatum diverſarum tituli copioſe referuntur in primo & tribus ultimis libris Codicis, eosque pro notitia dignitatum utriusque imperii collegerunt Gutherius de officiis Domus Auguſtæ, Codinus de officiis Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopoli-

Imperatores Orientales aulæ miniſtros pluri-mos ſibi aſſumpſerunt.

(e) In Chronico ad ann. 696. (f) Epiſt. 16.

(g) *Romanorum Reges modicis ſuis rebus Celerum centuriis, nobiliſſimorum, ferociſſimorumque juvenum globum continentibus, qui ipſis in pace decus, in bello præſidium, affatim conſulere putabant*, ait Livius lib. I.

Digitized by Google

Franci eos æmulati ſunt. politanæ, Bulengerus de Imperio & Imperatore Romano. Et quoniam Germanicarum gentium Franci Principes firmum ſibi in Gallia ſtabilientes Regnum cum Græco-Romanis multa tum belli tum pacis tempore habuere negotia; imo Conſtantii tempore multitudo Francorum in palatio floruiſſe legitur, mirum videri non debet, ſi & mores Græcorum imbiberunt, eorumque veſtigia in diſpenſandis officiorum & dignitatum titulis æmulati ſunt.

A Francis ad Germanos defluxerunt officia palatina. A Francis ad Saxones cœterosque Germanos digniora Aulæ defluxiſſe miniſteria, adeoque a moribus Francorum aularum Germanicarum cultiorem habitum eſſe arceſſendum, putatur: ſiquidem Germanis continua & belli & pacis negotia cum Francis fuerant. Quidquid de hoc ſit, nobis unice ſermo eſt de officiis palatinis aulæ Imperatoriæ.

Imperatores Germaniæ habuere ſua officia palatina & aulæ miniſtros, plerumque duces. Poſtquam ſumma Imperii devoluta eſt ad Germanos, hi etiam ſuos habuere aulæ miniſtros, non tamen hæreditarios. Aliquando ſe duces ſponte offerebant ad munia aulica obeunda: ſæpius Imperatores ſibi aulæ miniſtros adſciſcebant. Ottoni M. Duces miniſtraſſe leguntur: Lotharingorum Dux erat *Magiſter Palatii*, Francorum Dux *Dapifer*, Dux Alemanniæ *Pincerna*, Dux Bavariæ *Mareſchallus* (h). Ottoni III. miniſtrabat Dux Bavariæ veluti *Dapifer*, Dux Alemanniæ *Camerarius*, Comes Palatinus *Pincerna*, Dux Saxoniæ *Mareſchallus* (i). Henrici S. *Camerarius* fuit Erminaldus. Conradus Salicus habuit *Majorem Domus*, *Cubiculariorum Magiſtros*, *Inſertores*, & *Pincernas* (k).

Non tamen hæreditarios usque ad Fridericum I. Usque nunc & ad tempora usque Friderici I. officia aulica non fuiſſe hæreditaria, neque certis familiis annexa, ſed pro libitu a Cæſaribus in bene de ſe & imperio meritos collata paſſim ſcribunt, exiſtimantes Fridericum I. ea effeciſſe hæreditaria: idque inde probare contendunt, quod eidem Imperatori in Comitiis Moguntinis anno 1184. nonniſi Reges vel Duces vel Marchiones inſervierint, & officium Dapiferi ſeu Pincernæ, Camerarii ſeu Mareſchalli obierint (l).

Scriptores de officiis palatinis. Qui de officiis & Archiofficiis palatinis & hodiernis plura ſcire deſiderat, adeat Publiciſtas. Nos hæc deprompſimus ex variis authoribus, libris & Diſſertationibus, potiſſimum Conringio de officialibus Imperii, Pfeffingero ad Vitriarium, Maſcovio *Origines* Jur. Publ. Gabriele Pachelbl

(h) Vid. Lehmannus Chron. Spir. lib. 5. cap. 3. Freherus orig. Palat. part. 1. cap. 15.

(i) Leibnitius de Script. rerum Brunſvic. pag. 349.

(k) Vid. Pfeffing. ad Vitriar. lib. 1. pag. 1020.

(l) Idem Pfeffing. loc. cit.

Digitized by Google

chelbl de Origin. Elect. Joan. Wilh. de Goebel de Archioffic. S. R. I. origine, Frider. Ayrmanno Commentatio de Archicancell. origin.

Quomodo Archiofficia Archi-Capellani & Archi-Cancellarii ad Epiſcopos potius, quam ſæculares pervenerint.

Ut autem ad id revertamur, cujus gratia hæc diximus, breviter inquiramus, qua arte & ratione factum ſit, ut ſumma officia & Archi-officia palatina Archi-Cancellarii, & Archi-Capellani ad Epiſcopos potius pervenerint, quam ad Proceres ſæculares. Id priusquam præſtemus, in ipſam originem Cancellariorum & officium illorum inquirendum. Illud conſtat inter eruditos, vetuſtiſſimis temporibus nomen Cancellarii fuiſſe ignoratum; poſt, ubi cœpit, exile aliquod, nec magni momenti munus eo deſignatum; nunc vero a quam multis ſæculis maximi honoris officium deſignare. Origo arceſſenda videtur a litera-tura Romanorum, quibus optime perſpectum erat, quanti interſit, ut præcipua inter homines acta ſcripto comprehenſa ab oblivione atque interitu vindicentur. Id ut fieret, perquam ſolicite in conſervanda actorum memoria laborarunt. Ad quam quidem rem non ſolum Scriptoribus & ſcripturis, ſed etiam cuſtodibus fide dignis opus fuerat. Hinc Imperatores & veteris & novæ Romæ diverſi nominis & generis miniſtros e. g. Tabelliones, notarios, actuarios, chartarios, quibus annumerare licet quæſtores, Referendarios ſeu Apocriſiarios, conſtituerunt, eosque publica authoritate munierunt, quibus id muneris fuit demandatum. Inter hos eminuit *Quæſtor ſacri palatii*, quem hodie ſummum vocamus Cancellarium (m).

Nomen Cancellarii olim ignoratum, nec magni honoris.

Origo illius a Romanis.

Varii miniſtri documentis cuſtodiendis deputati.

Cancellarii dicuntur a cancellis.

Si Quæſtorem *ſacri palatii* excipiamus, omnes hi miniſtri erant inferioris conditionis, illius nempe, cujus erant Cancellarii ita a *cancellis* dicti, quod nomen denotabat ſepta reticulata, ſeu feneſtrata de ligno, ferro, aut ære facta, qualibus Principum ædes, atque cubicula, æque ac judicialia ſecreta ſeu ſecretaria occluſa erant. Qui itaque ad hos cancellos miniſtrabant, admiſſiones curabant, & mandata Principum aut judicum exequebantur, initio *Cancellarii* dicti ſunt, quaſique *Oſtiarii* fuerunt. At cancellis quoque circumſeptus erat locus interior in cubiculo aut tribunali, ne libelli & chartulæ turbarentur, aut auferrentur, unde & qui huic rei invigilabant, cancellarii vocati ſunt. Senſim vero hujusmodi Cancellarii, præſertim qui Imperatoribus & Regibus inſervierunt, dignitate reliquis ſcribis ac notariis prælati ſunt, adeo, ut præcipui eorum jam tum inter primarios eorum adminiſtros re-fer-

(m) Vid. Ayrmanni Commentatio de Archicancell. orig.

ferrentur, prout ex Caſſiodoro Sæc. VI. ſcriptore diſcimus (n). Unde in hanc usque diem Cancellarios curam Archivorum habere ſcimus.

Inter præcipuos aulæ Francicæ miniſtros erant Referendarii ſeu Apocriſiarii, Notarii & Cancellarii. Eorum officium.

Franci igitur ex vetuſtiſſimis Germanis oriundi, poſtquam Sæc. V. celebre in Gallia, cultiſſima Romani Imperii provincia, regnum exorſi ſunt, quemadmodum multa alia, uti linguam, mores, & inſtituta Romanorum, quin & ipſum Chriſtianiſmum amplexati ſunt, ita etiam non modo more Romanorum ſuam aulam *ſacrum Palatium* dixerunt, ſed etiam officia aulica diverſi generis inſtituerunt. Inter præcipuos aulæ Francicæ adminiſtros fuerunt Referendarii ſeu Apocriſiarii, quibus adjuncti Notarii & Cancellarii, quorum præcipuus uſus fuit in chartis & diplomatibus Regum dictandis, ſcribendis, recognoſcendis, & ſubſcriptione, ac ſigno certo addito, unde fides ſcriptis publice concilietur, corroborandis, denique & cuſtodiendis, & in Archivo aſſervandis.

Præcipua aulæ Francicæ officia ad Clericos devoluta, & quare?

Fuere hæc munera ſub primis Regibus Merovingicis civilia. Aſt ſub finem Sæculi V., quo Clodovæus cum gente ſua univerſa ad ſacra Chriſtianorum tranſiverat, mox ingens in ſimilibus accidit mutatio, jamque præcipua aulæ munia ad Clerum fuere devoluta. Hujus rei duplex eſt cauſa: Erant inprimis Reges Francici rei Chriſtianæ conſervandæ, augendæque prorſus devotiſſimi, & ideo Clericos doctrina & fide inſignes in numero ſatis frequenti in ſuam evocarunt aulam, ut

Archicapellani dignitas ſumma.

ſacra ibidem in *Capella palatina* peragerent, unde etiam *Capellani* dicti ſunt nomine a *Capellis* deducto (o): quorum præcipuus, *Archicapellanus* vocatus, proximus Regi dignitate & honore exiſtimabatur,

Clerici & Monachi ferme ſoli tempore Merovingicorum ſcientiis dediti.

prout in antecedentibus fuit demonſtratum. Et quoniam eo tempore literarum & ſcientiarum culturam ſoli Clerici ſibi vindicabant, & omnis ferme eruditio in Monaſteriis includebatur, laicis ut plurimum militaribus ac civilibus ſtudiis occupatis, & aliquando vix ſatis ſcribere edoctis, mox officio Capellanorum additum fuit alienum, ut iidem Scribas, Notarios, Cancellarios & Referendarios agerent. Inde ulte-

Officium ſummi Referendarii, ſeu Apocriſiarii & Archicancellarii Archicapellano demandatum.

rius effectum fuit, ut proxima Regiæ dignitas ſummi Referendarii ſeu Apocriſiarii plerumque Archicapellano fuerit demandata, hicque ſupremus in aula cauſarum eccleſiaſticarum judex, & ſummus Notariorum, & Cancellariorum, qui eo ævo omnes fuere Clerici & Capellani, evaſerit Præfectus & eo ipſo Archicancellarius. Et quamvis hic for-

(n) Idem Author. loc. cit.

(o) De Capellis, earum nomine, origine, ſignificatione, item Capellanis videantur Scriptores, Thomaſſinus, van Eſpen, & Boehmer ad Tit. de Capell. Monach.

Digitized by Google

fortaſſis Archicancellarius dictus non fuerit, ſucceſſive tamen uſus invaluit, ut tales promiſcue Archicapellani & Archicancellarii dicerentur, & aliquoties utriusque munia in uno eodemque coaluerint, eſto antiquitus munia fuerint diſtincta, & diverſis Clericis pro Regum & Imperatorum arbitrio commiſſa. Tanta profecto fuit jam tempore Caroli M. Archicapellani dignitas, ut ea functos fuiſſe Archiepiſcopos, Epiſcopos, & præcipuos Abbates legamus, Angilrammum Metenſem, Hildibaldum Colonienſem, Hilduinum Abbatem S. Dionyſii, & plures alios. Atque inde Electores Moguntini, Trevirenſes, & Colonienſes derivant titulum *Archicancellarii*, quo in hodiernam usque diem gloriantur. Hæc latius deducere facillimum foret, niſi id a noſtro inſtituto ac fine alienum eſſe optime perſpectum haberemus.

His officiis defuncti ſunt Archiepiſcopi Epiſcopi & Abbates.

Illud præterire non poſſumus, quod pientiſſimi Reges & Imperatores, & præcipue Carolus M. leges Theodoſianas reſtauraverit, atque omnibus & ſingulis laicis pleniſſimam facultatem fecerit cauſas ſuas quascunque ad epiſcopalem audientiam deferendi, ut ab his, quemadmodum olim factum fuerat, more arbitri deciderentur (p).

Hactenus nexum inter Statum eccleſiaſticum & ſæcularem emenſi ſumus:

Sed en! jam ingens Acatholicorum non modo, ſed etiam Politicorum Catholicorum turba inſurgit, atque ex ipſa horum ſæculorum diſciplina & nexu hactenus explicato jus in ſacra derivare aut certe plura jura eccleſiaſtica ſuis Imperantibus velut appendicem juribus majeſtaticis & regiis annexam vindicare contendit; ſi ea ipſa, quæ hactenus ipſi attulimus, ad accuratiorem mentis ſtateram appendamus, an non in ipſis fidei capitibus quodammodo Regia vel Imperatoria Majeſtas ſeſe explicavit, dum Imperatores in ſynodis a ſe congregatis fidei capita de novo examinari, ad incudem vocari, quin contra mentem Pontificis decidi ſuſtinuerunt? an non Pontifices ſuæ fidei profeſſionem Regibus exponere (q), jurejurando ſe Regibus & Imperatoribus ad canones eccleſiaſticos obſervandos obſtringere debuerunt (r)? De ſynodis quid dicamus? eas a Regibus & Imperatoribus fuiſſe convocatas, eisdem Imperatores præſediſſe, eas confirmaſſe, ab his ad ipſas relationes fuiſſe factas, & pro majori robore illis conciliando confirma-

Acatholici ex diſciplina ævi medii & nexu inter Imperatores & Epiſcopos jus in ſacra derivare ſolent.

Ex Synodorum convocatione & celebratione.

(p) Vid. L. 8. cod. de Epiſ. Aud & in Capitular. Franc. lib. 6. cap. 366.

(q) Exemplum ſupra in medium produximus de Pelagio I. qui Childeberto ſuam fidei profeſſionem edidit.

(r) Id ipſum ſupra ex Baluzio monſtravimus.

Digitized by Google

Ex electione Pontificum & Epiſcoporum.

firmationem ab eis exactam, hactenus dicta plus quam abunde commonſtrant (s). Quænam fuerint partes Regum & Imperatorum in eligendis Pontificibus, & Epiſcopis, neminem latere poteſt: etſi enim Epiſcopis, Clero & populo ſua conceſſerint ſuffragia, nihilominus ſumma rerum a Regum & Imperatorum conſenſu, confirmatione, inveſtitura jam tempore Caroli M. conſueta, & inthroniſatione dependebat (t). Quid quod Carolus M. epiſcopatibus a ſe erectis & fundatis independenter ab omni electione Epiſcopos præfeciſſe legatur, qualia exempla nos ipſos ſupra attuliſſime meminimus. Ipſis etiam electionibus Pontificum Imperatores per ſuos Legatos præfuiſſe, eosque ab Imperatoribus fuiſſe confirmatos, exemplo non uno demonſtrare non adeo magnæ difficultatis res foret: exemplum proſtat in diſt. 63. cap. 28. ubi legitur, quod dum Stephanus Papa IV. absque imperiali notitia fuiſſet electus, neque miſſi ab Imperatore nuntii canonico ritu & conſuetudine electioni interfuiſſent, ipſe neo-electus Imperatorem acceſſerit, & ab eo confirmationem obtinuerit. Similiter de Gregorio IV. legimus, quod ipſe non prius fuerit ordinatus, priusquam Legatus Imperatoris veniſſet Romam, & electionem populi examinaſſet. Hæc & ſimilia, ſi referre vellemus, & exemplis illuſtrare, prout id nobis haud difficile accideret, in immenſum noſtra diſſertatio excreſceret (u).

Electio Pontificis ſine præſentia Imperatoris nulla.

Refutantur argumenta Acatholicorum.

Verum hæc omnia, ſi rite expendantur, quid aliud probant, niſi *facta* jure tamen *approbata*? eoquod Eccleſia in illis rerum circumſtantiis conſtituta, ut hæc fierent, æconomiæ, vel majoris utilitatis gratia pati, tolerare, & diſſimulare debuerit. In capitibus fidei dubiis relationes fuiſſe ad Sedem pontificiam factas, ſupra monſtravimus. Haud ſecus de ſynodi Francofurtenſis mente, & errore facti, quæ tot faceſſit difficultates, utpote quæ ipſi Synodo Generali Nicœnæ II. obſtitit, ſuo loco diximus. Quæſtio de additione particulæ *filioque* fidem non

(s) De relatione ad Imperat. facta mox antea exemplum dedimus ex Synodo Moguntina. Quoad cætera vid. Petrus de Marca paſſim, ubi agit de Synodis Nationalibus.

(t) De antiquitate inveſtituræ, & inthroniſatione Epiſcoporum ſic ſcribit Walramus Naumburgenſis: *Longe ante decretum Hadriani, ejusque ſucceſſorum Reges, qui erant uncti, & Majores domus inveſtituras Epiſcoporum fecerunt, ſcilicet Dagobertus, Sigebertus, Theodoricus &c. & ab his inthroniſati ſunt Remaclus, Amandus, Andomanus, Antpertus, Eligius, Lampertus, aliique ſanctiſſimi Præſules.*

(u) Vid Thomaſſ. & Petrus de Marca.

Digitized by Google

non tangebat. In dogmate de proceſſione Spiritus S. etiam a filio omnes conveniebant. Unice quærebatur, an hæc particula ſit addenda vel non? & quis in ſimilibus ſententiam dixit? profecto non Imperatores, ſed Epiſcopi, ſicut in anterioribus fuit dictum.

Qualis, & cur tanta fuerit authoritas Imperantium in ſynodis?

In Synodorum convocatione, earumque confirmatione ſuo modo eminuiſſe authoritatem Regum & Imperatorum haud negamus. Et quid mirum? nam hoc ipſum in Synodis Generalibus fuiſſe factum, ſcimus. Determinandus nempe erat locus celebrandis Synodis opportunus, opus erat authoritate Regum, ut tumultus compeſcerent, neque præteriri poterat confirmatio ab illis impertienda quoad canones diſciplinæ eccleſiaſticæ: quippe quod inter canones diſciplinares, & leges Imperatorias, inter Statum eccleſiaſticum, & politicum in ſimilibus nexus ſit individuus; & Imperantium vel maxime interſit, ne canones hujuscemodi turbent rempublicam, & ſtatum externum offendant.

Cur, & qualis conſenſus regius & Imperatorius in electionibus Epiſcoporum intervenerit?

Quantum ad electiones Epiſcoporum, in his communius interveniſſe conſenſum Regum & Imperatorum, nemo hactenus Catholicorum negare auſus fuit, ita tamen, ut electio penes Epiſcopos, Clerum & populum fuerit: quam in rem innumeros canones maxime ſub ſtirpe Carolingica editos proferre foret facillimum. Id certe nec ipſi Gallicani DD. negare audent. Legimus quidem, quod Pipinus Rex propter acerbitatem temporum providerit viduatis epiſcopatibus, ſed non niſi accepta prius a Zacharia Papa authoritate, & ſynodi, cui S. Bonifacius præſederat (x).

Conſtitutio Epiſcoporum ab Imperatore facta videtur fuiſſe ſimplex nominatio?

Conſtituit Carolus M. in epiſcopatibus a ſe fundatis novos Epiſcopos: ſed quid aliud erat hæc conſtitutio in effectu, niſi ſimplex nominatio haud abſimilis juri patronatus? quo jam Sæc. V. & VI. Benefactores & fundatores gaviſi ſunt, & in hodiernam usque diem gaudent, quæ ſuum robur, ac vim omnem ab approbatione, & confirmatione Eccleſiæ, Pontificum, vel Epiſcoporum emendicat. Et nunquid par & æquum erat, ut Eccleſia Carolo M. tot epiſcopatuum fundatori liberaliſſimo hanc prærogativam denegaret, aut eidem non ſine nota ingratitudinis turpiſſime ſeſe opponeret? Indulſit Eccleſia Imperatoribus *jus primarum precum* ad omnes ferme Eccleſias tanquam ſupremis Eccleſiæ Advocatis in ſignum gratitudinis, cur Carolo M. ſimile jus denegare debuiſſet? De inveſtitura, inthroniſatione Epiſcoporum cap. ult. dicemus.

Quare in electionibus Pontificum intervenerit conſenſus Imperatorum?

Interim non miremur, quod Imperatores etiam in electionibus Pontificum ſuas habuerint partes, eosque in certo ſenſu confirmaverint,

(x) Ita refert Lupus Ferrarienſis epiſt. 81.

Digitized by Google

rint, utpote quorum vel maxime intereſt, quis in ſummum Eccleſiæ aſſumatur caput. Et nunquid hæc omnia neceſſaria erant pro conſervando nexu inter Imperatores & Principes? an autem non aliquoties Prælati eccleſiaſtici liberaliores fuerint in diſpenſandis juribus eccleſiaſticis, vel ipſi Imperantes in uſu vel uſurpatione talium jurium exceſſerint, noſtrum non eſt definire. Bene in his & ſimilibus rebus ſeparentur facta a *juribus*, inſpiciantur temporum, & rerum circumſtantiæ, & neceſſitates publicæ accuratius expendantur, & tunc demum prudens feratur judicium. Unum eſt, quod dictis contra hodiernos Proteſtantes neceſſario ſuperaddendum duximus. Diſtinguunt ipſi inter *Jura Majeſtatica*, & *Collegialia*, & inter hæc poſteriora expreſſe numerant jus convocandi, & celebrandi Synodos, conſtituendi Rectores Eccleſiarum &c. & hæc ex conſenſu Eccleſiæ ſeu cœtus poſſe transferri in Principes aſſerunt, imo a ſe actu fuiſſe translata negare nec poſſunt, nec audent (y). An non hoc ipſum Eccleſia antiquior facere potuit? quodſi ſimilem translationem fuiſſe factam ſupponamus, dicant nobis, quo jure Principes talia jura exercuerint, an nomine *proprio*, vel *alieno*: putamus, quod nomine *alieno*, hoc ipſo, quod fuerint Jura *Collegialia*, & conſenſu tacito in ipſos translata. Bene hoc animadvertant Politici Catholici, qui, dum ex factis antiquis ad noſtra tempora argumentantur, & illa omnia jura, quæ ex conniventia, œconomia, & diſpenſatione Eccleſiæ Principibus fuiſſe conceſſa legunt, noſtri temporis Principibus vindicant, inter rerum temporumque neceſſitates, inter album & nigrum non diſtinguunt, atque in eo longe deteriores ſunt ipſis DD. Proteſtanticis, quod hi rebus melius inſpectis atque longe accuratiori rerum eccleſiaſticarum notitia ſæpius imbuti quamoptime *Jura Principum*, *& Eccleſiæ* ab invicem diſcernere ſciant, & quæ cuivis ſint *propria*, vel *communicata & adventitia* determinare ſoleant: dum econtra Scriptores noſtræ Religionis facta a juribus diſcernere, jura propria ab alienis ſecernere aut negligunt, aut non ſciunt, eaque omnia Principibus tanquam propria ex ipſo jure regio promanantia adſcribunt, quæ ipſis ab Eccleſia ex ſingularibus rationibus indulta fuiſſe ſcimus, & legimus.

Facta ſunt ſeparanda a juribus.

Jura eccleſiaſtica, quæ exercentur a Principibus ſæcularibus, non ſunt Majeſtatica, ſed Collegialia, & ab ipſis nomine alieno exercentur.

Politici Catholici peſſime ex factis antiquis argumentantur ad noſtra tempora.

Jam ad juſtum rerum arbitrum appellamus, quem modis omnibus rogatum volumus, ut ſepoſitis præjudiciis Statum Eccleſiæ antiquum cum hodierno comparet, & tunc demum, quid ipſi videatur, libere edicat. Ubinam illa concordia & communio in cauſis tam Eccleſiaſti-

Ille nexus inter ſtatum eccleſiaſticum & politicum deſiit.

cis

(y) Vid. dicta in diſſert. de Statu Eccleſiæ cap. I.

Digitized by Google

cis quam Politicis inter Principes, & Epiſcopos, ille nexus inter Statum Eccleſiaſticum, & Politicum, qui fuit antiquitus? num ea jura eccleſiaſtica ſibi vindicarunt Principes, quæ ſibi hodie vindicant? num tot cauſæ eccleſiaſticæ ad forum ſæculare violenter abductæ, ſicut hodie? num Prælati eccleſiaſtici penitus a regimine politico fuere excluſi, quemadmodum hodie fieri conſuevit? prætendunt Politici, quod conſtitutiones eccleſiaſticæ, canones Conciliorum ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentes vim roburque obligandi non habeant, niſi a *Placeto Regio* fuerint confirmatæ, & hoc propter periculum, ne in jura Principum impingant, & bono politico præjudicent. Quare ergo Prælati eccleſiaſtici non audiantur in conſtitutionibus politicis? quum ſimile, vel longe majus periculum obverſetur, ne Eccleſiæ bono, juribus Epiſcoporum, & ſaluti animarum nimium quantum noceant. Memoria recolamus, quæſo, quæ de *Comitiis* Francorum fuſius attulimus. De Proteſtantibus non eſt, quod dicamus: res notiſſima eſt ipſis fatentibus, quod totum *Jus in ſacra cum omnibus juribus Collegialibus* in ſuos tranſtulerint Principes, ita, ut hi ſint ſupremi Directores ſuæ Eccleſiæ in rebus & fidei, & diſciplinæ, jamque penes ipſam Eccleſiam, quam ad infima Collegii æqualis ſubſellia detruſerunt, præter ferream obediendi, & juſſa ſuorum Principum in rebus eccleſiaſticis exequendi neceſſitatem nihil ſupereſſe videatur. Utinam, quæ hic obiter & perfunctorie ſcribere licuit, fuſius diſcutere licuiſſet!

§. XIV.

Quum in Cap. V. de Jure Eccleſiaſtico Eccleſiarum Germanicarum ſingulariter acturi ſimus, non eſt, quod huic materiæ enucleandæ multum inſudemus: quare Lectorem illuc remiſſum volumus.

CAPUT V.
DE
Statu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Imperatorum Germanicorum usque ad Carolum IV.

§. I. *Epocham Imperatorum Germanicorum auſpicamur a tempore extinctæ ſtirpis Carolingicæ.* II. *Status Eccleſiarum Germanicarum in compendio refertur.* III. *Quinam Epiſcopatus noviter erecti?* IV. *Eccleſiæ illuſtriores, earumque prærogativæ recenſentur.* V. *De ne-*

xu

xu inter Pontifices & Imperatores, illiusque violatione. VI. *Ex ſchiſmatibus.* VII. *Et electionibus ac inveſtituris Epiſcoporum remiſſive.* VIII. *Ex jure Regaliæ remiſſive.* IX. *De nexu Hierarchico inter Pontifices, & Epiſcopos multum immutato occaſione ſchiſmatum & inveſtiturarum.* X. *Ex ceſſatione Synodorum particularium, & frequentioribus recurſibus, & appellationibus ad Sedem Pontificiam,* XI. *Ex ipſis reſervationibus cauſarum majorum a Pontifice factis.* XII. *Ex privilegiis & exemptionibus.* XIII. *Ex miſſione Legatorum Pontificiorum.* XIV. *De ſeparatione Capitulorum a menſa Epiſcopi, variisque juribus ad ipſa translatis.* XV. *De jure eligendi & nova forma in electionibus introducta.* XVI. *De jure confirmandi Epiſcopos.* XVII. *De jure conferendi Beneficia.* XVIII. *De gratiis exſpectativis, mandatis Apoſtolicis, & reſervationibus Pontificiis.* XIX. *De mutatione Judiciorum eccleſiaſticorum.* XX. *De Synodis particularibus Germaniæ.* XXI. *De Jure eccleſiaſtico, quo uſæ ſunt Eccleſiæ Germanicæ hoc ævo remiſſive.* XXII. ***Quædam huc pertinentia in compendio referuntur.***

§. I.

Epocha, a qua eſt auſpicandum imperium Germanicum incerta.

Abſit a nobis, ut nos vexatiſſimæ quæſtioni de Epocha Imperii Germanici recte ſtatuenda immiſceamus, dum illam quidam a Carolo M. aliqui a Ludovico Germanico, cui poſt obitum Ludovici Pii ex diviſione fraterna in conventu apud Argentoratum an. 842. celebrato Germania obtigit (z), quo tempore Germaniam in regni formam fuiſſe redactam ſcribunt (a). Alii a tempore extinctæ in Ludovico Infante ſtirpis Carolingicæ, & electione Conradi Francici an. 912. a populis Germanicis facta; plerique ab Ottone M. an 936. in Imperatorem electo derivant, utpote qui dignitatem Imperatoriam cum regno Germaniæ pacto conjunxit perpetuo, & in Regni Germanici ſucceſſores transmiſit. Nos igitur res eccleſiaſticas Germaniæ a tempore extinctæ

(z) Defuncto nempe Ludovico Pio Lotharius natu maximus univerſum Imperium ad ſe trahere voluit, quem tamen Ludovicus & Carolus fratres ingenti illata clade victas dare manus coegerunt, & eo adduxerunt, ut paternæ hæreditatis diviſionem admitteret, vi cujus Ludovico Francia Orientalis, ſeu Germania Trans-Rhenana; Carolo Occidentalis Francia, ſeu Gallia; Lothario denique Auſtraſia cum regno Italiæ & dignitate Imperatoria obtigit: inde etiam Germania manſit Regnum perpetuo ſui juris.

(a) Conringius lib. I. cap. 3. de finibus.

tinctæ ſtirpis Carolingicæ usque ad tempora Caroli IV. breviter recenſere conſtituimus.

§. II.

Mira rerum viciſſitudo in rebus fidei, Religionis, & diſciplinæ a tempore Imperatorum Germanicorum.

Si ullo unquam, profecto hoc præcipue ævo, de quo nobis hic agendum, miras rerum viciſſitudines ſubiit Status tam Eccleſiaſticus, quam Politico-ſæcularis non tam in fidei, & Religionis, quam in diſciplinæ externæ capitibus. Hoc enim potiſſimum ævo antiqua Eccleſiæ diſciplina degeneravit in aliam, arctiſſimus ille nexus inter Eccleſiam & Imperium fuit diſſolutus, mira illa communio & concentratio inter Epiſcopos & Pontifices magna ex parte partim turbata, partim fuit immutata, inter ſe colliſi ſunt Pontifices cum Imperatoribus, Epiſcopi cum Pontificibus, omnes & ſinguli pro ſuis juribus ſtrenue decertantes. Inde originem traxerunt tot ſchiſmata, quibus Eccleſia Romana ſcindebatur in plures, tot controverſiæ inter Eccleſiam & Imperium obortæ, ex quibus tam ingentia oriebantur ſcandala, tot contigerunt immutationes in rebus diſciplinaribus, quas fieri neceſſitates Eccleſiæ præceperunt. Atque ut rem in compendio demus, hisce potiſſimum Sæculis deſiere ſynodi particulares, multiplicatæ ſunt appellationes ad Sedem Pontificiam, e ſua ſede deturbati Pontifices, exauthorati Imperatores, poteſtas Pontificum ampliata, Jurisdictio Epiſcoporum magna ex parte fuit depreſſa, forma judiciorum immutata, ſuo jure in electionibus Pontificum & Epiſcoporum Clerus & populus exutus, Capitula Eccleſiarum Cathedralium ad novam formam redacta, plures antehac inauditæ exemptiones, & immunitates conceſſæ, verbo, omnia ferme & ſingula in novam formam fuere transmutata.

Sæculum decimum peſſime deſcribitur.

Solius Sæculi X. a quo hoc caput auſpicamur, mentionem facere liceat, utpote quod nigerrimis prorſus coloribus depingit Baronius in hæc verba: *Novum Sæculum, quod ſui aſperitate, ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia ſcriptorum appellari conſuevit* (b). Longe adhuc fœdiora de eo ſcribit cit. Annaliſta, quæ nequidem in medium afferre ſine metu ſcandali audemus (c). Inde etiam eſt, quod hæc potiſſimum ſæcula peſſime audiant apud cæteros Scriptores, & paſſim appellentur Sæcula *barbara*, Sæcu-

(b) Baronius in Annal. ad annum 900. N. 1.

(c) Ibid. ad an. 912. N. 14. ubi vitia, & crimina illius ævi Pontificum ad vivum depingit.

Digitized by Google

Sæcula *ruditatis* & *ignorantiæ*. Age igitur, & quæ ſpecialiter ad res Germaniæ, & Statum Eccleſiarum illius pertinent, breviter perſtringamus!

§. III.

Referuntur Epiſcopatus noviter & ſucceſſive erecti.

Merito auſpicamur ab erectis in Germania novis epiſcopatibus, ne ſiniſtris rerum geſtarum fatis mox a limine hiſtoriæ horum temporum nos repelli patiamur. Itaque Sæcul. X. Otto M. ſequentes erexit epiſcopatus, & primo quidem Archi-Epiſcopatum Magdeburgenſem anno 968. de quo §. ſeq. recurret mentio; Misnenſem in Saxonia an. 965. Merſeburgenſem an. 968. Altenburgenſem an. 956. Brandenburgenſem, de cujus prima erectione, ſeu potius tempore non convenit inter authores, illum tamen ad an. 948. referunt literæ fundationis ab Ottone confectæ, quas exhibet Luniger (d); Havelſpergenſem an. 946. Eodem Sæculo Epiſcopatus Cholbergenſis in Pannonia, poſtquam jam ſemina Chriſtianorum hinc inde inter hosce Slavos ſparſa fuerant, an. 965. fuit erectus, cujus Epiſcopus poſtea Eccleſiæ Gneſnenſi ab Ottone III. fuit adſcriptus. Sed novus hic epiſcopatus circa an. 1025. intercidit, quo tempore chriſtiana res per illam oram vehementer fuit afflicta. Hunc Epiſcopatum reſtauravit Otto Bambergenſis favente ſibi Uratiſlavo Slavorum per has oras Principe, & accedente confirmatione Innocent. II. an. 1140. poſtea Conradus III. majoris ſecuritatis gratia Caſimiro Principe Pomeraniæ conſentiente tranſtulit Caminum an. 1185., cujus tranſlationem ratihabuit Clemens III. Sæc. XI. circa annum 1007. ab Henrico S. fundatur Epiſcopatus Bambergenſis renitente Epiſcopo Würzeburgenſi, usque dum in ſynodo Francofurtenſi an. 1006. res fuerit compoſita, de quo §. ſeq. dicemus plura. Sæc. X. Boleſlaus II. Dux Bohemiæ cum conſenſu Joannis XIII. & Ottonis M. circa an. 971. fundavit epiſcopatum Pragenſem. Quoniam vero Bohemia ad Diœceſim Ratisbonenſem pertinebat, primum ſub Ottone II. hic Epiſcopatus plene fuit erectus, & Archi-Epiſcopo Moguntino ſubjectus. Sub hoc Epiſcopatu quondam fuit Moravia, prout ex diplomate quodam Henrici IV. Imperat. de an. 971. colligere licet. At vero cum conſenſu Uratiſlavi Regis diviſæ ſunt Diœceſes, & tam Eccleſiæ Pragenſi, quam Olomucenſi proprius fuit datus Epiſcopus, quem utrumque ab Henrico IV. tum fortuito Mantuæ agente per annulum, & baculum fuiſſe inveſtitum referunt. Hiſce addamus quatuor Epiſcopatus, nempe Gurcenſem in Carinthia ſuperiori a Gebhardo; Lavantinum

(d) In ſpicileg.

num in Carinthia inferiori; Seccovienſem in Styria; & Chiemenſem in inſula hujus nominis ab Eberhardo Archi-Epiſcopo Salisburgenſi quam liberaliſſime fundatos, in quibus in hodiernam usque diem Archi-epiſcopus Salisburgenſis Epiſcopos nominat, & confirmat, & ſi pro bono Eccleſiæ viſum fuerit, ab una ad aliam Eccleſiam transfert (e). De his Epiſcopatibus vid. dicta in Differt. de Statu Eccleſ. cap. 3.

§. IV.

Archi-Epiſcopi & Electores Moguntinus, Trevirenſis, & Colonienſis utuntur titulo Archi-cancellarii, & quare?

Dum illuſtriores horum temporum Eccleſias recenſere conſtituimus, revertendum nobis eſt, unde digreſſi ſumus, nempe ad Archi-Epiſcopatum Colonienſem, Moguntinum, & Trevirenſem, quorum Archi-Epiſcopos dignitate electorali eſſe exornatos, ſcimus. Omnes hi tres Archi-Epiſcopi & Electores titulo Archi-Cancellarii utuntur. Sed qua ratione illum obtinuerint, & in hodiernam usque diem retineant, non nihil accuratius eſt diſpiciendum. In antecedentibus dictum, quod Imperatores Carolingici ſuos habuerint Archi-Capellanos, & Archi-Cancellarios. Succeſſu temporis factum eſt, ut titulus Archi-Cancellarii, qui primitus cum titulo Archi-Capellani promiſcue uſurpari ſolebat, ſolus in uſu manſerit. Jam vero non ſemper unus, ſed plures aliquoties fuere Archi-Capellani diviſis inter ſe functionibus: ſic enim legimus, quod ſub Ottone M. eodem tempore Archi-Capellani fuerint Rupertus Trevirenſis, Bruno Colonienſis, & Heroldus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis. Dein Archi-Cancellariatus officium diviſum fuit, ita ut Archi-Epiſcopus Colonienſis per Italiam, Moguntinus per Germaniam, Trevirenſis per Galliam & regnum Arelatenſe Archi-Cancellarius audirent. Quandonam autem hæc diviſio facta fuerit, non ſatis conſtat. Quantum ex obſervationibus ſubſcriptionum conjecturare licet, inſtituta fuit hæc diviſio ævo Henrici III., quamquam ſerius invaluerit, ut Præſules hi muneris ſui deſignationem ad unum alterumve regnum reſtrictam ſuis titulis infererent (f).

Officium Archi-Cancellariatus diviſum.

De Archi-Cancellariatu Colonienſi.

Ut autem de ſingulis in ſpecie quædam afferamus, ordiamur ab Archi-Epiſcopo Colonienſi, quem jam illo ævo Henriciano ſolum fuiſſe agnitum tanquam Archi-Cancellarium Italiæ, fidem faciunt diplomata Imperialia in Italia confecta, quæ ſolos Archi-Epiſcopos Colonienſes,

(e) Quoad Epiſcopum Gurcenſem inter Archi-Epiſcopum Salisburgenſem & Sereniſſimam Domum Auſtriacam obtinet alternativa, ita, ut poſtquam hæc bina vice nominavit, tertia vice nominet Archi-Epiſcopus.

(f) Maſcov. Princip. J. P. lib. 3. cap. 7. §. 15

enſes, Piligrinum, Hermannum, Annonem Archicancellarios memorant: quum tamen antea etiam alii Epiſcopi Italiæ, aut ipſi Moguntini Italiæ diplomata recenſuiſſent. Hujus rei novam conjecturam ſuppeditat, quod Leo IX. Pontifex Hermannum Coloniæ Archi-Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ Cancellarium fecerit, & Eccleſiam S. Joannis eidem attribuerit, unde frequens in ſubſcriptionibus Bullarum pontificiarum formula occurrit, qua Bibliothecarii aut Cancellarii Sedis Apoſtolicæ ſe eas ad vicem Archi-Epiſcopi Colonienſis tanquam Archi-Cancellarii recognoviſſe profitentur. De ævo Lotharii II. Savonis diſertum veteris Scriptoris teſtimonium ſuppetit, Colonienſem de jure habitum fuiſſe Italiæ Archi-Cancellarium (g). Primus tamen, quantum hactenus conſtat, titulum Archi-Cancellariatus imperante Friderico I. expreſſit Arnoldus an. 1155. (h). Quantæ dignitatis hoc ævo fuerit Sedes Colonienſis, non modo ex collata Archi-Cancellariatus Romanæ Eccleſiæ dignitate per Leonem IX. conceſſa, verum etiam ex aliis prærogativis per alios Pontifices quam liberaliſſime in illius Archi-Epiſcopos diſpenſatis facili negotio deprehenditur: Ita enim Agapetus II. pallium miſit, & Archi-Epiſcopis Colonienſibus illius uſum quodammodo irreſtrictum conceſſit, indulgendo, ut eo, quoties vellent, uterentur (i). Auxit has prærogativas Eugenius III. an. 1151., qui Arnaldo in hunc modum reſcripſit: *Pallii quoque uſum, & vivificæ crucis vexillum, atque naccum, inſigne videlicet equi, quæ Prædeceſſoribus conceſſa ſunt, ſuo tempore, ſuoque loco ferenda, nos tam tibi, quam tuis ſucceſſoribus confirmamus: adjicientes, ut nulli Primati, niſi tantum Romano Pontifici, debeas eſſe ſubjectus.* Poſtea addit: *Et ſi Romanus Pontifex, vel Apoſtolicæ Sedis legatus in eadem Provincia Concilium celebraverit, tu poſt eum primum inter alios locum obtineas*(k). En! in hoc reſcripto Pontifex Archi-Epi-

Quisnam primus ſe Archi-Cancellarium ex Colonienſibus ſcripſerit?

Prærogativæ Archi-Epiſcopi Colonienſis.

(g) Chronographus Saxo ad an. 1132. ubi dicit: *Rex celebravit aſſumptionem S. Mariæ in Werzebuch, & inde cum exercitu Longobardorum fines intravit; & quia Archi-Epiſcopus Colonienſis defuit, qui jure debet eſſe Cancellarius in illis partibus, Norbertus Archi-Epiſcopus Magdeburgicus huic officio deputatus eſt.*

(h) In recognitione Diplomatis an. 1155. Henrico II. Epiſcopo Leodienſi dati: *Ego Arnoldus Colonienſis Archi-Epiſcopus Regni Italici Archi-Cancellarius recognovi.*

(i) Rotgerus in vita Brunonis cap. 23. in Leibnitii Scriptoribus Tom. I.

(k) Bulla Eugenii legitur in Lunigii Spicil. Eccleſ. part. I. pag. 332.

Digitized by Google

Epiſcopo Colonienſi confirmat uſum Pallii, dat prærogativam præferendæ crucis, & equitandi ſuper Nachum, id quod erat inſigne Legatis a latere proprium, illumque ab omni ſubjectione Primatis eximit cum prærogativa honoris & ſeſſionis in conciliis nomine Pontificis celebrandis. Inde venit, quod Archi-Epiſcopi Colonienſes inter titulos ſuos appellatione *Legati Nati* utantur. Imo etiam *Primatus* honorem eisdem tribuunt plures Scriptores, quibus fundamentum ſolidum præbet Rupertus Tuitienſis, qui illum expreſſe Colonienſibus Archi-Epiſcopis adſtruit per verba: *Sed Primatum Colonia Metropolis obtinuit, ea maxime cauſa, quia Creſcens Coloniæ quoque Apoſtolicam verbi Dei ſignificationem primus intulit* (l). Hanc prærogativam quidam in dubium vocare ſolent ea ex ratione, quod ſufficientibus documentis monſtrari nequeat, unquam aliquem Metropolitarum hanc Primatus prærogativam in Archi-Epiſcopo Colonienſi ſuſpexiſſe. Quidquid tamen de hoc ſit, id ſaltem tribuendum erit Archi-Epiſcopis Colonienſibus, quod fuerint *Primates Honorarii*, quales teſte Hincmaro pro illius ævi diſciplina fuere omnes Metropolitæ, qui nulli alteri Primati ſubjecti eſſent: atque in hanc ſententiam juvant verba Leonis IX. *Sicut neminem Archi-Epiſcoporum tibi ſubjicimus, ita ſub nullo Primate te agere decrevimus*, quod idem repetit Eugenius III. loc. ſupra cit. (m). Abſit tamen, ut hoc modo vel in minimo Archi-Epiſcopis Colonienſibus detractum velimus, quorum prærogativis ſublimandis potius, quam ſupprimendis noſtram operam locavimus. Sola nos documenta deſtituunt, ut, quod præſtare quam libentiſſime vellemus, efficere nequeamus. Accedit prærogativis hactenus recenſitis, quod Archi-Epiſcopi Colonienſes ſuis titulis inferant Ducatum Angariæ, & Weſtphaliæ, cujus partem Fridericus I. Imperator poſt cladem Henrici Ducis Philippo Archi-Epiſcopo Colonienſi contulit. Agendum quoque foret de jure conſecrandi, ungendique Imperatorem in Germania Electoribus Colonienſibus competente, & per transactionem inter ipſos & Archi-Epiſcopos Moguntinos an. 1657. initam ſtabilita, vi cujus res ita compoſita eſt, ut in ſua quisque Diœceſi Regem ungat: quod ſi in alio loco hæc ſacra inſtitui contigerit, alternis vicibus iis defungantur, eaque conventio in capitulationibus Imperatorum fuit confirmata. Sed de hoc plura Publiciſtæ.

Audit Legatus natus, & Primas.

Saltem fuit Primas honorarius.

Ad Archi-Epiſcopum Moguntinum delabimur, cujus ſemper magna in Eccleſia Francica fuit authoritas, & quæ mirum in modum excrevit,

Prærogativæ Archi-Epiſcopi Moguntini.

(l) Lib. I. de offic. cap. 27.
(m) Maſcov. de Primat. Germ. §. 35.

Digitized by Google

crevit, poſtquam diviſo inter filios Ludovici Pii regno Ludovicus dictus Germanicus Germaniæ magnæ populos in ſortem accepit: tunc enim Archi-Epiſcopus Moguntinus omnium in regno Ludovici Epiſcoporum primus fuit, quemadmodum & ipſa urbs ab illo tempore dicta fuit *Regia Civitas*, & *Franciæ Metropolis*, quo in ſenſu Witickindus Monachus Corbejenſis Antiſtitem Moguntinum ſummum Pontificem appellare non dubitavit. Pro Primatu Archi-Epiſcopi Moguntini tot extant indubia documenta, ut illum in dubium vocare temerarium exiſtimemus (n). Et quidem illius origines ad Bonifacium referendas eſſe nobis perſuaſum habemus, utpote quem ampliorem adhuc illo ſæculo in Francorum Eccleſia authoritatem voluntate Principum & Pontificis habuiſſe, indubiæ fidei res eſt, cujus apicem ipſa Pipini unctio ab illo peracta declarat. Quæcunque enim ab illo tempore in Eccleſia & regno Francico conſecuta ſit mutatio, Moguntinus tamen Primatis titulum, & dignationem non in uno ſenſu retinet, exeo potiſſimum, quod primæ in Germania Sedis ſit Epiſcopus. Neque verum eſt, quod primus honoris gradus in Magdeburgenſem fuerit translatus: nihil enim inde dignitati Moguntinæ fuiſſe detractum, paſſim oſtendunt Scriptores. Num dignitas Primatus Bonifacio collati fuerit perſonalis, uti aſſerit Thomaſſinus (o), nondum in comperto eſt. Et certe hic ipſe author ſibi non eſt conſtans, dum dignitatem illam modo perſonalem, modo realem & ad ſucceſſores tranſitoriam appellat (p). Præterea Archi-Epiſcopus Moguntinus officio Archi-Cancellariatus per Germaniam fungitur, & primus eſt Electorum eccleſiaſticorum. Primus titulo *Archi-Cancellarii per Germaniam* uſus legitur Arnoldus, qui ab an. 1153. illam rexit Eccleſiam. Ab illo jam tempore, quo Imperialis aula ſedem in Germania fixit, & Cancellaria Imperii huc translata eſt, illam ordinat Elector Moguntinus tanquam Archi-Cancellarius Germaniæ, & ejus vice regit S. R. I. Vice-Cancellarius. Eodem titulo Archi-Cancellariatus Elector Moguntinus Archivum ſeu Chartophylacium Imperii ſub ſua habet cura, quod partim Moguntiæ, partim in aula Imperiali aſſervatur. De aliis juribus, proedriis & prærogativis Sedi Moguntinæ annexis e. g. convocandi Electores ad electionem Imperatoris,

Illius Primatus.

Non fuit translatus in Magdeburgenſem.

Primatus Bonifacio collatus an fuerit perſonalis.

(n) Vid. Maſcov. de Primat. §. 20. ubi adducit teſtimonia Conradi Abbatis Urſpergenſis, Lamberti Schaffnaburgenſis, Concilii Moguntini an. 1121. celebrati &c.
(o) Part. I. lib. I. cap. 37.
(p) Idem loc. cit. cap. 31.

Digitized by Google

ris, dirigendi in comitiis, coronandi Imperatorem &c. agere ad Publiciſtas pertinet.

Ad Eccleſiam Trevirenſem nos rectus agendi ordo ducit. Antiquiſſimæ hujus Eccleſiæ fata tum proſpera tum ſiniſtra in antecedentibus expoſuimus: quare non tam de jure Primatus Trevirenſis antiquo injuria temporum quodammodo ſuppreſſo, quam noviori, vel potius antiquo iterum reſtaurato nobis eſt agendum. Itaque ab illo tempore, quo diviſio Regni inter Filios Ludovici Pii facta fuit, antiqua ſua jura, & ornamenta poſtliminio reaſſumpſiſſe & prærogativam Primatus per utramque Belgicam recuperaſſe videtur. Jam in Sæc. IX. Nicolaus I. Teugualdum ſeu Theutgaudum Archi-Epiſcopum Trevirenſem in ſententia contra illum & Guntharium Archi-Epiſcopum Colonienſem lata vocat Provinciæ Belgicæ Primatem (q): Et Joannes XIII. a quo Theodoricus Trevirenſis Eccleſiæ ſuæ Primatum inſtaurari petebat, in ſua Bulla ita loquitur: *Decernentes per hujus noſtri Apoſtolici privilegii validiſſimam conſtitutionem, ut quandocunque a noſtra principali & Apoſtolica Sede Epiſcopus &c. Legatus rei Eccleſiaſticæ, ſeu cogendæ Synodi cauſa in Galliam, Germaniamve deſtinatus fuerit, Trevirenſis Præſul poſt quemlibet ordinarium legatum Apoſtolicæ Sedis primum inter alios Pontifices locum obtineat, & ſi miſſus Romanæ Eccleſiæ defuerit, ſimiliter poſt Imperatorem ſive Regem ſedeat, & ſynodale judicium promulgandi Primatum habeat &c.* (r). Similiter Fridericus I. Helinum ejus temporis Trevirenſem Antiſtitem his alloquitur verbis: *igitur quia vos Primas eſtis cis Alpes, & cor Regni, & Metropolis illa veſtra Treviris &c.* (s). Atque hoc modo ſua etiam conſtat authoritas Ottoni Friſingenſi, qui Galliæ Belgicæ primatum Trevirenſi Eccleſiæ tribuit. Hujus rei quamplurima extant documenta, a quibus nobis eſt ſuperſedendum. Idem Archi-Epiſcopus Trevirenſis nunc titulo Archi-Cancellarii per Galliam & Regnum Arelatenſe gloriatur, ubi nomine Galliæ deſignatur *Belgica*, cujus maximam partem Regnum Lotharingiæ comprehendit. Et quidem recte hoc gloriantur titulo: quum olim Trevirenſes Regum Lotharingiæ & Germaniæ Archi-Capellani fuiſſe legantur. Sed quando, & qua occaſione titulum Archi-Cancellarii per Galliam velut proprium Eccleſiæ ſuæ vindicaverint, non ſatis conſtat. Refert Maſcovius (t), extare diplomata Conradi II. Henrici III. & IV. de rebus ad Diœceſin Tre-

Prærogativæ Archi-Epiſcopi Trevirenſis. Primatus.

Archi-Cancellariatus per Regnum Arelatenſe.

(q) Vid. cauſ. 11. q. 3. cap. 10.
(r) Hanc Bullam refert Browerus a Maſcovio citatus.
(s) Vid. Luniger in Spicil. Eccleſ. P. 1. Cont. pag. 214.
(t) In Princ. J. P. lib. 3. cap. 7. §. 17.

Digitized by Google

Trevirenſem ſpectantibus confecta, quæ Archi-Epiſcopi Moguntini nomine ſunt expedita (u). Neque tituli hujus mentio apud Hiſtoricum Martino Polono antiquiorem reperitur (x). Primum, cui hic titulus a Scriptore, & quidem coævo fuit attributus, ipſi Trevirenſes Scriptores referunt Bœmundum II. qui ab anno 1288. usque ad an. 1299. rexit eccleſiam. Ab eo autem tempore in actis Imperii publicis continuatus eſſe legitur (y).

Majoribus difficultatibus involutus eſt *Archi-Cancellariatus per Regnum Arelatenſe*, quippe qui antea pertinuit ad Epiſcopum Viennenſem, eique per privilegia Imperatorum Friderici I. Henrici VI. & Friderici II. confirmatus legitur (z). Primam occaſionem illum aſſumendi Scriptores Trevirenſes ipſi referunt ad Arnaldum II. qui ab anno 1242. usque ad annum 1259. Eccleſiæ præfuit, & Arelatenſis Regni, ne poſt Suevicæ Domus cladem imperio ſe ſubduceret, curam ſuſcepit. Primus vero hunc titulum Bœmundo II. Scriptor quidam coævus attribuiſſe legitur (a). Ab illo tempore duplicis Cancellariatus titulus publica authoritate Ludovici Imperatoris an. 1332. & Caroli IV. tam in Comitiis Moguntinis 1348. quam in ipſa Aurea Bulla fuit confirmatus (b). Verum non diuturnus fuit uſus hujus Cancellariatus, poſtquam hæ regiones ad Germaniam, ejusque Cancellariatum ſunt relatæ (c). De cæteris Trevirenſis Eccleſiæ prærogativis agunt Publiciſtæ, inter quos inſignem prorſus commentationem de *Prærogativis S. R. I. Electoris Trevirenſis* ſcripſit Joan. Lud. Wiederholdt an. 1733., in qua agit de illius prærogativis, quas habet communes cum cœteris Principibus Electoribus, & ſibi ſoli proprias, inter quas recenſet, quod denominetur ab Auguſta Trevirorum, ſit Archi-Cancellarius per Galliam, & Regnum Arelatenſe, in Electione Imperatoris habeat primum votum, Elector Moguntinus ad manus illius juramentum electionis præſtare teneatur, Colonienſem præcedat, ad ipſum aliquoties reviſio actorum loco Imperatoris pertineat. Poſt Eccleſias Electorales primas ſibi vendicat Eccleſia Salisburgenſis, cui jam in Sæc. VIII. ſub Leone III. & Carolo M. dignitas Archi-Epiſcopalis obtigit, illiusque Epiſcopo Arno-

Prærogativæ Archi-Epiſcopi Salisburgenſis.

(u) Maſcov. in Diſſert. de Orig. Archioffic. §. 28.
(x) In Chronico, in vit. Ottonis III.
(y) Browerus in Annal. Trevir. part. II. lib. XVI.
(z) Vid. Maſcov. Princ. J. P. lib. III. cap. 7. §. 18.
(a) Idem Browerus lib. XVI.
(b) Maſcov. loc. cit. (c) Idem ibid.

Digitized by Google

Arnoni decreta. Gregorius VII. Gebhardum illius Archi-Epiſcopum titulo Legati Nati appellavit. Alii Pontifices alia Archi-Epiſcopis Salisburgenſibus jura conceſſerunt prorſus ſingulariſſima, & talia, quibus vix ullus, ſaltem quantum nos ſcimus, in toto orbe Catholico gaudet Archi-Epiſcopus. (d). Sed quoniam de his ſpecialiter alibi egimus, eo Lectorem remittimus.

Item Magdeburgenſis. Huc pertinet Eccleſia Magdeburgenſis, quæ ſingularem prorſus mentionem meretur, utpote quæ vix nata mox ſupremam dignitatis eccleſiaſticæ apicem obtinuit: nam, poſtquam Otto M. per converſionem Slavorum Germaniæ novam provinciam adjecerat, viſum illi erat conſtituere Metropolin Magdeburgi ad Albim. Egit hac de re cum Joanne XIII. Pontifice in frequenti Epiſcoporum conventu Ravennæ celebrato, ibique confectæ, & ſignatæ ſunt tabulæ fundationis. Attamen obtinendus erat Epiſcopi Halberſtadienſis conſenſus, in cujus Diœceſi ſita erat urbs Magdeburgica, quo impetrato ab illius Epiſcopo Hildeuardo., & conſentiente Archi-Epiſcopo Moguntino primus Magdeburgicæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit conſtitutus Adalbertus antea S. Maximini prope Treviros alumnus jam antea convertendis ad fidem Slavis deſtinatus. Hic ergo Romæ ordinatus in Archi-Epiſcopum, & pallium accepit, & a præfato Pontifice Primatum obtinuit (e). Ab eo tempore ampliſſimis privilegiis hæc Eccleſia aucta eſt ab Imperatoribus, quæ hic recenſere ſupervacaneum ducimus (f).

Aliæ Eccleſiæ illuſtriores recenſentur. Eccleſiis illuſtrioribus hujus ævi accenſenda eſt Eccleſia Uratislavienſis, quæ olim Gneſnenſem in Polonia Archi-epiſcopum reſpexit Metropolitam. Lite ſuper honore loci in Synodis oborta inter Iyonem Epiſcopum Cracovienſem, & Laurentium Uratiſlavienſem, hic Romam contendit, & ab Innocentio IV. an. 1245. id obtinuit, ut Pontifex Eccleſiam Uratiſlavienſem in ſuam protectionem reciperet, & Epiſcopatum a juriſdictione omnium Epiſcoporum, & Archi-Epiſcoporum ex-

(d) Talia ſunt jus nominandi, & confirmandi quatuor Epiſcopos Suffraganeos, eosque transferendi ab una ſede ad aliam &c.

(e) Vid. Luniger Spic. Eccleſ. Tom. I. ubi Bullam Pontificis per extenſum refert. Hæc Bulla una cum Primatu haud abs re in dubium vocatur. Vid. quæ ſcripſimus in Differt. de Prærog. Eccleſ. Salisburg.

(f) Idem ibid. pag. 356. ubi inter alia refert, quod Otto IV. privilegium dederit capiendi hæreditatem Suffraganeorum.

Digitized by Google

eximeret, *ſalva tamen*, uti loquitur Bulla Pontificia (g), *authoritate Metropolitani in caſibus ei a jure conceſſis*. Itaque ob hanc clauſulam haud abs re diſputatum fuit, utrum per hanc Bullam plenaria fuerit conceſſa exemptio.

Prærogativa Eccleſiæ Pragenſis. Haud abſimilis prærogativa obtigit Eccleſiæ Pragenſi, quæ olim fuit ſub Archi-Epiſcopo Moguntino, & Sæc. XIV. ab omnibus obſequiis Henrico Archi-Epiſcopo Moguntino præſtandis a Benedicto XII. fuit ſoluta: eo quod Henricus partes Ludovici Bavari tueretur. Denique Clemens VI. urgentibus Joanne Rege, & Carolo ejus filio an. 1343. Pragenſem Eccleſiam ab omni jurisdictione Præſulum Moguntinorum liberam declaravit, & Metropolim inſtituit. Idem Pontifex jus peragendæ unctionis regalis, quod Moguntini fuerat, an. 1345. in novum Archi-epiſcopum transtulit. Plura Eccleſiæ Pragenſi jamjam interveniente Carolo deſtinata erant & decreta jura, & inter alia, ut illius Archi-Epiſcopo ſubjecti eſſent Epiſcopi Bambergenſis, Misnenſis, & Ratisbonenſis. Sed quum hi fortiter reſiſterent, & Carolus interea diem obiret ſupremum, in irritum conatus cecidit.

Et Bambergenſis. Eccleſiis hactenus recenſitis adjungere liceat Eccleſiam Bambergenſem, quæ ab Henrico S. Imperatore fundata, & munificentiſſime dotata plenariam obtinuit exemptionem, quidquid contradixerit Epiſcopus Herbipolenſis, in cujus diœceſi locus erat ſitus, usquedum res in Synodo Francofurtenſi an. 1007. Præſidente Willegiſo Archi-Epiſcopo Moguntino, & accedente authoritate Joannis XIX. fuerit compoſita. De aliis ſingulariſſimis hujus Eccleſiæ privilegiis videantur Hiſtorici, inter quæ ultimum non eſt, quod illius Epiſcopus habeat uſum pallii a Leone IX. conceſſum (h). Atque hæc de illuſtrioribus Germaniæ Eccleſiis dicta ſufficiant.

§. V.

Electio Imperatoris poſt Ludovicum Infantem. Vix ſtirps Carolingica in Ludovico Infante defecerat, jam ille arctiſſimus nexus, illa intima communio & unio inter Pontifices & Imperatores quodammodo rupta, nunquam tamen ita diſrupta fuerat, ut vel ullus Imperatorum avitam religionem (Superis ſint immortales laudes) deſeruerit. Itaque extincta ſtirpe Carolingica populi Germanici, nimirum Alemanni, Franci, Bojarii, Saxones, Lotharingi Conradum Ducem Franconiæ e nobiliſſima Domo Comitum Francicorum ſpectata jam

(g) Vid. Maſcov. de Primat. §. 93.
(h) Bullam exhibet Spicil. Eccleſ. part. 2.

Digitized by Google

jam fortitudine in armis, nec minus prudentiæ & conſilii laude clarum an. 912. in ſuum Regem elegerunt, cui dein Henricus Saxoniæ Dux Auceps dictus eodem electionis jure ſucceſſit, ita, ut ab hoc tempore Regnum Germaniæ, quod hactenus jure hæreditario deferebatur, in electivum fuerit converſum.

Diſſidia inter Pontificem & Imperatorem a tempore Imperatorum Germanicorum.

Jam ab hoc tempore prima ſemina diſſidiorum inter Pontificem & Imperatorem jacta ſunt: quum enim Conradus bellis inteſtinis detentus rebus Italiæ afflictis, ubi omnia ſus deque vertebantur, ſubvenire non poſſet, & coronationem pontificiam petere differret, mortuo Lamberto antea jam in Imperatorem uncto Joannes X. Berengarium Imperatorem creavit, quem ſecutus eſt Hugo, & Filius Lotharius. Sed nec Baronius, nec alii rerum eccleſiaſticarum Scriptores Hugonem & Lotharium inter Imperatores recenſent. Demum ſub Ottone I., quem Magnum vocant, diſſidia hactenus occulte ſerpentia in apertum ſchisma eruperunt, etſi cæteroquin illius auſpicia fuerint prorſus auſpicatiſſima: nam literis & legationibus ad capeſſenda imperia invitatus ab Italis in Italiam venit, & Mediolani primum a Walberto Archi-Epiſcopo in frequenti omnium Ordinum concurſu Italiæ Rex inauguratus; initio ſequentis anni 962. ingenti concurſu plauſuque Romanorum una cum Adelheide Regina Imperator fuit coronatus. In intimam coiviſſe amicitiam cum Pontifice videri poterat Imperator: tanta erat inter utrumque & Proceres urbis mutuæ amicitiæ ſignificatio, ut juraverint, ſe nunquam Berengarii partibus adhæſuros. Sed præter ſpem omnem ruptum fuit confæderationis vinculum, vix ubi urbe exceſſerat Otto. Neque in hodiernam usque diem cauſa diſſenſionis patuit. Haud ex vano ſuſpicantur Scriptores, quod Otto M. jura Imperatoria, quæ Imperatores Stirpis Carolingicæ exercuerunt, ſibi attribuere, eaque vi urgere, & præcipue jus in electionibus & inveſtituris a ſuis prædeceſſoribus exercitum fortaſſis ultra ſuos limites extendere contenderit, id quod poſtea rerum eventus demonſtravit, quando Otto ſchiſma Eccleſiæ inter Pſeudo-Pontifices fovit, aluit, & nutrivit, ſibique jus ordinandi ſedem pontificiam in Synodo Romana a Leone VIII. intruſo celebrata vindicavit, & pro ſtabiliendo ſuo jure ad pſeudo-ſynodum Romanam ab Hadriano congregatam provocavit, de quo cap. 5. Hæc nonniſi obiter præmittere voluimus, ut ad mox dicenda viam ſterneremus. Ab hoc ergo tempore non niſi ſchiſmata, diſſidia, lites, & controverſiæ, exauthorationes Imperatorum, depoſitiones Pontificum, Epiſcoporum colliſiones nunc cum Pontifice, nunc cum Imperatore fuerunt auditæ. Cauſas horum omnium ſi inquiramus, profecto eæ omnes

Potiſſimum ſub Ottone Magno.

Otto Magnus prætendebat jura eccleſiaſtica a Carolingicis exercita.

Digitized by Google

Cauſa diffidiorum refunditur in ſtudium exceſſivum jurium ampliandorum.

omnes in exceſſivum ſtudium jurium ſuorum vel conſervandorum, vel ampliandorum ſunt conjiciendæ, quum ferme omnia mala, de quibus perſunctorie egimus, vel ex electionibus Pontificum & Epiſcoporum, vel ex inveſtituris eorum, vel ex jure Regaliæ ab Imperatoribus & Regibus ſibi aſſerto, & uſurpato ſuam traxiſſe originem videantur. Et quid quæſo! hodie Statum eccleſiaſticum cum civili, Eccleſiam cum Imperio, Pontifices & Epiſcopos cum Principibus hujus ſæculi, ipſos etiam Prælatos eccleſiaſticos inter ſe committit, niſi jurium confuſio, aut potius illorum ultra ſuos limites prætenſa extenſio? Dentur DEO, quæ ſunt DEI, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & erit pax, ſecuritas, tranquillitas in populo ac pleniſſima inter Statum eccleſiaſticum & ſæcularem unio, communio, concentratio, & nexus. Sed quis utrique poteſtati ſuos determinabit fines? Solius DEI hoc opus eſt, non hominis: nempe *oportet eſſe hæreſes*. Jam præcipuas cauſas diſſenſionis breviter examinemus, & de cauſis ſchiſmatum principium ducamus.

§. VI.

Hiſtoria ſchiſmatis inter Joannem Pontificem & Ottonem I.

Quotquot hodie fuere ſchiſmata, quibus Eccleſia in plures fuit diſſecta partes, ea omnia conflavit, fovit, & nutrivit ambitio. Abſit a nobis, ut hæc per exempla ſecundum ſæculorum ſeriem demonſtremus, id quod nobis neutiquam difficile accideret. Quatuor potiſſimum, eaque magis præcipua ad ſcopum & finem noſtrum facientia inter Pontifices & Imperatores enata ſchiſmata breviter examinabimus. Primum igitur ſchiſma Eccleſiæ obortum eſt, occaſione diſſidiorum inter Joannem Pontificem, & Ottonem Imperatorem. Itaque Otto, contra quem Pontifex diverſos hoſtes ſollicitaſſe ſcribitur, Epiſcopos Germaniæ & Italiæ ad Concilium Romæ celebrandum convocat, in quo præſidente ipſo Imperatore, & proximum ab ipſo locum occupante Engilfrido Patriarcha Aquileienſi Pontifex ad dicendam cauſam vocatus, ſed non comparens exauthoratus, & in illius locum Leo VIII. fuit ſuffectus (i). Paulo poſt Leone expulſo ſuæ ſedi reſtitutus fuit Joannes XII. qui in Synodo a ſe habita Leonem & Epiſcopos, a quibus ordinatus fuerat, damnavit, & brevi poſtea diem ſupremum obiit. In hujus locum abſente Imperatore Romani ſuffecerunt Benedictum V., quo audito Imperator Romam contendit injuriam ſibi illatam ulturus, eo quod

(i) Vid. Maſcov. in Comment. de Reb. Imp. lib. II. N. 26.

Digitized by Google

quod ipſo non præſente Romani contra fidem ſibi jurato traditam (k) Pontificem elegiſſent. Quare pulſo Benedicto in exilium, Leonem intruſum Sedi ſuæ reſtituit, qui Romæ famoſam illam pſeudo-ſynodum celebravit, in qua Imperatori jus ordinandi Sedem apoſtolicam, & inveſtiendi Epiſcopos confirmavit, & pro eo ſtabiliendo ad Synodum Romanam ab Hadriano celebratam, quam nos fictitiam eſſe ſuo loco oſtendemus, provocavit. Paulo poſt ambo & Benedictus, & Leo e vivis exceſſerunt, & in Pontificem electus fuit Joannes XIII.

Item ſchiſmatis inter Nicolaum II. vel potius Alexandrum II. & Henricum IV.

Alterum Schiſma inter Nicolaum II. vel potius Alexandrum II. & Henricum IV. fuit conflatum: nam diſpoſuerat Nicolaus II., ut poſthac Pontifices a Cardinalibus interveniente tamen Clero & populo eligerentur: eoque mortuo ſine præſcitu aulæ Imperatoriæ electus fuit Alexander II. quo audito Imperatrix Baſileæ Synodum vocavit, in qua Cadolaus Epiſcopus Pamenſis fuit electus, qui etiam Romæ poſſeſſionem cœperat. Sed non ita multo poſt Alexander ſuæ Sedi in Synodo Mantuana fuit reſtitutus. Atque hæc erant initia ſchiſmatum & diſſidiorum inter Imperatores, & Pontifices usque ad Henricum V. quæ ſingula ex electionibus, & inveſtituris Epiſcoporum ſuam traxerunt originem. Mortuo Alexandro ſuffectus fuit Gregorius VII. paſſim Hildebrandus dictus. Atque hic ille eſt Pontifex, quem Proteſtantes diris omnibus devovent, & velut authorem Dominatus pontificii, invaſorem jurium Imperatoriorum, inimicum libertatis Germanicæ inimiciſſimum proclamant, fugillant, & traducunt. Vix enim Gregorius VII. thronum pontificium conſcenderat, quum ecce! pro libertate electionum & abrogatione inveſtiturarum per annulum & baculum ſe velut murum æneum oppoſuit, contra ſimoniam per univerſam Eccleſiam graſſantem, contra conjugia Clericorum frequentia ſaluberrimas ordinationes fecit: quare Synodum Romæ convocavit, & ad ſuam cauſam dicendam Imperatorem citavit. At vero Henricus duas alias Synodos Wormatiæ & Paviæ celebravit, & Pontificem a ſua ſede deponere decrevit. Quo audito Pontifex Imperatorem exauthoravit, ſubditosque ab obligatione fidelitatis præſtandæ liberavit. Huic Pontifici adſcribunt plures Scriptores Catholici *Dictatum Papæ*, quem *Hildebrandinum* vocant, cujus nomine intelliguntur XXVII. breves ſententiæ de ſuprema poteſtate Romanorum Pontificum in univerſam Eccleſiam & Rempublicam. Tales ſunt Baronius, Chriſt. Lupus, quos in quo-

Gregorius VII. peſſime traducitur ab Acatholicis.

Diſſidia inter ipſum & Imperatores.

(k) Promiſerant nempe Romani Ottoni M., *nunquam ſe Papam electuros, aut conſecraturos, absque authoritate Imperatoris, filiique Regis Ottonis.*

Digitized by Google

quodam Concilio a Gregorio compoſitos & rogatos eſſe ſtatuunt. Facile cum his conſentiunt Proteſtantes. At Gallorum doctiſſimi Launoius, Nat. Alex. ambo Anton. & Franc. Pagi has doctrinas ab homine quodam doloſo, & adulatore eidem eſſe ſubjectas defendunt. Eidem Gregorio adſcribitur juramentum Epiſcoporum, de quo in alio loco fuſius diſſeruimus. Ab eo tempore non niſi diſſidia, ac lites erant inter Pontifices & Imperatores, præcipue propter inveſtituras per annulum & baculum, quæ continuatæ ſunt ſub Victore tertio, Urbano ſecundo, & Paſchale ſecundo, a quo Imperator de novo ſententiam excommunicationis ſubiit, usque ad Calliſtum II., & Henricum V., inter quos demum ſolemni pacto pax fuit reſtituta. Nimis longum foret hæc omnia & ſingula recenſere.

Item ſchiſmatis inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum.

Veniamus ad ſchiſma, quod Sæc. XIV. enatum fuit inter Joannem XXII., & Ludovicum Bavarum, cui occaſionem præbuit electio Imperatoria in duas partes ſciſſa, quarum una Fridericum pulchrum Auſtriacum, altera Ludovicum Bavarum Imperatorem elegit. Verum neutrum confirmare voluit Pontifex. Devicto Friderico res in apertum ſchiſma prorupit, & Joannes XXII. Ludovicum excommunicavit. Immenſi laboris res foret, hæc omnia recenſere. Habuit ſuos defenſores & in hodiernam usque diem habet & Ludovicus, & Joannes Pontifex. Quisnam enormius exceſſerit, nolumus judicare. Hæc ſufficiant pro anguſtiſſimis temporum circumſtantiis.

§. VII.

Inveſtire unde dicatur?

Alterum pomum Eridis, ſuper quo multum dimicabatur, erant inveſtituræ per annulum & baculum, de quibus non nihil diſpiciendum. Ipſa vox *inveſtire* multis videtur eſſe Germanica a verbo Weſten, Inveſten: pluribus latinæ originis eſſe videtur, eatenus, quatenus ille, qui poſſeſſionem dabat, manum veſtiebat tradendo ſymbolum, chirothecam, ramum viridem, glebam, panem &c. ut adeo inveſtitura nihil ſit aliud, quam ſolemnis & ſymbolica traditio poſſeſſionis. Has inveſtituras eſſe antiquiſſimas, & fortaſſis ipſo nomine antiquiores, imo & fuiſſe frequentiſſimas in eccleſia nemo negaverit. Et quidem fuere in uſu in delatione munerum tam eccleſiaſticorum, quam civilium (l): quandonam autem inveſtituræ per annulum & baculum velut ſigna ſymbolica inceperint, non ſat conſtat. Thomaſſinus exiſti-

Inveſtituræ ſunt in uſu antiquiſſimo.

(l) Sic e. g. Canonici fuere inveſtiti per ceſpitem, per ramum viridem, per panem, librum &c. vid. Boehmer ad Tit. de Inſtit.

Digitized by Google

exiſtimat (m), quod jam ſub Pipino & Carolo M. uſum habuerint, & ſub Imperatoribus Germanicis fuerint continuatæ ſine contradictione Eccleſiæ usque ad Henricum IV., eo quod Imperatores ab initio hoc jure tum rarius tum longe ſanctiſſime uterentur, atque adeo Eccleſia innocentem uſum ob ingentia Imperatorum merita œconomiæ cauſa diſſimulare voluerit, etſi contradicere potuiſſet propter ſigna ſymbolica, quæ poteſtatem ſpiritualem magis, quam ſæcularem ſignificare videbantur. At vero, ubi liberæ electiones ſubmotæ ſunt, & pietatis in præficiendis Epiſcopis modica fuit habita ratio, factæ ſunt epiſcopatuum nundinationes, intervenere ſimoniæ, indigni & inhabiles præteritis dignioribus ad clavum Eccleſiæ gerendum aſſumpti, jam non amplius hæ inveſtituræ Pontificibus tolerandæ videbantur. Primus, qui ſe oppoſuit, fuit Gregorius VII., quem ſecuti ſunt Nicolaus II. Paſchalis II., Calliſtus II. Celebrata deſuper plura concilia, & eo res devenit, ut Pontifices exauthorarent Imperatores (n); hi vero Pontifices conjicerent in carceres, deponerent, & diriſſime haberent. Paucis: erant ſcandala publica, ſchismata plura, rixæ perpetuæ inter Pontifices & Imperatores. Plurima pars Epiſcoporum Germaniæ adhærebat Imperatoribus; pauciſſimi partes Pontificis tuebantur. Tria autem potiſſimum erant, quæ has inveſtituras tantopere odioſas reddebant, nempe ipſa ſigna annuli, & baculi, quia annulus ſaltem ex communi hominum æſtimatione poteſtatem *ordinis*, & matrimonium ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam; baculus vero poteſtatem jurisdictionis ſignificabat. 2do quod mortuo Epiſcopo annulus & baculus mox ad Imperatorem mitti, & neo-electus flectens coram Imperatore præſtito juramento fidelitatis & obedientiæ utrumque e manibus Imperatoris recipere debuerit. 3tio, quod exinde multi abuſus fuerint introducti, ſchiſmata, ſcandala, nundinationes beneficiorum, ſimoniæ &c. exortæ. Poſt multas igitur altercationes tandem inter Calliſtum II. Pontificem, & Henricum V. ſolemni pacto, quod poſtmodum in Concilio Lateranenſi III. fuit confirmatum, pax ſub certis conditionibus fuit concluſa. Præcipue vero Imperator ſe obligavit, quod poſthac inveſtituras non amplius per annulum & baculum, ſed per ſceptrum velit conferre, reſervato tamen jure intereſſendi electionibus Epiſcoporum. De hoc pacto cap. ſequenti agemus. Equidem Lotharius Imperator antiquas inve-

Quandonam inceperint inveſtituræ per annulum & baculum.

Fuere innocuæ ſed deſierunt in abuſum.

Illis ſe oppoſuere Pontifices.

Tria illas fecerunt odioſas.

Inter Calliſtum II. Pontificem & Henricum V. deſuper pactum initum.

(m) Part. II. lib. III. cap. 38.
(n) Sic Greg. VII. exauthoravit Henricum IV. Idem fecit Paſchalis &c.

Digitized by Google

inveſtituras renovare voluerat, ſed conſilio S. Bernardi deterritus poſtea iterum a ſuis prætenſionibus abſtinuit.

§. VIII.

Regalia ſumitur dupliciter.

Similia, longe tamen mitiora fata Eccleſiæ acciderunt ex *jure Regaliæ* tam per Germaniam, quam & quidem vel maxime per Galliam invaleſcente, & ſucceſſive nimium quantum extra ſuos limites extenſo, cujus proin fata in compendio dare libuit. Et quidem primitus de ipſo nomine, natura & origine agere conſtituimus. Nomen *Regaliæ* ſumitur dupliciter vel in plurali, vel in ſingulari. In plurali ſumptum ſignificat jura ſublimiora Principum: in ſingulari acceptum, prout hic accipitur, eſt jus quoddam ſingulare, vi cujus Princeps fruitur omnibus vacantis eccleſiæ proventibus ad epiſcopatum pertinentibus, & interea pleno jure confert beneficia, usquedum novus Epiſcopus fidelitatis ſacramentum præſtet, epiſcopatus poſſeſſionem ineat, aliisque claudendæ Regaliæ neceſſariis perfungatur. Ex quo ſequitur, quod jus Regaliæ duo complectatur, perceptionem redituum temporalium, & collationem beneficiorum. Origo hujus juris perquam eſt obſcura: quidam illam referunt ad Clodovæum; quidam ad Carolum M.: quidam aſſerunt, hoc jus eſſe coævum ipſi Monarchiæ Francicæ. Verum hi omnes falluntur: neque enim hoc jus ad primam Regum Galliæ ſtirpem, neque ad ſecundam referri poteſt; non ad primam, quæ incepit in Clodovæo M. exeunte Sæculo V: nam ab illo tempore usque ad Sæc. VIII. & IX. in Gallia obtinuiſſe codicem univerſalis Eccleſiæ, nec non Dionyſii exigui certum eſt. Eſt autem in his expreſſe proviſum, ut bona eccleſiarum vacantium ab æconomo ſpecialiter conſtituto adminiſtrentur, & futuro ſucceſſori reſerventur. Non ad 2dam: etſi enim quidam Reges Galliæ, in ſpecie Carolus Martellus bona eccleſiaſtica peſſime uſurpaverit, non tamen legimus, quod etiam bona eccleſiarum vacantium occupaverit. Quare ad 3tiam ſtirpem videtur eſſe referenda, non quidem ad initium illius, quod ducitur ab Hugone Capeto, quem fuiſſe Regem prorſus religioſiſſimum conſtat, ſed ad ſubſequentia tempora, & a ſubſequentibus potiſſimum Regibus, qui poſt abolitas inveſtituras ſceptrum geſſerunt: ut adeo multis videatur, quod jus Regaliæ ſit adſcribendum reliquiis ex inveſtitura remanentibus, haud ſecus quam *jus primarum precum*, quas Imperatores Romani in hodiernam usque diem exercent. Et certe vel ex hoc capite hæc ſententia videtur eſſe probabiliſſima, quod hoc jus multa habeat commu-

Quid ſit?

Origo illius inquiritur.

Eſt referenda ad tertiam ſtirpem Francorum.

Jus Regaliæ habet multa communia cum feudis.

nia

nia cum feudis: nam olim ſaltem ſe uda legibus Romanis incognita, & a Germaniæ populis profecta concedebantur precario per modum uſusfructus, & cum morte Vaſalli exſpirabant, & ad manus Domini revertebantur, usque dum novus Vaſallus inveſtituram recepiſſet. Dein paſſim Reges Galliæ feuda dabant Epiſcopis & Abbatibus cum obligatione officii Clientelaris, & ſuppeditandi certum militum numerum; poſt eorum mortem vero Reges & Principes *illa feuda* occupabant. Dein conſtat, quod inveſtituræ communiter peractæ ſint cum certis ſolemnitatibus, præſertim traditione ſigni e. g. ceſpitis, rami, panis, annuli &c.

Olim obtinuit in provinciis Galliæ vicinioribus Germaniæ, & quare?

Jam vero quis non videt, hæc duo eſſe communia Regaliæ? quippe quæ non niſi ſede vacante locum habet, & tamdiu durat, usque dum novus Epiſcopus fuerit inveſtitus. Hæc autem Regalia olim obtinebat tantum in provinciis Galliæ, quæ ſunt viciniores Germaniæ e. g. in Flandria, Picardia, Campania &c. non vero in remotioribus, quales ſunt Aquitania, Delphinatus &c. cujus ratio erat, quod illæ provinciæ admiſerint conſuetudines & jura Germanorum, inter quæ erant feuda; hæ vero non niſi legibus Romanis uterentur, in quibus nullum veſtigium juris feudalis. Verum ſucceſſu temporis ad omnes provincias jus Regaliæ protractum. Inſuper hoc jus ab initio olim tantum ad bona feudalia, poſtea vero etiam ad decimas, omnesque reditus ſacros extenſum fuit. Fundamentum quærebant Galli, cum in jure cuſtodiæ ſeu Patronatus, quatenus Reges erant defenſores bonorum Eccleſiæ, tum in jure ſpolii Sæc. VII. VIII. & IX. uſitato, vi cujus poſt mortem Epiſcopi & aliorum Clericorum ipſorum domus expilatæ fuerunt, & exſpoliatæ. Atque hoc jus ſpolii adhuc Sæc. XI. & XII. quidquid contradixerint Pontifices, & Concilia, fuit in uſu, & facilem aperuit viam ad Regaliam. Succeſſu temporis protenſa fuit Regalia etiam ad collationem beneficiorum, cui abuſui occaſionem præbuere Canoniſtæ, quippe qui collationem beneficiorum inter *fructus beneficiales* numerabant. Ajunt hanc collationem jam Sæc. XII. obtinuiſſe. Huic Regaliæ fines poſiti ſunt in Concil. *Lugdunenſi II.*, cujus decretum refertur in cap. 13. *de Elect.* in 6., & ſtatutum, ne Regalia in alias Eccleſias, ubi uſu recepta non eſt, extendatur: in aliis vero Eccleſiis, ubi viguit, non tam probata, quam tolerata eſt. Diſputant authores, an in hoc decreto Regalia quoad collationem beneficiorum fuerit ſublata? probabilius eſt, non eſſe abſolute ſublatam, ſed toleratam, eo quod Legati Galli ſe fortiſſime oppoſuerint.

Fuit extenſum ad collationem beneficiorum & quomodo?

Quid deſuper in Concil. Lugdun. II. diſpoſitum?

Quantopere hoc jus Regaliæ fuerit extenſum ad omnia beneficia etiam

Elapſo ſæculo etiam ad

beneficia curata extenſum contradicente Pontifice. etiam curata, elapſo potiſſimum ſæculo contradicentibus Pontificibus, & ipſis etiam Epiſcopis Galliæ dici non poteſt. De quo vid. Van Eſpen. part. 2. Tit. 25. cap. 8. Illud unicum nobis explicandum ſupereſt, qua nempe ratione Regalia *aperiatur*, & *claudatur*. *Aperitur*, quamprimum per mortem Epiſcopi ſedes vacat, & manet *aperta*, quouſque novus Epiſcopus præſtito juramento, ac literis regiis obtentis, & regiſtratis & manus regiæ levatione facta poſſeſſionem *per ſe* accipit, quo facto Regalia clauditur, ſive jus Regium tam quoad diſpoſitionem proventuum, quam beneficiorum collationem extinquitur, & plenaria diſpoſitio Epiſcopo defertur. Huic juri ſolemniſſime renunciavit Fridericus II. in Aurea Bulla de libertate eccleſ. an. 1213. Egræ data, quam refert Vitriarius (o).

Quomodo aperiatur & claudatur.

Quid ſit jus ſpolii? Obiter mentionem fecimus de *jure ſpolii*, quod per plurima ſæcula duravit in Eccleſia, & in hodiernum usque diem quemdam in quibusdam Diœceſibus & Eccleſiis uſum habet, quin ex integro eliminari potuerit, eſto Pontifices eidem eliminando & proſcribendo omnem operam impenderint, & Imperatores ipſi eidem ſolemniſſime renuntiaverint. Eſt igitur *jus ſpolii* nihil aliud, quam jus diripiendi, ſibique appropriandi bona relicta Eccleſiarum vacantium, & Clericorum decedentium. De hoc jure ſpolii fuſiſſime ſcribit Thomaſſinus part III. lib. 2. a cap. 51. usque ad cap. 58. e quo ſicut & aliis Scriptoribus neceſſariæ notitiæ hauriendæ cauſa pauca afferemus.

Origo illius, & progreſſus per omnia ſæcula. Originem illius deducit Thomaſſinus ex primis quinque Eccleſiæ ſæculis, ubi oſtendit, quod jam ante Concilii Chalcedonenſis tempora Clerici ſpolia, vel potius bona Epiſcoporum decedentium diripere cœperint, ab ævo Clodovæi usque ad Caroli M. tempora Epiſcopi & Archidiaconi Abbatiarum, Parochiarum, & omnium Eccleſiarum ſibi ſubditarum bona invaſerint, reſcriptis Principum ſeſe munientes, ac ſub prætextu ea in pios uſus convertendi & ad communem Cleri menſam applicandi, quippe quod iſta ex Eccleſia Cathedrali, tanquam rivuli ex fonte profluxerint; ſæculo nono Clerici poſt Epiſcopi mortem non raro ædes Epiſcopales diripuerint, Magnates item temporalia illius invaſerint, ac ſurripuerint, Abbates, quidquid a Prioribus Obedientiariisve congeſtum fuit, ad ſe revocaverint; ac demum ultimis ſæculis ipſi etiam Pontifices *jus ſpolii* tempore ſchiſmatis Avenionenſis inter Urbanum VI. & Clementem VII. exercere incœperint, quorum primus fuit Clemens VII., qui quod exſors eſſet patrimonii Romanæ Eccle-

Sero illud exercere incœperunt Pontifices, ex quibus primus exercuit Clemens VII.

(o) Lib. I. Tit. II. pag. 67.

Digitized by Google

Eccleſiæ in Italia, quippe Avenione ſedens, tum pinguia beneficia, tum ſpolia Epiſcoporum Abbatumque morientium ſibi contradicente Univerſitate Pariſienſi reſervavit. Quæ in Gallia deſuper acta fuerint, videantur in Thomaſſino cap. 57.

Mala ex jure ſpolii innumera.

Quæ mala *jus ſpolii* invexerit, quantopere Synodi & Pontifices illud evertere contenderint, quis dicere ſufficiat? ipſos etiam Imperatores & Principes *jus ſpolii* uſurpaſſe, docent documenta indubitatæ fidei. Sufficiant in hanc rem Diplomata ſolemnium renuntiationum Imperatorum. Renuntiavit huic juri Otto IV. anno 1198, uti liquet ex Diplomate apud Schatenium (p), ubi ita: *præterea conſuetudinem minus decentem, quam Fridericus Imperator contra juſtitiam introduxerat, ſcilicet quod decedentibus Principibus, eccleſiaſticis videlicet perſonis, quemadmodum Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis & Præpoſitis, eorum ſupellectilem ſibi violenter uſurpavit, penitus abolemus, nec a nobis, nec a noſtris ſucceſſoribus retractandam.* In alio diplomate apud eundem Schatenium de anno 1210. idem confirmat Otto IV. dicens: *illum quoque dimittimus, & refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam eccleſiarum vacantium noſtri conſueverunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis* (q). Eandem renuntiationem & abrogationem confirmavit Fridericus II. in diplomate de anno 1216., quod legitur apud Toelnerum in hiſt. Palatinat. ubi ſic habetur: *ideoque veterem illam conſuetudinem deteſtantes, quam anteceſſores Romani Imperatores & Reges in Cathedrales exercuerunt Eccleſias & Abbatias, quæ manu regia porriguntur, quod videlicet decedentibus Epiſcopis & Prælatis non tam reliquias rerum mobilium eorundem conſueverunt occupare & convertere in uſus proprios occupatas, quam etiam reditus & proventus per totius anni curriculum ita prorſus auferre, ut non poſſint ſolvi debita decedentis, nec ſuccedenti Prælato neceſſaria miniſtrare* (r).

Eidem ſolemniter renuntiarunt Imperatores Otto IV. & Fridericus II.

Eſt jus antiquiſſimum.

Ex his in compendio dictis conſtat, *jus ſpolii*, ſi tamen *jus* dici mereatur, eſſe antiquiſſimum, a Pontificibus, Epiſcopis, Capitulis, Abbatibus, Clericis, Imperatoribus, Regibus & Principibus exercitum, & uſurpatum; eidem contradixiſſe Synodos, Canones, Pontifices, & totam quantam puriorem diſciplinam eccleſiaſticam, vi cujus bona a defunctis Clericis relicta ad Eccleſiam & ſucceſſores devolvebantur.

 Qua-

(p) Lib. IX. annal. Paderborn. ad annum 1198.
(q) Loc. cit. pag. 956.
(r) Vid. Boehmer Jur. Eccleſ. ad Tit. de elect. §. 64.

Utrum jus ſpolii ſalvo jure divino & eccleſiaſtico defendi valeat?

Quapropter merito ſubſiſtunt Scriptores tenerioris conſcientiæ, ac ſanioris Theologiæ, utrum *jus ſpolii* ſalvo jure divino & eccleſiaſtico defendi poſſit: niſi rerum circumſtantiæ in ſubſidium aſſumantur, quas in rebus aliis ſimilibus jura eccleſiaſtica & diſciplinam eccleſiaſticam concernentibus e. g. in communione bonorum ſublata, in conſtitutione Epiſcoporum per poteſtatem ſæcularem, in convocatione Synodorum per Imperatores, in jure Regaliæ conſiderare debemus, in quibus ad prudentem Eccleſiæ æconomiam confugere neceſſum habemus, ut jus divinum & eccleſiaſticum ſalvemus. Ex jure ſi non divino, ſaltem apoſtolico habemus communionem bonorum, qualiſcunque illa fuerit, cum qua aliunde *jus ſpolii* combinari non poteſt. Ex jure eccleſiaſtico bona Epiſcoporum & Clericorum ſunt patrimonium Chriſti & pauperum, adeoque in pias cauſas eroganda. Bona defunctorum penes Eccleſiam manere, vel ſucceſſoribus extradi debent: quis jam hæc jura cum *jure ſpolii* conciliabit? Profecto facillimum foret hujus juris injuſtitiam ſaltem in theſi demonſtrare, quamvis in hypotheſi haud ſecus ac *jus regaliæ*, aliaque huic ſimillima defendi & excuſari poſſit.

Adhuc hinc inde viget,

Jus iſtud ſpolii ut plurimum eſt abrogatum: in quibusdam Diœceſibus & Eccleſiis hinc inde vigere ſcimus. In quibusdam præcipue Eccleſiis & Capitulis Cathedralibus ex integro abrogari non potuit, quin adhuc ſuperſint quædam reliquiæ, quatenus Canonicis, qui olim *jus ſpolii* exercuerunt, mortuo Epiſcopo in vim hujus juris ſpoliandi certi reditus vel ſemel tantum poſt mortem Epiſcopi, vel ſingulis annis percipiendi, ſunt aſſignati.

§. IX.

Jura Metropolitica & Epiſcopalia ad Sæc. usque IX. mirum in modum diminuta.

Hactenus de nexu inter Pontifices & Imperatores maxima ex parte diſſoluto egimus. Jam de nexu Hierarchico inter Pontifices & Epiſcopos mirum in modum immutato agendum. Profecto ſi jura Metropolitica & Epiſcopalia, quæ Præſules Eccleſiæ ad Sæc. usque IX. exercuerunt, cum hodiernis comparemus, fateri neceſſum erit, quod illorum minima pars ſupereſſe videatur. Cauſam hujus immutationis ſi inquiramus, eam neceſſario refundere debemus in ſchiſmata, quæ inter Imperatores & Pontifices labentibus hisce Sæculis interceſſerunt frequentiſſima, ab illo potiſſimum tempore, quo controverſia de Inveſtituris per annulum & baculum acerrime fuit agitata. Memoria recolamus ſchiſma inter Ottonem M. & Joan. X. An non Otto plures in ſuas partes traxit Germaniæ Epiſcopos, qui in Synodo Romana ab Imperatore celebrata Joannem X. exauthorarunt, & Leonem VIII. in

In cauſa fuere ſchiſmata, lites, & tumultus inter Pontifices & Imperatores.

ſedem

Digitized by Google

ſedem epiſcopalem velut intruſerunt? An non Henricus IV. in controverſia cum Gregorio VII. in cauſa Inveſtituræ per annulum & baculum acerrime agitata ferme omnes Archi-Epiſcopos & Epiſcopos ſibi aſſiſtentes habuit, ita ut vix tres Germaniæ fuerint Epiſcopi, qui partibus Pontificis adhærerent (s)? ut quid ergo mirum, quod Pontifices juribus epiſcopalibus arctiores limites poſuerint, quatenus hoc modo eos in ſuo officio continerent, occaſionem ſchiſmatum tollerent, & nexum Hierarchicum in Eccleſia conſervarent? utinam hæc & his ſimilia per exempla fuſius demonſtrare liceret! Jam pleraque mutationum capita breviter recenſere liceat.

§. X.

Collectio pſeudo-Iſidoriana in cauſa fuit mutatæ diſciplinæ eccleſiaſticæ.

In quibus fuerit facta mutatio?

Ex quo Collectio pſeudo-Iſidoriana, cui inſertæ erant epiſtolæ ſpuriæ antiquorum Pontificum usque ad Siricium, promanavit in lucem publicam, ea diſciplinæ eccleſiaſticæ mutatio facta fuit, ut Scriptores celeberrimi ſcribere non dubitent, ab eo tempore *Novum Jus Eccleſiaſticum* invaluiſſe in Eccleſia: quum enim in illis epiſtolis quam plurima jura quondam ab Epiſcopis & Metropolitis libere exercita Pontificibus adſcribantur, hi nihil antiquius habuerunt, quam ut receptionem hujus collectionis Epiſcopis perſuaderent. Quo facto jam Synodi particulares deſinere, & quam plurimæ cauſæ olim a Synodis deciſæ ad tribunal Pontificis devolvi cœperunt. Itaque frequentiſſimæ jam fiebant appellationes ad Sedem Romanam cum diſpendio Juriſdictionis Epiſcopalis & Metropoliticæ. Pontifices ergo cauſas ad ſuum tribunal delatas vel per ſe, vel per ſuos Legatos, & ſæpius Judices delegatos velut in prima inſtantia decidere conſueverunt. Hujusmodi delegationes Sæc. potiſſimum XIII. fuiſſe frequentiſſimas ex libris Decretalium Greg. IX. diſcimus, in quibus ſit frequentiſſima mentio reſcriptorum, quæ Pontifices Alexander III. & Gregorius IX. ſub variis clauſulis ad judices a ſe delegatos dederunt (t). Equidem jam a tempore Synodi Sardicenſis, in qua provocationes ad Pontificem fuere approbatæ, non raro Pontifices dabant Judices delegatos. Verum hos inter & hodiernos ingens erat diſcrimen: nam non erat in arbitrio Pontificis

Frequentia delegationum juriſdictionis.

(s) Hos inter qui Pontifici adhæſerunt, fuit Gebhardus Archi-Epiſcopus Saliſburgenſis.

(t) Vid. varia reſcripta ad Tit. de reſcript. & ad Tit. de offic. & pot. deleg. quæ ferme omnia ſunt Alexandri III. & Innocent III.

Digitized by Google

tificis qualescunque dare Judices delegatos, ſed dandi erant Judices delegati *vicini*, neque his competebat facultas cauſas abſolute decidendi, ſed *reformandi & retractandi*, neque aliter ad tribunal Pontificis provocare licebat, niſi poſtquam cauſa prius in Synodo particulari fuerat diſcuſſa (u).

§. XI.

Reſervatio cauſarum majorum a Pontificibus facta.

Inde ulterius factum eſt, ut Pontifices jam plures cauſas, quas ſolemus vocare *Majores*, & antiquitus vel ab Epiſcopis, vel a Synodis ultimato judicio terminatas ſcimus, ſibi ſuoque judicio terminandas reſervaverint, quarum paucas tantum hic referre placuit. Tales ſunt Canonizatio Sanctorum per Alexandrum III. ſibi ſuisque Succeſſoribus (x), depoſitio Epiſcoporum a Nicolao I., confirmatio, & translatio Epiſcoporum Pontifici reſervatæ &c. Verum de his reſervationibus alibi fuſius egimus (y).

§. XII.

Privilegia & exemptiones Monaſteriorum, Congregationum & Ordinum Religioſorum turbarunt nexum Hierarchicum in Eccleſia.

Nexum Hierarchicum inter Pontifices, Epiſcopos & Abbates non modice turbarunt privilegia & exemptiones variis Eccleſiis, Ordinibus, Congregationibus, & Monaſteriis indultæ, quibus neceſſario commoveri, turbarique debuere Epiſcopi, utpote quorum juriſdictioni Monaſteria, Abbates, & Monachi a tempore Concilii Chalcedonenſis fuerunt ſubjecti: quamvis enim varia privilegia jam in Sæc. VI. & VII. Monaſteriis conceſſa legamus, ea tamen neutiquam Abbates, eorumque Monaſteria juriſdictioni Epiſcoporum ſubtrahebant, ſed potius regimen monaſticum, liberam Abbatum electionem, exemptiones a variis oneribus per Epiſcopos impoſitis concernebant. Aliæ exemptiones, quales hodie dantur, ſuum ortum habuere ex impotenti quorumdam in monaſteria authoritate & Imperio, & Sæc. X. jam fiebant. Videantur, quæ de hac ipſa re fuſius alibi diximus (z).

§. XIII.

Pontifices frequentiores

Equidem Pontifices ſemper miſerunt ſuos Legatos. Attamen a tem-

(u) Vid. dicta cap. 2. huj. Quæſt.
(x) Tom. I. Quæſt. IV. de Pontif. cap. 1. §. 22.
(y) In Diſſert. de Statu Eccleſ. cap. 2.
(z) Ead. Diſſert. cap. 2.

Digitized by Google

tempore Nicolai I. eorum miſſio facta fuit frequentior, & ipſi Legati majori cum authoritate, poteſtate & Imperio mittebantur. Inde factum eſt, ut Legati limites ſuæ poteſtatis non raro excederent, jura & judicia epiſcopalia mirum in modum turbarent, beneficiorum collationes Epiſcopis eriperent, omniaque ſusque deque verterent, & hoc modo nexum Hierarchicum neceſſario violarent. Quare mirum non eſt, quod Imperatores & Reges tot in Conciliis etiam Generalibus contra ipſos moverint querelas & gravamina, quibus magna ex parte fuit ſubventum. Etiam in hac materia appellamus ad noſtram Differt. de Statu Eccleſiæ, ubi hæc diſtinctius expoſuimus.

miſerunt Legatos.

Legatorum exceſſus, & querelæ contra ipſos.

§. XIV.

Erat olim arctiſſimus nexus inter Epiſcopos, & Capitula, dum adhuc Canonici vitam communem inſtituto Crodogangi Metenſis Epiſcopi conformem agebant. At vero, poſtquam Canonici vitæ communis pertæſi ſe ſuaque bona a menſa Epiſcopi ſepararunt, factum eſt ulterius, ut varia quoque jura ſibi attraherent, jamque ſeparatum corpus inſignibus juribus præditum conſtituerent: qua ratione nexum anteriorem vehementer fuiſſe turbatum nemo eſt, qui non videat. Eatenus tamen nexus iſte fuit conſervatus, quatenus adhuc Epiſcopus cum Capitulo unum corpus conſtituit, & ipſe eſt Caput, Canonici vero manent membra hujus corporis (a). Interim tam jura Metropolitica, quam Epiſcopalia non modicum exinde ſubiiſſe diſpendium vel ex eo liquet, quod jam ſede vacante ad Capitula tranſeat regimen Eccleſiæ, quod olim tenuit Metropolita; ſede autem plena capitula veniant in participium plurium jurium epiſcopalium, & inter alia ſaltem in pluribus Germaniæ Eccleſiis jus conferendi Canonicatus ſibi ſolis privative excluſo Epiſcopo contra antiquiſſimam Eccleſiæ praxin, conſuetudinem, & traditionem in ipſo jure divino fundatam, & per XII. Sæcula continuatam vindicaverint, de quibus vid. dicta in Differt. de Statu Eccleſiæ.

Vitæ communis diſſolutio diſſolvit nexum inter Epiſcopos & Capitula.

Aliqualiter tamen ille nexus fuit conſervatus.

Inde jura Metropolitica & Epiſcopalia non leve ſubierunt diſpendium.

§. XV.

Olim jus eligendi Epiſcopos ad Metropolitam, Epiſcopos comprovinciales, Clerum & populum, interveniente tamen a Sæculo V. authoritate Regum & Imperatorum pertinuiſſe, res eſt notiſſima. Etiam hæc diſciplina labente hoc ævo mutationem ſubiit, & ab electio-

Diſciplina eccleſiaſtica quoad electiones & jus eligendi Pontifices & Epiſcopos varias ſubiit mutationes.

(a) Vid. cap. 4. de his, quæ fiunt a Præl. ſine conſ. cap.

ctionibus clerus & populus ſucceſſive fuit excluſus. Et quidem loquendo de electionibus Pontificum, nullæ fuere turbulentiores, nullæ tot expoſitæ periculis, nullæ frequentius per interventum Regum & Imperatorum turbatæ ac iſtæ. Jam Sæc. V. Gothorum Reges Odoacer, Theodoricus, & Theodatus jus eligendi ſibi arrogare attentarunt. Sæc. VI. Juſtinianus devictis Gothis illud ipſum jus ſibi adſcripſiſſe fertur: a tempore Zachariæ Papæ usque ad Stephanum V. liberæ erant electiones Pontificum ſumma cum libertate eligentium peractæ. Ludovicus Pius eandem libertatem communivit ea ſub conditione, ut poſt conſecrationem ſuam novus Pontifex Legatos ad ipſum mitteret. Tentatum dehinc ab Imperatoribus Occidentalibus, ut electus Pontifex ante obtentam confirmationem ab Imperatore conſecrationem non reciperet, id quod tandem obtinuerunt tempore Joannis IX. Sed nec iſtud Ottoni M. ſufficiebat, qui a populo Romano id etiam extorſit, ut ſe juramento obſtringeret, quod Pontificem eligere nolit, niſi prius obtento conſenſu Imperatoris (b). Ab eo tempore tumultuoſæ, turbulentæ, ſcandaloſæ, & extortæ erant electiones Pontificum, & plurium ſchiſmatum incentivæ. Tandem Gregorius VII. liberas electiones vindicare, easque e manibus Imperatorum extorquere totis viribus nitebatur, & quod ipſe efficere non poterat, effecere illius ſucceſſores Nicolaus II. & Alexander III., quorum primus jus eligendi vindicavit Collegio Cardinalium, ita tamen, ut adhuc intervenirent Clerus & populus, donec Alexander III. excluſo cætero Clero & populo illud ſolis Cardinalibus adſcripſerit (c).

Pontifices jus eligendi ab Imperatoribus uſurpatum e manibus illorum extorſerunt.

Jus eligendi Epiſcopum venit ad Capitula.

Similia fata ſubierunt Eccleſiæ cæteræ in electionibus epiſcoporum, donec ſucceſſive jure conſuetudinario potius, quam ſcripto jus eligendi privative ad Capitula Cathedralia fuerit devolutum, id quod Sæc. XIII. jam pleno jure fuiſſe Capitulis ſtabilitum, inde colligimus, quod Innocentius III, in omnibus ſuis reſponſis & reſcriptis, in quibus de jure eligendi agit, de hoc jure tanquam perfecte quæſito loquatur. Certam eligendi formam in electionibus Epiſcoporum idem præſcripſit Innocentius (d); paulo aliam in electionibus Pontificum Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi (e). Et quidem jure optimo excluſi ſunt ab

Certa eligendi forma ſtatuitur.

(b) Vid. Thomaſ. part. I. lib. II. cap. 23. & ſeq.

(c) Prout habet Onuphrius in illius vita dicens: *Ex hujus rei occaſione Clero, ac populo a Pontifice electione omnino excluſis ea ad Cardinales ſolos tunc primum redacta fuit.*

(d) Cap. 42. de elect. (e) Cap. 6. de elect. in 6.

Digitized by Google

Imperatores & populus jure ab electionibus excluſi.

ab electionibus tam Imperatores, quam Clerus & populus: illi quidem, quod jus interveniendi electionibus, easque confirmandi neque ex ſcriptura, neque ex traditione ipſis competierit, & religioſiores Imperatores electiones omnino liberas eſſe voluerint, atque poteſtas Imperatorum interveniens teſte experientia illas omnino fecerit tumultuoſas, ſcandaloſas, ac Eccleſiis acciderit ſumme nociva. Iſti vero, quod aucto fidelium numero convocari ſine graviſſima difficultate vix poſſint, ſæpe carni, ſanguini & privatis paſſionibus litare conſueverint, non raro vi, metu, vel præmiis ad electiones iniquas faciendas induci valeant, ſæpe diſcordiis ac partium ſtudiis ad rixas usque, bellum, & cædes electiones turbaverint, habeantque judicium inconſtans, varium, multisque errandi periculis, ac paſſionibus obnoxium.

§. XVI.

Jus confirmandi Epiſcopos olim pertinuit ad Metropolitas.

Aliam etiam hoc ævo introductam ſcimus diſciplinam in confirmationibus Epiſcoporum. Olim jus confirmandi & quidem per 12. vel 13. ſæcula pertinuit ad Metropolitas, vel horum, ſervato nempe ordine, ſuperiores. Pedetentim Pontifices ad ſe traxerunt, & tandem ſibi ſolis reſervarunt, illiusque confirmationem ex ipſis Germaniæ Concordatis obtinuerunt. Atque hoc ipſum eſt, quod in hodiernam usque diem ægre habet, & habere debet Metropolitas, quod margaritam illam pretioſiſſimam, qualem jure optimo dixeris *jus confirmandi*, amiſerint, jamque amiſſam deplorare debeant. De hoc jure fuſius egimus in Diſſert. de Statu Eccleſiæ cap. 2.

§. XVII.

Jus conferendi Beneficia pertinet ad Epiſcopos, qui per XII. Sæcula illud exercuerunt.

Inter alia jura poteſtati ordinis, ac jurisdictionis epiſcopalis velut appendix ex jure naturali & divino annexa jure optimo recenſeri meretur *jus conferendi beneficia* per diœceſes ſuæ curæ paſtorali commiſſas. Nam ad quem alium in omni republica bene ordinata pertinet diſpenſatio officiorum & munerum, niſi ad Imperatores & Magiſtratus? & cujus plus intereſt, quales conſtituantur inferiores Magiſtratus, in quos partem ſuæ ſolicitudinis conjicere debet, quam Imperantis? Et quidem jus iſtud Epiſcopi ferme per XII. ſæcula liberrime exercuerunt, usquedum Pontifices illud per ſua mandata apoſtolica, & gratias exſpectativas, & demum reſervationes tam particulares, quam univerſales plurimum diminuerunt. Primus, qui ſimiles fecit reſervationes, fuit Hadrianus IV. Sæc. XII. Pontifex, qui ab Epiſcopis & Capitulis petiit

Pontifices per mandata apoſtolica, gratias exſpectativas, & reſervationes illud diminuerunt.

petiit quasdam præbendas, & dignitates, ut eas Viris de Eccleſia bene meritis conferre valeat (f). Illius veſtigia ſecutus eſt Alexander III. qui jam mandata apoſtolica mirum in modum multiplicavit. Ab initio agebant precibus, poſtea præceptis, & demum executionibus: & hinc triplicis generis mandata expedire conſueverant, nempe *hortatoria*, *præceptoria*, *& executoria*; & ſub variis clauſulis, nempe ſub *forma pauperum*, item *cum ſecundum Apoſtolum* &c. Hæc mandata apoſtolica ſecutæ ſunt reſervationes generales, quarum primam fecit Clemens IV. qui Sedi Apoſtolicæ reſervavit omnia beneficia apud Sedem apoſtolicam, vel in curia Romana vacantia (g). Hujus veſtigia ſecuti ſunt Joannes XXII. & Benedictus XII. (h), de quorum tamen reſervationibus opportunior agendi locus erit in Diſſert 2., quam meditamur, utpote in qua nobis de Concordatis Germaniæ erit agendum. Quos tumultus, & querelas hæ gratiæ exſpectativæ, & reſervationes apud omnes ferme Nationes excitaverint, paucis non poteſt dici, & explicari. Sed de hoc ipſo etiam loc. cit. agere conſtituimus.

§. XVIII.

Pontifex habet jus ampliſſimum conferendi beneficia ex jure primatus.

Quæ in hoc §. dilucidanda forent, jam §. præc. præoccupavimus. Hoc unicum addendum, quod Pontiſex incircumſcriptum ſuum jus diſpenſandi, & conferendi beneficia ex ipſo jure primatus derivet, ſibique jus tam præventionis, quam concurſus vindicet, vi cujus vel jus Epiſcoporum antevertere, vel cum illis in exercitio juris conferendi Beneficia concurrere poteſt. Verum an revera Chriſtus Dominus ipſis adeo amplam, illimitatam, irreſtrictamque poteſtatem diſpenſandi cum præjudicio Epiſcoporum, quos non minus in partem ſolicitudinis ad regendas ſuas Eccleſias Epiſcopales, quam Pontificem ad regimen univerſale Eccleſiæ vocavit, conceſſerit, tanto magis dubitare ſolent Doctores etiam Catholici, quanto evidentius eſt, quod hujusmodi uſus illimitatus potius in deſtructionem quam ædificationem Eccleſiæ vergeret, neque ſufficienter conſultum foret bono tam univerſalis Eccleſiæ, quam Eccleſiarum particularium. Qua enim ratione Pontifex in innu-

(f) Illius epiſtolam recitat eruditiſſimus Barthel in Diſſert. de Concor. Germ. ſect. 3. N. 3.
(g) Cap. 2. de Præb. in 6.
(h) Extrav. execrab. Joan. XXII. de Præb. & Extrav. ad Regimen inter communes eod.

Digitized by Google

innumeras graviſſimorum Eccleſiæ, cujus ingentem molem ſuis humeris incumbentem ſuſtentat, negotiorum curas & ſolicitudines diſtentus omnibus & ſingulis eccleſiis particularibus per univerſum orbem Catholicum diffuſis omnem meliorem in modum conſulat? quarum neque neceſſitates, neque conſuetudines perſpectas habet. Hæc ſublimiori judicio expendenda relinquimus.

§. XIX.

Mutatio diſciplinæ eccleſiaſticæ in judiciis eccleſiaſticis.

Ipſa etiam judicia eccleſiaſtica mutationem ſubierunt, non ideo duntaxat, quod audientiæ epiſcopali innumeræ cauſæ eccleſiaſticæ fuerint ſubtractæ, & ad tribunal Pontificis devolutæ, ſed ideo vel maxime, quod ipſa judiciorum forma fuerit immutata. Erant antiquitus judicia eccleſiaſtica mera arbitria, ſine ſtrepitu forenſi de plano & ſimpliciter ſecundum æquum & juſtum, ſecundum jus divinum & eccleſiaſticum inſtituta, neque forum internum ab externo fuerat ſeparatum, ita ut alius fuerit judex eccleſiaſticus pro foro externo, & alius pro interno. At vero ubi Jus Civile in ſcholis publicis Bononiæ & Pariſiis circa Sæc. XII. doceri fuit cæptum, & huic diſcendo ipſi etiam Clerici ſuam navarunt operam, jam forma judiciorum antiqua fuit immutata, judicia cum ſtrepitu forenſi & ſolemnitatibus fuere exercita, forum internum ab externo ſeparatum, jamque alius conſtitutus fuerat judex pro foro externo, & alius pro foro interno. Graviter deſuper conqueſtus fuit S. Bernard. in epiſt. ad Eugenium Pontif., in qua queritur, quod in judiciis & tribunalibus Pontificis potius perſtrepant leges Juſtiniani, quam Canones Eccleſiæ. Inde venit, quod Epiſcopi ſuas vices commiſerint Vicariis Generalibus, antea in Eccleſia incognitis, ut ipſorum nomine cauſas eccleſiaſticas ad ſuam audientiam delatas deciderent: quum enim Epiſcopi plerumque jurium minus fuerint periti, neceſſum habuerunt Viros idoneos & in jure peritos aſſumere, ut ſuas vices ſupplerent. Ex hac immutatione veteris Eccleſiæ diſciplinæ in judiciis eccleſiaſticis, & aſſumptione formæ judicialis civilis id mali perpeſſa eſt Eccleſia, quod plures cauſæ non modo eccleſiaſticæ, quæ aliunde ad forum eccleſiaſticum pertinebant, ſed etiam civiles, quas ex conſtitutione Imperatorum (i) foro eccleſiaſtico ſubjicere licuit, eidem ſubtractæ, & foro civili fuerint ſubjectæ.

Queritur contra S. Bernardus.

Dd 2 §. XX.

(i) L. 7. & 8. Cod. de epiſt. audiend.

§. XX.

Recenſentur Synodi particulares Germaniæ Sæc. IX.

Juvat jam Synodos particulares magis præcipuas in Germania labentibus hisce Sæculis celebratas ſimpliciter ſine ulteriori exegeſi referre, & quaſdam ex Sæculo IX. in anteriori capite prætermiſſas adjungere. Recenſebimus eas, prout eas in Joanne Douiat, & Pfaffio reperimus, minime dubitantes, quod ambo quaſdam prætermiſerint, vel non ſat accurate recenſuerint. Interim nobis eorum defectum ſupplere ob temporum circumſtantias ſeu potius anguſtias permiſſum non eſt. Itaque ad Sæc. IX. pertinet Synodus Confluentina an. 860. coram Hincmaro Rhemenſi, aliisque novem Præſulibus & triginta tribus ex utroque Regno Trans-& Cisrhenano Comitibus confluentibus celebrata; Synodus Colonienſis an. 887. ex conſenſu Caroli Craſſi Imperatoris a Wiliberdo Archi-Epiſcopo, & Epiſcopis quatuor Provincialibus; & Moguntina an. 888. occaſione inaugurationis Arnulphi Germaniæ Regis; item Triburienſis an. 895. congregata. Sub Imperatoribus Germanicis celebratæ ſunt ſequentes Synodi, nempe Altheimenſis an. 916. ex univerſa Germania Præſidente Legato Joannis X. Epiſcopo Hortenſi habita; Erfordienſis tempore Henrici I. Aucupis, & Joan. XI. Pontif. cui interfuere duo Archi-Epiſcopi Hildebertus Moguntinus, & Rudgerus Trevirenſis cum aliis undecim Epiſcopis; Ingelheimenſis valde celebris & anno 948. in præſentia Marini Epiſcopi Legati Pontificii, Ottonis I. Imperat. Archi-Epiſcoporum Colonienſis, Moguntini, Trevirenſis, Rhemenſis & 26. Epiſcoporum; Salegunſtadienſis Salegunſtadii ad Mœnum in Diœceſi Moguntina an. 1022. ſub regimine Benedicti VIII. Pont. & Henrici II. Imperat. ab Aribono Archi-Epiſcopo Moguntino & quinque Epiſcopis comprovincialibus; item alia Moguntina tempore Henrici III. ſub Leone IX, confluentibus quinque Archi-Epiſcopis eorumque Suffraganeis Epiſcopis 1049.; ac demum alia Synodus Moguntina an. 1085. celebratæ. Atque hæ ſunt illæ Synodi, quas citati Authores nobis ſuppeditarunt, & quarum accuratiorem explicationem aliis relinquimus. Poſtquam hæc jamjam ſcripſimus, in lucem publicam emerſit nova collectio Conciliorum Germaniæ P. Joſephi Hartzheim in tres Tomos diviſa, ex qua prætermiſſa a nobis ſunt ſupplenda.

§. XXI.

Recenſentur collectiones Juris Eccleſiaſtici.

Ex quo collectio pſeudo-Iſidoriana tanto cum applauſu Romæ recepta, poſtea etiam Gallis & Germanis tantopere commendata, & per

per hæc regna civitate fuit donata, dubium non eſt, quin jus antiquum, quo Eccleſiæ Germanicæ & Gallicæ anterioribus Sæculis fuerunt uſæ, exoleverit, & jus novum ſubintraverit. Inde eſt, quod DD. Gallicani, prout ſupra monuimus, a tempore editæ Collectionis pſeudo-Iſidorianæ novum Jus eccleſiaſticum auſpicentur. Plures hoc tempore in lucem publicam emerſerunt Collectiones, præcipue Reginonis Abbatis Prumienſis juſſu Radbodi Archi-Epiſcopi Trevirenſis an. 906. adornata, Burchardi Wormatienſis an. 1020. & Ivonis Carnotenſis circa finem ejusdem Sæculi in lucem edita, quibus authores addunt alias Collectiones minus celebres, Anſelmi Lucenſis, cujusdam Presbyteri Cardinalis, nomine DEus dedit, & collectionem ſub nomine Polycarpi, cujus author fuiſſe ſcribitur Gregorius Presbyter Hiſpanus Eccleſiæ Compoſtellanæ. Subſequebatur Sæc. XI. circa an. 1152. Decretum Gratiani, Libri 5. Decretales Gregorii IX. an. 1230. congeſti, Liber ſextus Decretalium Bonifacii VIII. circa annum 1300. editus, Clementinæ Clementis V. per illius Succeſſorem Joannem XXII. an. 1317. publicatæ, & demum extravagantes Joan. XXII. & aliæ *communes* dictæ. An, & qualem uſum habuerint præfatæ Collectiones, ſaltem aliquæ, in Germania, non ſat conſtat. Quoniam vero de his Collectionibus fuſiori calamo egimus Tom. II. Quæſt II., hic ab ulteriori earum explicatione eſſe ſuperſedendum duximus.

§. XXII.

Quamplurima notatu digna hisce contigerunt Sæculis, quæ ad Statum Eccleſiarum Germanicarum pertinere videntur, qualia ſunt Cruciatæ pro recuperanda terra ſancta, tot Ordines Religioſi & Congregationes noviter ſundatæ, qui tot ſunt, ut vix in numerum cogi valeant, origo Theologiæ Scholaſticæ, & Academiarum, magnum Interregnum, origo Electorum Imperii in Interregno natorum, & ſexcenta alia, quæ vel obiter attingere ob temporum circumſtantias non licet.

CAPUT VI.

DE

Jure Eccleſiaſtico Particulari Germaniæ.

§. I. *Quo Jure Eccleſiæ Germanicæ & Gallicæ uſæ fuerint usque ad Collectionem Iſidorianam, & II. ab hoc tempore usque ad Sæc. XIV.* III. *Quid*

Digitized by Google

Quid de Collectione Iſidoriana ſit ſentiendum? IV. *Recenſentur in compendio Collectiones & canones, conſtitutiones, pacta, & fœdera, quæ ad Statum eccleſiaſticum Germaniæ pertinent.* V. *De Capitulationibus Francorum.* VI. *De Canone Hadriani Diſt.* 63. VII. *De pacto inter Calliſtum II. & Henricum V.* VIII. *De renuntiatione Regaliæ a Friderico II. facta.* IX. *De variis Conſtitutionibus Imperialibus ad Statum eccleſiaſticum pertinentibus.*

§. I.

Eccleſia latina in quatuor primis ſæculis alio jure uſa non fuit niſi quam ſcriptura traditionibus & obſervantiis.

Inconcuſſa DD. doctrina eſt, quod Eccleſia Latina per prima 4. ſæcula alio jure uſa non fuerit, quam Scriptura, traditionibus, conſuetudinibus & obſervantiis, vel quibusdam canonibus hinc inde per Synodos particulares Eccleſiarum particularium conditis, niſi canones apoſtolicos, illorumque Conſtitutiones in priſtinam ſuam poſſeſſionem authoritatis, qua novioribus temporibus exciderunt, reſtituere, illisque ſuam authentiam vindicare velimus (k). Sæcul. IV. Eccleſia canones Concilii Nicæni cum Sardicenſibus (l) in vim juris eccleſiaſtici aſſumpſit, usque dum Collectio Canonum Orientalis, ſeu Codex univerſalis Eccleſiæ in Concilio Chalcedonenſi in vim regulæ aſſumptus, quo Romam delato juſſit Leo M. novam fieri collectionem, quæ vulgo Occidentalis dicitur, & per 60. & ultra annos ſola viguit in Occidente, donec ad initium Sæcul. VI. acceſſerit Collectio Dionyſii exigui, quæ magno cum applauſu in Eccleſia Romana fuit recepta, ac ſummam in ea obtinuit authoritatem. Subſequentibus Sæculis plures in lucem prodiere Collectiones, e quibus celebriores ſunt Breviarium canonum Ferrandi Diaconi, collectio Canonum una cum Nomocanone Joannis Antiocheni Presbyteri, qui vulgo dicitur Scholaſticus, Panormia Martini Bracarenſis, Collectio Creſconii Epiſcopi Africani, Concordia Canonum dicta. Ut ad Eccleſias Germanicas & Gallicanas veniamus, certum eſt, quod Germania & Gallia canones Nicænos & Codicem univerſalis Eccleſiæ in vim regulæ & normæ aſſumpſerint, & his ſuam diſciplinam externam conformaverint. Nam vel obiter luſtremus præcipua diſciplinæ eccleſiaſticæ capita quoad celebrationem Sy-

Sæc. IV. acceſſerunt Canones Nicæni cum Sardicenſibus.

Poſtea Codex univerſalis Eccleſiæ.

Collectio Dionyſii exigui.

Eodem jure uſæ ſunt Eccleſiæ Germanicæ & Gallicanæ usque ad tempora Hadriani.

(k) Sardicenſes enim canones in ſola Eccleſia Latina fuere aſſumpti, & Canonibus Nicænis per modum appendicis annexi, quæ res magnos excitavit motus apud PP. Africanos ratione appellationum transmarinarum, uti alibi dictum.

(l) De Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis fuſe egimus Tom. I. Quæſt. I.

Digitized by Google

Synodorum, normam judiciorum, adminiſtrationem bonorum, electionem, & confirmationem Epiſcoporum, & quam id verum ſit, facillimo negotio deprehendemus. Atque hujus Collectionis uſum in Gallia & Germania perduraſſe usque ad tempora Hadriani Pontificis & Caroli M. conſtans eſt DD. ſententia. Utrum Collectio Dionyſii in Gallia & Germania viguerit, non convenit inter DD. Petrus de Marca id affirmat, cui tamen plures e ſuis conſodalibus contradicunt, in ſpecie Claudius Fleury, exiſtimans, quod non niſi Sæc. VIII. ibidem obtinuerit, quando Carolus M. eam ab Hadriano Pontifice acceptam ſecum eo detulit (m). Haud ſecus de receptione in Germania dubitant, & valde probabile eſt, quod nec in Germania fuerit recepta: præſertim quum Eccleſiæ Germanicæ cum Gallicanis eo tempore maxime conſpiraverint (n). Cæteras collectiones minus celebres apud noſtros fuiſſe receptas non conſtat. *Utrum Collectio Dionyſii in Germania & Gallia habuerit uſum, dubitatur.*

§. II.

Novum jus eccleſiaſticum auſpicantur Galli a tempore Collectionis Iſidorianæ: eo quod per eam vetus Eccleſiæ diſciplina fuerit peſſumdata. Cæteras Collectiones ab eo tempore editas §. ult. capit. præced. in compendio retulimus. Gallos diu Collectioni Iſidorianæ recipiendæ obluctatos fuiſſe, in præcedentibus diximus. Collectiones tam Reginonis quam Burchardi Wormatienſis, quas ambas in Germania fuiſſe compilatas ſcimus, magnæ profecto authoritatis tam in Germania, quam in Gallia fuiſſe vel ex hoc capite dubitari nequit, quod Regino canones Conciliorum Germaniæ ſedulo collegerit, iisque capitula Cæſarum Germaniæ addiderit, & Archi-Epiſcopo Trevirenſi Rathbodo inſcripſerit; Burchardus Wormatienſis vero aliunde magnæ authoritatis fuerit, & veſtigiis Reginonis preſſo pede inhæſerit (o). Idem dicendum videtur de Collectione Ivonis Carnotenſis. De Decreto Gratiani quid dicamus? illud certe ſummam authoritatem in Germania & Gallia obtinuiſſe tot argumentis evidentiſſimis oſtendi poteſt, ut prudens dubium remanere nequeat. An enim neſcimus, quod Germani tunc temporis magno in numero ad celeberrimas Academias Bononienſem & Pariſienſem confluxerint, ibique Juri utrique ſedulam operam navaverint? An neſcimus, quod Imperatores Germaniæ jam in Sæ-

Novum jus Eccleſiaſticum a tempore Collectionis Iſidorianæ, quam Galli recipere noluerunt. In Germania viguere Collectiones Reginonis, Burchardi, & Ivonis. Præcipue Decretum Gratiani. Argumentis demonſtratur.

(m) Vid. van Eſpen Tom. II. part. III. cap. 1.
(n) Boehmerus ad Tit. de Conſtit. §. 8.
(o) Idem ibid. §. 12.

Digitized by Google

Sæcul. XII. Decretiſtas (p) in ſuo comitatu & aula habuerint, quorum in decidendis cauſis conſilio uterentur? An non & Epiſcopi & Archi-Epiſcopi quoque per Germaniam ſimiles Decretiſtas potius, quam Legiſtas ad decidendas cauſas aſſumpſerunt, poſtquam nempe judicia ſua ad normam juris civilis inſtituere cœperunt? Et quis neſcit, quod Gratianus ſuum decretum potiſſimum ex Collectione Ivonis Carnotenſis & Burchardi Wormatienſis collegerit; Burchardus vero ſuam compilationem præcipue in uſum Eccleſiarum Germanicarum adornaverit? Quum itaque Decretum Gratiani cum Reginonis & Burchardi collectionibus omnino conſpiraret, dubium non eſt, quod illud Germani magno in pretio habuerint, & in ſuos uſus converterint. Praxin hujus Decreti confirmarunt Imperatorum conſtitutiones conſenſu Ordinum Imperii latæ, quarum unam ſub Friderico II. an. 1236. emanatam exhibet Goldaſtus (q); alteram prioris confirmatoriam de anno 1281. ſub Rudolpho datam refert Lehmanus (r). Hæc omnia loquuntur monumenta tam publica, quam privata, quæ paſſim ad iſtud Decretum provocant, prout oſtendit cit. Boehmer (s).

Illud confirmarunt Imperatores.

Eadem fata obtigerunt Decretalibus Gregorii IX. de quibus eo minus dubium eſſe poteſt, quanto certius eſt, quod authoritate Pontificum ſuerint promulgatæ, approbatæ, & per orbem univerſum diſperſæ, & ipſe numerus Canoniſtarum per Germaniam mirum in modum fuerit auctus, imo ipſe Juris canonici proceſſus hinc inde invaluerit, & radices egerit firmiſſimas. In tantam Decretales authoritatem aſcenderunt, ut obſtetricantibus Epiſcopis ab Imperatoribus Friderico II. & Rudolpho publico ordinum decreto Sæc. XIII. fuerint confirmatæ. Et quidem diu, antequam Jus civile uſu Germaniæ fuerat receptum, jam obtinuere Decretales, & ſemper præ jure civili primatum tenuere. Utrum vero hæ Decretales in cauſis eccleſiaſticis per Germaniam unice valuerint in ſubſidium, deficientibus nempe propriis Diœceſium ſtatutis, uti multis argumentis probare contendit Boehmer, aliis judicandum relinquimus (t). Neque in foris tantum eccleſiaſticis, ſed etiam civilibus, & quidem in cauſis & negotiis publicis Principum ad Jus

Idem dicendum de Decretalibus Gregorii IX.

Quæ ante jus civile uſu fuere receptæ.

An fuerint jus ſubſidiarium, dubitatur.

Etiam in cauſis publicis & civilibus obtinuerunt.

(p) Decretiſtæ vocabantur, qui Juri Canonico, ſeu Decreto Gratiani, quod tunc publice docebatur in Academia Bononienſi, navarunt operam.

(q) Part. II. der Reichs Satzungen cap. 15.

(r) In Chronico Spir. lib. V. cap. 108.

(s) Jur. Eccleſ. lib. I. Tit. II.

(t) Boehmer loc. cit. §. 45.

Digitized by Google

Jus Canonicum fuiſſe provocatum, teſtatur diploma Rudolphi I. de an. 1281. in quo hæc clauſula occurrit: *renuntiantes expreſſe pro ſe, & ſuis hæredibus exceptioni doli mali &c. omnique auxilio Juris Canonici, & civilis &c.* Plura huc pertinentia ſedulo tractat Boehmerus, caute tamen legendus, eo quod hinc inde falſa dogmata immiſceat, & Juris Canonici vim infringere totis viribus contendat (u). Sequuntur Decretales Bonifacii VIII. quas ut reciperent Galli, perſuaderi non potuerunt ob nota diffidia inter Bonifacium & Philippum Pulchrum: quin in hodiernam usque diem modicæ authoritatis eas eſſe in Gallia, paſſim ſcribunt Doctores Galliæ. De ulteriori uſu Juris Canonici in Germania agemus in Quæſt. ſequenti. *Decretales Bonifacii VIII. in Gallia non receptæ.*

§. III.

De collectione Iſidoriana, ſeu pſeudo-Iſidoriana iteratam fecimus mentionem, de cujus authore & authentia maxime quoad epiſtolas antiquorum Pontificum a Clemente usque ad Siricium Sæc. IV. Pontificem multum diſputatur, dum quidam illam adſcribunt S. Iſidoro Hiſpalenſi, & epiſtolas prædictas omnino pro authenticis habent; alii cuidam Monacho vindicant, qui ſe humilitatis cauſa nominavit peccatorem, & epiſtolarum illarum authentiam ſimpliciter rejiciunt. Nobis hiſce quæſtionibus inſudare non vacat, neque tanti nobis eſſe videntur hæ quæſtiones, ut multas pagellas iisdem implere aut utile aut neceſſarium ducamus. Id unum animadvertimus, quod teſtimonia, quibus quidam epiſtolarum harum authoritatem ſuſtentare laborant, ex antiquis documentis deprómpta, ferme omnia in operibus dubiis, ſuppoſititiis, aut ſpuriis fundentur. Num vero authoritas unius alteriusve magni nominis authoris, qui fortaſſis purpura cardinalitia eminuit, & tunc ſcripſit, quando hæ epiſtolæ adhuc erant in ſua poſſeſſione, & nemo eas ad incudem vocaverat, ſufficiat ad illarum authoritatem ſuſtentandam, merito ſubſiſtimus. Nos ex regulis ſanioris criticæ alia docemur (x). *Utrum epiſtolæ Pontificum in Collectione Iſidoriana contentæ, ſint authenticæ.*

§. IV.

(u) Ea potiſſimum proinde legantur, quæ ſcripſit de cauſis, propter quas Jus Canonicum in tantam authoritatem ſurrexit.

(x) Vid. Tom. II. Quæſt. I. cap. 5.

Digitized by Google

§. IV.

Quænam ad jus particulare Germaniæ pertineant?

Hactenus de collectionibus Juris eccleſiaſtici communis, illarumque authoritate in Germania egimus. Jam de Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ agendum, ad quod ſequentia reducimus, Capitularia Francorum, Canonem *Hadrianus* diſt. 63. Pactum Calliſti II. cum Henrico V. Renunciationem Juris Regaliæ, & demum varias Conſtitutiones Imperiales ad Statum eccleſiaſticum pertinentes. Jam de his ſecundum ordinem.

§. V.

Quid ſint Capitularia Francorum?

Auſpicemur a Capitularibus Francorum, quorum nomine licet ſæpius veniant leges & canones, proprie tamen loquendo ſunt illæ conſtitutiones, quæ in publicis comitiis vel Synodis Epiſcoporum & populi conſenſu ab ipſis Regibus edebantur. Itaque Capitularia fiebant in comitiis univerſalibus, de quibus cap. 3. egimus. Attamen aliquoties illa etiam inſtar Capitularium fuiſſe habita, quæ in ſeparatis Epiſcoporum Synodis fuere ſtatuta, & poſtea a Regibus approbata, paſſim teſtantur Scriptores (y). Ex his evidenter ſequitur, quod hæc Capitularia ſummæ authoritatis fuerint, utpote in comitiis publicis, vel Synodis Epiſcoporum a Rege approbatis conſtituta. Edita ſunt Capitularia ſub diverſis Regibus: primus tamen, qui ea an. 827. in unum collegit, fuit Anſegiſus Abbas Lobienſis. Hæc collectio vix in lucem prodierat, quum illam Ludovicus Pius, & Carolus Calvus authoritate publica confirmarunt. De ordine, quem Anſegiſus in ſua collectione obſervavit, videatur van Eſpen (z). Quoniam vero Anſegiſus plurima Caroli M., & Ludovici Pii Capitula prætermiſerat, & nec conſtitutiones Pipini & Carolomanni ſuæ collectioni inſeruerat, ideo circa annum 845. quidam Benedictus Levita Moguntinus curam in ſe ſuſcepit, ut capitularia in unum colligeret, & in tres libros diſtribueret. Hujus ordinem recenſet cit. author, ubi etiam defectus & errores in hac collectione commiſſos diligenter annotat. Horum Capitularium utilitatem nemo ſatis deprædicare valet: ex his enim diſcere licet integram & omnibus numeris abſolutam diſciplinam eccleſiaſticam, ſanctiſſimas morum regulas tam pro Clericis & Monachis, quam pro Laicis, ſummam curam, quam habuere Reges pro ſtatu eccleſiaſtico, incredibilem reverentiam, qua iidem in Epiſcopos, & Clerum

Fuere ſummæ authoritatis.

Edita ſub diverſis Regibus.

Eorum collectio & ordo.

Ac ſumma utilitas.

(y) Vid. van Eſpen. part. 4. cap. 3. §. 2. (z) Ibid.

Digitized by Google

rum tam regularem, quam ſæcularem ferebantur, pulcherrimam harmoniam inter Eccleſiam, & Imperium, & alia quamplurima. Optandum ſane, ut hisce legendis ſedulam impendant operam, qui Principibus ſunt a conſiliis intimis, quatenus exinde diſcant, qua ratione fines Eccleſiæ ac Imperii ſint regundi. Sed manum de tabula.

§. VI.

Delabimur ad cit. Can. Hadrianus, diſt. 63., in quo refertur, quod ad inſtantiam Hadriani Papæ Carolus M. Romam venerit, poſtea Papiam reverſus, & capto Deſiderio Rege iterum ſe Romam contulerit, & cum Hadriano Papa in Patriarchio Lateranenſi Synodum conſtituerit, in qua Carolo tradita eſt poteſtas eligendi Pontificem, ordinandi Sedem apoſtolicam, inveſtiendi Epiſcopos, & Archi-Epiſcopos per ſingulas provincias, aliaque jura eccleſiaſtica exercendi, de quibus cit. Canon. Ad hunc canonem poſtea provocavit Leo VIII. intruſus in Synodo Romana a ſe celebrata, & hæc ipſa jura conceſſit Ottoni M., cujus ope Sedem Pontificiam obtinuit (a). Jam quæritur, an prior illa Synodus, & dictus Canon Hadrianus ſit authenticus, adeoque legibus eccleſiaſticis Germaniæ merito adſcribendus. Paucis noſtram mentem declaramus, aſſerimusque, hæc omnia nobis videri ſuppoſititia, cujus rationes damus ſequentes: 1mo Quod Scriptores illorum ſæculorum de hoc conventitio anno 773. celebrato concilio altum ſileant, illiusque mentionem nec Eginhardus, nec Anaſtaſius Bibliothecarius faciant, licet ambo res a Carolo M. geſtas fideliter ſuis ſcriptis conſignaverint, nec Florus, nec Lupus Ferrarienſis, quorum primus ſcripſit tractatum de electione Epiſcoporum circa annum 820., in qua conſenſum Regis ex conſuetudine potius requiri docet; alter vero in quadam ſua epiſtola, in qua tractatur de jure Regum in electione, jus iſtud unice repetit ex conceſſione Zachariæ Pontificis. Qua autem arte Viros iſtos doctiſſimos hi canones latere potuerunt, aut quare illos ſilentio præterierunt? 2do Ipſum Hadrianum Pontificem, quem hoc jus in Carolum M. tranſtuliſſe aſſerunt, de his canonibus nihil ſciviſſe, ex duabus illis epiſtolis ad Carolum M. datis oſtendi poteſt, in quarum prima an. 784. ſcripta refert Hadrianus, electiones Epiſcoporum in regno Longobardico factas, & a ſe approbatas; in altera vero Carolo petenti, ut electio Epiſcopi Ravennatis non fieret absque Miſſorum ſuorum interventu, reſpondet, id nunquam factum, ſed Ravenna-

Exponitur Canon. Hadrianus diſt. 63.

Ad hunc provocavit Leo VIII.

An ſit authenticus?

(a) Ead. diſtinct. cap. 23.

Digitized by Google

vennates ſemper libere ſuos Epiſcopos elegiſſe &c. 3tio In hoc decreto can. 22. Carolo aſſeritur Patriciatus dignitas, quam tamen jure hæreditario jam antea poſſedit ex pactis inter Pipinum Regem & Stephanum II. Papam initis. 4to primus, qui hujus Concilii Romani facit mentionem, fuit Sigebertus Gemblacenſis Monachus Sæc. X. author in ſuo Chronico. Utrum vero Sigebertus, vel ipſe pſeudo-Papa Leo VIII. hujus Concilii & canonis ſit author, adhuc hodie diſputatur. Contra Sigebertum pugnat 1mo, quod ipſe Henrico IV. Imperatori nimium adhæſerit contra Paſchalem Pontificem, atque adeo ad defendenda Jura inveſtituræ Imperatoriæ contra Pontifices hanc Synodum finxerit. 2do multo alia finxit, aut falſa ſcripſit Sigebertus, ut adeo nulla ipſi fiat injuria, ſi hæc quoque impoſtura in ipſum rejiciatur. Contra Leonem VIII. pugnat, quod invaſor iſte Sedis Pontificiæ occaſione utendum ratus, dum jam pro priori Romani promiſerunt, ſe non electuros Pontificem, niſi cum conſenſu Imperatoris Ottonis, Synodum Romanam convocaverit, jus inveſtiendi Ottoni confirmaverit, atque ſuæ dignitati conſulere, aut ſuo decreto majus robur dare volens ad exemplum Hadriani provocare non erubuerit. Quare Sigebertum facile excuſari poſſe exiſtimant: eo quod ipſe de facti veritate vix dubitare potuerit, dum hoc factum a Synodo relatum legere ipſi datum fuit. Quisquis autem hujus Synodi confictæ author fuerit, ſaltem id inde eruitur, quod ambo canones legibus Germanicis adſcribi non mereantur, non primus, utpote ex Concilio conficto; non 2dus utpote ex Concilio illegitimo, & a pſeudo-Papa celebrato depromptus.

Quis ſit author hujus Canonis, num Sigebertus Gemblacenſis vel pſeudo-Papa Leo VIII.

Hic Canon legibus Germaniæ non eſt adſcribendus.

§. VII.

Pactum inter Calliſtum II. & Henricum V. ratione inveſtiturarum hiſtorice explanatur.

Jam de pacto inter Calliſtum II., & Henricum V. inito videamus. Igitur poſt multas altercationes, exauthorationes Pontificum, & Imperatorum, celebratas Synodos, plura ſchismata, & ſcandala publica ex inveſtituris Epiſcoporum per annulum & baculum oborta, demum deventum eſt ad compoſitionem pacificam inter Calliſtum II. & Henricum V. Itaque Henricus V. in conventu Wormatienſi ſolenniter renunciavit juri inveſtiendi Epiſcopos, & cum Calliſto II. pactum an. ſeq. in Concil Lateranenſi confirmatum iniit, vi cujus Imperator promittit, quod poſthac non amplius velit inveſtire per annulum, & baculum, ſed per ſceptrum, reſervato tamen jure interveniendi electionibus Epiſcoporum, & ita quidem, ut dein electi ab ipſo regalia recipiant. Hoc pactum paſſim legi poteſt in authoribus (b), & vehemen-

(b) Vid. Jus Publ. Schmauſii.

Digitized by Google

An Pontifices inveſtituris per annulum & baculum jure contradixerint.

mentiſſime tanquam illegitimum impugnatur a Proteſtantibus. Itaque quæritur, an Pontifices jure contradixerint hiſce inveſtituris, & an Henricus ſuum pactum valide inire potuerit. Rationes dubitandi pro prima parte ſunt ſequentes: 1mo annulus & baculus ſunt ſigna indifferentia, & per ſe non ſignificant determinate poteſtatem ſpiritualem, vel eſto ex communi hominum æſtimatione eo tempore ſignificaverint, potuit hæc ſignificatio mutari, & plebs erudiri circa hanc ſignificationem. 2do Nullus apparet abuſus in eo, quod Pontifices flexis genibus, & præſtito juramento receperint inveſtituram: nam utique & hodie Epiſcopi inveſtiuntur flectentes coram Imperatore, præſtantes juramentum, & enſem deoſculantes &c. 3tio, omnibus hiſce abuſibus potuiſſet contraveniri, ut adeo ſubintrare debuiſſet regula: tollatur abuſus, & ſervetur bonus uſus. Verum his obſtat, quod licet annulus & baculus ex ſe ſint ſigna indifferentia, tamen a pluribus ſæculis in communi hominum æſtimatione habita fuerint pro ſignis poteſtatis ſpiritualis. 4to, Non potuit hæc ſignificatio immutari: quia annulus & baculus dantur Epiſcopis in ordine ad exercenda jura epiſcopalia, & obeunda munia ſpiritualia ipſis competentia, ut iis utantur in divinis &c. 5to Sine dubio uſus bonus ſublatis abuſibus eſt retinendus, quando poteſt fieri ſeparatio, & non ſubeſt proximum periculum, ne iſti abuſus irrepant. Quis autem cavere poſſet, ne iſti abuſus iterum ſubintrent? Experientia conſtat, quod Eccleſia ſæpiſſime etiam uſum rerum indifferentium, vel etiam bonarum rerum ſuſtulerit ex eo, quod præviderit, hunc uſum ſine omni abuſu non poſſe retineri.

An Henricus V. hoc pactum valide inierit?

Rationes dubitandi pro 2da parte Schilterus affert ſequentes: 1mo quia Henricus per ſuum pactum non potuit tantopere præjudicare ſuis ſucceſſoribus. 2do Quia hæc renunciatio eſt præjudicioſa eccleſiis: eoquod hoc modo dominatus Pontificis fuerit ſtabilitus cum grandi præjudicio Eccleſiarum.

Sed hæ rationes inanes ſunt: 1mo enim negatur, quod & anteceſſores & ſucceſſores habuerint jus tali modo impertiendi inveſtituras ex rationibus ſupra allatis, adeoque ſuis Succeſſoribus nullum fuit factum præjudicium. Dein probare debet Schilterus, hanc renunciationem eſſe præjudicioſam eccleſiis, id quod difficillime probabit: imo Eccleſiis *particularibus* vel maxime inde fuit conſultum, quia habent jus liberum eligendi, ipſis non amplius obtruduntur Epiſcopi, ceſſant ſchiſmata, non tot fiunt electiones Simoniacæ, & jus providendi Ec-

 cleſiis

Digitized by Google

cleſiis poſtliminio fuit reſtitutum illis, ad quos de jure pertinet. Hæc pro hac opinione dicta ſufficiant.

§. VIII.

Quid de jure Regaliæ ſentiendum?

Originem, naturam, fundamentum, extenſionem, & fata Regaliæ, & juris hujus in cap. præced. expoſuimus. Hic breviter renunciatio a Friderico II. in ſua Aurea Bulla facta dilucidanda venit, adeoque inquirendum, quid in genere de hoc jure Regaliæ ſit ſentiendum. Abſit, ut praxin Galliarum velut injuſtam, iniquam, & corruptelam damnemus. Attamen quid in contrarium obmoveri poſſet, non tam ex ſententia propria (hanc enim in ſuſpenſo relinquimus) quam aliena proponere licebit. Videtur ergo, quod in theſi loquendo jus Regaliæ repugnet juri divino, & eccleſiaſtico: eo quod Eccleſia facultates ſuas ſemper habuerit tanquam bona Dei, vota fidelium, & Patrimonium pauperum. Hanc qualitatem non exuunt ſede vacante, & ideo ipſi Epiſcopi ſolum velut æconomi, & diſpenſatores horum locorum fuerunt habiti. Atque hæc etiam fuit ratio, cur anteriores Reges tales reditus jure Regaliæ perceptos nonniſi in uſus ſacros expenderint. Hoc multo magis dicendum venit de collatione beneficiorum, quæ certe ſupponit jus ſpirituale, cujus ſæculares ſunt incapaces. Imo collationem beneficiorum ex jure divino pertinere ad Epiſcopos & Hierarchiam eccleſiaſticam, certiſſima eſt ſententia: ergo abuſus eſt, velle hoc jus Eccleſiis eripere. Quod vero jus Regaliæ repugnet Juri canonico, patet ex tota hiſtoria eccleſiaſtica, ex qua potiſſimum ſequentia conſtant: 1mo, quod bona ab Epiſcopo relicta ad ejus eccleſiam pertinuerint, & ad ejus ſucceſſorem fuerint delata. 2do quod mortuo Epiſcopo vicinus Epiſcopus fuerit deſignatus, qui adminiſtraret in ſpiritualibus & temporalibus, & fructus vacantis Eccleſiæ Succeſſori reſervaret. Hinc etiam æconomis & Vice-æconomis hæc cura erat demandata: Imo Regaliam etiam repugnare Juri Civili, facile poſſet demonſtrari. Si dicas, qua ratione ergo hæc Regalia in Gallia juſtificari, & ab omni nota injuſtitiæ abſolvi poteſt? Reſp. nullum alium titulum occurrere, quam *permiſſionem*, tolerantiam, vel tacitam approbationem Eccleſiæ.

Videtur repugnare omni juri.

Ex titulo permiſſionis, vel tacitæ approbationis fortaſſis juſtificari poteſt.

§. IX.

Utrum conſtitutiones Imperii juribus eccleſiaſticis Germaniæ annumerari poſſint.

Tandem juribus particularibus Germaniæ annumeramus conſtitutiones Imperii. Verum quæ hæc rerum monſtra, nobis dicet aliquis?

Digitized by Google

quis? ſiccine leges Imperii nova & ante hunc diem inaudita metamorphoſi transformantur in leges Eccleſiæ? Num Chriſtus Regimen Eccleſiæ Principibus ſæcularibus, vel potius Epiſcopis, quos *poſuit regere Eccleſiam DEI*, commiſiſſe legitur? nonne hæc eſt apertiſſima finium confuſio? Stat Eccleſia per ſe velut Reſpublica a Chriſto inſtituta, poteſtate Epiſcoporum ſuſſulta, neutiquam ſubjecta poteſtati Principum ſæcularium: inde etiam eſt, quod Theologi, & Jurisconſulti hactenus leges imperatorias in favorem Eccleſiarum latas, & in Codice Theodoſiano non minus, quam Juſtinianeo contentas non tanquam leges, ſed mera privilegia ſuſpexerint. Verum enim vero ne præcipitemus, & feramus ſententiam reo non audito. Atque inprimis id nobis ſatis abſurdum, & abſonum,& a ſana ratione alienum eſſe videtur, quod plures Doctores leges imperatorias e numero legum exterminent, & inter mera privilegia reponant. An non melius facturi eſſent, ſi inter leges reponerent, illiſque ſuam vim obligandi darent ex ratihabitione Eccleſiæ tales leges approbantis? dein non nihil expendant, quæſo, hi tales nexum inter Eccleſiam & Imperium individuum, ac inſeparabilem, & fateri debebunt, quod ſtatus & ſalus Eccleſiæ non minus a ſalute Reipublicæ politicæ, quam ſalus Reipublicæ a ſalute Eccleſiæ dependeat & raro lex aliqua eccleſiaſtica diſciplinaris ferri poſſit, quæ non connectitur cum ſtatu publico politico. Quare in id erit attendendum, ne inter utramque Rempublicam Eccleſiæ & Imperii ſtatuamus divortium. Hoc ſi verum eſt, prout revera eſt veriſſimum, ſine diſpendio poteſtatis eccleſiaſticæ dici poſſe exiſtimamus, quod tales leges aliquam ſaltem vim obligandi emendicent a poteſtate ſæculari, in quantum ipſa ſalus Imperii cum ſalute Eccleſiæ connexa exigit, ut tales leges ferantur. Neque per hoc poteſtas ſæcularis ſuos excedit limites, quippe quæ in leges eccleſiaſticas alium ſpiritum legalem non transfundit, niſi illum, qui pro conſervanda ſalute Reipublicæ eſt neceſſarius, adeoque ex ipſo jure naturæ promanat. Multo minus hæc poteſtas in jus divinum impingit: quamquam enim poteſtas regendi Eccleſiam proprie pertineat ad Epiſcopos, attamen aliqua particula hujus poteſtatis ex ipſo jure naturæ in Principes ſæculares transfundi debuit, in quantum nempe ſalus Reipublicæ cum ſalute Eccleſiæ intima unione connexa exigit, ut leges imperiales obſerventur. Interim tamen hæc poteſtas dici non debet eccleſiaſtica, quippe quæ pro ſuo objecto principali non habet bonum Eccleſiæ, ſed Imperii, & virtutem legalem mutuat ab approbatione Eccleſiæ propter utriusque Reipublicæ bonum in legis obligationem conſentientis.

Non bene agunt Theologi & Jurisconſulti, qui leges Imperatorias in favorem Eccleſiæ latas unice inſtar privilegiorum habent.

Hæc

In Germania ſummus nexus inter ſtatum Eccleſiaſticum & ſæcularem. Hæc multo magis dicenda veniunt de ſtatu eccleſiaſtico Germanico, in quo talis tantusque eſt nexus inter ſtatum eccleſiaſticum, & ſæcularem, ut ambo ab invicem ſeparari nequeant, niſi totam Imperii ſtructuram deſtruere velimus, atque adeo nemo nobis vitio vertere poſſit, ſi leges Imperiales in ſubſidium Juris eccleſiaſtici aſſumamus. Juvat hic aliqua ex prima noſtra diſſertatione jam ante aliquot annos edita, eo quod illa paucioribus ad manus ſit, tranſcribere. Itaque vel ipſum *Imperium*, vel *Imperii ſtatus*, vel *cauſas & negotia Imperii & ſtatuum* ſpectas: ſi *Imperium*, iſtud eſt *corpus quoddam mixtum ex ſtatibus eccleſiaſticis & ſæcularibus*, *Catholicis & Acatholicis totidem quaſi membris conflatum*, in quo tres Religiones *Catholicorum*, *Proteſtantium*, ac *Reformatorum* liberum religionis habent exercitium (c). Si vero ſtatus conſideres: hi, ſi ſint eccleſiaſtici, e. g. Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, aliique Prælati majores, eo ipſo Rectores ſunt Eccleſiarum ſibi commiſſarum, ſi ſæculares: paſſim Advocati, Patroni, & Protectores Eccleſiarum audiunt (d): ſi Acatholici, aliunde *jus in ſacra* ſibi vindicant (e): omnes denique & ſinguli intuitu Eccleſiæ variis privilegiis, Juribus, ac præeminentiis gaudent (f). Si vero ad negotia & cauſas reflectas, nullum negotium tanta animorum contentione ac partium ſtudio in comitiis & conventibus publicis, in conventis pactis ac fœderibus hucusque agitatum, atque negotium Religionis, nullæ cauſæ ſuprema Imperii tribunalia tantopere fatigarunt, ac cauſæ eccle-

(c) Art. VII. pacis Weſtphalicæ §. I.

(d) Sic e. g. Imperator audit ſupremus Eccleſiæ Advocatus, & ideo paſſim in Receſſibus Imperii diſpoſitum eſt circa jura & officia huic ſupremo Juri Advocatiæ annexa.

(e) Communis eſt hodie Heterodoxorum doctrina, quod Principibus *jus in ſacra* & *epiſcopale* competat, quamvis in aſſignando titulo, in quo fundari deberet, non conveniant, de quo meretur legi Boehmerus ad tit. de offic. Judic. Ordin. ubi varias ſuæ Religionis aſſeclarum opiniones refutat.

(f) Sic e. g. Electoribus eccleſiaſticis Aurea Bulla procedriam ante cæteros Electores, aliaque jura, præeminentias, & officia e. g. Electori Moguntino, Officium Archi-Cancellarii attribuit. Alii Principes eccleſiaſtici alia habent jura, præeminentias ac officia. Quid dicam de Principibus Acatholicis? quibus vi pacis Weſtphalicæ integri Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, & Monaſteria advenerunt, in quibus exercitium omnium Jurium epiſcopalium ex quocunque demum titulo uſurpant.

Digitized by Google

eccleſiaſticæ, nulla lex fundamentalis lata, quæ non ad perſonas, & res eccleſiaſticas, vel ad cauſas & negotia Religionis in ſuis diſpoſitionibus reſpexit, & principaliter reſpicere debuit juxta præſcriptum Receſſus Imperii de anno 1532. art. 1. §. 1. jubentis, ut Religio negotiorum primum ſit in Imperio. Ex his ſuperabunde demonſtratam exiſtimamus arctiſſimam illam canones inter Eccleſiæ, ac leges fundamentales Imperii connexionem, quæ tanta eſt, ut jam jus canonicum ſine Jure publico, cum certo tamen moderamine, ne jura permiſceantur, & de finibus regundis agere quis cogatur, nec ſatis ſecure (quam enim facile quis in jura Sedis Pontificiæ vel Nationis Germanicæ poteſt impingere?) nec utiliter amplius doceri poſſe videatur, eo potiſſimum ex capite, quod leges Imperii multa ex canonibus Eccleſiæ mutuaverint (g), non pauca alteraverint, ac ſtatui Imperii politico attemperaverint, ut mirari ſubeat, quod Interpretes Juris Canonici quaſi unice huic enucleando inſudaverint, Jus Germanicum neglectim habuerint, illudque noſtræ Germaniæ accommodare parum curaverint, ſuo muneri abunde ſe ſatisfeciſſe exiſtimantes, ſi modo Jus canonicum quaſi ſecundum literam, ſtylum & uſum curiæ Romanæ explicarent, cæteroquin parum ſoliciti, an ad uſum fori Germaniæ ſit accommodatum.

Juriſconſulti Eccleſiaſtici in Germania vel maxime ad jus particulare Germaniæ attendere debent.

Inter *Conſtitutiones autem cæſareas & Regias* ad jus eccleſiaſticum Germaniæ pertinentes, quas Schilterus *de libert. Eccleſ. Germ.*, Buderus in *Opuſculis*, & Pfeffinger in Vitriar. illuſt. Tom. I. pag. 61. recenſent, potiſſimum attendendæ veniunt *Conſtitutio Henrici ſancti* de anno 1009. qua immediatis Eccleſiis jurisdictionem in ſuam familiam concedit, jus eligendi Paſtores Eccleſiarum confirmat ſalvo conſenſu a Rege impertiendo; *Friderici I. conſtitutio* in Comitiis Geilnhuſanis de an. 1184. contra principia de Decimis in Germaniam univerſaliter invehendis; Variæ Conſtitutiones Friderici II. e. g. illa de juribus Principum eccleſiaſticorum, qua iis *jus ſpolii* remittit, & teſtamenti factionem concedit, uti & aliæ ab eodem circa libertatem Eccleſiæ vel Imperii conditæ, nec non quædam a Rudolpho Habſpurgico circa Eccleſiam confectæ; Item Conſtitutiones Ludovici Bavari de independentia Imperii ab Eccleſia; ac demum Ordinatio anni 1342. de impoſterum judicando ſecundum Jus Juſtinianeum. Ita exiſtimat author novitius Moguntinus in ſuo ſchediaſmate quod inſcripſit: *Tractatiuncula de*

(g) E. g. circa electionem Imperatoris, circa beneficia &c.

de fontibus Juris Canonici Germanici. Sed vereor, ne omnes hæ conſtitutiones, illa potiſſimum Friderici I. & altera Ludovici Bavari ad Jus eccleſiaſticum Germaniæ obligatorium referri mereantur, niſi de earum receptione conſtet. Jam finem huic Quæſtioni imponimus, quam, dum prima vice paucis abhinc annis conſcripſimus, volante potius quam currente calamo adinſtar operis tumultuarii digeſſimus. Eæ enim erant nobis temporum anguſtiæ, ut eam intra paucos dies dimidii menſis congerere neceſſum fuerit, quin aliquod cogitandi, ruminandi, meditandique tempus nobis conceſſum, atque adeo illud nobis ſcribere neceſſum fuerit, quod aut memoria & intellectus ex præconceptis ideis dictavit, aut hinc inde adverſaria noſtra nobis ſuppeditarunt. Quare ignoſcendum nobis erit, ſi quæ minus accurate, vel ornate ſcripſimus. Cæterum DEO ter O. M. immortales dicimus grates, quem ſua aſſiſtrice gratia nobis ſingulariter adfuiſſe liberrime fatemur, in cujus proin honorem & gloriam omnes apices, literas, & ſyllabas ſcriptas volumus ardentiſſimis votis exoptantes, ut Idem

In omnibus glorificetur DEUS.

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

DE
JURE ECCLESIASTICO PARTICULARI GERMANIÆ AB ÆVO CAROLI IV. USQUE AD NOSTRA TEMPORA.

In prima Quæſtione Hiſtoriam Eccleſiarum Germanicarum una cum Jure Eccleſiaſtico particulari Germaniæ antiquiori ab Æra Chriſti usque ad Carolum IV. Imperatorem expoſuimus. Supereſt, ut pro liberanda fide a nobis data Jus Germaniæ particulare novius expendamus. Et quoniam hæc materia nos attingit propius, uſum habet quotidianum, & ad noviores leges tam Eccleſiaſticas quam Eccleſiaſtico-politicas provocatur quotidie in tribunalibus ſupremis ac infimis, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, id fuſiori non nihil calamo præſtabimus ſuppleturi ea, quæ in prima hujus quæſtionis editione ex rerum ac temporum circumſtantiis fuere intermiſſa. Quis ſit rerum in hac quæſtione tractandarum ordo, Index Capitum dabit. Numen faveat laboribus noſtris, ut, quod ipſo inſpirante cœpimus, eo auxiliante finiamus.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a Carolo IV. usque ad Carolum V.

CAPUT II.

De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Caroli V. usque ad noſtra tempora.

CAPUT III.

De Jure Eccleſiaſtico noviori Particulari Eccleſiarum Germanicarum in ſpecie de Concordatis Germaniæ.

CAPUT IV.

De transactione Paſſavienſi, & Pace Religioſa.

CAPUT V.

De Actis potiſſimum in negotio Religionis a tempore Pacis Religioſæ usque ad Pacem Weſtphalicam.

CAPUT VI.

De Pace Weſtphalica.

CAPUT VII.

De Jure reformandi, Simultanei, & Jurisdictionis Epiſcopalis ſecundum Syſtema commune & antiquum.

CAPUT VIII.

De Jure reformandi, Simultanei, & Jurisdictionis Epiſcopalis ſecundum Syſtema novum.

CAPUT IX.

De aliis Controverſiis ex Pace Weſtphalica natis, ſpecialiter de jure primarum Precum.

Digitized by Google

CAPUT I.

DE
Statu Eccleſiarum Germanicarum a Carolo IV. usque ad Carolum V.

§. I. *Status Eccleſiæ, & Eccleſiarum Germanicarum præcipue qualis hoc tempore fuerit?* II. *Qualis fuerit nexus inter Eccleſiam & Imperium, Pontifices & Imperatores?* III. *Hic nexus magna ex parte fuit diſſolutus per obortas hæreſes.* IV. *Per ſchiſmata.* V. *Per translationem Sedis Pontificiæ Avenionem.* VI. *Per reſervationes, & exactiones Pontificias.* VII. *Inde factum eſt, ut nexus etiam inter Pontifices & Epiſcopos diſſolveretur.* VIII. *Quare Germani cum aliis Nationibus varia propoſuerunt gravamina.* IX. *Hisce malis obviam itum in Conciliis Piſano, Conſtantienſi, Baſileenſi, Florentino, & Lateranenſi.* X. *Quænam in his Conciliis vel diſcuſſa, vel decreta ad Jus Eccleſiaſticum pertineant, in ſpecie quid circa reſervationes, gratias exſpectativas, & Annatas ſtatutum.* XI. *Galli decretum Concilii Baſileenſis in Concilio Bituricenſi ſua ſanctione pragmatica conſolidant.* XII. *De ſanctione Pragmatica.* XIII. *Ab ea recedunt per Concordatum Gallicum.* XIV. *Germani ſua ineunt Concordata.* XV. *De Conſtitutionibus Imperialibus.* XVI. *De Aurea Bulla.* XVII. *De Pace profana.* XVIII. *De Synodis Germaniæ particularibus.*

§. I.

Filum hiſtoriæ noſtræ duximus ad Sæc. usque XIV. & tempora Caroli IV. Quoniam vero in prima Diſſertatione noſtra quædam ad Sæc. XIV. pertinentia volante quaſi calamo præterivimus, juvabit, aliqua hic repetere, clarius exponere & ſupplere. Si quis jam fata ſeu proſpera ſeu ſiniſtra Eccleſiæ, ac Imperii Sæculi XIV. & XV. per Germaniam, quorum ſeriem, resque in illis geſtas recenſendas, enucleandasque ſuſcipimus, velut in ſpeculo & contracta imagine videre cupiat, eorum compendioſiſſimam dabimus epitomen.

Hæreſes Sæculi XIV. & XV.

Ab exortis hæreſibus initium ducamus. Hæc nempe duo illa Sæcula, quibus exortæ ſunt tales hæreſes, quales Sæcula præterita vix viderunt. Præteritorum Sæculorum hæretici unum alterumve dogma fidei (a), & raro ipſius Eccleſiæ, vel potius Romani Pontificis authoritatem aggreſſi ſunt (b), impugnarunt, quin non raro ad Romanam Sedem veluti urbem refugii tutiſſimam confugerunt (c). At vero horum Sæculorum Sectarii, præterquam quod non unum alterumve fidei dogma, ſed copioſiſſimum Dogmatum Catholicorum numerum e catalogo fidei eliminare aggreſſi ſint, in id præcipue omnes ſuos nervos vireſque intenderunt, ut ſupremum Eccleſiæ caput e ſuo throno dejicerent, &, quantum de ſe erat, e toto orbe Chriſtiano proſcriberent. Ecquid enim magis in votis erat Wicleffiſtis & Huſſitis, quibus etiam annumerare licet Waldenſes, quorum hæreſis longe lateque per omnia ferme orbis Catholici Regna, & plures Germaniæ provincias ſeſe diffuderat, quam Eccleſiam facere Acephalam, Romanum Pontificem ad Garamantas usque & Indos ablegare? atque hi ipſiſſimi fuerunt, qui Religioni Lutheri, & Calvini præluſerunt, & ova quaſi poſuerunt, e quibus veluti pulli prodierunt ſectæ Proteſtantium ac Reformatorum. Inde venit, quod hodierni Proteſtantes, etſi Wicleffiſtarum, Huſſitarumque perverſa dogmata optime ſibi perſpecta habeant, attamen illorum cauſam, quantum poſſunt, defendendam ſuſcipiant, eorumque vices & fata ſiniſtra vel ex hoc ſolo capite doleant, eo quod ſaltem ſtrenue contra authoritatem Pontificis decertaverint.

Impugnabant integrum Eccleſiæ Catholicæ ſyſtema.

Duo ſchiſmata Sæculi XIV.

De ſchiſmatibus quid dicamus? Mox ab initio Sæc. XIV. duo Eccleſiam divexarunt ſchiſmata, unum inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Galliæ, alterum inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum Imperatorem, quibus acceſſit magnum illud ſchiſma, quo Eccleſia per plures annos divexabatur ita, ut per aliquod tempus fuerit biceps, & poſtea omnino facta fuerit triceps. Quoniam vero de his ſingulis ſingulariter acturi ſumus, cætera horum Sæculorum memorabilia in compendio dabimus.

Synodi hoc ævo celebratæ & alia notabilia.

Huc pertinent Synodi hoc ævo celebratæ, Piſana, Conſtantienſis, Baſileenſis, Florentina, & Lateranenſis V. Translatio Sedis Pontificiæ

(a) E. g. Ariani conſubſtantialitatem filii, Sabelliani divinitatem Spiritus S. Pelagiani peccatum originale &c.

(b) Eam quodammodo impugnarunt Donatiſtæ.

(c) Uti Marcion e Ponto, Valentinus ex Aegypto, Cerdon e Syria, Montaniſtæ &c.

Digitized by Google

tificiæ Avenionem per Clementem V. & reductio ad Romanam urbem per Gregorium XI. Compoſitio diſſidiorum inter Pontifices, Epiſcopos, & ipſos Imperatores, quæ ex reſervationibus ſuam traxerunt originem, quorſum pertinent aliqua decreta Concilii tam Conſtantienſis, quam Baſileenſis, ſanctio pragmatica, & Concordatum Gallicum inter Leonem X. & Franciſcum I. initum; item Concordata Germaniæ inter Nicolaum V. & Fridericum III. Imperatorem cæterosque Germaniæ Proceres. Hiſce annumerandæ ſunt variæ Conſtitutiones Imperiales, præcipue vero Aurea Bulla a Carolo IV. pro ordinanda Imperatorum electione, & Pax profana in ordine ad tollendas diffidationes, jus manuale, ut vocant, proſcribendum, & bella privata penitus eliminanda per Maximilianum I. edita, ac promulgata. Age! hæc jam ſecundum ordinem videamus, & non nihil enucleatius expendamus! *Conſtitutiones Imperiales horum ſæculorum.*

§. II.

Quo tempore Ludovicus Bavarus ſceptrum Imperii, & Philippus Pulcher faſces Regni Gallici tenuit, ferme omnem nexum inter Eccleſiam & Imperium, inter Imperatores, Reges, & Pontifices fuiſſe diſſolutum quis ignorat? Poſtquam vero mortuo Ludovico ſceptrum Imperii ad Carolum IV. devolutum fuit, antiquior ille nexus inter Pontifices & Imperatores novo vinculo reſtitutus fuit. Quid non egerunt, ut cæteros Imperatores prætereamus, Carolus IV. Sigismundus, Fridericus III. Maximilianus I, ut hæreſes eliminarent, ſchiſmata tollerent, diſſidia inter Pontifices & Epiſcopos componerent, & tam Eccleſiæ, quam Imperio pacem reſtituerent? De Carolo IV. conſtat, quam male vapulet a Proteſtantibus, eo quod Sedi Romanæ præcipue ab initio ſui regiminis fideliſſime adhæſerit, utpote a quibus paſſim tanquam *Imperator Sacerdotum & Clericorum*, traducitur, & in eo vel maxime reprehenditur, quod jura & libertates Germaniæ a ſuis Prædeceſſoribus maxime a Ludovico Bavaro tam ſtrenue aſſertas, & vindicatas negligentius defenderit, & iterum e manibus Imperatorum eripi ſuſtinuerit, quamquam ex poſt, ut ajunt, ſe ſtrenuum aſſertorem & vindicem libertatum Germanicarum probaverit, dum per Auream Bullam liberam Imperatorum electionem excluſo Pontifice Electoribus vindicavit, & Bullam Joannis XXII. de Vicariatu Papali in cap. ſi fratrum Extrav. Ne ſede vacante (d) in ſempiternum aboluit. Sigismundi *Imperatorum ſtudium pro extirpandis hæreſibus, ſchiſmatibus & reſtituendo nexu inter Pontifices & Imperatores.*

(d) In hac Extrav. ſtatuit Pontifex, ut vacante Sede imperiali juriſdictio ad Papam devolvatur, & ſub pœna excommunicationis prohibet, ne quis nomen Vicarii Imperatoris retineat, aſſumat, vel reaſſumat.

mundi ſtudia pro extirpandis hæreſibus, abolendis ſchiſmatibus, & reſtituenda pace inter Prælatos Eccleſiæ aliunde ex hiſtoria Concilii Conſtantienſis ſunt notiſſima. Quid non fecit Fridericus III. ut concordiam inter Pontifices, & Epiſcopos Germaniæ conciliaret? quam etiam feliciſſime per Concordata Germaniæ conciliavit. Maximilianus I. ſimul ſe ſtrenuum defenſorem & jurium Pontificiorum, & libertatum Eccleſiarum Germanicarum probavit. Obtulerunt ei Electores, Principes, & cæteri ordines Imperii gravamina adverſus Sedem Romanam decem, una cum modo, quo cuilibet remedium quærendum ducerent (e), quibus dein alia fuere ſuperaddita, ut ad centum usque excreverint (f); quo factum eſt, ut Imperator modis omnibus urgeret, ut ſanctio Pragmatica Regni Franciæ in Germania Juris publici fieret, & gravaminibus omni meliori modo medela ferretur. Idem Imperator conſenſit cum Rege Galliæ, ut Piſis congregaretur Concilium ſub prætextu Eccleſiæ reformandæ cum in membris, tum in capite, hoc eſt Pontifice, adeoque ipſius exauthorandi (g): Quo etiam in Concilio Julius Pontifex pontificia ſede indignus fuit judicatus. Inde procul dubio ſemina fatalis diſſidii enata ſunt: viciſſim enim Julius Concilium cogebat anno 1512. Romæ ad Lateranum, quo Piſanum irritum declaratum fuerat. Verum paulo poſt Maximilianus ſaniora edoctus Coloniæ celebravit Comitia an. 1512. & in iis Edictum promulgavit de abolendis Conciliis Piſano & Turonenſi.

Haud ſecus Eccleſiæ & Imperio optime conſuluit Maximilianus per Pacem publicam, qua, ut antea dictum, diſſidationes, & bella privata ſuſtulit, & tam Eccleſiæ, quam Imperio pacem reſtituit. Hæc ſi quis ſinceriori animo expendat, fatendum ipſi erit, nunquam ſtabilem, & omnimodam fuiſſe concordiam inter Eccleſiam & Imperium, perpetuo quaſi fuiſſe colliſos Pontifices & Imperatores, ita tamen, ut vinculum, ſaltem incipiendo a tempore Caroli IV. nunquam ex integro fuerit diſruptum. Jam ſemina diſſidiorum, & diſcordiarum inquiramus.

§. III.

Hæreſes ſunt cauſa omnium turbinum & diſcordiarum.

Quemadmodum a tempore incipientis Eccleſiæ per omnium ſeculorum decurſus, ita etiam hoc tempore ferme omnium diſſidiorum, tur-

(e) Hæc gravamina recenſet Goldaſtus Tom. II. Conſtit. Imper. pag. 119.
(f) Eadem refert cit. Auth. Tom. I. Conſtit. Imp. pag. 420.
(g) Prout refert Pallavic. lib. I. hiſt. Concil. Trident. cap. I. §. II.

Digitized by Google

turbinum, ac diſcordiarum cauſa principalis fuere hæreſes noviter enatæ, ea potiſſimum ex cauſa, quod hæreſes hoc ævo Eccleſiam devaſtantes ferme principaliter in id collimaſſe videantur, ut nexum inter Eccleſiam & Imperium tollerent, Pontificem e ſolio ſuo dejicerent, imo & omni ſua poteſtate exauthorarent. Hos inter primi nominandi veniunt Waldenſes, qui, licet ſuos natales ad Sæc. XII. referant, nihilominus hoc potiſſimum tempore ſe per varias Germaniæ provincias diffuderunt(h). Hi ergo inter alios ſuos errores plures, de quibus paſſim ſcribunt, & agunt Theologi, illum præcipue pertinacius in vulgus ſpargebant, ſuam Eccleſiam ſolam eſſe veram, & econtra Romanam Eccleſiam omnium errorum Magiſtram, omniumque vitiorum eſſe ſentinam. Hunc errorem adoptarunt Wicleſiſtæ, & Huſſitæ, quibuscum potiſſimum hoc ævo Eccleſiæ & Imperio agendum erat. Et quidem quam injuſtus & injurius in Eccleſiam & Romanos Pontifices Wicleſius fuerit, ex erroribus, quos per Germaniam diſſeminaverat, luculentiſſime commonſtratur, quorum aliqui tres ſupra trecentos, Thomas Waldenſis octingentos, Joannes Luke ducentos, & ſexaginta tres, Synodus vero Conſtantienſis quadraginta quinque præcipuos recenſet, damnat, & anathematizat (i).

Waldenſium errores.

Wicleſiſtarum, & Huſſitarum.

Hos ſi quis ad accuratiorem trutinam vocaverit, facile comperiet, quod eorum plures unice ad deprimendam, exterminandamque authoritatem Eccleſiæ, Romani potiſſimum Pontificis, & Epiſcoporum colliment. Wicleſi errores non modo adoptavit, ſed etiam per Bohemiam quam latiſſime diffudit Joannes Huſs & Hieronymus Pragenſis, ambo cum Wicleſio in Concilio Conſtantienſi damnati. Atque hæc ipſiſſima eſt ratio, cur, ut antea animadvertimus, hodierni Proteſtantes, etſi quoſdam horum errores averſentur, attamen illorum ſtudium, quod ad reformandam Eccleſiam, & exterminandum dominatum pontificium impenderunt, miris laudum encomiis ad aſtra usque extollere conſueverint: quare mirum non eſt, quod Catholici Doctores omnes ſcribere non dubitent, hos præcipue ſectarios Luthero & Calvino præluſiſſe, & facem prætuliſſe, qua arte novum ſuum religionis ſyſtema propagare, diffundere, ac ſtabilire poſſent.

Omnes collimabant ad extirpandam authoritatem Eccleſiæ, & Pontificum.

Proteſtantes hoc ipſum faciunt.

§. IV.

Ab hæreſibus ad ſchiſmata devolvimur. Non moramur hic ſchiſmata

Duo ſchiſmata inter Boni-

(h) Vid. Graveſon. Tom. 6. pag. mihi 63.

(i) Seſſ. 8.

Digitized by Google

facium VIII. ac Philippum Pulchrum, & inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum.

ſmata inter Ludovicum Bavarum, & Joannem XXII., & Bonifacium VIII., ac Philippum Pulchrum Regem Galliæ oborta, quæ univerſam Germaniam mirum in modum turbarunt, ac Eccleſiam & Imperium ita colliſerunt, ut nexus diſſolutus difficillime potuerit poſtliminio reſtitui.

Schiſma inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, cui Jus Regaliæ cauſam præbuit.

Brevem utriusque Epitomen demus. Ad clavum Eccleſiæ Romanæ circa initium Sæculi XIV. ſedebat Bonifacius VIII. ſceptrum in Gallia tenebat Philippus Pulcher, ambo ſuorum jurium tenaciſſimi. Urgebat Rex in Gallia *Jus Regaliæ*, contradicente Pontifice. In ſuam protectionem ſuſcipiebat duos Cardinales Columnenſes Gibellinorum factioni addictos, & a Pontifice in Conventu Epiſcoporum Romæ habito purpura exutos, omnibus bonis, beneficiis & dignitatibus ſpoliatos, necnon anathemate perculſos. Mandata quoque Pontificis per ſuum Legatum Bernardum Saiſſetum Apamienſem Epiſcopum prohibentis, ne decimas ad Syriacam expeditionem, & bellum ſacrum gerendum indictas in alios uſus converteret, ac vacantium Eccleſiarum fructus retineret, earumque titulos absque conſenſu Romani Pontificis pro libitu conferret, contemptim habuit.

Bulla Bonifacii VIII. quæ incipit: UNAM SANCTAM.

Ex his non potuit non ſequi animorum diſſenſio & exacerbatio. Epiſtolas plures invicem ſcripſerunt Pontifex, & Rex Galliarum valde aſperas, & ad exacerbandos potius, quam placandos animos aptiores. Bonifacius VIII. inter alia ſcripſit ſuam celeberrimam Bullam in corpore juris clauſam, quæ incipit: *unam ſanctam*, in qua ſibi duplicem gladium *ſpiritualem* & temporalem vindicavit (k).

Philippus Pulcher excommunicatur.

Philippum Pulchrum excommunicavit, totum Galliarum Regnum ſacris interdixit, Academias docere vetuit, & Gallos ſacramento fidei exolvit.

Bonifacius variorum Criminum accuſatur a Philippo.

Philippus Pulcher econtra an. 1303. in conventu Procerum per celeberrimum Jureconſultum Guilielmum de Nogareto Pontificem hæreſeos, Simoniæ, improbitatis, aliorumque flagitiorum publice accuſavit, poſtea ad Concilium generale provocavit, & ipſum Pontificem in jus vocavit. Taceo cætera, quæ ex his enata ſunt diſſidiis, ſcandala, quæ paſſim legi poſſunt apud Scriptores rerum eccleſiaſticarum (l).

Galli non acceptant librum VI. Decretalium.

Unde mirum non videri debet, quod in hanc usque diem Galli librum VI. Decretalium Bonifacii quoad pleraque capita acceptare detrectent.

Mors Bonifacii VIII.

Obiit Bonifacius VIII., poſtquam e carcere, in quem ipſum perditiſſima conjuratio *Sciarræ Columnæ, & Nogareti* Equitis Galli conjecerat, a civibus Anagninis liberatus fuerat, anno 1303. Quidquid de illius mor-

te

(k) Extat hæc Bulla in corpore J. C. Extrav. Commun. ad Tit. de M. & O.
(l) Baronium, Natal. Alex. Fleyrium.

Digitized by Google

te quidam hiſtorici, inter quos eſt Spondanus, ſcribere aut potius fingere non vereantur (m). Has inter Pontificem & Regem Galliarum ortas tempeſtates compeſcuit, atque revocatis ac reſciſſis, quas Philippo Pulchro Regi Bonifacius VIII. intentaverat, pœnis & cenſuris, antiquam Imperii & Regum Galliæ ac ſummorum Pontificum concordiam graviſſime læſam feliciter inſtauravit Benedictus XI. Bonifacii VIII. ſucceſſor longe meritiſſimus.

Schiſma inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum, illiusque occaſio.

Alterum ſchiſma inter Joannem XXII. & Imperatorem Ludovicum Bavarum eſt aliunde notiſſimum. De Imperio in Germania dimicabant Ludovicus Bavarus, & Fridericus Auſtriacus, uterque a parte, Ludovicus tamen a majori parte Principum electus. Joannes litis hujus cognitionem ex jure Coronationis Pontificiæ ad ſe pertinere judicabat. At Ludovicus ſuperato Friderico reipublicæ adminiſtrationem inconſulto Pontifice ſuſcipiebat, litemque ferro terminatam Pontificis denuo judicio ſubiicere nolebat. Indigniſſime hoc ferens Joannes anno 1322. Imperatorem omni jure Imperii privabat. Ludovicus econtra Legatum una cum literis Avenionem miſit, & in his ſe fidum filium & protectorem Eccleſiæ eſſe conteſtabatur, ſimul tamen ad Eccleſiæ Concilium appellabat, atque publico appellationis inſtrumento (n) Pontificem vitiatæ Religionis, aliorumque criminum in Apologia publica (o) accuſabat. Exacerbatus cum his, tum aliis rebus Pontifex anno 1327. Imperatorem iterum omni dignitate ac regno exuebat, atque communione Eccleſiæ excludebat. Hanc injuriam ulturus Ludovicus contendit in Italiam, Mediolani accipit *coronam ferream*, Romæ a Præfecto urbis ſolemniter coronatur, dejecto Joanne Petrum de Corberia Monachum Franciſcanum ſub nomine Nicolai V. creat Pontificem, & ab hoc in Imperatorem inauguratur. Cœtera huc pertinentia legantur in Scriptoribus, qui ex profeſſo hanc hiſtoriam contra Bzovium ſcripſerunt.

Scriptores hujus ſchiſmatis.

(m) Ad annum 1303. ſcribit nempe, Bonifacium muro caput concuſſiſſe, digitos corroſiſſe, & deſperato ſimilem mortuum eſſe. Verum commentum iſtud refutatum manet ex ſilentio S. Antonini, Pauli Æmilii, Platinæ aliorumque Scriptorum coævorum, aliisque argumentis.

(n) Nam poſtquam Pontifex Bullam excommunicationis, ut publicaretur, miſerat in Germaniam, interpoſita fuit conſultis deſuper Theologis appellatio ad Concilium generale, cujus inſtrumentum & rem geſtam narrat Herwart. contra Bzov. pag. 243.

(o) Apologiæ ſummam, in qua Pontifex tanquam hæreſiarcha & Antichriſtus deſcribitur, exhibet Aventinus, ſi tamen eidem ſit credendum.

Digitized by Google

Inter hos eminent Herwartus Statuum provincialium Cancellarius in ſuo *Ludovico defenſo*, Adlzreitterus, Chriſtianus Gewoldus in Apologia pro Ludovico Bavaro Ingolſt. 1618. Luc. Wadingus in Annal. Minor. Tom. VII. Clariſſ. P. Schwarz S. J. in Effigie hiſt. Bav., & author anonymus: **Bayriſche Geſchichte**, qui hoc primum anno lucem aſpexit publicam.

Tumultus exinde in Imperio etiam poſt mortem Ludovici.

Jam quis tumultus publicos in Imperio ex hoc ſchiſmate ortos, illos potiſſimum, quibus negotium electionis imperatoriæ non vivente duntaxat, ſed etiam mortuo Ludovico fuit turbatum & concuſſum, enarrare ſufficiat? qui ne quidem ceſſarunt, poſtquam Joannes XXII. fatis conceſſerat. Nam licet mortuo Joanne XXII. electus Pontifex Benedictus XII. injurias Ludovico a ſuo Anteceſſore factas, uti ſcribit Herwartus (p) agnoviſſet, obſtitit tamen Curia, quo minus quies Imperio & Eccleſiæ concederetur. Inhæſit itaque Curia excommunicationi Imperatoris a Joanne factæ & Vicariæ Imperii adminiſtrationi miſſis Vicariis in urbes Italiæ. Ex adverſo Imperator Comitia *Renſenſia* ad Rhenum celebravit an. 1338. quibus a Proceribus Imperii Eccleſiaſticis & ſæcularibus fœdus conditum, vi cujus ſe *confectis deſuper literis & præſtitis juramentis obſtrinxerunt, quod Imperium & ejus jura contra omnes nullo excepto manutenerent* (q). De alio Senatusconſulto in his Comitiis condito Pontificis authoritati ſumme præjudicioſo, quod honoris ergo erga ſummam ſedem adducere veremur, mentionem facit Aventinus, Herwartus, Rebdorffius, Goldaſtus apud Schilterum (r). Benedicto ſucceſſit Clemens VI. qui non modo an. 1246. in die Cœnæ Domini Ludovicum denuo excommunicavit, ſed etiam rem eo deduxit, ut quidam Electores Principes, Walramus Archiepiſc. Colonienſis, Baldewinus Trevirenſis, Gerlacus Moguntinus, Dux Saxoniæ, & Joannes Rex Bohemiæ in oppido *Renzi* prope Trevirum, ſive in Villa dicta *Rens* ſuper Rhenum, ut habet Chronicon Belgicum, in Sede Imperiali prope Confluentiam in Diœceſi Trevirenſi convenerint, & in Regem Romanorum Carolum Regis Bohemiæ filium elegerint. Hæc ubi inaudierat Ludovicus, mox Spiræ celebravit comitia, in quibus electionem Caroli caſſavit, reprobavit, annullavit, *fuitque decre-*

(p) Ita ſcribit Herwartus ad an. 1335. & 1338.

(q) Formulam fœderis ex autographo Germanico in Latinum verſam exhibet Herwartus loc. cit. n. 34.

(r) Lib. 6. de libert. cap. 3.

Digitized by Google

eretum, eam nullo jure factam, nec Carolum pro Imperatore habendum. Super hac re varia dein ſcripta emanarunt in publicum (s).

Sed nec mortuo Ludovico ceſſarunt diſſidia: nam mox ubi fato functus erat Ludovicus, Proceres Germaniæ Francofurti convenerunt, & Senatusconſultum fecerunt, quo Carolum vitio eſſe electum, adeoque tanquam illegitimum Romanorum Regem declararunt. Quare Imperium obtulerunt Eduardo Regi Angliæ, qui fuerat Imperii Vicarius, mox Friderico Landgravio Thuringiæ, & Marchioni Miſniæ, & his ſe excuſantibus Gunthero comiti Swarzburgico. Poſtquam autem etiam hic Imperium reſignavit, aut reſignare debuit, tandem Carolus IV. in Imperatorem legitimum aſſumptus fuit, & agnitus. De alio ſchiſmate, non adeo aperto & publico, quod tamen feliciter brevi fuit extinctum, ſupra diximus.

Ad Sæc. XIV. pertinet præcipue magnum illud ſchiſma, quod omnium aliorum, quæ unquam in Occidente contigerunt, calamitoſiſſimum, & funeſtiſſimum, & quinquaginta ferme annis cum incredibili Catholicæ Eccleſiæ, & religionis Chriſtianæ damno fuit propagatum: & incœpit poſt obitum Gregorii XI., qui ſedem Pontificiam Avenione poſtliminio reduxit Romam: nam mortuo Gregorio XI., cum Cardinales de Succeſſore conſultarent, populus Romanus metuens, ne Gallus crearetur Pontifex, qui Avenionem migraret, furioſis clamoribus & minis poſcebat, ut ſine mora Italus Eccleſiæ præficeretur. Territi Cardinales Bartholomæum Pregnanum Neapolitanum patria Pontificem renuntiabant, qui Urbani VI. nomen aſſumpſit. Novus Pontifex aſperis moribus, intempeſtiva ſeveritate cum omnium, tum inprimis Cardinalium animos a ſe alienabat. Quare hi *Fundos* urbem regni Neapolitani ſecedebant, aliumque ſibi Pontificem Robertum Gebennenſem ſub nomine Clementis VII. creabant, perhibentes, ad ſpeciem tantum, ut populi Romani furorem ſedarent, Urbanum electum eſſe. Uter horum verus & legitimus fuerit Pontifex, adhucdum dubitatur, neque ex actis ſcriptiſque magno numero in utramque partem promulgatis firmiter decidi poteſt (t).

Electio Urbani VI. & Clementis VII. & quis horum fuerit legitimus Pontifex.

Mortuo Urbano Cardinales Itali ſuffecerunt Petrum Thomacellum ſub nomine Bonifacii IX.; Cardinales vero Galli Clementi VII. ſubſtituerunt Petrum de Luna Hiſpanum, qui nomen Benedicti XIII. adſciſcebat. Ille Romæ, hic Avenione Sedem pontificiam fixerat. Fatis con-

Electio Petri de Luna ſub nomine Benedicti XIII. & Gregorii XII.

(s) Vid. Goldaſtus Tom. III. Conſtit. Imper. anno 1346.

(t) Scripta hæc recitat idem author loc. cit.

Digitized by Google

conceſſerat Bonifacius IX., cui Cardinales ſubrogarunt *Coſmatum de meliorati* ſub nomine Innocentii VII. & huic pariter poſt biennium defuncto *Angelum Corrarium* Venetum, qui Gregorius XII. nuncupari voluit. Jam ambo, id eſt, Petrus de Luna ſub nomine Benedicti XIII. & Gregorius XII. de Papatu contendebant, ad quos in ſuum ordinem redigendos convenit Concilium Piſanum (u), in quo uterque exauthoratus, & in Pontificem electus fuit Alexander V., qui tamen nonniſi unico anno pontificatum tenuit. Verum ne ſic quidem ſchiſma extinqui poterat, & mortuo Alexandro Eccleſia ex bicipite facta fuit triceps, dum Cardinales ſedecim Bononiæ in locum Alexandri elegerunt Balthaſarem Coſa Neapolitanum ſub nomine Joannis XXIII., & ambo pſeudo-Papæ Benedictus XIII, & Gregorius XII. ſe quoque Pontifices jactitabant. Itaque novo opus erat Concilio, & in hunc finem congregabatur Concilium Conſtantienſe, in quo exauthoratis Joanne, & Benedicto, Gregorio ſponte papatum reſignante in Pontificem electus fuit Martinus V.

Schiſmata & Concilia hujus ævi. Germani neutralitatem aſſumunt

Aliud iterum exarſit Schiſma, quando Concilio Baſileenſi jamjam ad finem vergente Eugenius IV. depoſitus, & in Pontificem Eccleſiæ ſuffectus fuit Amadeus Sabaudiæ Dux ſub nomine Felicis V. Huic depoſitioni ferme omnes Nationes ſubſcripſerunt præter nationem Gallicam & Germanicam. Germani itaque id eſt Ordines Imperii tam eccleſiaſtici, quam ſæculares prudenti Juriſconſultorum conſilio uſi neutrius partes nec Eugenii depoſiti, nec Felicis, in quem non conſenſerunt, partes defendendas ſuſceperunt, ſed *Neutralitatem*, uti vocabant, obſervarunt, & deſuper unionem & fœdus inierunt (x). Sed tandem Felix curante Friderico III. umbratilem ſuum Pontificatum abdicavit, & factus Legatus a latere ad Nationem Germanicam, uti ſcribit Aventinus, vel ut habet Chronicon Belgicum, Legatus Franciæ, & Cardinalis Sabinianus mortem oppetiit piiſſimam: atque in hujus locum ſuffectus fuit, & receptus Nicolaus V., quocum Germani ſua inierunt Concordata. Atque hæc ſunt ſchiſmata, quæ labente hoc ævo Eccleſiam & Imperium, & Eccleſias ipſas in plures partes diſſecuerunt. Profecto ſi quæ eſt hiſtoria obſcura, tenebroſa, & millenis difficultatibus obnoxia, alia profecto non eſt, quam hiſtoria horum ſæculorum. Ea enim calliditate omnia acta ſunt a Politicis illius ævi, ut, quid voluerint, & intenderint, cognoſci nequeat.

§. V.

(u) Multum diſputatur, an hoc Concilium ſit œcumenicum, vel non: Galli id communius affirmant, negant Itali, & plures Germaniæ Doctores.

(x) Vid. Schilter lib. 6. cap. 6. §. 9. ubi pro hac re citat Aventinum.

Digitized by Google

§. V.

Tranſlatio Sedis Pontificiæ Avenionem a Clemente V. facta.

Ab ævo Chriſti, & Petri Sedes Pontificia fuit Romæ, neque tranſlatio Sedis Imperatoriæ Conſtantinopolim facta perſuadere poterat Pontificibus, ut Sedem ſuam Conſtantinopolim transferrent. Id tamen fecit Clemens V. qui neſcio qua ratione ductus, aut cujus conſilio perſuaſus fuerit, ut relicta Sede S. Petri Avenionem ſolium pontificale transferret. Quacunque arte, aut ratione id factum fuerit, hoc certum eſt, & innegabile, quod principaliores, ſeu potius graviores, & juribus Epiſcoporum magis nocivæ reſervationes factæ fuerint a Pontificibus, qui Avenione reſederunt, uti §. ſeq. dicemus; ab eo autem tempore, quo Sedes Pontificia poſtliminio Romam translata fuerat, graviſſima ſchiſmata Eccleſiam & Imperium colliſerint, turbaverint, & ſuo modo dilaceraverint. Profecto non ſemel nobiscum mirabamur, quod Galli alias ſuarum libertatum conſervandarum ſtudioſiſſimi, & non raro in Jura pontificia minus æqui, & quaſi rigidiores hujusmodi reſervationibus ſaltem ad tempus acquieverint. Num ideo fortaſſis, ut Sedem Pontificiam in ſuo regno conſervarent, alias facillime Pontificibus occaſionem daturi, ut illam iterum Romam transferrent? Hæc cogitatione neutiquam aſpernanda ſaltem cogitare licet, ſuper qua ſublimius exſpectamus judicium.

Schiſmata ex hac tranſlatione.

§. VI.

De Reſervationibus beneficiorum a Pontifice factis.

Jam in prima noſtra quæſtione de *Mandatis Apoſtolicis, hortatoriis, præceptoriis, & executoriis, de gratiis exſpectativis, de reſervationibus tum ſpecialibus, tum generalibus*, illa potiſſimum, quæ facta fuit a Clemente IV., & vocari ſolet *clauſa in corpore juris*, egimus, qualiter Pontifices Hadrianus IV., Alexander III. illiusque Succeſſores jure *præventionis & concurſus*, quod cum omnibus orbis Catholici Epiſcopis in collatione beneficiorum ſe habere aſſeruerunt, jura antiqua Epiſcoporum mirum in modum diminuerint, & pleraque Beneficia ſibi reſervaverint. Hic opportuna ſe offert occaſio agendi de cæteris duabus reſervationibus, una Joannis XXII. in Extrav. execrabilis de Præb. altera Benedicti XII. in Extrav. ad regimen. eod. tit.; Item de regulis Cancellariæ collationem beneficiorum & res beneficiales mirum in modum turbantibus.

Reſervatio Joannis XXII.

Itaque Joannes XXII. inprimis innovavit, & confirmavit reſervationem, a ſuo Prædeceſſore factam, eamque ampliavit, dum ſibi, ad dies vitæ ſaltem, reſervavit beneficia, quæ per aſſumtionem alterius Bene-

Digitized by Google

Beneficii incompatibilis, dummodo quis illius pacificam poſſeſſionem obtinuerit, vacaverint. Qualenam autem ex his, an primum, vel ſecundum, vel utrumque ſit reſervatum, nolumus diſcutere, & aliis diſcutiendum relinquimus (x). Longe ampliorem reſervationem fecit Benedictus XII. qui ſibi reſervavit omnia beneficia, quæ ſeu in curia ſeu intra duas diætas quomodocunque morte, privatione, depoſitione, aut alia ratione vacaverint; item beneficia illorum, quorum electiones, vel poſtulationes fuerint rejectæ aut caſſatæ, vel reſignationes non ſunt admiſſæ a Pontifice; præterea omnes dignitates, Abbatias, Epiſcopatus, & Beneficia, quæ per promotionem Pontificis factam, quorſum pertinet vel ſola confirmatio, uti e. g. in Germania, in qua vi Concordatorum jus confirmandi Epiſcopos Neo-electos ſtabilitum fuit Pontifici; ac ultimo omnia beneficia, quæ ob aſſumptionem alterius beneficii incompatibilis vacant, ſi modo quis ea acceperit a largitate pontificia, eorumque pacificam adeptus fuerit poſſeſſionem. En! ampliſſimas reſervationes, quibus Pontifex innumera Beneficia, Epiſcopatus, Abbatias, aliaſque dignitates eccleſiaſticas Epiſcopis ſubtraxit, ſuæque liberæ collationi aſſeruit.

Benedicti XII.

Non dicuntur clauſæ in corpore Juris, & quare?

Duo tamen quoad iſtas reſervationes animadvertimus, quorum primum eſt, quod hæ reſervationes non dicantur eſſe *clauſæ in corpore juris*; alterum, quod a præfatis Pontificibus fuerint factæ tantum ad tempus vitæ, adeoque ex primæva ſua origine fuerint temporales. Quantum ad primum, dicuntur eſſe *extra corpus juris*, quia, olim ſaltem, incertis ſedibus vagabantur, haud ſecus quam cæteræ Extravagantes. Et quamvis ſucceſſu temporis corpori Juris fuerint inſertæ, quia tamen id ipſum non authoritate publica, ſed hominum privatorum, librariorum &c. factum fuit, in hodiernam usque diem non cenſentur eſſe clauſæ in corpore Juris: ex hac enim ſola inſertione vim legis non obtinuerunt, haud ſecus quam cæteræ Extravagantes, quæ, quidquid habent vigoris, legis, & authentiæ, non tam ab approbatione Pontificis, de quali non conſtat, quam ex uſu, conſuetudine, & receptione mutuarunt.

Fuere temporales, & factæ ſunt perpetuæ.

Quantum ad alterum, licet præfatæ reſervationes fuerint mere temporales, acceperunt tamen aliquam perpetuitatem ex eo, quod regulis Cancellariæ fuerint inſertæ. Dixi notanter *aliquam perpetuitatem*: quia, ſicut mox dicemus, Regulæ Cancellariæ una cum Pontifice

(x) P. Engl. ad Tit. de Præb. qui hanc quæſtionem præ cæteris egregie dilucidat.

Digitized by Google

tifice exſpirant, & tamdiu veluti dormiunt, usque dum novus Pontifex eligatur, qui altero poſt electionem die eas vel aſſumere, vel mutare, vel alterare conſuevit. Utrum vero hæ reſervationes omnimodam perpetuitatem acceperint ex eo, quod fuerint a Concordatis Germaniæ ſtabilitæ, alia eſt quæſtio difficilioris longe deciſionis. Ratio dubitandi eſſe poſſet, quod utique Concordata vim habeant perpetuam, & perpetuo durent, donec in Concilio aliquo Generali (y) aliter fuerit diſpoſitum, neque cum morte Pontificis exſpirent, quemadmodum Regulæ Cancellariæ. Verum obſtat, quod Germani in ſuis Concordatis neutiquam voluerint ſuam conditionem facere deteriorem, ſed meliorem: at vero deteriorem feciſſent, ſi hæ reſervationes ad tempus Sedis Pontificiæ vigorem haberent, id quod Germanis prorſus difficillimum deberet accidere.

An ex concordatis obtinuerint omnimodam perpetuitatem?

Verum hæc non niſi prima ſemina aut fundamenta fuere Reſervationum Pontificiarum: longe arctiores limites juribus Epiſcoporum & Capitulorum poſuerunt Regulæ Cancellariæ ita dictæ, quæ nihil ſunt aliud, quam Conſtitutiones Pontificiæ a tempore Joannis XXII. a Pontificibus editæ tum Cancellariam apoſtolicam, tum res Beneficiales potiſſimum concernentes. Ex hoc conſtat, quod hæ regulæ tum ad Curiam Romanam, tum ad collationes beneficiorum ſpectent. Habent ergo vim legis in Curia, ita ut ſecundum normam in illis præſcriptam procedendum ſit in Curia. Extra Curiam non habent vim authenticam, niſi in quantum eas uſu in Germania receptas, aut Concordatis Germaniæ eſſe conformes probari poteſt. Exſpirant, uti ſupra dictum, cum morte Pontificis, & reviviſcunt poſt electionem novi Pontificis, a quo noviter adoptantur. Jam vero in his regulis ferme omnes dignitates & Beneficia Pontifices ad ſe attraxerunt non ſine gravi Epiſcoporum, Capitulorum, aliorumque collatorum præjudicio: nam, ut ſaltem unam alteramve reſervationem recenſeamus, reſervarunt ſibi Pontifices omnes Eccleſias epiſcopales, & Abbatias omnes orbis Chriſtiani, quarum redditus ſuperant 200. florenos, omnes dignitates Eccleſiarum Cathedralium, quæ primum poſt Epiſcopatum obtinent locum, primas inſuper Eccleſiarum Collegialium, aliasque dignitates conventuales, ac demum collationem beneficiorum quorumcunque, quæ in octo menſibus, quos ſolemus vocare menſes Papales, vacabunt, quatuor non niſi menſibus Epiſcopo, & ex ſingulari gratia ſex menſibus

De Regulis Cancellariæ, quid ſint, & a quo inventæ?

Reſervationes beneficiorum ex regulis Cancellariæ.

(y) Ita loquuntur ipſa concordata.

ſibus illi relictis, qui in ſua Diœceſi & Eccleſia diligenter reſideret. Cæteras regulas e. g. de annali, & triennali Poſſeſſore &c. ſilentio præterimus. In has regulas integri proſtant commentarii, quales ſunt Joannis Kochier, Gonzalezii, aliorumque. Tertium quod Imperatores, Reges, & Epiſcopos mirum in modum turbaverat, erant exactiones Annatarum.

Annatæ unde dicantur? Nomen *Annata* eſt nomen generis, quod in varias ſpecies dividitur, ut monet Fagnanus (z). *Annatæ* autem dicuntur vel ab annis, quod olim ad certos annos unum vel plures fuerint reſtrictæ, vel Eccleſiis ſint quaſi *agnatæ:* & pro diverſitate temporum & conſtitutionum diverſimode ſumuntur vel pro fructibus primi anni, quos acceperunt Epiſcopi ex Eccleſiis ſuæ Diœceſeos vacantibus, vel pro certa quantitate fructuum anni; vel demum (quo modo hodie ſumuntur) pro certa quota juxta matriculam Curiæ Romanæ ſolvenda. In genere loquendo poteſt definiri *Annata*, quod ſit certa portio vel fructuum, vel illorum valoris juxta canones & pacta ex beneficiis Romano Pontifici illiusque Curiæ perſolvenda.

Annatarum ſpecies quatuor. Quatuor ſpecies Annatarum ex ſtylo Curiæ Romanæ refert Fagnanus, quarum prima dicitur *agnata* proprie dicta, & eſt illa quæ pro omnibus beneficiis inferioribus ſolvitur, & conſiſtit in dimidia parte veri valoris annuorum fructuum beneficii vacantis, atque integre ſummo Pontifici eſt ſolvenda. Altera vocatur *commune ſervitium*, quæ eſt certa quantitas pro quolibet Epiſcopatu vel Abbatia Conſiſtoriali ſecundum antiquam taxam ſolvenda, & dicitur *ſervitium*, quia juxta vulgare Italicum quælibet datio nuncupatur *ſervitium: commune* vero, quia ejus dimidium tribuitur Papæ, reliquum ſacro Cardinalium collegio inter Cardinales præſentes dividendum. Tertia ſpecies Annatæ ſunt ſervitia *minuta*, & ſunt quinque portiunculæ, quæ ſecundum proportionem taxæ fructuum Epiſcopatus, vel Abbatiæ inter certos Papæ miniſtros & officiales diſtribuuntur, & appellantur *minuta*, tum quia ſunt minores partes Annatæ, tum quia inter minores dividuntur miniſtros. Quarta ſpecies vocatur *Quindennium*, quæ a prædictis differt nomine tantum, & accidentali temporis prædefinitione, quia de quindecim in quindecim annos juxta conſtitutionem Pauli II. abolitis aliis ſolutionis Annatarum terminis usque ad ſua tempora obſervatis, pro beneficiis perpetuo *unitis* ſolvitur ab illis, in quorum favorem beneficia ſunt unita.

Has

(z) In lib. V. Decret. ad cap. Præterea. Ne Prælati vices ſuas &c.

Digitized by Google

Has Annatarum ſpecies omnino noſſe juvat propter ſtylum Curiæ Romanæ, in quantum in ea obtinent, illam primam præcipue, quæ communius vocatur *Bonifaciana*, utpote quam introduxit Bonifacius IX. Antea enim per Pontifices mediantibus Commiſſariis exigebantur fructus integri unius anni per triennium, tertia pars quolibet anno, reliquis duabus tertiis partibus *Proviſo* relictis. Ita nempe ſtatuit *Joannes* XXII. prout infra videbimus. Sed *Bonifacius*, inquit Fagnanus (a), *ut conſuleret ipſis Proviſis, & obviam iret extorſionibus, quæ per Commiſſarios committebantur, reduxit Annatæ valorem ad medietatem valoris annui fructus, cum onere tamen, ut Proviſus anticipate de propriis pecuniis in relatione ſuarum literarum eam ſolveret.* Hinc ut juxta hanc conſtitutionem Bonifacianam Annata juſte taxari poſſit, exprimendus foret valor beneficiorum vacantium ſecundum communem æſtimationem. *Prima ſpecies, quæ dicitur Bonifaciana.*

Cæterum in Germania hæc regula non obtinet, quia juxta infra dicenda Annatæ regulandæ ſunt conformiter Concordatis Germaniæ, vi quorum pro Epiſcopatibus & Abbatiis Conſiſtorialibus in vim Annatarum certa portio in pecunia conſiſtens, pro beneficiis aliis amplius nihil ſolvitur: Etſi enim vi Concordatorum etiam pro his, ſi excedant valorem 24. Ducatorum in Camera, ſolvendæ eſſent Annatæ (b), quia vero in Camera Apoſtolica omnia hæc beneficia ad valorem duntaxat 24. Ducatorum taxata ſunt, licet illorum valor ad majorem multo ſummam aſcendat, idcirco uſu receptum eſt, ut valor omnium beneficiorum exceptis Epiſcopatibus, Abbatiis, aliiſque *conſiſtorialiter* conferendis ſub *taxa* 24. *ducatorum auri de Camera* exprimatur: unde formula conſueta in omni ſupplicatione & proviſione hujuſmodi beneficiorum hæc eſt, *quod illorum proventus valorem annuum* 24. *Ducatorum auri de Camera non excedat* (c). *In Germania non obtinet.* *Beneficia omnia in Camera taxantur 24. Ducatis.*

Exinde ſequitur clauſulam expreſſionis valoris in hujuſmodi beneficiis hodie in Germania eſſe meram formulam ſtyli, nec ſignificare verum valorem beneficiorum, & nihil aliud ſignificare, quam hæc beneficia ſolutioni Annatarum non eſſe ſubjecta, & propterea in Curia non eſſe opus examine & inquiſitione in proventus eccleſiaſticos. Undenam autem hujus ſtyli & remiſſionis Annatarum, non obſtante, quod Concordata Germaniæ nonniſi beneficia valorem 24. Ducatorum non excedentia excipiant per verba: *ſed de beneficiis, quæ valorem* 24. *flore-* *Clauſula expreſſionis valoris in Germania eſt meri ſtyli.*

Hh 2

(a) Loc. cit. N. 10.
(b) Concord. Germ. §. *item circa proviſionem.*
(c) Van Eſpen Jur. Eccleſ. part. 3. Tit. XXIV. cap. 4. §. XXIII.

Digitized by Google

florenorum auri de Camera non excedunt, *nihil ſolvetur*, origo ſit petenda, non liquet. Van Eſpen inde putat hanc conſuetudinem eſſe derivandam, quod, cum Principes ſæpius apud Pontifices pro moderatione Annatarum inſtitiſſent, id tantum obtinuerint, ut liceat hanc ſummam ſimpliciter exprimere, *& ſub umbra talis taxæ Cameralis immunitas Annatarum ſine aliorum conſequentia tribueretur* (d). Idem obtinet apud Gallos, utpote quibus vi Concordatorum inter Franciſcum I. & Leonem X. anno 1517 initorum, nec non declarationis ipſius Leonis Kalend. Octob. ejusdem anni, ut habetur in Conſtit. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, ſolutio Annatarum pro beneficiis minoribus fuit eatenus remiſſa, quatenus licet impune quorumcunque beneficiorum fructus exprimere ſub valore 24. Ducatorum (e). Idem obtinere in Belgio, & Hiſpania teſtis eſt van Eſpen (f). In Italia quid obtineat, nos latet.

Etiam in Gallia Annata Bonifaciana non obtinet.

Triplicis generis Annatæ Pontifici ſolvendæ.

Jam in Annatarum originem inquirendum eſt. Quam optime exiſtimat Ludov. Thomaſſinus (g) triplicis generis eſſe diſtinquendas Annatas Pontifici ſolvendas, nempe *antiquiſſimas*, quales fuere illæ, quas Epiſcopi ſolvebant, qui Romæ ex quacunque cauſa, ſive quod eſſent Epiſcopi Romanæ Metropoleos, ſive Metropolitani Italiæ, ſive quod inciderint in litem, & in ſua electione paſſi fuerint Adverſarios, & hoc ipſo Romæ ordinari, confirmari, aut conſecrari, & certam pecuniæ ſummam inter Pontificem & Cardinales dividendam conferre tenebantur. *Novæ*, quæ potiſſimum conſiſtunt in perceptione fructuum Eccleſiarum vacantium, quarum author habetur Joannes XXII. qui ad ſubveniendum neceſſitatibus Eccleſiæ Romanæ præter tributum annuum ex omnibus beneficiis non electivis, adeoque exceptis epiſcopatibus & Abbatiis, exigendum ſibi ad triennium reſervavit fructus omnium Præbendarum, Eccleſiarum Parochialium & Capellarum intra illud temporis ſpatium vacantium. *Noviſſimæ*, quas invexit Bonifacius IX. qui inter ſchiſmatis Avenionenſis incendia Romæ federat, ſibique reſervavit dimidiam Annatam omnium beneficiorum ſuæ collationis, atque reſervationem Joannis XXII. quoad fructus Eccleſiarum vacantium ad triennium reſtrictam extendit etiam ad Epiſcopatus & Abbatias, fecitque perpetuam, cum hac ſola moderatione, quod eam ad fructus unius duntaxat anni reſtrinxerit.

Antiquiſſimæ.

Novæ.

Noviſſimæ.

Ori-

(d) Loc mox cit. §. 25.
(e) Fagnanus loc. cit. N. 72.
(f) Loc. cit. §. XXVI.
(g) Part. 3. lib. 2. cap. 58.

Digitized by Google

Originem Annatarum haud pauci cum Fagnano (h) adeo antiquam eſſe exiſtimant, ut illius non extet memoria: imo illam ad Apoſtolorum usque tempora & Eccleſiæ naſcentis exordium referendam, atque *collectas* illas, quas pro Eccleſiæ Hieroſolymitanæ pauperibus in aliis Eccleſiis factas Apoſtolorum acta commemorant, ſimilesque contributiones charitatis de Annatis eſſe interpretandas, aut ſaltem illarum inſtitutionem ab illo tempore repetendam arbitrantur, quo deferveſcente charitate fidelium Epiſcopis vix decimæ amplius jure divino debitæ, uti loquitur Fagnanus (i) ſolvebantur. Quo tempore opus habuit Eccleſia & Apoſtolica Sedes ad ſui ſuſtentationem & onerum ſibi incumbentium ſupportationem Annatarum exactionem inſtituere & ordinare, ut ſibi ſaltem a ſuis miniſtris ſervitium & adjutorium præſtaretur. Sed quis non videt hæc ſolido prorſus carere fundamento? nullum hujus rei veſtigium in Scripturis, in traditione, in Patribus, in hiſtoriis primorum ſæculorum. Provocat quidem Fagnanus ad chronicon Damaſi an. 367. ad clavumEccleſiæ ſedentis, in quo legitur: *Sicut Papa in ſui ordinatione contribuebat Imperatori, nec id vitio dabatur, ſic & ſuſcipientes modo ordinationes a Papâ aliquid ei perſolvunt, tanquam in alterius jus ſucceſſerit.* At vero quis ignorat, hoc Pontificale Damaſi non eſſe? de quo Elias Du-Pin ſic habet: *non immoror probando librum de vitis Pontificum, cui titulus Pontificalis Damaſi, ejus non eſſe, quia omnes uno conſenſu illum diu poſt Damaſum compoſitum eſſe agnoſcunt* (k). Et nunquid neceſſitatibus Pontificum aliis modis per largiſſimas donationes fuit provisum? In eo ſenſu admittimus, Annatas eſſe omnino juris divini, quo modo id de decimis, oblationibus, aliisque proventibus Clericorum admittimus, in quantum nempe ſapiunt congruam ſuſtentationem, & neceſſitas Clericorum eas exigit. Id autem conſtanter inficiamur, quod neceſſe fuerit ad neceſſitates ſublevandas primis ſæculis imponere Annatas, ſive quod actu fuerint impoſitæ, id quod probandum foret ab authoribus.

Origo Annatarum non eſt juris divini, aut apoſtolici.

Pontificale Damaſi non eſt Damaſi.

Itaque originem Annatarum, illarum nempe, quas vetuſtiſſimas eſſe diximus, ab illo tempore eſſe derivandam exiſtimamus, quo Epiſcopi pro ordinationibus Epiſcoporum exactiones antea inauditas face-

Origo Annatarum antiquiſſimarum unde derivanda?

Hh 3

(h) Loc. cit. N. 14. (i) Loc. cit.

(k) Biblioth. Eccleſ. auth. Tom. II. pag. 265. vid. etiam Samuel Baſnage Annal. Polit. Eccleſ. Tom. III. ad an. 384. ubi ſententiam contrariam egregiè refellit, & inter alia ſic habet: *eſt tamen certiſſimum, Damaſo Pontificale abjudicandum.*

Digitized by Google

De more dandi aliquid pro ordinatione, conſecratione & inthronizatione.

facere conſueverunt & mos invaluit ordinatori pro ordinationibus munus aliquod offerendi (l). Primus, qui id feciſſe creditur, fuit Antoninus Epiſcopus Epheſi, qui ordinationes Epiſcoporum venumdabat fecundum valorem annuorum redituum Eccleſiæ (m), & propterea in Concilio Epheſino a. S. Joanne Chryſoſtomo congregato, quemadmodum etiam hic ipſe abuſus fuit damnatus (n). Synodus Chalcedonenſis depoſitionis pœnam decrevit contra illos, qui pretio ordinarent Epiſcopos aut alios Clericos (o). Paulo poſt ad elidendam hanc legem fraudibus & dolis agi cœptum eſt, data videlicet pecunia poſt ordinationem. Huic fraudi contravenit Gennadius Epiſcopus Conſtantinop., ac pœnas a Synodo Chalcedonenſi decretas injecto anathemate intendit (p). Non potuit iſte mos aboleri: quin potius magis magisque invaluiſſe inde colligitur, quod Juſtinianus Imperator octoginta annis poſt Gennadium illum roboraverit in Novel. 56. cap. 1., hoc modo: *ſancimus igitur, beatitudinem tuam* (ita ſcribit ad Mennam Patriarcham Conſtantinop.) *hoc validiſſime cuſtodire, ut, ſi quidem conſuetudo eſt, dare eos, qui ordinantur in ſanctiſſima Eccleſia majore, hoc eos præbere, nihil enim de iis, quæ dantur, in ſanctiſſima Eccleſia majore novamus.* Plenius autem morem dandi aliquid pro ordinatione etiam Officialibus Epiſcopi confirmavit in Novel. 123. cap. 3. *pro conſuetudinibus*, ait, *illa ſola permittimus præberi ab ordinatis Epiſcopis, quæ ſubſequenter præſenti lege ſancita ſunt. Jubemus igitur beatiſſimos Archi-Epiſcopos & Patriarchas &c. ſi quidem conſuetudo habet, Epiſcopis & Clericis in eorum ordinatione non minus quam 20. auri libras dari, ipſa ſolummodo præberi, quæ conſuetudo recognoſcit; plus autem ab hac quantitate nihil ſupra 20. auri libras præberi.* Porro cap. 16. equidem jubet Imperator Clericorum ordinationes gratis faciendas, una tamen approbat conſuetudinem dandi

(l) Ita ſentiunt Ludov. Thomaſſ. Part. 3. lib. 1. §. IV. Petrus de Marca de Concord. lib. 6. cap. 10. Natal. Alex ad Sæc. XV. & XVI. Diſſert. 9. Boehmer ad Tit. de tempor. ordinat. §. XXXIII. Marcus Anton. de Dominis de Repub. Eccleſ. lib. 9. cap. 9. Quidquid contradicat D. a Ludewig Diſſert. de Annat. cap. 1. exiſtimans, eas a jure Regaliarum deducendas, & potius Domino territoriali, quam Pontifici eſſe debitas. Sed quis neſcit longe aliam eſſe rationem & fundamentum juris Annatarum & Regaliarum?

(m) Nam, ut ait, Palladius in vita S. Chryſoſtomi: *pro modo redituum.*

(n) Vid. Photius in Biblioth. cap. 96.

(o) Synod. Chalced. cap. 2.

(p) Petrus de Marca loc. cit. N. 2.

Digitized by Google

di aliquid officialibus Epiſcopi: *ſed neque Clericum*, ait, *cujuscunque gradus dare aliquid ei, a quo ordinatur, aut alii cuilibet perſonæ permittimus: ſolas autem præbere eum conſuetudines iis, qui ordinantium miniſtrantes ſunt, ex conſuetudine accipientibus unius anni emolumenta non transcendentem.*

En! in his textibus Imperator continuo ad conſuetudinem provocat, ſigno manifeſtiſſimo, Synodum Chalcedonenſem contra hunc morem non prævaluiſſe. Sed & id inde infertur, ex hoc more offerendi aliquid pro ordinationibus, annatas proprie tales, quæ conſiſtunt in fructibus unius anni, uti vult Thomaſſinus (q), Gothofredus (r), & Boehmer (s), nec non taxationes Cancellariæ, uti ait Petrus de Marca (t), ſuam traxiſſe originem.

Porro autem hanc conſuetudinem Sæc. IV. in Concilio Romano a ſe anno 595. celebrato penitus abrogavit Gregorius M., atque nihil omnino pro expeditione literarum, pro pallio, pro ordinationibus, aut ob eam cauſam, quæ prætexi ſolet vocabulo *Paſtelli* ſeu convivii, eſſe dandum, vel petendum ſtatuit, niſi quis poſt ordinationem, acceptasque literas & pallium proprio motu ſine conventione dare voluerit. Refertur hæc conſtitutio apud Gratianum (u) quæ ad Sæc. usque VIII. Romæ viguit, ut patet ex reſponſione Papæ Zachariæ ad ſedis Apoſtolicæ Legatum, in qua vindicat honorem Sedis Romanæ, cui inique objiciebatur, quod pro pallio & literis confirmatoriis pretia recipiat (x). *Mos hic fuit abrogatus.*

Verum poſtea iterum antiquum morem in Eccleſia & Curia Romana reaſſumptum, patet tum ex querelis Pariſienſis Concilii juſſu Ludovici Pii ejusque filii Lotharii an. 829. celebrati, tum ex epiſtolis Ivonis Carnotenſis an. 1090. ſcriptis (y), tum ex eo, quod Sæc. XIII. Clemens V. celebraturus Concilium generale Viennenſe in Gallia magno illi Jureconſulto Guillelmo Durando Epiſcopo Wimatenſi, qui communius *Speculator* dicitur, mandaverit, ut quædam conſcriberet capita, quæ reformatione digna eſſe judicaret. Executus eſt Durandus mandatum Pontificis, & inter alia præcipue reformatione dignam exiſtimabat conſuetudinem in Romana Curia vigentem accipiendi pecunias *Iterum reaſſumptus.*

(q) Part. 3. lib. 1. cap. 3. §. 4.
(r) In not. ad Novel. 123. cap. 16.
(s) Loc. cit. §. XXXIV. (t) Loc. cit. N. 3.
(u) Diſt. 100. cap. novit. & cap. novit. C. 1. q. 2.
(x) Epiſt. 5. ad Bonif.
(y) Vid. Petrus de Marca lib. 6. cap. 10. N. 13.

Digitized by Google

nias pro conſecratione, benedictione, pallio, receptione literarum, eamque veluti ſimoniacam damnare non dubitabat rejecta illa diſtinctione inter pretium, quod ante, & poſt conſecrationem recipitur. Verba Durandi ſunt prægnantiſſima prorſus, & ferme exceſſum zeli loquuntur (z). Summa autem pecuniarum, quæ ſolvenda fuit Curiæ Romanæ, erat prægrandis, & non nunquam exigebatur ſecundum valorem beneficii, aliquoties vel ut plurimum, uti teſtatur Oſtienſis (a) reditus unius anni, & inde fortaſſis dicebantur *Annatæ*, quas ſolvere tenebantur, qui Romæ ex quocunque capite, ſive quod eſſent Epiſcopi Suffraganei Pontificis qua Metropolitæ, ſive Metropolitæ Italiæ, ſive litis cauſa ſuper electione motæ agerent in Curia, ordinabantur, & conſecrabantur, quia eo tempore nondum Pontifices ſibi reſervarunt jus confirmandi & conſecrandi omnes Epiſcopos in toto orbe Chriſtiano exiſtentes. Unde mirum non eſt, quod ab illo tempore, quo Pontifices ſibi jus confirmandi Epiſcopos reſervarunt, etiam ab Epiſcopis Germaniæ Annatas exegerint.

Origo Annatarum novarum ex beneficiis vacantibus unde petenda?

Alterum genus Annatarum eſt illud, quod ſpectat fructus primi anni vel plurium annorum ex beneficiis vacantibus acceptos, qui hodie nomine *Annatarum* veniunt. Origo harum altius eſt repetenda, nempe ab Annatis ſeu fructibus, quos tum Abbates ex Prioratibus & Obedientiis ſui juris, tum Epiſcopi ex Parochiis & beneficiis vacantibus ſuæ ditionis ac Diœceſeos perceperunt, & quidem aliquamdiu, antequam Pontifices id juris ſibi arrogarent.

Annatas Epiſcopi & Abbates petierunt ante Pontifices.

Quare, & quo fundamento?

Erant enim antiquitus Epiſcopi pleniſſimi Adminiſtratores rerum temporalium Eccleſiæ non tantum Epiſcopalis, ſed etiam reliquarum Eccleſiarum ab Epiſcopali quaſi avulſarum per diſtrictum Diœceſeos. Idcirco in ſua poteſtate eſſe exiſtimabant, Eccleſiarum vacantium fructus pro neceſſitatibus ſive præſentibus ſive futuris ad annum vel ultra ſibi reſervare, & id eo majori jure, quod crederent mortuo beneficiato beneficium iterum coaleſcere cum Epiſcopatu tanquam ſuo ſtipite, a quo avulſum fuerat, illiusque fructus veluti quoſdam rivulos ab Eccleſia

(z) *Cum illa, in quibus agitur de ſimonia, in novo & veteri teſtamento, in Conciliis a SS. Patribus, & Romanis Pontificibus damnata, non ſerventur maxime in Curia Romana, in qua etiam cœtus Dominorum Cardinalium vult habere una cum Domino Papa certam portionem a Prælatis, qui promoventur, videretur ſuper hoc maxime providendum, nam hæc hæreſis maxime corrumpit Eccleſiam &c.* ita Durandus part. 1. de modo celebrandi Concilium.

(a) A Thamaſſino loc. antea cit. allegatus.

Digitized by Google

cleſia Matrice dimanantes ſede vacante iterum ad ſuum fontem reſluere. Longe aliter ſe res habebat in Eccleſia Romana: neque enim hæc cuſtos erat aliarum Eccleſiarum viduatarum, neque harum ſubſtantiam adminiſtrabat, neque dici poterat cum veritate niſi in ſenſu lato, quatenus Eccleſia Romana eſt Mater omnium Eccleſiarum etiam epiſcopalium, quod cœteræ Eccleſiæ ab ipſa fuerint avulſæ, & reditus Eccleſiarum vacantium ad Romanam tanquam ſuum fontem reſfluerent (b).

Mos hic apud Epiſcopos invaluit antiquitus, & duravit longiſſime.

Mos hic percipiendi fructus Eccleſiarum vacantium apud Epiſcopos invaluit, priusquam fuit facta bonorum diviſio, & beneficia in titulum fuere erecta, & poſtea etiam duravit, & quidem ultra tempus, quo Epiſcopis a Concilio Lateranenſi III. an. 1179. ſemeſtre pro conferendis beneficiis fuit præfixum, eatenus nempe, quatenus Epiſcopis non modo per ſemeſtre, quo Eccleſiæ vacabant, ſed etiam ultra collato ſolo titulo beneficii fructus licuit reſervare. Hujus teſtem habemus ipſum Raymundum a Pennafort a Thomaſſino citatum (c), ubi de hac conſuetudine tunc temporis adhuc vigente teſtatur, & diſtinquit, utrum, qui dat beneficium ſpirituale, proventus ipſius ante donationem percipiat, aut non: ante collationem pro juſta cauſa & neceſſaria poteſt collator ſibi reſervare fructus, non tamen poteſt paciſci ſive in conferendo beneficio ſive eo collato, ut ſibi fructus retinere liceat.

Epiſcopi impetrant reſcripta Pontificia ſuper reſervatione fructuum.

Succeſſu temporis, neſcio ob quam cauſam, Epiſcopi cæpere hoc jus ſuum antiquum reſervandi fructus munire reſcriptis pontificiis. Ita referente Mathæo Pariſienſi ad annum 1246. Archi-Epiſcopus Cantuarienſis ex reſcripto pontificio fruebatur Annatis ſuæ Diœceſeos: Honorius III. Tullenſi Epiſcopo duas Annatas omnium beneficiorum in ea Diœceſi vacantium ad diluendum æs alienum, quod contraxerat, indulſit (d). Eandem gratiam ad quinquennium alteri Epiſcopo indulſit Bonifacius VIII: *propter tua debita perſolvenda fructus beneficiorum primi anni usque ad quinquennium in ſpeciali gratia concedimus* (e). Occaſionem aut neceſſitatem petendi reſcripta pontificia probabilius fecerunt

(b) Thomaſſ. Part. 3. lib. 2. cap. 58. & poſt ipſum Illuſtris de Barthel Opuſ. Jurid. Tom. II. Diſſert. Prælim. cap. 3. pag. 252.

(c) Loc. cit.

(d) Cap. tua nobis de V. S.

(e) Cap. ſi propter de Reſcript. in 6.

Juris Eccleſ. Tom. III. Ii

Digitized by Google

cerunt Alexander III. & Innocentius III. in Conciliis Lateran. III. & IV., in quibus inhibuere Epiſcopis Eccleſias novis exactionibus onerare.

Pontifices usque ad Clementem V. ſibi non reſervarunt Annatas.

Jam ad Annatas Pontificis. Ex omnibus retro actis ſæculis non liquet, quod Pontifices usque ad Clementem V. Annatas, ſeu fructus vacantium Eccleſiarum ſibi reſervaverint, cum illarum nulla fiat mentio neque in Decretalibus Gregorii IX. neque Bonifacii VIII. imo Bonifacius clare edixit, proventus Eccleſiarum vacantium ſucceſſoribus reſervandos, aut Eccleſiæ, illiusque neceſſitatibus impendendos.

Clemens V. fecit reſervationem Annatarum ſed non univerſalem.

Sed nec Clemens V. Annatas univerſales ſtatuiſſe legitur, utpote de quibus nullum in Concilio Viennenſi a ſe celebrato verbum legitur. Id ſolum de ipſo ſcribitur, quod, cum hic Pontifex crebrioribus Epiſcoporum precibus Annatas ſibi depoſcentium fatigaretur, ipſum quoque earundem aliquando delibandarum cupido inceſſerit, & hinc ſibi etiam, prout refert Mathæus Weſtmonaſterienſis, ſed non niſi in Eccleſia Anglicana & ad biennium reſervaverit fructus vacantium Eccleſiarum, exiſtimans, id ſibi qua Superiori licere, quod Epiſcopi inferiores ſibi licere crederent. Notanter diximus, quod Pontifices Annatas id eſt *fructus vacantium Eccleſiarum* ſibi non reſervaverint: Nam moris fuiſſe in Eccleſia Romana antiquitus, ut, qui Romæ conſecrabantur Epiſcopi, certam pecuniæ ſummam non quidem pro conſecrationis munere, ſed honorarii nomine conferre tenerentur, ſupra animadvertimus.

Annatæ novæ, quarum author Joannes XXII.

Alterum ergo Annatarum genus diſtinctum ab Annatis, quas Pontifices perceperunt a Metropolitis & Epiſcopis Romæ conſecratis, & conſiſtit in reſervatione fructuum Eccleſiarum vacantium ob neceſſitates publicas Eccleſiæ Romanæ, invexit Joannes XXII., qui præter annuum tributum ex omnibus beneficiis non electivis exigendum ob neceſſitates Eccleſiæ Romanæ incumbentes ſibi reſervavit, ſed non niſi ad triennium, proventus omnium Eccleſiarum minorum, & non electivarum intra illud temporis ſpatium vacantium, uti patet ex illius conſtitutione ſupra citata, & in corpore Juris clauſa.

Annatæ noviſſimæ, quarum author Bonifacius IX.

Tertium denique genus Annatarum eſt Bonifacii IX., qui non modo tributum illud temporarium a Joanne XXII. ad triennium reſtrictum fecit perpetuum, verum etiam Annatas antea ad beneficia minora non electiva reſtrictas extendit ad Epiſcopatus, & Abbatias, etſi eas ab hoc onere liberas eſſe juſſerat Joannes XXII.: id quod familiare exactionibus omnibus, ut pedetentim creſcant, & ingraveſcant. Fecit Bonifacius hanc conſtitutionem inter ſchiſmatis Avenionenſis incen-

Digitized by Google

incendia, *cum non alia ſuppetere ratio Pontifici videretur, unde colligendæ pecuniæ ad incredibiles Eccleſiæ expenſas ſuſtentandas, in quam bellorum undique tempeſtates ingruebant* (f). De Annatis, earum juſtitia, querelis deſuper motis, abolitione & mutatione infra pluribus agetur.

§. VII.

Quantus quantus erat nexus inter Pontifices, Epiſcopos, & Capitula, profecto tot tantæque reſervationes Pontificiæ neceſſario debuerunt commovere Epiſcopos, nexum Hierarchicum ſi non rumpere, & diſſolvere, ſaltem violare, & tumultus facere in populo: quomodo enim æqua mente potuerunt Epiſcopi ſuſtinere, ut ſibi margarita ſua prorſus pretioſiſſima, qualis eſt jus conferendi beneficia, quam ipſe Chriſtus Dominus ipſis concredidit, e manibus ſurriperetur? qua animi indifferentia potuere diſſimulare, ut ſibi jus conferendi beneficia ex jure divino competens, conſtanti eaque nunquam interrupta, & per XII. Sæcula continuata poſſeſſione & traditione ſtabilitum intra arctos adeo limites reſtringeretur? An non neceſſario indolendum erat gregi ipſi a ſummo Paſtore ſibi concredito, cui non ſemper per optimos Paſtores proviſum iri facile prævidebant? eo quod Pontifices neque neceſſitates tot innumerarum Eccleſiarum particularium, neque qualitates præficiendorum ſat ſibi perſpectas haberent. Similem conquerendi modum habuere Capitula Cathedralia, quibus jus eligendi Epiſcopos prorſus inæſtimabile, jure conſuetudinario ſibi aſſertum, & jure communi ſcripto poſtea confirmatum, fuit ademptum. Et quis non indolere debuerat? eo quod modus ille aſſumendi Epiſcopos, qualis fuit electio, juri divino, & Apoſtolico, traditioni perpetuæ, ac puriori diſciplinæ antiquioris Eccleſiæ vel maxime conformis, & per XIII ſæculorum decurſus continuatus, in alium fuerit transmutatus, & ferme ex orbe Catholico univerſo eliminatus? quum tamen ferme creditum fuerit, electionem eſſe modum optimum aſſumendi Prælatos ad regimen Eccleſiarum adminiſtrandum. Plura hic dici poſſent, ſed non vacat ea dicere.

Reſervationes excitarunt tumultus, commoverunt Epiſcopos, & quidem juſte.

Etiam Capitula commoverunt.

§. VIII.

Quare mirum non eſt, quod univerſa regna, Nationes, Epiſcopi, aliique jus vel eligendi, vel conferendi beneficia habentes ſuas deſuper querelas graviſſimas depoſuerint, & Epiſcopi a latere Pontificis recedentes auxiliatricem opem apud Imperatores ſollicitaverint.

Reſervationibus ſe oppoſuerunt Reges Angliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, & Galliæ, Italiæ.

Ii 2 Ita-

(f) Sunt verba Illuſt. de Barthel loco ſupra citato.

Itaque ſe hisce reſervationibus oppoſuit Eduardus Rex Angliæ, qui proviſiones omnes à Clemente VI. Pontifice Angliæ Cardinalibus factas revocavit. Literas Eduardi prorſus graviſſimas, & querelarum plenas refert Valſinghamus (g). Idem fecere Galli, qui durante luctuoſo illo ſchiſmate Pariſiis coiverunt in Concilium anno 1399., in quo utrumque Pontificem Romæ & Avenione ſedentem veluti illegitimum declararunt, & rejecerunt, ac de cætero conſtituerunt, ut non amplius relinqueretur locus gratiis exſpectativis, earumque executionibus, quod ex iis fomenta ſchismatis plura ſuppeditarentur. Idcirco conſtitutum, ut omnibus beneficiis poſthac per canonicam electionem, & collationem provideretur. Cauſas hasce querelarum clarioribus & prægnantiſſimis prorſus verbis expreſſit Carolus VI. Rex Galliæ, qui Eccleſiæ Gallicanæ Pariſiis congregatæ decretum confirmavit an. 1406., & ejus executionem curiis Parlamenti, cæterisque Magiſtratibus commiſit (h). Gallos æmulati ſunt Hiſpani, qui cum ſuo Rege Henrico II. Compluti coierunt in Concilium an. 1399. & in hoc ferme eadem condiderunt decreta, quibus obviam itum reſervationibus Pontificiis. Neque in his ſegniores extitere Reges Poloniæ, qui referente Rainaldo (i) variis edictis reſervationibus Pontificis arctiores ponere limites totis viribus contenderunt.

Etiam Germani. Quid de noſtris Germanis dicamus? quemadmodum inclyta Natio Germanica majoribus ſemper libertatibus in ſtatu politico, ita etiam in ſtatu Eccleſiaſtico in electione Epiſcoporum præcipue, & collatione beneficiorum gaviſa fuit, niſi quod aliquoties Imperatores libertatem electionum turbaverint. Quare Epiſcopis, & Capitulis Germaniæ potiſſimum difficillimum accidere debuit, quod in ſuis juribus, privilegiis, & libertatibus exercendis tantopere impedirentur, & hoc tanto magis, quanto jam ſublimior erat dignitas tum Epiſcoporum tum Capitulorum: nam eæ tunc erant rerum circumſtantiæ, ut Epiſcopi jam ſimul principatum tenentes fuerint Principes Imperii, variisque ſingulariſſimis prorſus prærogativis inſigniti; ipſa vero Capitula ſpectabile prorſus in ſtatu tam Eccleſiaſtico, quam Politico variis proceriis, juribusque ſublimiſſimis præditum corpus conſtituerint, ita ut jam in multis alii Canonici non reciperentur, niſi forent de prima Ger-

(g) Literas has refert illuſt. Caſparus Barthel. in Differt. Prælim. de Concor. Germ. ſect. 5.

(h) Idem Decretum recitat cit. auth. loc. cit.

(i) Ad an. 1343.

Digitized by Google

Germaniæ nobilitate progeniti. Hi ergo ægerrime ferentes, quod ferme omnia ſua jura, libertates, & prærogativæ a Pontificibus peſſumdentur, ſua conſcripſerunt gravamina, eaque obtulerunt Sigismundo Imperatori, quatenus ſua interceſſione apud Sedem Pontificiam res Germaniæ collapſas in melius reſtitueret, jura ac libertates ereptas vindicaret, ſuaque authoritate poſthac ſuſtentaret. De his gravaminibus mox fuſius in §. ſeq. de aliis autem 100. gravaminibus Germanorum Cap. ſeq. agemus.

§. IX.

Jam ſupra retulimus Synodos, quæ hisce Sæculis occaſione Hæreſum, ſchismatum, & diſſidiorum inter Pontifices, Imperatores, & Epiſcopos, inter Eccleſiam, & Imperium fuere celebratæ. In Concilio Piſano ferme unice agebatur de abolendo ſchismate, & exauthorandis pſeudo-Pontificibus Benedicto XIII. & Gregorio XII. Verum in Concilio Conſtantienſi paulo poſt an. 1414. authoritate ipſius Imperatoris Sigismundi convocato majori cum fervore de reformanda Eccleſia, tollendis abuſibus, reſtituendis juribus epiſcopalibus, abrogandis reſervationibus, caſſandisque Annatis actum fuit. Nolumus hic ea diſcutere, quæ Theologicæ ſunt disquiſitionis, & in cauſa hæreſis Wicleſianæ, & Huſſitarum acta ſunt. Duo duntaxat ſicco calamo præterire non poſſumus, quorum primum eſt, quod in hoc Concilio rebus pro & contra acerrime diſputatis Laicis communio ſub utraque ſpecie fuerit prohibita, de qua prohibitione olim acerrime diſputatum, & in hodiernam usque diem, ſed non niſi audaciſſime diſputatur, an legitime fuerit facta, & fieri potuerit, etſi Synodus Trident. ſub anathemate prohibuerit, ne quis dicere audeat, quod Eccleſia communionem ſub utraque ſpecie non recte prohibuerit. Alterum eſt, quod in Seſſ. 4. & 5. Superioritas Conciliorum ſupra Pontificem fuerit decreta. Cæterum quamvis Galli iſtud decretum tanquam legitimum, & authenticum recipiant, nihilominus Itali, & plures Germani pro authoritate Pontificis decertantes, ut illud reciperent, perſuaderi non potuerunt.

De actis in Concilio Piſano & Conſtantienſi.

Communio ſub utraque ſpecie interdicta laicis.

Superioritas Conciliorum ſupra Pontificem decreta

Sed miſſis his ad ea veniamus, quæ noſtri ſunt fori. Itaque & Galli, & Germani ſua depoſuerunt gravamina. Germani quidem miſerunt ſuos Deputatos eum in finem, ut Aviſamenta ſua (ita vocabant collectionem ſuorum gravaminum) Patribus in Synodo congregatis offerrent, & deſuper audirentur, quod & factum eſt anno

Germani ſua gravamina ſeu Aviſamenta depoſuerunt.

 1416.

1416. (k). Octo potiſſimum capitibus Germani ſua complectebantur gravamina, ex quibus tria prima retuliſſe ſufficiat. Itaque in primo agebatur de extirpandis Simoniacis exactionibus pecuniarum & proventuum eccleſiaſticorum, & abrogandis reſervationibus Beneficiorum per Extravagantes & Regulas Cancellariæ factis, illis nempe, quæ non eſſent clauſæ in corpore juris. In altero vero urgebant Germani, ut beneficia, quæ Legati, & Cardinales Romani ad ſe traxerunt, poſthac non vacarent in Curia, ſed eorum libera collatio poſt obitum illorum, etiamſi Romæ decederent, ordinariis collatoribus reſtituatur. In tertio inſtabant, ut poſthac in beneficiis electivis ſervetur forma electionis a jure communi Canonico præſcripta, quin unquam ſub aliquam gratiam exſpectativam cadere valeant, ita tamen ut electiones per immediatos Superiores examinentur, & confirmentur. Specialiter etiam de tollendis Annatis urgente potiſſimum Natione Gallica, per Deputatos quinque Nationum, & tres Cardinales Piſanum, Cameracenſem, & Florentinum a Concilio delegatos actum fuerat.

Quibus non fuit ſatisfactum.

Verum conatus iſti ſuo optato caruerunt effectu, etſi ſpes ſumma affulgeret, quod omnia in melius ſint reformanda. Expreſſe enim cautum erat mox ab initio Synodi, ut Pontifex proxime eligendus ſuper articulis per Nationes, & maxime Germanicam in reformatorio oblatis tractaret, ageret, & tranſigeret. Attamen Martinus V. in alia majoris momenti negotia diſtentus in aliud commodius tempus hujus rei executionem diſtulit. Ut tamen modo quodammodo proviſorio Nationi Germanicæ qualitercunque ſatisfaceret & conſuleret Pontifex, certam aliquam adminiſtrationis concordiam cum Germanis iniiſſe, eamque a Joanne Cardinale Oſtienſi, Romanæque Eccleſiæ Vice-Cancellario Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi fuiſſe communicatam ſcribunt, cujus præcipua capita ex Leibnitio refert Barthelius (l).

Fuere de novo in Concilio Baſileenſi propoſita.

De quibus cauſis in Concilio Florentino fuerit actum.

Itaque cum in Concilio Conſtantienſi gravaminibus Nationum ſatisfactum non fuerit, controverſia recruduit, & majori cum fervore agitata fuit in Concilio Baſileenſi paulo poſt convocato, & tandem eo deventum, ut & gratiæ exſpectativæ, & reſervationes Pontificiæ fuerint caſſatæ, prout §. ſeq. dicemus. Num eadem fata obtigerint Annatis, loc mox cit. videbimus. In Concilio Florentino præcipue agebatur de unione inter Eccleſiam Latinam & Græcam concilianda, ſed ſine optato effectu & ſucceſſu. Concilio Lateranenſi V. occaſionem præ-

(k) Vid. Goldaſtus Tom. I. Conſtit. Imper. pag. 391.

(l) Diſſert. prælim. Sect. 6.

præbuere diſſidia inter Julium Pontificem, & Ludovicum XII. Regem Galliæ: poſtquam enim Rex Galliæ celebravit Synodum Piſanam, & in ea exauthoravit Pontificem, Julius II. in Laterano convocavit Concilium, quod ſub ipſo inchoatum, terminavit Leo X. & in hoc Concilio pſeudo-Synodus Piſana caſſata, unaque abolitio ſanctionis Pragmaticæ, ac ſubſtitutio Concordati Gallici inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Galliarum initi fuit confirmata.

§. X.

In Concilio Baſileenſi gratiæ exſpectativæ & reſervationes Pontificum, una excepta abolitæ.

Tandem prout ſupra memoravimus, rebus Germanorum, aliarumque Nationum melius fuit proſpectum in Concilio Baſileenſi, & poſt plures altercationes in Seſſ. 12. & 23. omnes gratiæ exſpectativæ, reſervationes tam generales quam ſpeciales, illa ſola excepta, quæ dicitur in corpore juris clauſa, fuerunt abolitæ, caſſatæ, & annullatæ, & de reliquo cautum & proviſum, ne Pontifici liceret poſthac alias facere reſervationes, niſi in ſuis territoriis Sedi Apoſtolicæ ſubjectis. Atque hæc fuere fata proſpera Reſervationum. Num eadem ſors obtigerit Annatis, id eſt, an hæ etiam in Concilio Baſileenſi fuerint ſublatæ, inter DD. diſputatur. Vir eruditiſſimus Petrus de Marca id aſfirmat (m) cui plures tamen & ferme plerique Scriptores contradicunt (n). Hoc certum eſt, quod de illis abrogandis, quin etiam de illarum juſtitia acerrime fuerit diſputatum tam in Concilio Conſtantienſi, quam Baſileenſi, illarum abrogationem in Concilio Conſtantienſi vehementiſſime urgentibus Nationis Gallicæ Deputatis, qui, quum ſe in deliberationibus deſuper habitis ob contradictiones Cardinalium, licet cæteri Nationum Deputati in illarum abolitionem facile conſenſerint, inaniter agere viderent, diſſoluta congregatione privatim coierunt, & conſultatione habita eas omnino abrogandas eſſe cenſuerunt. At vero ab hoc Deputatorum concluſo Cardinales appellarunt ad futurum Pontificem, quo electo, quum plura alia majoris momenti negotia definienda forent, altum de Annatis fuit ſilentium. Paulo poſt Carolus VI. Rex Galliæ querelis Senatus Pariſienſis interpellatus edictum

An etiam Annatæ? Dubitatur.

(m) De Concord. lib. 6. cap. 11. N. 9.

(n) Præcipue Thomaſſinus Part. 3. lib 2. cap. 59. ubi oſtendit Annatas in Concilio Baſileenſi potius fuiſſe confirmatas quod idem factum eſſe aſſerit in Conventu Bituricenſi Gallorum ſanctione Pragmatica, ac Concordato Gallico.

Digitized by Google

ctum ſuum an. 1406. emanatum innovavit, & Annatas, quæ tempore ſchiſmatis a Benedicto XIII. Avenione ſedente imponebantur, ſolvi prohibebat, cæteraſque exactiones ceſſare jubebat.

Annatæ a quibusdam Simoniæ & hæreſeos accuſantur.

Recruduit hæc controverſia in Concilio Baſileenſi, & contra Annatas adeo vehementer fuit diſputatum, ut quidam illarum exactiones Simoniæ, & hæreſeos accuſaverint. Contigit nempe Annatis, quod olim inveſtituris per annulum & baculum, quas plures Pontifices Gregorius VII. Victor III. Callixtus II. in variis Conciliis damnarunt, illaſque non nulli ſcelus Idololatriæ vocarunt, uti Gregorius VII.; alii indubitatam hæreſin, ut Joannes Lugdunenſis Archi-Epiſcopus, Goffridus Vindocinenſis Abbas, & Guido Viennenſis Archi-Epiſcopus, poſtea Romanus Pontifex renuntiatus; alii alieni juris invaſionem, & ſacrilegam præſumptionem, ut Ivo Carnotenſis, & tamen inveſtituræ quoad ſubſtantiam ſolo mutato ritu, quo olim conferebantur, nempe per annulum & baculum, abrogatiſque abuſibus fuere in Concilio Lateranenſi. I. confirmatæ. Et unde hoc? nempe ex diverſo hominum judicio: nam credebant non pauci, annulum & baculum eſſe ſigna conteſtativa poteſtatis epiſcopalis non niſi a Deo per Epiſcopos, neutiquam per Imperatores conferendæ. At vero innoxiæ ſunt habitæ Inveſtituræ, poſtquam in locum annuli & baculi aliud ſignum, videlicet ſceptrum ab Imperatoribus fuit aſſumptum, ut ſignificaretur, per ſceptrum non niſi feudum Imperii conferri. Haud diſpari ratione diverſum fuit judicium de Annatis. Habebantur Simoniacæ, quamdiu creditum fuerat, eas ſolvi & exigi ob electiones, confirmationes, & ordinationes ſacras, & de genuino exigendi titulo nondum conſtabat. Immunes ab omni ſimoniæ ſuſpicione habebantur, quamprimum de legitimo titulo nempe ſubventionis zeloſiores diſciplinæ eccleſiaſticæ vindices edocti ſunt.

Diverſum de inveſtituris per annulum & baculum judicium, & unde?

Diverſum quoque judicium de Annatis.

Rationes, cur annatæ videantur eſſe Simoniacæ.

Verum enim vero poſtquam tituli quidam eas exigendi deſierunt, & Pontifices non nulli Annatas vel cum exceſſu exegerunt, vel in malos uſus applicarunt, novis argumentis earum exactionem vel potius abuſum impugnare aliqui aggreſſi ſunt. Juvat & antiquiorum Scriptorum, qui Annatas univerſim veluti Simoniacas damnarunt, & noviorum, qui illarum abuſum perſtringunt, argumenta in compendio afferre. Illi priores proram & puppim collocant in S. literis, quæ jubent *gratis dare*, quod *gratis ſuit acceptum* (o) & in quibus legimus Simonem Magum damnatum, eo quod gratiam Spiritus S. emere vellet (p). Utun-

(o) Matth. 18. v. 8. (p) Act. 8. v. 20.

Utuntur ulterius argumento traditionis, præcipue authoritatibus Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani, Gregorii M., Zachariæ Pontificis, Juris Græco-Romani, Synodi Pariſienſis ſub Ludovico Pio, Durandi Epiſcopi Mimatenſis, aliorumque, eorum præcipue, qui in Concilio tam Conſtantienſi quam Baſileenſi pro abolendis Annatis mira facundia perorarunt.

Earum abuſus quoque argumentis multis perſtringitur.

Hi poſteriores in ſequentibus ſe fundant: 1mo quidem, quod Annatæ a Joanne XXII. & Bonifacio IX. fuerint introductæ ex cauſa Paſſagii & recuperationis terræ ſanctæ, aliisque cauſis publicis Eccleſiam affligentibus, quæ cum ceſſaverint, ceſſabunt etiam Annatæ, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus. 2do. Annatæ hactenus impenduntur potius in luxum & Nepotiſmum fovendum, nutriendumque, quam in finem, in quem ſunt ordinatæ. 3tio. Inde innumeri abuſus introducti, multæ Eccleſiæ exhauſtæ, & ad extremam paupertatem redactæ, ita ut ſacra vaſa & calices vendi debuerint,& multi Prælati ob non ſolutas Annatas cenſuris eccleſiaſticis innodati, in his mortui, & eccleſiaſtica ſepultura ſint privati. En in compendio, quæ contra Annatas antiquiores & noviores oppoſuerunt!

Annatæ a labe ſimoniæ vindicantur.

Jam qua arte hiſce argumentis obviari, & quo jure Annatæ exigi poſſint, videamus. Mox antea monuimus, Scriptores zeloſiores antiquiores adeo rigide de Annatis ſenſiſſe, priusquam titulus illas exigendi, nempe titulus ſubventionis neceſſariæ ſuit eliquatus. Procul dubio crimen Simoniæ peſſimum & turpiſſimum omni jure naturali, divino, & humano prohibitum eſt petere *temporale pro ſpirituali* e. g. pro ordinatione, confirmatione, & conſecratione. At vero exigere temporale occaſione ſimilium functionum ſpiritualium, pro neceſſaria ſuſtentatione, pro ſublevandis neceſſitatibus Eccleſiæ, pro alendis miniſtris, ſimoniacum eſſe quis dixerit? Num Sacerdotibus & Levitis legis veteris petere decimam, Epiſcopis aliarum Eccleſiarum indicere ſubſidium charitativum, quorundam beneficiorum ſibi fructus pro fabrica Eccleſiæ, pro alendis pauperibus aliisque neceſſitatibus reſervare illicitum eſſe, quis dixerit? Num morem illum univerſalem plurimorum ſæculorum uſu comprobatum, quo Epiſcopi & Abbates ex parochiis, aliisque beneficiis, Prioratibus & obedientiis ſibi Annatas pro fabrica Eccleſiæ aliisque neceſſitatibus ſeu præſentibus ſeu futuris ſibi reſervarunt, ſimoniacum, iniquum, & peſſimum dicere quis auſus fuerit (q)? Eccur id Pontifici non liceat, quod licet Epiſcopis? An fabricæ

(q) De Annatis Epiſcoporum & Abbatum videantur ſupra dicta.

Digitized by Google

fabricæ & reparationis templorum peculiarium majora ſunt momenta, quam defenſionis Romanæ Eccleſiæ, in qua Principatus reſidet Cathedræ Apoſtolicæ? Anne plus præmii, vel potius ſubſidii neceſſarii meretur cura paſtoralis Eccleſiæ particularis, quam univerſalis per omnem orbem Catholicum diffuſæ? Profecto ii ipſi rigidiores diſciplinæ eccleſiaſticæ exactores, & Annatarum impugnatores imperterriti, quales fuere Petrus Cantor, & præcipue Joannes Gerſonius univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, uſum & exactionem Annatarum ex ſimilibus titulis eſſe licitam agnoverunt, prout oſtendit Thomaſſinus (r) & Petrus de Marca (s), ubi diſtinquit inter *rationem priſci juris*, quo aliquid pro ordinatione & conſecratione ſive ante ſive poſt eam fuit exactum; & inter *rationem novi juris*, quo in vim ſuſtentationis & ſubſidii neceſſarii aliquid exigitur, & ita habet: *ſic cenſeo, ſi ratio habeatur priſci moris, & authoritatis antiquorum Patrum, puram eſſe ſimoniam, ſi quis etiam poſt ordinationem pecuniam recipiat. At ſi novi juris ratio habeatur, Annatæ liberari poſſunt a ſuſpicione ſimoniæ.* Priorem partem oſtendit authoritatibus Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani, S. Gregorii M., Juris Græco-Romani, Zachariæ Pontificis, Synodi Pariſienſis ſub Ludovico Pio; item teſtimoniis Guilelmi Durandi Epiſcopi Mimatenſis, & Deputatorum nationis Gallicanæ in Concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi, additque rationem, *quod, cum pecunia illa detur contemplatione ordinationis, aut confirmationis, gratia Spiritus S. venumdatur.* An hæc ratio ſit vera, valde dubitamus. Nemo ſane usque nunc dicere auſus fuit, quod pecuniæ illæ dari debuerint pro ordinatione, ſed occaſione illius ex alio titulo, fortaſſis ſubſidii, ſubventionis, vel ſuſtentationis. Alteram partem probat authoritate illorum etiam, qui mordicus contra exactionem Annatarum decertarunt, Joannis Gerſonii & Petri de Alliaco, quorum prior, cum exactionem Annatarum titulo ſubventionis innixam impugnare non poſſet, modum exigendi impugnavit, & Pontifices non tam ſimoniæ quam avaritiæ inſimulavit. Poſterior vero æquum eſſe cenſuit, ut, quomodo Levitæ contribuebant decimam partem ſuarum Decimarum pro ſummo Pontifice Judæorum, ſic omnes contribuerent Annatas pro ſuſtentatione Papæ. *Quapropter diſcedere cogor*, pergit ulterius Petrus de Marca, *ab opinione Duareni & Caroli Molinæi ſcribentium, exactionem Annatarum eſſe ſimoniacam, etiam poſt Concordata. Nam præterquam, quod ratio ſuperius adducta liberat Epiſcopos a ſuſpicione ſimoniæ, neceſ-*

ſi-

(r) Part. III. lib. 2. cap. 58. (s) De Concord. lib. 6. cap. 18.

eſt, ut univerſi pedibus eant in illam ſententiam ob rationem, quam additurus ſum, quæ eſt maximi momenti: immanis quippe & horrenda confuſio turbaret Eccleſiam, ſi omnes iſtæ promotiones eſſent ſimoniacæ. Papa quippe eſſet irregularis, & Epiſcopis omnibus interdictum eſſet functionibus ſui miniſterii (t). Cœtera quæ præfatus author habet de diſciplina Eccleſiæ Gallicanæ quoad exactionem Annatarum aliarumque contributionum ſine conſenſu Regis neutiquam faciendam, non moramur.

Præcipua vero argumenta pro juſtitia Annatarum ſunt ſequentia: Inprimis Annatæ dantur in vim alimentorum Pontificis, Cardinalium, aliorumque Miniſtrorum, & hoc ipſo carent labe ſimoniaca, & multo minus hæreſeos accuſari poſſunt. 2do. applicantur in Legatos & Nuntios Apoſtolicos, quos Pontifices ad certas nationes, & aulas Principum ablegare neceſſum habent. 3tio ex his Annatis ſubvenitur Epiſcopis ſua ſede dejectis, & Principibus a ſuo Regno inique deturbatis: quare, licet 4to cauſa Paſſagii pro recuperanda terra ſancta ceſſaverit, ſubintrarunt aliæ cauſæ æque graves, aut ſors graviores. 5to. etſi non nulli Pontifices Annatas in Nepotiſmum effundere conſueverint, hic tamen abuſus non fuit omnium Pontificum, aut ſi fuit, tollatur abuſus, & ſervetur bonus uſus. 6to. demus aliquem exceſſum in petendis Annatis: ergo corrigatur exceſſus, & fiat æqua moderatio, & ſic res erit in ſalvo. Quod ſi ulterius dicatur, Pontificem aliunde habere ampliſſimum Patrimonium, & ex hoc percipere immenſos redditus pro ſublevandis neceſſitatibus ſufficientiſſimos, replicamus, fors ne hos quidem ſufficere, ut inde neceſſitatibus extraordinariis ſubveniri valeat. Et nunquid prudentis Patrisfamilias eſt providere etiam caſibus futuris? ſi urgeant dicendo: ad quid opus eſt tanto, tamque immenſo Officialium numero, faſtu, luxuque Prælatorum Romanorum? duplicamus, hoc ipſum inprimis poſſe objici Principibus tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus. Et dein nunquid majores Principes ex motivo charitatis & miſericordiæ non raro majorem Officialium famulorumque numerum ſuſtentant, ne innumeri homines egeſtate preſſi mendicato vivere, & tam Reipublicæ, quam civibus privatis graves accidere cogantur. Hæc de Annatis, earumque juſtitia, & injuſtitia, de quibus occurret mentio cap. 3. ubi de Concordatis Germaniæ agemus.

Jam quæſtionem facti dilucidare juvat, an revera Annatæ in Concilio Baſileenſi ex integro fuerint ſublatæ? Id quod affirmare videtur *Utrum Annatæ in Concilio Baſileenſi abrogatæ?*

(t) Loc. cit. N. 6.

Digitized by Google

detur Petrus de Marca (u). Optime tamen negat Thomaſſinus (x). Et illuſtris de Barthel exiſtimantes, earum potius moderationem, quam caſſationem fuiſſe factam, aut ſi hæc fuerit facta, illam fuiſſe ſolummodo conditionatam. Duo enim de Annatis leguntur ſtatuta, unum in Seſſ. 12. in qua decretum, ut nihil amplius in vim Annatarum acciperetur, ſed Synodus in ſe reciperet curam providendi ſuſtentationi Cardinalium & Officialium, & ne Prælati ſtatim ante conceſſionem Bullarum, & primum poſt annum a die adeptæ poſſeſſionis Annatas ſolvere obligarentur, caſu quo Concilium ſuſtentationi Cardinalium non providiſſet.

Probabilius manſerunt in ſuo vigore. Alterum in Seſſ. 21., quæ in terminis generaliſſimis Annatas videtur abrogare, aut abrogatas ſupponere. Quia tamen prius decretum Synodo injunxit curam providendi Cardinalibus de alio fundo ad ſuſtentationem eorum, nec non Legatorum, aliorumque Officialium Curiæ Romanæ ſufficienti; alterum vero decretum hanc proviſionem factam eſſe ſupponit, quin tamen facta fuerit, Annatæ manſerunt in ſuo vigore juxta moderationem tamen a Synodo præſcriptam exigendæ. Quare mirum non eſt, quod poſtea in Concordatis Germaniæ ſecundum aliam regulam ſaltem in Germania vim perpetuam habituram fuerint regulatæ, & regulari debuerint.

Porro autem non modo de Reſervationibus & Annatis moderandis abrogandiſque actum fuit in Concilio tam Conſtantienſi quam Baſileenſi, ſed etiam de aliis capitibus ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentibus, quæ reformatione indigere videbantur, potiſſimum in Seſſ. 40. & quidem de cauſis in Curia Romana tractandis, de reſtringendis appellationibus ad Sedem pontificiam, de exemptionibus & incorporationibus tempore ſchiſmatum factis, de commendis, aliiſque (y), quin tamen hiſce omnibus efficax remedium fuerit allatum.

§. XI.

Dictum fuit, quod in Concilio Baſileenſi omnes reſervationes, illa ſola excepta, quæ eſt clauſa in corpore Juris, fuerint caſſatæ. Jam vero decreta hæc Synodi Baſileenſis ambabus ulnis amplexabantur Galli, illaque Præſules Eccleſiæ Gallicanæ in ſuo conventu Bituricenſi conſolidabant, ac tandem Carolus VII. ſua ſanctione Pragmatica an. 1438. eisdem vim legis publicæ addidit. Idem fecere Germani

(u) Loc. cit. N. 6. (x) Loc. cit. cap. 59. N. 4. & ſeq.
(y) Vid. Joan. Cabaſſut. in Notit. Concil. ad Sæc. XV. pag. 580.

Digitized by Google

ni, qui hisce decretis eo potiſſimum tempore utebantur, quo ſchiſma erat inter Eugenium IV., & Felicem V.: quum enim Germani neutrius parti adhærerent, ordinarii collatores beneficio præſatorum decretorum tanto liberius in collatione beneficiorum uti poterant, quanto major fuerat illorum in regimine ſuarum Eccleſiarum libertas, usque dum ab hoc jure per ſua Concordata multum remiſerint, & receſſerint.

§. XII.

Hiſtoria Sanctionis Gallico-Pragmaticæ.

Præſtat jam hiſtoriam ſanctionis Gallico-Pragmaticæ non nihil dilucidare. Abſoluta Synodo Baſileenſi placuit mittere Legatos ad Carolum VII. Regem Galliarum & Eccleſiam Gallicanam, effecturos, ut decreta Synodi ſuſciperent, promulgarent, & obſervarent. Idcirco Rex ex magni conſilii ſui ſententia ex omni ordine eccleſiaſtico Viros præcipuos Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates aliosque Prælatos Eccleſiaſticos & Doctores in omni jure peritos congregavit Avarici Biturigum anno 1428. Conventui ipſe Rex præſedit una cum filio: auditi ſunt Legati, eorumque cauſæ examinatæ. Poſt diſcuſſionem Præſulibus, cœteriſque Eccleſiam Gallicanam præſentantibus viſum fuit decreta Synodi Baſileenſis omnino, cum quibusdam tamen modificationibus (z), ſuſcipere & corroborare. In duobus vero potiſſimum capitibus Eccleſia Gallicana decretis Synodi Baſileenſis medium adhibuit: 1mo ut Epiſcopus vigore Synodi a Pontifice conſecrandus remittatur ad immediatum Superiorem *pro munere conſecrationis*, ita tamen, ut ipſius Papæ nomine conſecretur: 2do quod liceat Regi, & Principibus adhibere preces pro viris egregie meritis, ut in Epiſcopos aſſumantur, eſto Synodus decreverit, ne Reges & Principes ſuis precibus libertatem electionum turbarent. Quapropter ſupplicarunt Præſules Regi, quatenus Rex res in congregatione decretas regio conſenſu confirmaret, earumque executionem Curiæ Parlamenti & aliis magiſtratibus imperaret, quod & factum eſt, habita prius deliberatione cum Principibus, Magnatibus, Viriſque graviſſimis tum eccleſiaſticis, tum laicis *magni Conſilii*, atque *ſanctio Pragmatica* in Senatu Pariſienſi die 13. Julii anno 1439. ſolemniter promulgata.

Decreta Synodi Baſileenſis in Gallia modificantur.

Quid ſit ſanctio Pragmatica?

Eſt ergo ſanctio Pragmatica nihil aliud, quam conſtitutio in Bituri-

(z) Hæ modificationes non ea mente ſunt adhibitæ, quaſi Concilii Baſileenſis authoritas in dubium vocaretur, ſed quod ita publica utilitas & Eccleſiæ Gallicanæ mores poſtularent, ait Natal. Alex. ad Sæc. XV. pag. 601,

turicenſi Concilio ſub Carolo VII. Galliarum Rege procuſa, continens 23. articulos, in qua juxta normam Synodi Baſileenſis cum quibusdam modificationibus pro regno Galliæ regulantur collationes & Reſervationes beneficiorum, & abolentur gratiæ exſpectativæ. Edita eſt hæc ſanctio Pragmatica a Coſma Guimierio cum notis eruditis, & habetur etiam Tom. II. Commentariorum Cleri Gallicani.

Pontifices ſanctionem Pragmaticam abrogare contendunt.

Romani Pontifices id ægerrime tulerunt, & ad hanc ſanctionem abrogandam omnes curas adhibuerunt. Eam vehementer improbavit Eugenius IV., ut conſtat ex ejus literis ad Carolum VII. datis (a): firmas nihilominus radices egit ſpatio annorum circiter viginti, donec Æneas Sylvius in ſummum Pontificem ſub nomine Pii II. aſſumptus, poſtquam illam in Concilio Mantuæ a ſe celebrato graviter perſtrinxerat, ad eam abrogandam Ludovicum XI. Caroli VII. filium magna Romanæ Curiæ lætitia, repugnante Senatu, Academia Pariſienſi intercedente & appellante pertraxiſſet. Verum pragmaticam hanc ſanctionem, quæ ſub chriſtianiſſimis Regibus Ludovico XI. & Carolo VIII. magna ex parte vigorem non habuit, ex integro tamen ſublata non fuit, revocavit Ludovicus XII. Galliarum Rex & Caroli VIII. ſucceſſor, qui ob infauſtum diſſidium, quod cum Julio II. habuit (b), anno 1499. promulgavit edictum, quo ſanxit, ut in univerſo Galliæ Regno ad ſummos juris apices obſervaretur pragmatica ſanctio, quæ proin ſic corroborata viguit, usque dum per *Concordatum Gallicum*, de quo mox plura, totaliter fuerit abrogata.

§. XIII.

Abrogatur per Concordatum Gallicum.

Præcipua capita Concordati Gallici.

Itaque Galli nequidem ſuæ ſanctioni Pragmaticæ conſtanter, ſed tamdiu inhæſerunt, donec inter Franciſcum I. Galliarum Regem & Leonem X. Pontificem illud famoſumConcordatum Gallicum an. 1515. fuerit factum, & poſtea in Concilio Lateranenſi V. anno 1516. confirmatum, quod eodem ferme conſtat ordine iisdemque propemodum decretis, quibus ipſa ſanctio Pragmatica. Præcipua vero illius capita ſunt ſequentia: 1mo Capitulis adimitur facultas eligendi Epiſcopos ſede vacante, & Regibus Galliarum adſtruitur jus nominandi intra 6. menſes Epiſcopos ad omnes Galliæ Epiſcopatus exceptis Epiſcopatibus in Curia vacantibus, ea tamen lege, ut nominatus ſit 27. annorum, & ſit doctor vel licentiatus in Theologia vel in Jure, a qua ni-hilo-

(a) Has literas recenſet Odoricus Raynaldus ad annum 1499.
(b) Hiſtoriam hujus diſſidii refert. Nat. Alex. ad Sæc. XV. & XVI. art. 3.

Digitized by Google

hilominus lege ſuſcipiendi gradus diſpenſantur Regiæ ſtirpis Principes aliique natalium ſplendore proceres illuſtres, nec non Religioſi Mendicantes aliique regulares meritis doctrinæ & virtutum inſignes, quibus ratio ſui inſtituti ſuſceptionem Graduum Academicorum prohibet. Præterea præmittenda eſt inquiſitio in mores perſonæ a rege nominatæ coram ipſius Ordinario, vel Nuntio, aut Legato ſedis Pontificiæ, eaque una cum nominatione regia Romam deferenda, quatenus Romano Pontifici conſtet, nominatum iis pollere dotibus, quæ ſacris canonibus ſunt præſcriptæ. Quod ſi Rex nominet aliquem hiſce dotibus non inſtructum, poteſt quidem ſummus Pontifex illum repudiare, ſed tres alios menſes Regi concedit, intra quos alium nominare, & ſummo Pontifici canonice inſtituendum præſentare licet. Nominatorum vero confirmatio Romano Pontifici eſt confirmata. 2do. Idem jus nominandi ad vacantes Epiſcopatus Regibus Galliæ conceſſum, fuit extenſum ad Prælaturas & Prioratus conventuales, paucis exceptis, qui vel habent ſingulare privilegium pontificium, vel ſunt capita Congregationum & Monaſteriorum. Hinc Concordato Gallico non ſubiacent Monaſteria, quæ per Generales Ordinum & Congregationum reguntur; Item quatuor Ciſtercienſis Abbatiæ filiæ, *Pontiniacum*, *Feritas*, *Claravallis*, & *Moriſmundus*; Item Abbatiæ, ſive Prioratus, quorum caput eſt *Caſa Benedicti* in Bituricenſi Diœceſi, Gallice *Cheſalbenoiſt*, & celebris altera Abbatia in ſuburbio Biturigum *S. Sulpitio* conſecrata. Idem dicendum de Epiſcopatibus, & capitulis, quibus ſpeciale privilegium eligendi Epiſcopos competit. 3tio. Gratiæ exſpectativæ & reſervationes maxima ex parte, non tamen ex integro fuere ſublatæ: Nam obtinent adhuc reſervationes in Epiſcopatibus per obitum in Curia Romana (c), aliisque beneficiis hoc modo vacantibus: gratiæ vero exſpectativæ eatenus habent vigorem, quatenus Pontifex unusquisque ſui Pontificatus tempore unum poteſt dare Mandatum apoſtolicum ad Collatores, quibus decem ſaltem beneficia conferenda, duo autem, quibus quinquaginta & amplius ſuppetunt. Item gaudet Pontifex jure præventionis, *poteſtque*, uti loquitur Thomaſſinus (d) *creare Canonicos in Cathedralibus & Collegialibus, ut in iis dignitates, Perſonatus vel officia obtinere poſſint, quod alias non poſſent ex hujusmodi Capitulorum ſtatutis*. Illud etiam ſpeciale eſt in hoc Con-

Extenditur ad Prælaturas & Prioratus Conventuales.

Quænam Monaſteria Concordato Gallico non ſubjaceant?

Reſervationes, & gratiæ exſpectativæ non omnes in hoc Concordato ſublatæ.

Tertia pars beneficiorum in Gallia danda eſt Graduatis.

(c) Non vero per reſignationem, uti docet Molinæus apud Thomaſſin. part. 2. lib. 2. cap. 40.

(d) Part. 2. lib. 1. cap. 45. N. 9.

Digitized by Google

Concordato, quod præter Præbendam Theologalem, quæ danda eſt Graduato in Theologia, Collatores omnes & Patroni eccleſiaſtici tertiam partem beneficiorum conferre Graduatis, hoc eſt ea omnia, quæ vacaverint menſe Graduatis dicato, dare debeant, quo elapſo dein duo menſes liberi ſubſequuntur. Atque hæc ſunt præcipua capita concordati Gallici.

Concordatum Gallicum ad quas provincias ſe non extendat?

Ex omnium confeſſione Concordatum iſtud ſe non extendebat ad Prælaturas Provinciæ Narbonenſis & Britanniæ Armoricæ, neque ad Eccleſias Metenſem, Tullenſem, Verodunenſem, Atrebatenſem, Tornacenſem, aliaſque ex poſt Regno Gallico ſubjectas, neque etiam ad Abbatias Monialium: nam ſingulari nexu cohærebant olim Duces tam Provinciæ Narbonenſis, quam Armoricæ cum Romanis Pontificibus, quem ex eo, quod cum Regno Galliæ coaluerint, non ipſo jure amiſerunt: & hinc neque ſanctio Pragmatica, neque Concordatum Gallicum in iis provinciis fuere recepta aut promulgata, prout pulcherrime explicat Thomaſſinus (e). Quapropter ſingulari indulto opus fuit Regibus Galliæ ad obtinendum in iis jus nominationis Regiæ. Et

Per indultum Pontificium denique ad eas fuit extenſum.

ſane tale indultum ſed non niſi ad dies vitæ ſuæ eblanditus eſt Franciſcus I. a Leone X. an. 1516. Idem a Pio IV. ægerrime extorſiſſe Carolum IX. loquuntur duæ bullæ deſuper datæ, & monumenta quædam haud ita pridem evulgata rerum ad Concilium Tridentinum pertinentium (f). Simile indultum obtinuit ab Alexandro VII. an. 1664. Ludovicus XIV. quoad Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem & Verodunenſem Imperio Germanico ereptos, & Sceptro Francico an. 1652. ſubjectos, quod dein an. 1668. Clemens IX. propagavit ad omnes Regis ſucceſſores. Ab eodem Pontifice permiſſus eſt Rex Gallorum nominare ad Epiſcopatus Elbenſem, Atrebatenſem, & Tornacenſem, & ad alia beneficia conſiſtorialia earundem regionum nuper an. 1640. Regno

Ad Prælaturas Monialium etiam per indultum Pontificium extenditur.

Francico additarum (g). Quoad Prælaturas Monialium quoque certum eſt, quod in Concordato Gallico non comprehendantur, adeoque Reges Galliæ ad eas nominent non in vim concordati, ſed in vim indulti Pontificii, quo Clemens VII. Jus ad illas nominandi Franciſco I. conceſſit. En, quam ampli & velut immenſi ſint fines Concordati Gallici, illiusque extenſiones!

Ex

(e) Part. II. lib. 1. cap. 46.
(f) Memoires de Concil. de Trente. pag. 111. 114.
(g) Olim Epiſcopatus Metenſis, Tullenſis, & Verodunenſis Concordatis Germaniæ ex indulto ſpeciali ampliante, ſeu *per extenſionem*, utpote Metropoli Trevirenſi obnoxii ſubfuere, uti infra dicemus.

Digitized by Google

Ex his facile colligitur, quid ſit Concordatum Gallicum, nempe *Pactum ſolemne inter Leonem X. ſummum Pontificem, & Franciſcum I. Regem Galliarum an.* 1515. *Bononiæ initum, & poſtea in Concilio Lateranenſi V. confirmatum, quo abolita ſanctione Pragmatica gratiæ quoque exſpectativæ, nec non reſervationes Pontificiæ excepta illa, quæ dicitur in Corpore Juris clauſa, abolentur, & Regibus Galliæ jus nominandi ad Epiſcopatus aliaſque Prælaturas etiam Regulares paucis exceptis conceditur.* *Quid ſit Concordatum Gallicum?*
Utrum vero Concordatum iſtud revera *Pactum*, vel potius *Privilegium* ſit dicendum, haud facile dixeris. Galli ſine ſcrupulo dicere *pactum* non verebuntur: Romanenſes vero ægerrime id conceſſerint; nam ſi Doctores hi Concordata Germaniæ, quæ Curiæ Romanæ prorſus odioſa eſſe ſcimus, pacti inſtar habere recuſant, ſed potius inſtar privilegii Germanis conceſſi paſſim habent, eſto antiquiori & ſanctiori diſciplinæ eccleſiaſticæ quoad collationes Epiſcopatuum, & electiones Prælatorum Eccleſiaſticorum omnino ſint conformia, quomodo ſuſtinebunt, ut Concordatum Gallicum dicatur pactum? quippe quod veterem & continuam Eccleſiæ diſciplinam juri divino in certo ſenſu, Apoſtolico, & eccleſiaſtico, nec non traditionibus innixam quoad electiones Epiſcoporum prorſus enervat, jura Pontificum, Epiſcoporum, Capitulorum & Monaſteriorum ferme penitus ſubvertit, atque Regibus Galliarum jus quoddam excelſum valde & ſublime attribuit, & tale quidem, quod Chriſtus Eccleſiæ Paſtoribus primario concredere voluit, ut adeo juſtitia hujus Concordati difficillime ſalvari & defendi valeat, niſi prudenti Epickiæ locum demus, dicamusque, Eccleſiæ competere facultatem de ſuis juribus a Chriſto conceſſis aliquid ita exigentibus neceſſitatibus remittendi, illorumque uſum in Reges & Principes transferendi ea lege, ut ea in majus Eccleſiæ bonum nomine Eccleſiæ exerceant. Hæc ſublimiori judicio expendenda relinquimus. *Utrum ſit pactum vel privilegium? Eſt contrarium traditioni & diſciplinæ Eccleſiaſticæ.*

Qua vero arte hoc Concordatum fuerit procuſum, & quibus ex cauſis Leo X. inductus fuerit ad illud ineundum, & diſciplinam veterem juri divino, & Apoſtolico, ac traditioni eccleſiaſticæ per tot ſæcula continuatæ conformem evertendam, tam facile divinari nequit. Hac in re notiſſimi ſunt ſequentes verſiculi: *Qua arte fuerit procuſum.*

Prata vorat, mulier frendens, Leo rodit utrumque:
  Prata, Leo, Mulier ſulphuris antra petant.
Prata, Leo conſorte carent, mulierque marito:
  Connubio hos jungas, Cerberus alter erunt (h). Id-

(h) Tres enim præcipui hujus concordati authores habentur, nempe Leo Pontifex, Regina mater Franciſci, & Cancellarius a Prato dictus.

Digitized by Google

Eidem ſe vehementiſſime oppoſuit ferme tota Gallia.

Idcirco mirum non eſt, quod huic Concordato utpote diſciplinæ antiquæ, & ſanctioris everſivo, juribus Eccleſiarum ſumme præjudicioſo, litium ac diſcordiarum ſeminatrici ſeſe Senatus regius, Academia Pariſienſis, viri doctiores omnes, totusque Clerus Gallicanus, ac populus ferme omnis vehementiſſime oppoſuerint. Reſtitit Senatus regius abolitioni ſanctionis Pragmaticæ & Concordatorum promulgationi, donec *ex ordinatione & de præcepto Regis, & quidem iteratis vicibus facto* ea anno 1517. die 22. Martii in acta referre coactus fuerit. Academia Pariſienſis aperte reclamavit, ad Concilium appellavit, atque ut abrogato Concordato ſanctio Pragmatica revocetur, iterato Henrico III. & IV. ſupplicavit. Idem fecit Clerus Gallicanus, cujus nomine perorarunt præſtantiſſimi Archi-Epiſcopi & Epiſcopi, inter quos fuere duo celeberrimi Scriptores eccleſiaſtici & Epiſcopi, Genebrardus & Spondanus, qui hujus Concordati promulgationem ore & calamo improbarunt. Et quidem Genebrardus Concordata vocat *Myſterium iniquitatis, quo perditam Eccleſiam Gallicanam cernimus* (i). Et iterum ſic inquit: *anno* 1516. *abrogata eſt ſanctio Pragmatica, & Concordata, ut vocant, ſubſtituuntur, fremente univerſo Clero, ſcholaſticis, populo, bonis denique & doctis omnibus* (k). Relatio fuſa eorum, quæ in hoc promulgationis negotio, nec non in Senatu Regio annis 1516. & 1517. geſta ſunt; Item inſtrumentum appellationis ab Academia Pariſienſi intentatæ legitur Tom. II. commentariorum Cleri Gallicani Tit. VII., de quo videatur Natalis Alexander (l).

Senatus Regius. *Academia Pariſienſis.* *Clerus Gallicanus.*

Argumenta pro illius valore & juſtitia.

Equidem haud nos latet, quid hiſce opponant Doctores Galliæ Petrus de Marca, Natalis Alexander, Graveſon, & quas rationes pro ſuo Concordato juſtificando afferre ſoleant, nempe ex ſiniſtro intellectu hujus diſciplinæ novæ hæc gravamina profluxiſſe, atque ipſa rei novitate viros etiam doctos inani metu fuiſſe perculſos, inquiunt. Verum eſto novitas diſciplinæ fuerit invecta, quid tum? utique diſciplina eccleſiaſtica aliunde mutationi eſt obnoxia: & quis illam in millenis & millenis capitibus fuiſſe mutatam ignorat? ratio ſtatus & temporum, & bonum Eccleſiarum ita exigebat. Neque Eccleſia juſtam querendi cauſam habet, quaſi vero plura jura ſpiritualia eidem erepta, ac in Reges Galliæ fuerint tranſlata: tum quod Reges nihil aliud obtinuerint quam jus patronatus ſeu præſentationis ad Epiſcopatus & Prælaturas, cujus cœteri etiam Laici jam ante mille annos habiles fuere effecti; tum

(i) Lib 4. Chronologiæ ad annum 1517.
(k) Ad an. 1516. (l) Ad Sæc. XV. & XVI. art. 6.

Digitized by Google

tum quod ipſa Eccleſia ſemper fuerit liberaliſſima in diſpenſando jure Patronatus, & hac ratione ſuam gratitudinem erga fundatores & benefactores exhibere voluerit.

Tres autem potiſſimum cauſas afferunt, propter quas ſanctionem Pragmaticam abolendam, eidemque Concordatum Gallicum eſſe ſubſtituendum exiſtimarunt. Primam inſinuat ipſe Leo X. in Concordatis Tit. 4. ubi teſtatur, electiones in Gallia jam pridem eo deveniſſe, ut pleræque per abuſum ſæcularis poteſtatis tumultuoſæ forent, violentæ & ſimoniacæ, vel carnis & ſanguinis cupiditatibus ſordidatæ, vel perjuriis implicatæ. Alteram inſinuant Scriptores Galliæ, quæ ferme cum priori coincidit, dicentes, jam non amplius liberas fuiſſe electiones, ſed a Regibus, illorumque præpotentia turbatas, everſas, & extortas. Tertiam affert Graveſon (m): *Jure itaque optimo*, inquit, *abolita eſt Pragmatica ſanctio, & in ejus locum ſubrogatum eſt Concordatum Gallicum, cujus beneficio reſtituta ac firmata eſt Eccleſiæ Romanæ cum Gallicana exoptatiſſima concordia, quæ Pragmaticæ ſanctionis defenſione haud parum turbata erat: ſublata itidem eſt reſervationum & gratiarum exſpectativarum olim introducta conſuetudo, præciſæ omnes ambitionis & ſimoniæ occaſiones, quibus creberrime electorum ſuffragia rogabantur, a Laicis Principibus conciliabantur, & interdum extorquebantur.* Quartam adducit Petrus de Marca (n), dum ait: *Concordati receptione finis impoſitus eſt litibus, quas in Romana Curia conteſtari receptum erat ſumptibus immenſis, ut electionum nullitas diſcuteretur. Quo fiebat, ut partes contendentes ad inopiam redigerentur, regno incommoda importarentur, & Eccleſiæ ob id diu vacarent.*

Quare ſanctio Pragmatica fuerit abrogata.

Verum enim vero demus diſciplinam eccleſiaſticam eſſe mutabilem, & ſæpiſſime immutatam: nondum certe nobis probatum eſt, tantæ neceſſitatis fuiſſe, ut mutatio talis ac tanta, qualis in tota retro acta antiquitate non legitur, in re ſummi momenti, qualis eſt electio Epiſcoporum, fieret, jus eligendi Epiſcopos & Prælatos omnibus Eccleſiis, Capitulis & Monaſteriis adimeretur, atque Regi ſoli in Regno ampliſſimo jus nominandi ad omnes Epiſcopatus concederetur. Tanti momenti res viſa fuit antiquiori Eccleſiæ aſſumptio Epiſcoporum, ut omnes Epiſcopi comprovinciales una cum Metropolita, univerſo Clero & populo ad eligendum Epiſcopum confluere debuerint. Et quamvis Eccleſia ſucceſſive ab hoc more receſſerit, nihilominus in id incu-

Diſciplina Eccleſiaſtica per Concordatum Gallicum horrendum in modum fuit læſa.

Ll 2

(m) Tom. VII. Eccleſ. pag. 140
(n) De Concord. lib. 6. cap. 9. N. 11.

Digitized by Google

incubuit, ut electio fieret ab integro collegio, quatenus negotium ſummi momenti, quale eſſe electionem optime perſpectum habuit, plurium judicio perficeretur. Qua arte fieri poteſt, ut Rex unicus perſpectas habeat neceſſitates, mores & conſuetudines Eccleſiarum, qualitates & merita promovendorum? Quam facile Rex ſe ipſum fallere aut falli, falſis ſuggeſtionibus, importunis precibus & commendationibus induci poteſt? Quid non egerunt Pontifices, ut jus nominandi, aſſumendi, & inveſtiendi per annulum & baculum e manibus Imperatorum & Regum extorquerent, libertatem electionum propugnarent, & jus eligendi Capitulis vindicarent? Sane in hunc usque diem Viris ſapientioribus imperceptibile eſt, quomodo fieri potuerit, ut Leo X. adeo prodigus in diſpenſandis & transferendis in Reges Galliarum juribus eccleſiaſticis eſſet, ab avitis ſuorum Prædeceſſorum exemplis, quibus nihil antiquius, nihil ſanctius erat, quam jura eccleſiaſtica contra poteſtates ſæculi vindicare, recederet, atque juribus, & prærogativis Capitulorum ac Monaſteriorum, non auditis partibus, de quarum præjudicio agebatur, ſtragem inferret maximam. Eſto Laici ab Eccleſia ad jus Patronatus effecti ſint habiles, communius tamen *jus* Patronatus ad beneficia inferioris ordinis, & rarius ad majora ſeu Epiſcopatus & Prælaturas illud obtinuerunt: imo inauditum eſt, quod Eccleſia ulli Imperatorum aut Regum, illorum etiam, quorum merita apud Eccleſiam ſunt ſumma, ampliſſima, & immortalia, conceſſerit jus Patronatus ad omnes Epiſcopatus & Prælaturas Regni ampliſſimi. Memorant haud pauci Scriptores, quod Carolus M. nominaverit *ad* epiſcopatus a ſe noviter & liberaliſſime fundatos. Quidquid de veritate hujus rei ſit, id ſane factum fuit ex cauſa ſpecialiſſima, quia nempe eos fundavit, quin jus iſtud nominandi tranſierit ad ſucceſſores. Aſt Concordatum Gallicum ſe extendit ad omnes ferme Prælaturas, eſt perpetuum, & jura inde promanantia tranſeunt ad omnes Succeſſores. Præterea anne malis ſupra recenſitis non poterat alia ratione obviari? num propterea tota diſciplina eccleſiaſtica antiquior enervari, everti, & peſſumdari debuit, & unice velificandum fuit Regibus Galliarum? ut quid ergo mirum, quod, ſicut mox antea diximus, huic Concordato ad ſæculum usque Senatus Regius, Univerſitas Pariſienſis, totusque Clerus Gallicanus ſeſe vehementiſſime oppoſuerit, donec tandem majori vi cedendum fuerit? utrum bono Eccleſiæ univerſalis, & Eccleſiarum Gallicanarum hac ratione bene fuerit proſpectum, nolumus diſcutere. Hoc ſolum ſcimus, quod vix in ullo alio Regno tot reperiantur Epiſcopi zelo apoſtolico, probitate vitæ, eruditionis

Epiſcopi in Gallia ſunt præſtantiſſimi.

ac

ac doctrinæ laude ſumme conſpicui, qui ſe machinationibus ſæculi veluti murum æneum opponunt, exceſſibus Parlamentorum majori fortitudine reſiſtunt, jura Eccleſiæ & Epiſcoporum majori conſtantia defendunt, atque pro defendendis & conſervandis juribus Eccleſiarum malunt ſuſtinere exilium, quam ab iis vel latum unguem recedere, ac in Gallia, prout ab experientia noſtrorum temporum & hodiernis turbis Eccleſiæ Gallicanæ aliunde notiſſimis docemur. Id ergo immortali cedit gloriæ Regibus Galliarum, quod usque nunc nominaverint Epiſcopos doctrina & pietate inſignes, tanto munere dignos, & ferendo oneri, quod angelicis eſt formidandum humeris, pares, quod ut poſthac fiat, votis ardentiſſimis eſt optandum.

§. XIV.

De Concordatis Germanicæ.

Jam ad Germanos noſtros iterum eſt revertendum, de quibus diximus, quod etiam ipſi Decretis Concilii Baſileenſis inhæſerint, eorumque uſum exercuerint eo potiſſimum tempore, quo lites & diſſidia inter Ludovicum XII., & Julium II. perdurarunt. Itaque Pontifices optime animadvertentes, quantum ſuis juribus fieret præjudicium ex libera collatione beneficiorum per Epiſcopos Germaniæ facta, ut Germanos in ſuas traherent partes, Legatum miſerunt Thomam Sarzanenſem Epiſcopum Bononienſem, poſtea ſummum Pontificem ſub nomine Nicolai V., & duos alios Theologiæ & Jurium Doctores, ut cum Epiſcopis & Principibus ea de cauſa tractarent. Igitur conventum fuit Francofurti an. 1446. cum Legatis Friderici III. Electoribus & Epiſcopis pluribus (o), & unanimi conſenſu concluſum, ut Eugenius pro vero agnoſceretur Pontifice, ea conditione, ut & decreta Baſileenſia ſervaret, & quædam alia Nationi Germanicæ concederet. His ita conſtitutis, & ab Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, illorumque Oratoribus & Legatis ſubſcriptis, & ſigillo munitis decreta fuit legatio ad Eugenium Pontificem, quatenus Legati nomine totius Germaniæ Pontifici obedientiam præſtarent, & conſenſum, ac confirmationem Concordatorum impetrarent, ſicque eorum publica promulgatio in proxima Dominica Lætare an. 1447. in comitiis Norimbergenſibus fieri poſſet. Itaque Eugenius auditis deſuper in conſiſtorio ſecreto Legatis poſtulata conceſſit, & Concordata ſpeciali deſuper edita conſtitutione an. 1447. approbavit.

Quæ Nicolaus perfecit, & moderatus eſt.

Quoniam vero contigit, ut Eugenius IV. ante promulgationem Concordatorum e vivis excederet, Nicolaus V. Succeſſor in id totis viri-

(o) Horum nomina recenſet Barthelius in Diſſert. Prælim. Sect. 6. N. 6.

Digitized by Google

viribus incubuit, ut controverſiarum finis fieret. Quare miſit Cardinalem Carvajalem ad Fridericum Imperatorem & Principes Germaniæ, ut operi ultimam manum apponeret, qui Concordata jam prius inita apoſtolica authoritate roboravit, eaque ad Pontificem ratihabenda direxit. Pontifex ergo prævio examine & maturo conſilio deſuper habito ea ratihabuit, & conſtitutionem ſui Prædeceſſoris ſingulari conſtitutione Romæ anno 1448. Kalend. April. Pontificatus Nicolai V. an. 2. confirmavit. Summam Concordatorum, aliaque huc pertinentia cap. 3. elucidabimus, id ſolum hic animadvertentes, quod in his Concordatis decreta Concilii Baſileenſis, potiſſimum vero quoad reſervationes pontificias fuerint modificata (p). Idcirco in hodiernam usque diem dubitatur, utrum Germani ſuis rebus bene conſuluerint hiſce Concordatis, aut melius facturi fuiſſent, ſi Decretis Concilii Baſileenſis more Gallorum inſtitiſſent. Dicamus paucis, quod Decreta Concilii Baſileenſis procul dubio longe favorabiliora fuerint, quum in iis reſervationes omnes, præter illam, quæ habetur clauſa in corpore juris, ſublatæ, & econtra in Concordatis Germaniæ fuerint de novo ſtabilitæ. Idcirco multi ſcribere non dubitant, quod Germani opera Æneæ Sylvii ad hæc pacta ineunda ſe induci permiſerint. Attamen id immortali laudi & gloriæ cedere debet Germanis, quod generoſiorem ſuam charitatem, & reverentiam erga Sedem Romanam commonſtraturi maluerint notabiliorem jurium ſuorum partem in manibus Pontificum relinquere, quam ſuis libertatibus pertinacius inhærere, ut hoc modo nexum inter Romanam, & Eccleſias Germanicas tum reſtituerent, tum in tempora futura conſolidarent.

An Germani ſibi per Concordata bene conſuluerint.

§. XV.

Conſtitutiones Imperiales referuntur.

Quam plurimas conſtitutiones Imperiales ad hæc ſæcula pertinentes refert Goldaſtus, quibus immorari non licet (q). Huc potiſſimum pertinent Sigismundi Imperat. Sacra directa ad Concil. Conſtantienſe; reſponſio Concilii Conſtantienſis; ejusdem Sigismundi & communium S. Imperii Ordinum Aviſamenta; Friderici III. Imperat. Aviſamenta, quæ tempore Concilii Baſileenſis a ſtatibus Imperii Moguntiæ in publico Conventu fuere deliberata; eiusdem mandatum ad Regem Franciæ pro tollendo ſchiſmate.

§. XVI.

(p) Prout ſcribit Æneas Sylvius epiſt. 369. quam anno 1457. ſcripſit ad Archiep. Moguntini Cancellarium Mayerum.
(q) Tom. I. Conſtit. Imper.

Digitized by Google

§. XVI.

Pauca de Aurea Bulla, quæ in noſtra Germania vim ſanctionis Pragmaticæ tam ad ſtatum eccleſiaſticum, quam politicum pertinentis obtinuit, dicamus. Aurea Bulla dicitur a ſigillo aureo appenſo, quod ex ſolido eſt auro, craſſitie duplicem thalerum adæquans, & in uno latere effigiem, & inſcriptionem Imper. & Regis Bohemiæ præſefert, ex altero Capitolium cum tribus turribus, & inſcriptione: *Roma caput mundi regit orbis fræna rotundi*: & hæc recte deſcribitur, quod ſit ſanctio Pragmatica inter Carolum IV. Imperatorem, & Status Germaniæ condita, electionem, & coronationem Imperatoris, Jura Imperii, & nonnulla alia Imperii negotia determinans. Condita fuit hæc ſanctio 1356. tum Norimbergæ, tum Metis in Lotharingia (r): cujus opera num Bartholi, num alterius Jurisconſulti hæc Bulla fuerit concepta, diſputant DD. quiſcunque fuerit, parum intereſt? interim hoc certum eſt, quod & ſtylus illius ſit barbarus, & author illius fuerit peritus tum Juris Canonici, tum Civilis Romani, quum plura in illa contineantur, quæ tam canones in corpore Juris Canonici clauſos, quam leges Juris civilis ſapiunt. Bulla hæc originaliter in lingua Latina fuit conſcripta, & poſtea in Germanicam fuit tranſlata. Si quæras, eccur magis in Latina, quam Germanica ſit conſcripta, rationem dant ſequentem, tum quod tunc temporis Latina lingua in templis & curiis ratione Status Clericalis fuerit uſualis, & idioma Imperii: tum quod ad notitiam Papæ etiam atque Italorum fuerit ſcripta. Hujus exemplaria hinc inde aſſervantur Viennæ, Moguntiæ, Heidelbergæ, Francofurti. Quodnam ex his ſit magis accuratum & alteri præferendum, parum curamus. Pro primario tamen habendum, quod in Archivo Imperii Moguntino adſervatur. Provocari tamen hodie ſolet ad exemplum illud originale, quod inter alia privilegia Francofurti ad Moenum loco electioni deſtinato in Curia, quæ dicitur der Römer, adſervatur. Ut hæc ſanctio Pragmatica fieret, non una, ſed plures fuere cauſæ. Paucis dicamus: in cauſa fuere varia diſſidia præcipue in negotio electionis oborta, dum & plures Principes una cum Principibus Electoribus ad electionem admitti poſtulabant, & Duces Bavariæ ægerrime ferebant, quod dignitas electoralis Palatino fuerit

Aurea Bulla unde dicatur?

Quid ſit, & a quo concepta?

Cur in lingua Latina?

Illius exemplaria.

(r) Norimbergæ confecti ſunt tituli 23. ubi & domus am Pomersberg zum güldenen Schild, & conclave in quo publicatio facta, adhuc monſtratur. Cœteri tituli ad finem usque in ſolemni Curia Metenſi ſunt ordinati.

Digitized by Google

Aurea Bulla hinc inde mutata fuit. fuerit delata. Quænam ſint præcipua capita hujus Bullæ, & in quibus inducta fuerit mutatio, paſſim tradunt Publiciſtæ: nam licet hæc Aurea Bulla legem conſtituat Imperii perpetuo duraturam, varie tamen pro temporis ratione adinſtar aliarum legum fundamentalium in commodum Reipublicæ mutationem admittit annuente ipſo Carolo IV. (s), & ſæpius immutata fuit e. g. quoad numerum electorum (t), locum electionis imperatoriæ (u), jus coronandi Imperatorem (x) aliaque capita. *Querelæ de abuſibus hujus Bullæ.* De abuſibus hujus Bullæ multæ ſatis querelæ ſunt notæ, de quibus abrogandis potiſſimum in puncto repreſſaliarum, Arreſtorumque, nec non in proceſſibus Evocationis varie & ſæpius fuit actum in R. I. Ratisbon. an. 1598. §. 72. item an. 1641. §. 94. in Inſtrum. Pac. Weſtph. Cæſareo-Gallico §. 67. & Cæſareo-Svecico art. 9. §. 1. In Capitul. Ferdinandi IV. Leopoldi art. 8. Joſephi art. 7. Caroli VI. art. 27. *De ea abroganda fuit actum.* Imo Status Imperii fuiſſe ſolicitos de ea penitus abolenda, documento ſunt communia Statuum Imperii monita ad futuram Capitulationem Cæſaream de anno 1658. Electori Moguntino exhibita (y).

§. XVII.

Pax prophana quid ſit? Altera ſanctio Pragmatica in vim conſtitutionis Imperialis recepta eſt pax profana, ſeu publica, quæ nihil eſt aliud, quam ſanctio Imperii Pragmatica communi Imperatoris & Statuum conſenſu in Comitiis Wormatienſibus an. 1459. facta de abolendis Diffidationibus, & turbis inteſtinis, atque ſecuritate publica in Imperio ſervanda. *Illius occaſio fuit jus manuarium.* Occaſionem primitus dedit jus manuarium das Fauſt-Recht, quod Francicorum Imperatorum Henricorum potiſſimum tempore invaluit, cum Status contra Statum bella gererent, Vaſalli contra Dominum, urbes potentiores contra Principes inſurgerent, alter alterum infeſtaret, cæde, incendio, & rapinis omnia adimplerentur. Potiſſimum vero Paci publicæ argumentum dederunt Diffidationes (z) olim in Germania maxime Sæc. XIII. poſt fatale illud interregnum usque ad Sæc. XVI.

(s) Vid Pfeffingerus ad Vitriarium Tom. 4. lib. 4. Tit. 6. pag. 593.
(t) Vi Aureæ Bullæ deberent eſſe 7. Electores, & modo ſunt novem.
(u) Locus electionis eſt Francofurtum, & tamen aliquoties alibi fuit peracta.
(x) Pertinet ad Electorem Colonienſem, & nunc inter ipſum, & Electorem Moguntinum alternatur.
(y) Vid. Pfeffingerus loc cit.
(z) Diffidare, quaſi diffiduciare.

Digitized by Google

XVI. frequentiſſimæ. Paſſim hæ diffidationes vocantur etiam Jus Manuarium, das Fauſt-Recht, & nihil aliud erant, quam denunciatio animi hoſtilis, qua quis alteri ſignificabat, ſe eum armis, igne, ſpoliis, rapinis, omnique violentia perſecuturum, befehden.

Hiſce diffidationibus primitus repagula poſuerunt Epiſcopi & Proceres Provinciarum in Aquitania primum an. 1034. ſub nomine *Treugæ Domini* indicentes inducias, quatenus nemini a veſpere diei Mercurii usque ad diluculum diei Lunæ ſub pœna capitis, exilii, & excommunicationis liceret ab inimico ultionem ſumere, vel exigere, vel deprædari, vel invadere. Decretæ autem fuere hujuscemodi induciæ non modo ab Epiſcopis, ſed etiam a Proceribus, & poſtea in Conciliis a Pontificibus tum confirmatæ, tum extenſæ, nominatim a Concilio Claramontano ſub Urbano II. an. 1095., a Romano ſub Paſchali II. an. 1102., a Lateranenſi II. ſub Innocentio II. an. 1139. & Lateranenſi III. ſub Alexandro III. In hac Synodo Lateranenſi extenſio facta eſt anteriorum decretorum, ſtatutumque, ut treuga foret non modo a quarta feria poſt occaſum ſolis usque ad diluculum diei Lunæ, verum etiam ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ, & a ſeptuageſima usque ad octavam Paſchæ (a).

Epiſcopi conantur diffidationes exſtirpare.

Etiam Pontifices.

Verum hi canones non erant ſufficientes ad extinguendas diffidationes, reſtinguenda bella inteſtina, & tollendum jus Manuarium: quare plures Imperatores, Conradus II., Henricus IV., Lotharius, Philippus, Otto IV., Fridericus II., Rudolphus, Adolphus, Albertus, Ludovicus Bavarus, Carolus IV., Wenceslaus, potiſſimum vero Sigismundus, Albertus II., Fridericus III. varias ediderunt conſtitutiones, & adhibuerunt remedia, ut diffidationes tollerent, & ſecuritatem publicam procurarent, ſed irrito conatu: Sigismundus quidem, utpote ſub quo varie fuit deliberatum de Statu Imperii in melius reformando, & pace publica Imperii reſtituenda, tempore præcipue Concilii Conſtantienſis, ubi diviſio Imperii in 4. Circulos in conſilium veniebat in Comitiis Francofurtenſibus an. 1427. usque dum in Comitiis Norimbergenſibus an. 1431. Pax publica ad unicum ſaltem annum fuerit conſtituta. Albertus vero, quippe qui conſtitutione Imperiali an. 1438. diffidationes omnes abolevit, Auſtregas inſtituit, & Imperium in 4. Circulos diviſit, quod tamen præpropera Imperatoris morte ad effectum non fuit deductum. Eodem anno tempore Concilii Baſileenſis durantibus

Et Imperatores.

(a) Vid. cap. 1. de Treuga & Pace.

Potiſſimum Fridericus III. & Maximilianus I.

tibus motibus ex ſchiſmate papali ortis pacem publicam Electores inter ſe conſtituerunt (b). Tandem Fridericus III. in Comitiis Francofurtenſibus an. 1486. rem eo deduxit, ut univerſali ſtatuum conſenſu pax publica ad decennium ſtatueretur, quæ communi applauſu recepta, & a Principibus abſentibus per ſingulares literas Beybrieſe fuit confirmata. His fundamentis a Friderico III. jactis non erat difficile Maximiliano I. pacem publicam eamque perpetuam procurare, maxime quod media quoque pro ea ſervanda adhibuerit, dum Germaniam diviſit in circulos, judicium Camerale erexit, & modum executionis contra fractæ pacis reos ſtatuit, & primitus quidem an. 1494. pacem publicam Francofurtenſem ad decennium ſtatutam elapſo decennio ad triennium usque prorogavit. Sed antequam effluxiſſet adhuc decennium in Comitiis Wormatienſibus an. 1495. Pacem publicam lege perpetua atque æterna definivit, quæ dicitur der Königliche Land-Friede zu Worms, atque communi Statuum conſenſu fuit approbata. Itaque per hanc pacem prohibentur omnes diſſidationes, bella inteſtina, ac turbæ, ſecuritas publica reſtituitur, & contra fractæ pacis reos pœna Banni decernitur. Hæc pax poſtea varie confirmata, & hinc inde quibusdam capitibus fuit aucta a Carolo V., Ferdinando I., Maximiliano II., Rudolpho II., & ultimo in ipſa pace Weſtphalica, de qua vid. Publiciſtæ. Ad hanc pacem paſſim provocatur, dum Status contra Statum hoſtiliter quid machinatur, & noviſſime fuit provocatum, dum Rex Boruſſorum Saxoniam hoſtiliter invaſit.

Quid ſtatuerit Pax Prophana.

§. XVIII.

Duo labentibus hisce ſæculis celebrata ſunt Concilia Generalia in Germania, Conſtantienſe, & Baſileenſe. De utroque paſſim & per decurſum egimus, & infra agemus, id ſingulariter monentes, hujus utriusque Concilii a Juris Germanici ſtudioſo ſingularem eſſe habendam rationem, utpote in quibus multa conſtituta fuere, quæ ad noſtram Germaniam ſingulari ratione pertinent. Synodus aliqua particularis ſingulari mentione digna nobis non occurrit: quare caput iſtud tanto libentius claudimus, quanto anguſtiori temporis termino circumſcribimur.

CAPUT II.

(b) In Goldaſti Reichs-Satzungen Tom. II. pag. 144.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE
Statu Eccleſiarum Germanicarum a tempore Caroli V. usque ad noſtra tempora.

§. I. *Status Eccleſiarum Germanicarum in genere delineatur.* II. *Quinam nexus fuerit inter Pontifices & Imperatores, Eccleſiam & Imperium.* III. *Concordata Germaniæ non omnia ſuſtulerunt diſſidia.* IV. *Hinc Germani nova proponunt gravamina.* V. *Nexus inter Eccleſiam & Imperium rumpitur per Zwinglium, Lutherum, Calvinum, aliosque Novatores.* VI. *Hiſtoria Lutheraniſmi in compendio refertur.* VII. *Principia Lutheri & ſuorum neceſſario debent tollere nexum Eccleſiæ cum Imperio.* VIII. *De variis Synodis, Conventibus & Colloquiis habitis.* IX. *In ſpecie de Synodo Tridentina.* X. *De variis formulis fidei, & Confeſſionibus Proteſtanticis.* XI. *De Interimiſtico.* XII. *De Clauſula Pacis Ryſwicenſis.* XIII. *De variis diſſidiis inter Pontifices & Imperatores,* XIV. *Varia ad hæc tempora pertinentia referuntur.*

§. I.

Si quod fuit ab Æra Chriſti ſæculum univerſæ Eccleſiæ pernicioſum, Religionis Catholicæ everſivum, Eccleſiis Germanicis præcipue luctuoſum, utrique Reipublicæ tam eccleſiaſticæ, quam politicæ ſumme adverſum, illud profecto fuit Sæculum XV. & XVI. Recolamus memoria anteriorum ſæculorum fata, hæreſes, ſchiſmata, ſectas &c. Quamquam per hæc nexus inter Pontifices & Epiſcopos, inter Eccleſiam & Imperium fuerit turbatus, nunquam tamen ex integro fuit diſſolutus, nunquam totum Eccleſiæ & Religionis ſyſtema fuit everſum. At vero Lutherus cum ſuis omnem prorſus nexum, omnem Hierarchiam in Eccleſia ſuſtulit, Rempublicam Catholicam in Politicam commutavit, Eccleſiam e ſuo throno dejecit, & ad infima ſubſellia cujusdam Collegii ſimplicis detruſit, & quidquid habuit juris Eccleſia, illiusque Imperantes, in manus Principum ſæcularium tranſtulit,

Sæculum XV & XVI. Eccleſiæ ſumme nocivum.

Lutherus omnem Hierarchiam Eccleſiaſticam ſuſtulit.

tulit, & hoc modo Religionem, quæ antea fuerat Domina, fecit ancillam abjectiſſimam. Nulli tamen regno novæ ſectæ & religiones per Novatores introductæ graviores acciderunt, ac noſtræ Germaniæ, utpote e cujus ſinu prodierunt authores, & primipili ſectarum, quam proin præ cæteris aliis provinciis & regnis turbarunt, & ſuis doctrinis afflarunt. Fuit Germania ab illo tempore, quo ejurato gentiliſmo religionem amplexata fuit Catholicam, ferme ab omni errore libera, & immunis: at vero ex eo tempore, quo Novatores ſub ſpecie reformationis illam incoluerunt, facta eſt Magiſtra errorum, quæ antea fuerat Magiſtra veritatum. Pro Boni Superi! quis non doleat, & lugeat, dum plures Germaniæ provincias Eccleſiæ Catholicæ ereptas, tot Epiſcopatus ſæcularizatos, tot Monaſteria prophanata, tot Eccleſias a Novatoribus poſſeſſas vel obiter contemplatur! Nolumus hic referre tumultus bellicos, aliaque innumera mala, quæ ex noviter enatis tum hæreſibus, tum ſectis in utramque redundarunt rempublicam.

Germania ferme usque ad Lutherum ab omni errore fuit libera.

§. II.

Nexus inter Pontifices & Imperatores ex ſingulari Dei beneficio per Lutherum omnino diſſolvi non potuit.

Quamquam vinculum pacis inter Eccleſiam & Imperium ruptum, & vix non ex integro fuerit disruptum, nihilominus tamen nexus inter ſupremum caput Eccleſiæ, & Imperii, inter Pontifices & Imperatores diſſolvi non potuit. Atque hoc inter ſingularia ſupremi Numinis, illiusque Divinæ Providentiæ beneficia eſt annumerandum, quod Eccleſiæ & Imperio Romano Germanico de Imperatore Catholico providerit, & tales pientiſſimos Imperatores dederit, quibus Religio ſummæ foret curæ, & velut primariæ. Carolos V., Ferdinandos I. II. & III. ante oculos ponamus: atqui hi, quid non fecerunt, ut Religionem Catholicam conſervarent, & novas ſectas eliminarent? fuere non raro diſſidia inter Pontifices, & Imperatores, aſt non quoad dogmata fidei, ſed quædam diſciplinæ eccleſiaſticæ capita, & jura ab utraque parte prætenſa, & non nunquam vehementius propugnata, de quibus dicemus §. penul. hujus capitis.

Imperatores Religioſiores qui fuerint?

§. III.

Eccleſia indigebat in multis Reformatione.

Plura fuiſſe capita, quæ reformatione indigebant, & turbabant pacem inter Romanos Pontifices, Imperatores, & Principes tam eccleſiaſticos, quam ſæculares, nemo unus negaverit: quibus, quum nec in Concilio Conſtantienſi, nec Baſileenſi fuerit ſubventum, & proviſum, neceſſario debuere recrudeſcere antiquæ querelæ, & gravamina.

Etſi

Etſi enim per Concordata Germaniæ quamplurimis controverſiis collationes beneficiorum ſpectantibus fuerit controventum, nihilominus cætera gravamina e. g. ea, quæ Germani contra avocationes cauſarum, frequentes appellationes ad curiam Romanam afferebant, in ſuo permanſerunt vigore, recruduerunt, & majori fervore urgebantur. Age ergo, & de quibusdam in ſpecie videamus!

§. IV.

Profecto Romanos non adeo fuiſſe obſervantes Concordatorum, exinde colligere licet, quod paulo poſt inita Concordata Fridericus III. querelas ſuas apud Sedem Apoſtolicam depoſuerit, & contra transgreſſiones Concordatorum maxime in electionibus Epiſcoporum vehementer fuerit conqueſtus, reſpondente ad querelas depoſitas Æneа Sylvio, cogitandum eſſe, quod, quum propter Decreta Concilii Baſileenſis diſſidium inter Sedem Apoſtolicam, & Nationem Germanicam cœperit, quoddam medium & temperamentum fuerit adoptatum, ita ut hæc Decreta in quibusdam fuerint retenta, & in aliis temperata. Huc inprimis pertinent querelæ nomine totius Cleri Moguntinenſis, Colonienſis & Trevirenſis Diœceſium contra Concordatorum infractiones an. 1497. in Diœta Confluentina propoſitæ, quas refert Leibnitius (c). Inter præcipua vero gravamina Nationis Germanicæ fuerunt illa decem, quæ Natio Germanica an. 1510. obtulit Maximiliano I. una cum Aviſamentis, & modo, quo quilibet remedium quærendum docebat (d). Maximilianus, eo quod cum Julio Romano Pontifice in pacem rediret, aliisque negotiis implicatus foret, dictorum gravaminum nullam rationem habuit, cui defuncto per legitimam electionem ſucceſſit Carolus V. Hic ergo una cum cæteris Statibus Imperii vi Capitulationis Cæſareæ ſibi propoſitæ (e) in id convenit, ut gravamina Nationis Germanicæ a ſuo anteceſſore collecta Pontifici exhibeantur, & tandem reformatio in Concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi cœpta perficiatur. Itaque ipſe Imperator Pontifici deſuper ſcripſit, cujus epiſtolam exhibet Goldaſtus (f). Poſtquam vero Lutherus a Pontifice excommunicatus, & ab Imperatore proſcriptus fuerat, nemo

Pontifices Concordata non obſervarunt.

Nova gravamina Germanorum.

Sed neglectim habita.

Mm 3

(c) Vid. Pfeffing. ad Vitriar. lib. I. Tit. 15. pag. 1402.
(d) Extant apud Goldaſtum Tom. I. Conſtit. Imper. pag. 123.
(e) Art. 16. vid. cit. Pfeffingerus loc. cit.
(f) Tom. I. conſtit. Imper. pag. 447.

Digitized by Google

nemo tamen proſcriptionem executioni mandare volebat, & de ipſa proſcriptione, an fuerit legitime facta, vel executioni mandari potuerit, diſceptatum fuit. Status ergo ſæculares de novo ſua gravamina, quæ ad centum usque excreverunt, in Comitiis Norimbergenſibus an. 1522. offerebant Imperatori, & Concilium univerſale in Germania celebrandum urgebant, & demum gravamina Nationis Germanicæ ad Pontificem fuere transmiſſa. Gravamina hæc ſecundum ſuum ordinem, & in extenſo exhibet Schilterus (g), quorum præcipua ſpectabant cauſas indulgentiarum, diſpenſationum, avocationes cauſarum ad tribunal Pontificis, appellationes ad Sedem Pontificiam, Delegationes Pontificias, collationem beneficiorum, exactiones Pontificias, commendas, Annatas, cenſuras &c. Quare mirum non eſt, ferme in omnibus Capitulationibus Cæſareis Concordatorum habitam fuiſſe rationem, atque Imperatores ſolemniter ſtipulatos fuiſſe, ſe curaturos, ne quid in detrimentum Concordatorum Germaniæ committatur (h). Profecto ipſe Adrianus VI. Pontifex non paucos abuſus in Curiam cum gravi Nationis Germanicæ & Concordatorum præjudicio irrepſiſſe pro ſuo candore & æquanimi pietate profeſſus eſt, & ad ea abolenda gravamina ejusdem Nationis ſe obtulit, prout teſtantur Bzovius, Rainaldus, & Pallavicinus (i).

Status ſæculares 100. gravamina offerunt Imperatori, & petunt Concilium convocari.

Gravamina duplicis ſunt generis ante, & poſt reformationem.

Ne tamen hanc materiam prorſus intactam relinquamus, duplicis generis gravamina ſunt diſtinguenda, quorum aliqua Reformationem antecedunt, aliqua ſubſequuntur. Prioris generis illa ſunt, quæ ab inclyta Natione Germanica contra Pontifices; poſterioris generis, quæ a Reformatoribus & Reformatis contra Catholicos ſunt obmota. Epocha principalis, a qua gravaminum Nationis Germanicæ auſpicia ſunt depromenda, teſte Pfaffio (k) eſt illud tempus, quo Sceptrum Imperatorium ad Reges Francicos fuit devolutum, atque initium ſumpſerunt lites inter Pontifices & Imperatores, quales fuere de inveſtituris per annulum & baculum, de jure Regaliæ, & aliæ e. g. inter Fridericum II. & Gregorium IX. inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII., inter Joannem XXII. & Ludovicum Bavarum; præcipue vero gravamina illa, quæ in Concilio Conſtantienſi, Baſileenſi, & Co-

Germanorum contra Pontifices. Quandonam incœperint? Quænam ſint præcipua?

(g) De libert. Eccleſ. Germ. lib. 7. cap. 2. §. 10.
(h) Vid. Capitulatio Joſephi de an. 1690.
(i) Vid. Illuſt. Barthel. Opuſc. III. pag. 286.
(k) In den Academiſchen Reden, zweyten Abſchnitt. cap. 8.

Digitized by Google

Comitiis Norimbergenſibus, una cum cœteris, quæ tam ante, quam poſt inita Germaniæ Concordata fuere propoſita, & mox ſupra recenſita.

Gravamina Proteſtanticorum in quinque dividuntur claſſes.

Gravamina Proteſtanticorum poſt reformationem in quinque dividuntur claſſes, quarum prima continet gravamina a primo Reformationis tempore usque ad Pacem Religioſam; 2da ab hoc tempore usque ad Pacem Weſtphalicam; 3tia ab hac usque ad Pacem Nimwegenſem; 4ta usque ad Pacem Ryſwicenſem; 5ta ad Pacem usque Badenſem, & ab hac ad noſtra usque tempora.

Gravamina a tempore reformationis usque ad Pacem Weſtphalicam.

Inter gravamina a tempore Reformationis usque ad Pacem Religioſam illud facile erat præcipuum, quod Catholici Principibus neo-Reformatis *Jus reformandi* vagum & indeterminatum eo tempore nullo jure ſtabilitum denegarent. Sequuntur gravamina contra *Reſervatum Eccleſiaſticum* in Pace Religioſa ſolis Catholicis aſſertum; contra *Concilium Tridentinum*, utpote quod Proteſtantes aſpernabantur, quia a Pontifice & quidem in loco extra fines Imperii Romano-Germanici conſtituto fuerat convocatum; contra *Reformationes* a Catholicis omni jure, & quidem jure longe majori, ac illas Reformati attentarunt, ſusceptas (l); contra *bannum*, quo Fridericus V. juſtiſſime feriebatur, contra *Edictum Reſtitutorium* a Ferdinando II. an. 1629. promulgatum. Et quis in numerum coget gravamina Acatholicorum a tempore initæ Pacis Weſtphalicæ ad noſtra usque tempora ratione reſtituendorum, Juris Reformandi, Simultanei, clauſulæ Pacis Ryſwicenſis, executionis &c.? Nempe quidquid agunt Proteſtantes contra omne jus, jure agunt: quidquid agunt Catholici omni jure, injuſte agunt. Ridicula ſane ſunt haud raro gravamina in puncto Religionis, quæ a privatis etiam Proteſtantibus ad comitia deferuntur. Tædet ſane & pudet eorum catalogum contexere. Utquid ergo mirum, quod libri in plura volumina digeſti proſtent hujuscemodi gravaminibus pleni? quales ſunt: Hiſtorie der Religions-Beſchwerden D. Struv in 2. Theile Leipzig 1722. Item *Imperatorum, imperiique Principum ac Procerum totiusque Nationis Germanicæ gravamina adverſus Sedem Romanam totumque Eccleſiaſticum ordinem, jam inde a tranſlata ad Germanos imperatoria dignitate usque ad tempora Caroli V. adornata an.* 1725. zu Frankfurt und Leip,

Gravamina a tempore Pacis Weſtphalicæ usque nunc ſunt innumera, & aliquoties ridicula.

Libri gravaminum referuntur.

(l) E. g. Dum Catholici Gebhardum Archi-Epiſcopum Colonienſem ad caſtra Proteſtantica transeuntem Archi-Epiſcopatu exuerunt, Canonicos quosdam Argentinenſes ex eodem capite Canonicatibus privarunt, civitatem Donauwertenſem, item Magiſtratum Aquisgranenſem banno Imperiali feriebant.

Digitized by Google

Leipzig. Gründliche Vorſtellung der Religions-Beſchwerden D. Hoffmann. Item gravamina Religionis Ratisbonæ in pluribus voluminibus edita. Hiſce addantur collectores Actorum publicorum, Goldaſtus, Lehmannus, Londorpius, Hortlederus, Luniger, Cortreius, Meierus, Müllerus, aliique. Juſtane, an injuſta ſint hæc gravamina, quis ſuo decidet arbitrio? At vero ne Proteſtantibus cauſam præbeamus vel unico termino & verbo ad delicatum illorum palatum haud ſatis provide ſcripto novum gravamen proponendi, ſatius duximus ab ulteriori diſquiſitione ſuperſedere, quamquam ipſi parum curent quotidianis contumeliis, injuriis, & opprobriis Catholicos laceſſere.

§. V.

Zwinglius, Lutherus & Calvinus nexum inter Eccleſiam & Imperium diſſolverunt.

Nexum inter Eccleſiam & Imperium, quem diſſolvere attentarunt Wicleſiſtæ & Huſſitæ, tandem diſſolverunt Zwinglius, Lutherus, & Calvinus, de quibus nunc paucis eſt diſpiciendum. Zwinglius & Calvinus ſuam ſectam præcipue propagabant per Helvetiam, & propinquas provincias, Lutherus per Germaniam. Infiniti eſſe deberemus, ſi illorum errores vel obiter recenſere placeret. Et hi ipſi iterum in varias diſſecabantur ſectas, nempe in Anabaptiſtas, qui Baptiſmum parvulis nihil prodeſſe putant, eosque denuo baptizant, dum ad ætatem adultam perveniunt; in *Sacramentarios*, qui Lutheri placitis multa alia miſcuerunt, maxime quoad Sacramentum Euchariſtiæ; & *Confeſſioniſtas*, qui Confeſſionem Auguſtanam ſectantur: & hi iterum in tres claſſes diſtinguuntur: alii quippe ſunt Rigidi, qui puris adhærent Lutheri placitis; alii *Molles*, qui Confeſſionem Wittembergicam ſequuntur; alii *Extravagantes*, qui Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcripſerunt, licet ſectentur dogmata Luthero contraria. Verum his immorari non licet, unde breviſſimum dabimus compendium rerum geſtarum a tempore inceptæ per Lutherum Reformationis usque ad Pacem Weſtphalicam.

Lutherani abeunt in diverſas ſectas.

§. VI.

Eccleſia indigebat Reformatione.

A multo jam tempore proborum omnium erat votum cum S. Bernardo nihil magis optante, quam *videre Eccleſiam, uti erat priſtinis diebus* (m). Idem fuit votum Guilielmi Durandi, qui juſſus a Pontifice conſcribere capita agendorum in Concilio Viennenſi, primum poſuit, ut

(m) Epiſt. 257. ad Eug.

Digitized by Google

ut *Eccleſiæ Romanæ reformatio fieret in capite & membris* (n). Idem votum Juliani Cardin. ad Eugen. IV. ſcribentis, *Clerum ob exceſſus Laicis abominationi eſſe* (o). Idem votum Petri de Alliaco, & Gerſonii in Concilio Piſano, aliorumque Virorum doctiſſimorum, & piiſſimorum (p). Neque ullus negaverit, quod Eccleſia reformationis quoad mores & diſciplinam fuerit indiga: & hinc de reformanda Eccleſia actum fuit in Concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi, quin tamen opus reformationis optatum obtinuerit ſucceſſum, licet in multis varii abuſus fuerint ſublati. Erant autem duplicis generis homines, qui operi reformationis manum adhibebant, alii pacifici, alii turbulenti, illi ſine tumultu, ſine turbine, ſervatis debitæ reverentiæ, obedientiæ, & modeſtiæ legibus pro reformanda Eccleſia laborabant: hi motus, & tumultus excitabant, excuſſo omni jugo obedientiæ, proſtratis omnibus legibus divinis & humanis omnia ſusque deque vertebant, neutiquam diſtinguentes inter reformationem, & deſtructionem, ac everſionem Eccleſiæ.

Reformatores duplicis generis.

Itaque poſt Wicleſiſtas, & Huſſitas primum locum meretur Lutherus vir acris & vehementiſſimi genii, ac ingenii. Hic patria Isleblenſis, & honeſto quidem, verum humili loco natus, antea Inſtitutum Monaſtico-Auguſtinianum profeſſus occaſione Indulgentiarum, quarum promulgationem Leo X. Archi-Epiſcopo Moguntino injunxit, hic vero eam commiſit Joan. Tezelio Dominicano, quaſi in rabiem actus primitus abuſum illarum, poſtea ipſas Indulgentias vehementiori zelo impugnavit, & exuto habitu monaſtico jam publicis Wittebergæ ao. 1517. editis theſibus non modo Indulgentias rejecit, ſed etiam Romani Pontificis poteſtatem impugnare non abhorruit, & paulo poſt ſub ſpecioſo, & plauſibili Reformationis prætextu ad ejurandam fidem avitam non paucos Germaniæ Proceres invitavit (q).

Reformator peſſimus erat Lutherus.

Priusquam hæc ulterius proſequamur, non nihil revertendum eſt ad doctrinam Lutheri, & Pontificem. Hæc ubi inaudiit Pontifex, ipſum citavit Romam, & quum venire nollet, paſſus eſt, ut coram Cardinale Cajetano Auguſtæ an. 1518. compareret, qui Lutherum incaſſum

Hiſtoria Lutheri & Lutheraniſmi.

(n) Tract. de mod. gener. Concil. celebrandi.
(o) Vid. hiſt. Doct. Proteſt. Benigni Boſſuet. lib. 1. mox ab initio.
(p) Idem Boſſuet. ibid.
(q) Dotes qualitates, & ſcientias Lutheri mirum in modum extollit Moshem. Inſtit. Hiſt. Eccleſ. ad Sæc. XVI. Sect. 1. cap. 1. pag. 651.

Digitized by Google

caſſum ad revocationem urgere nitebatur. Anno 1519. Lutherus habuit diſputationem Lipſiæ cum Joanne Eckio ſimiliter ſine fructu. His auditis Leo X. an. 1520. ipſum anathemate feriit, & e gremio Eccleſiæ Romanæ expulit, quo facto Lutherus audacior factus jam publice contra Bullam Pontificis calamum ſtrinxit, & eam una cum Jure Canonico Wittebergæ ſolemniter Vulcano tradidit an. 1521. (r). Cum poſtea ad dicendam cauſam ſuam ab imperatore Carolo V. Wormatiam vocatus fuit, & necquidquam ſeu blanditiis, ſeu minis ad revocationem faciendam compelli potuit, ex imperio proſcriptus fuit. Lutherus ergo Wittebergam abiit, & ſub protectione Friderici Electoris Saxonici tamdiu in arce Wartburg delituit, donec auditis motibus Anabaptiſtarum Wittebergam rediit, ubi varia contra Pontificem ſcripta edidit. Ab eo tempore res ipſi erat cum Anabaptiſtis, Zwinglio, & Oecolampadio, & hinc diverſæ editæ confeſſiones fidei a ſectatoribus Lutheri, & Zwinglii. Prævaluit tamen illa, quam vocare ſolent Auguſtanam.

Proteſtantes unde dicantur? Hæc quum agerentur, Pontifex apud Cæſarem urgebat, ut Lutherus cum ſuis Aſſeclis proſcriberetur, quod, quum in Comitiis Spirenſibus an. 1529. tentaret Imperator, proteſtati ſunt Principes Proteſtantici, indeque nacti ſunt nomen *Proteſtantium*, quo in hodiernam usque diem gloriantur. Poſtea Proteſtantes an. 1530. in Comitiis Auguſtæ ſuam Confeſſionem Auguſtanam exhibuerunt, cui plures Principes ſubſcripſerunt. *Provocant ad Concilium generale.* Quum vero Auguſtana illa Confeſſio a Cæſare, & Imperii Ordinibus rejiceretur, ad Concilium Generale provocarunt, & mox fœdus Smalcaldicum inierunt, & paulo poſt aperto marte Cæſarem aggrediuntur. *Exinde oriuntur bella.* Jamque ventum erat ad arma infelici Marte pugnantibus Proteſtanticis, usque dum inito cum Rege Galliæ fœdere Cæſarem de novo aggredientes in eas anguſtias illum redegerunt, ut tandem Lincii primum, & mox Paſſavii Conventum indicere, & de pace cum Proteſtantibus ineunda cogitare debuerit. *Tranſactio Paſſavienſis & pax Religioſa.* Itaque Paſſavii famoſa illa tranſactio Paſſavienſis fuit conſtituta an. 1552. de qua infra. Anno dein 1555. hæc tranſactio Auguſtæ Vindelicorum per Pacem Religioſam fuit confirmata.

Proteſtantes ſeu Lutherani omnia ſusque deque vertunt. Atque hæc eſt pax illa famoſa, per quam nemo non credebat ſecuritati publicæ eſſe optime conſultum. Verum aliter eventus docuit: nam Proteſtantes libertate ſibi conceſſa abutentes omnia ſusque deque vertebant, ex prætenſo jure reformandi ſubditos Catholicos opprimebant,

(r) De hoc facto vid. quæ diximus Tom. II. Quæſt. 3. de auctorit. Jur. Eccleſ.

Digitized by Google

hant, Eccleſias & Monaſteria ejectis Epiſcopis & Prælatis occupabant, quin remedium ſubveniendi occurreret: nam Concilio Tridentino, ad quod ipſi primitus provocaverant, ſe ſubmittere recuſabant, privata colloquia ex condicto inſtituta mox iterum reſpuebant, donec diviſo in factiones Imperio Proteſtantes in unionem Hallæ Suevorum, Catholici vero Herbipoli in ligam coirent. Accedunt tumultus Bohemici electo in Regem Friderico V. Palatino contra Ferdinandum Auſtriacum. Cumulum addidit fœdus Proteſtantium cum Suecis, Gallis, Batavis, & Anglis initum. Ferme ſolus erat Imperator cum Electore Bavariæ, qui ſe violentiis opponebat. Itaque ventum ad arma, & 30. annis varia fortuna pugnatum fuit, donec 1648. Pax Weſtphalica fuerit concluſa, de qua infra. Atque hæc eſt compendioſa relatio rerum geſtarum, quam dare ſupra promiſimus.

Tumultus Bohemici

§. VII.

Quod ſi quis jam principia & doctrinas Lutheri ſuorumque Aſſeclarum vel obiter inſpicere voluerit, facile deprehendet, ferme unicam aut certe principaliſſimam curam Lutheri eo colliması̄ſſe, ut Hierarchiam eccleſiaſticam ſubverteret, Romanum Pontificem e toto orbe Catholico proſcriberet, & omnia jura eccleſiaſtica in Principes ſæculares transferret. Sed quid multa inquiſitione opus eſt? eventus docuit, quænam fuerit intentio Lutheri. Loquantur tot Epiſcopatus ſæculariſati, tot Monaſteria penitus everſa, tot Eccleſiæ dirutæ, & ſolo æquatæ. Loquantur Pax Religioſa, & Weſtphalica, in qua omnis juriſdictio Pontificia & Epiſcopalis ſubverſa, & totum Jus in ſacra cum omni ſua appendice in Principes ſæculares translatum. Cauſam hujus ſi quis quærat, ea eſt in propatulo: nempe indigebat Lutherus potentia virium, Principum armatura, magnatum aſſiſtentia: hanc qua alia arte facilius ſibi comparare poterat, quam ſi illorum favores aucuparetur, ditiones ampliaret, integros principatus illis adjiceret, eorumque juriſdictionem ultra fines orbis Catholici protenderet, atque immenſum jurium pontificiorum & epiſcopalium cumulum in ipſos transfunderet? Quid ſibi iſta dicere velint, facile prudentum quiſque deprehendet.

Lutheri intentio fuit hierarchiam eccleſiaſticam ſubvertere, & Pontificatum extinguere.

Jus in ſacra cur in Principes ſæculares a Luthero & Lutheranis translatum?

§. VIII.

Tot privata inſtituta ſunt colloquia, tot celebrati conventus particulares inter Catholicos, & Lutheranos, inter hos & Anabaptiſtas, Zwin-

Privata colloquia inter Catholicos & Lutheranos.

Digitized by Google

Zwinglianos, & Calviniſtas, ut vix in numerum cogi valeant. Hos Conventus ut in ordinem redigeret, immenſum laborem in ſe ſuſcepit magni nominis apud Proteſtantes Doctor Pfaffius, qui ultra ſexaginta hujusmodi Synodos, colloquia, & conventus celebratos recenſet (s).

Colloquia celebriora inter Catholicos & Proteſtantes.

Ex his celebriora inter Catholicos & Proteſtantes habita colloquia privata non nihil dilucidemus, quorum primum certo certius fuit colloquium annuente Leone X. & Maximiliano I. Imperatore Auguſtæ Vindelicorum an. 1518. inter Thomam Cajetanum Eccleſiæ Romanæ purpuratum, & ipſum Lutherum, ſed fruſtraneo conatu habitum (t).

Primum inter Lutherum & Cajetanum Cardinalem Auguſtæ.

Alterum inter Joannem Eckium celebrem Theologum Catholicum, & inter Caroloſtadium Lutheri collegam & ſocium, ac ipſum Lutherum in magna ſplendidiſſimaque concione in arce Pleiſſenburgenſi de libero arbitrio an. 1519. Habebatur præſente etiam inter teſtes & ſpectatores Philippo Melanchtone Profeſſore Wittebergenſi: ſed nec in hoc quidquam efficiebant diſputantes, neque Rector Lipſienſis Hoffmannus arbiter alioquin pugnæ, utra pars viciſſet, pronuntiare volebat, ſed cognitio cauſæ ad Academias Pariſienſem & Erfurtenſem deferebatur (u).

Alterum inter Joan. Eckium & Caroloſtadium.

Aliud colloquium jubente Carolo V. Wormatiæ an. 1541. inter eundem Eckium & Melanchtonem inſtituebatur, ubi per triduum acriter fuit diſputatum. Hæc diſputatio certis de cauſis transferebatur Ratiſbonam. Verum diuturna deliberatio hunc unum habebat fructum, ut diſſidentes conſentirent in futuro Concilio, aut ſi hoc forte cogi non liceret, in proximis gentis Germanicæ Comitiis accuratius negotium hoc graviſſimum tractandum fore (x).

Wormatienſe inter eosdem.

Colloquia celebriora Sæculo XVII. habita recenſentur.

Inter colloquia Sæc. XVII. inter Catholicos & Proteſtanticos habita celebriora ſunt colloquium in ipſo Sæculi exordio an. 1601. inter tres magni nominis Theologos S. J. Hungerum, Tannerum, & Gretſerum, & inter Heilbronnerum, Hunniumque Lutheranos authoritate Maximiliani Bavari & Philippi Ludovici Palatini de norma Religionis, &

(s) Inſtit. Hiſt Eccleſ. ad Sæc. XVI. cap. 3. & ad Sæc. XVII. cap. 3.

(t) Vid. Chriſt. Frid. Börneri Diſſert. de colloquio Lutheri cum Cajetano Lipſ. 1722. Cajetani rationem diſputandi cum Luthero diſplicuiſſe Curiæ Romanæ refert Paul Sarpius Hiſt. Concil. Trident. lib. 1. an vere, vel falſo, neſcio. Pro Cajetano perorat Jac Eckardus Script. Ord. Prædic. Tom. II.

(u) Vid. Moshemius Inſtit. Hiſt. Eccleſ. Sæc. XVI. Sect. 1. cap. 2.

(x) Collocutores nominati ſunt Julius Pflugius, Eckius, Gropperus, Philippus Melanchton, Martinus Bucerus, Joan. Piſtorius. Vid. Schilterus de libert. Germ. pag. 985.

Digitized by Google

& judice controverſiarum habitum. Alterum Neoburgi an. 1615., poſtquam Wolfgangus Wilhelmus Palatinus jamjam ad noſtra ſacra tranſierat, inter Jacobum Kellerum S. J., & Jac. Heilbronnerum Lutheranum habebatur. Tertium valde celebre eſt illud, quod ordinavit an. 1645. Uladislaus IV. Polonorum Rex, qui Theologos nobiliores tam Catholicos quam Lutheranos & Reformatos Thorunium Boruſſiæ urbem arceſſebat, ut de tollendis religionis controverſiis amice inter ſe agerent: unde colloquium iſtud nomen *colloquii Charitativi* obtinuit. Paulo poſt an. 1651. Erneſtus Haſſiæ Landgravius, quo honeſtius ad noſtram Religionem tranſire poſſet, quod jam decreverat, Valerium Magnum celebrem illum Ordinis S. Franciſci Capucinorum Theologum cum Haberkornio Doctore Gieſſenſi in arce Rheinfelſenſi congredi jubebat. Inter privata hujus generis colloquia illud cœtera omnia nobilitate facile ſuperat, quod an. 1683. inter celeberrimum illum Meldenſium Epiſcopum Benignum Boſſuetum, & Joan. Claudium Theologorum Reformatorum facile Principem Pariſiis fuit inſtitutum. Ambo hi Diſputatores hiſtoriam hujus ſui colloquii conſcripſerunt, & ediderunt (y).

Quid jam dicam de colloquiis, conſerentiis & diſceptationibus inter Lutheranos & Calviniſtas, quarum plures recenſet idem Pfaffius? Quid memorem certamina Lutheri cum Fanaticis, Caroloſtadii cum Luthero de S. Cœna, Schwenckfeldii cum eodem de eadem cœna, & quibusdam aliis dogmatibus, Joan. Agricolæ Islebii, & ſociorum, quos *Antinomos* vocabant, id eſt hoſtes legis præter Evangelium nullam aliam legem admittentes cum eodem Luthero? Accedunt certamina poſt Lutherum: qualia inprimis excitavit Phil. Melanchton, qui longe mitioris ingenii & mollioris genii in multis doctrinis a Luthero recedebat, aut illas mitigabat. Inde ortum eſt famoſiſſimum illud *bellum Adiaphoriſticum* inter Theologos Proteſtanticos, nempe Matthæum Flaccum Illyricum cum ſuis ſociis, & inter Theologos Wittebergenſes & Lipſienſes, quorum caput erat Melanchton, & quidem occaſione formulæ *interim* dictæ, quam recipi poſſe ſalva religione Lutheri exiſtimabant Lipſienſes; repudiabant econtra antiquioris Lutheri diſciplinæ deſenſores. Adiaphoriſticum hoc certamen fœcunda erat

 mater

(y) Boſſueti liber hoc titulo inſignitus prodiit: *Conference avec Mr. Claude ſur la Matiere de l' Egliſe. Pariſ.* 1683. Huic Claudius oppoſuit: *Reponſe au libre de Mr. de Meaux intitulé conference avec Mr. Claude, Haye* 1683.

Digitized by Google

mater aliarum litium, qualis erat lis Georgii Majoris Theologi Wittebergenſis cum Nicolao Amsdorſio de neceſſitate bonorum operum. Tantum tamen abeſt, ut inter ſe in ſuis principiis & doctrinis convenirent, ut in hodiernam usque diem ſint diſcordes, ſpesque omnis ſit præciſa, quod unquam in unionem ſint coituri, prout oſtendit Laurentius Moshemius in ſpeciali Diſſertatione de Synodo Dordracenſi (z). Sed quid dico de Calviniſtis & Lutheranis invicem colliſis? Etiam Lutherani inter ſe ipſos & ſuis doctrinis ita ſunt ſciſſi, ut ferme tot ſint Confeſſiones & Formulæ fidei, quot provinciæ & civitates. Opportunus hic foret Locus dicendi de *Pacificatoribus* tam Pontificiis, quam *Proteſtanticis*, nec non de *Methodiſtis*, uti vocantur, quorum labor in eo deſudabat, ut Religiones inter ſe diſſidentes concordes facerent, & amico fœdere conjungerent. Verum etiam horum labor usque nunc fuit fruſtraneus. De his omnino legi meretur celeberrimus Moshemius (a). Præcipuos Sectæ Lutheranæ Doctores in compendio refert Chriſt. Walchius (b).

§. IX.

Lutherus ad Concilium provocat, ſed non comparet.

De Concilio Tridentino.

Poſtquam Lutherus in Comitiis Wormatienſibus banno ex Imperio fuit proſcriptus, provocavit ad Concilium Generale in Germania celebrandum, quod cum conſenſu Imperatoris Tridenti ſub Paulo III. an. 1545. fuit cœptum, ſub Julio III. continuatum, & tandem ſub Pio IV. Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. abſolutum, ac an. 1563. confirmatum. Vocatus fuit ad Concilium Lutherus, ſed non comparuit, & an. 1546. diem ſupremum obiit. Jubebat quoque Cæſar in Comitiis Auguſtanis an. 1551. ut omnes ſeſe ad Concilium præpararent, jamque in Saxonia per Melanchtonem conſcribebantur Confeſſiones Concilio exhibendæ. Veniebant etiam Tridentum Theologi quidam Würtembergici. At vero Saxonici, quorum Princeps erat Melanchton

(z) Hæc Diſſertatio in linguam Germanicam verſa mihi ad manus eſt ſub titulo: Gründlicher Beweiß, daß die authoritet und Anſehen des Dordrechtiſchen Concilii der geiſtlichen Vereinigung unter den Proteſtirenden das gröſte Hinderniß ſetze. Hamburg 1726.

(a) Inſtit. Hiſt. Eccleſ. Sæc. XVII. Sect. II. Part. I. modum diſcordantes Religiones concordandi ſed prorſus abſurdiſſimum, principiis veræ Religionis prorſus repugnantem tradit famoſus ille J. M. von Loen. Von der Vereinigung der verſchiedenen Secten in der Religion.

(b) Grundſätze der Kirchen-Geſchichte pag. 475.

Digitized by Google

lanchton ultra Norimbergam non progrediebantur. Cauſas, ob quas Proteſtantes Concilium adire recuſabant, prætexunt varias, quas examinare non vacat. Innumera ſunt, quæ de hoc Concilio dicenda forent. Nobis id ſolum inſinuaſſe ſufficiat, quod Synodus Tridentina jamjam jus novum haud ſecus in Germania, quam in univerſa Eccleſia Catholica faciat. Qui plura deſiderat ſcire, legat Scriptores, qui ex profeſſo hiſtoriam Concilii Trident. ſcripſerunt, inter quos ſunt Pallavicinus, Paulus Sarpius, Henricus Scipio, cujus cenſura adverſus Petri Suavis Hiſtoriam prodiit Meſſanæ & Dilingæ; Philippus Quorlius, qui in ſua hiſtoria Petri Suavis hiſtoriam ex ipſius Suavis aſſertionibus confutavit, Auguſtinus Redingius. Scriptores Proteſtanticos exhibet Pfaſſius Introd. in hiſt. Theolog. Tom. III. lib. 4. pag. 206.

§. X.

Confeſſiones & formulæ fidei apud Proteſtantes, valde frequentes.

Haud ſecus Confeſſiones, & formulæ fidei tam Lutheranorum, quam Calviniſtarum erant valde frequentes, uti illorum colloquia, conventus, & Synodi. Arianis Epiſcopi Catholici objiciebant, quod tot fidei formulas procuderint: an non id majori jure exprobrari poteſt Proteſtantibus? Juvat igitur hasce confeſſiones utriusque Religionis tam Proteſtanticæ, quam Reformatorum redigere in compendium. Confeſſiones & formulæ Proteſtantium ſunt ſequentes, nempe Confeſſio Auguſtana in Comitiis Auguſtanis 1530. oblata, a qua in hodiernam usque diem Lutherani vocantur die Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandte, quo nomine poſt Pacem Weſtphalicam veniunt etiam Reformati (c). Atque hæc cœterarum Confeſſionum eſt præcipua, quæ in præfatis Comitiis a Chriſtiano Bayero Cancellario Saxonico prælecta, & a Joanne Electore Saxonico, quatuor Principibus Imperii, Georgio Marchione Brandenburgico, Erneſto Duce Lüneburgenſi, Philippo Haſſiæ Landgravio, Wolfgango Principe Anhaltino, utraque Republica Norimbergenſi & Reutlingenſi fuit ſubſcripta. Stylus eſt Melanchtonis. Conſtat 28. capitibus, ex quibus 21. complectuntur Lutheranorum dogmata, ſeptem vero errores, ut vocant, ſeu abuſus Romanæ Eccleſiæ, a qua receſſerant. Huic Confeſſioni opponebant Catholici *confutationem* a Joanne Fabro Epiſcopo poſtea Viennenſi, adjutoribus Joanne Eckio & Joanne Cochlæo compoſitæ, cui acquieſcendum eſſe volebat Imperator contradicentibus Lutheranis. Reponebat

Recenſentur, & inter has præcipua eſt Auguſtana.

(c) Pax Weſtph. art. 7. §. 1.

Digitized by Google

nebat Melanchton aliam Reſponſionem, quæ nunc vocatur *Auguſtanæ Confeſſionis Apologia*, & an. 1531. Libris Lutheranorum Symbolicis fuit inſerta. Sequuntur Confeſſio Terrapolitana, Würtembergica, Articuli Schmalcaldici, bina Lutheri de S. Cœna Confeſſio, Catechiſmus uterque Lutheri, & formula Concordiæ. Hiſce ſuperaddit Pfaffius (d) quatuor doctrinæ corpora, nempe *Philippicum*, quod præter Auguſtanam Confeſſionem, Apologiam, & Confeſſionem Saxonicam locos Theologicos Philippi Melanchtonis, aliaque nonnulla continet; *Corpus doctrinæ Pomeranicum*, quod præter libros ſymbolicos varia Melanchtonis, & Lutheri ſcripta continet; *Corpus doctrinæ Boruſſicum*, quod eosdem libros ſymbolicos cum duabus peculiaribus confeſſionibus complectitur; *Corpus doctrinæ Thuringicum*, & *Julium*, in quo præter dictos ſymbolicos quædam alia doctrinam Proteſtantium concernentia leguntur. Idem Pfaffius ſubjungit Confeſſionem Antwerpienſem, Upſalenſem, Tranſylvanicam, Marchicam, Mansfeldenſem, Livonicam, Saxonicam alteram &c. Hæc de Confeſſionibus Proteſtantium. Confeſſiones Reformatorum haud ſunt pauciores, & ferme æque frequentes, nempe Helveticæ, Gallicanæ, Anglicanæ, Scoticæ, Polonicæ, Bohemicæ &c., quæ omnes comprehenduntur in uno volumine Genevæ impreſſo, ſub titulo: *Corpus, & Syntagma confeſſionum fidei.* Hiſce addatur Catechiſmus Heidelbergenſis cum confeſſionibus Waldenſium, & Bohemorum. Sed quid his recenſendis immoramur? Juvat iſta ſaltem ſcire, ut diſcordantia Novatorum etiam in iis, quæ ad fidem ſpectant, clarius eluceſcat.

§. XI.

Status Imperii cum Imperatore conveniunt in Comitiis Auguſtanis.

Jam de variis legibus Imperii fundamentalibus, Religionem, & Eccleſiam concernentibus agendum, quarum tamen fuſior dilucidatio dabitur in cap. ſeq. Dum tota Germania mirum in modum ob novitiam ſectam Lutheri turbata erat, ita ut quid agendum, permittendum, ordinandum, obſervandumque foret, penitus ignoratum fuerit, convenere Status Imperii cum Imperatore in Comitiis Auguſtanis 1548. deliberaruntque, qua arte rebus afflictis ſubveniri poſſit, usque dum cauſa religionis in aliquo Concilio Generali judicio plenario diſcuteretur, & decideretur. Quum autem in determinandis iis, quæ ad ſecuritatem, & tranquillitatem publicam pertinebant, conveniri non potuiſſet, atque ſpes omnis brevi congregandi Concilium ob peſtem, ut fama

(d) Ad ſæc. 16. pag. 789.

Digitized by Google

fama ferebat, Tridenti exortam evanuiſſet, neceſſe videbatur Imperatori, ut ratio quædam ad firmandam interim pacem in negotio religionis opportuna adinveniretur. Totum ergo negotium ad Cæſarem fuit remiſſum, qui proin curam procudendæ formulæ vel ordinationis interimiſticæ commiſit Julio Pflugio Epiſcopo Namburgico, Michaeli Sidonio & Joanni Islebio. Hi formulam conſcripſerunt, eamque Cæſari obtulerunt, quam dum Cæſar convocatis ſtatibus in Comitiis Auguſtanis promulgari juſſerat, mox Elector Moguntinus non requiſitis cæterorum ordinum ſuffragiis, uti ſcribunt Proteſtantes, conſurrexit, ac Imperatori nomine omnium ſtatuum gratias egit & publico veluti nomine formulam approbavit. Imperator igitur hanc gratiarum actionem in vim communis ſtatuum approbationis habuit, & nullam contra excuſationem admiſit. Atque hæc Imperatoris declaratio vocari ſolet famoſum illud *Interim*, quo diſpoſitum fuit, quid interea agendum, usquedum cauſa Religionis in Concilio definiretur. Verum non poterat hoc Decretum Interimiſticum ad vim legalem univerſalem eluctari: inprimis enim Catholici quoad illa, quæ reformationem Cleri attingebant, eam eatenus recipiebant, quatenus cuique Diœceſi vel maxime convenire videretur; quoad ea vero, quæ concernebant dogmata, nullo modo eam attendebant. Id ipſum fecere Proteſtantes, quorum aliqui illam prorſus repudiabant, aliqui vero, ſpecialiter Mauritius Elector Saxoniæ, & Joachimus Elector Brandeburgicus ſaltem quoad Adiaphora recipere, ſuisque ſubditis obſervandam offerre, ita ſuadente Melanchtone, non detrectabant. Inde ortum ſuum traxit famoſum illud bellum *Adiaphoriſticum* (e). Eſto autem in Conventu Juterbaccenſi ab Electore Saxoniæ & Brandenburgico, adhibitis Philippo, Camerario, & Agricola, inſtituto formula interimiſtica quoad adiaphora fuerit approbata, nihilominus, poſtquam tota res ad Comitia provincialia fuit delata, nequidem in Saxonia vim legis obtinuit, donec in pace Religioſa & Weſtphalica omnino fuerit ſublata. Hanc formulam, utpote ab Imperatore non quidem procuſam, ſed ſaltem approbatam & promulgatam non pauci Doctores Catholici comparant conſtitutionibus interimiſticis Imperatorum Orientalium, quales fuere *Ecthesis*, *Typus*, *Henoticon*. Sed non vacat hisce immorari. De transactione Paſſavienſi commodius agemus in cap. ſeq. ſicut etiam de Pace Religioſa & Weſtphalica.

§. XII.

(e) Diſtinquebat enim Melanchton inter *dogmata*, & *Adiaphora*.

§. XII.

Clauſula Pacis Ryſwicenſis qua occaſione facta?

Breviſſime nobis agendum de famoſa illa clauſula Pacis Ryswicenſis Articulo 4. addita, quæ ſic habet: *Religione tamen Catholica Romana in locis ſic reſtitutis in ſtatu, in quo nunc eſt, remanente.* Series rei, & facti hæc eſt: Poſtquam Pax Weſtphalica fuit concluſa, & promulgata, novum bellum inter Gallos, & Hollandos fuit inſtauratum, in cujus participium ipſum etiam Imperium fuit pertractum, cui finem impoſuit Pax Noviomagenſis an. 1679. concluſa. Dum autem poſt hanc pacem novum a Gallis concitatum bellum, & Rex Gallorum urbem Argentoratenſem occupaverat, de Pace in conventu Francofurt. 1684. fuit actum, & Armiſtitium Vicennale Ratisbonæ concluſum. Sed nondum finitum erat quadriennium, quum novum bellum fuerat exortum, quod occaſionem præbuit Paci Ryswicenſi in palatio Neoburgenſi an. 1697. initæ, cujus articulo 4. ſupra recitata clauſula fuerat inſerta. Huic clauſulæ occaſionem præbuit, quod Rex Gallorum in quibusdam ditionibus Imperii a ſe occupatis in Eccleſiis Proteſtanticis *ſimultaneum* Religionis Catholicæ exercitium introduxerit, & hinc inde Catholicos in poſſeſſionem proventuum eccleſiaſticorum immiſerit. Quo facto corpus Proteſtanticum in Armiſtitio 1684. inito rem eo deduxit, ut inter alia cautum fuerit, nullam pacem fore ineundam, *niſi omnia juxta tenorem pacis Oſnab. in eccleſiaſticis reſtituta ſint.* Hoc non obſtante Rex Galliæ Religioni Catholicæ conſulturus in Pace Ryswicenſi curavit, ut articulo 4. prædicta clauſula insereretur, quidquid non pauci Proteſtantes contra fuerint proteſtati.

De ea abroganda multoties actum, ſed fruſtra.

De hac clauſula abroganda multoties fuit actum ferme in omnibus Comitiis, Capitulationibus, & Pacibus ab illo tempore initis; quin tamen Proteſtantes usque nunc aliquid efficere potuerint (f). Quoniam vero hæc omnia in variis deductionibus deſuper editis, & ferme in omnibus libris Publiciſtarum legenda proſtant, nolumus huic rei illuſtrandæ multam impendere operam (g).

§. XIII.

Diſſidia inter Pontifices & Imperatores.

Varia inter Pontifices & Imperatores a temporibus Carolingicorum ad noſtra usque tempora exorta fuiſſe diſſidia nemo eſt, qui ignorat, quorum plurima paſſim per decurſum opuſculorum inſinuavimus, qualia

(f) Nominatim in Capitulatione Joſephina art. 13. & Carolina art. 4.

(g) Vid. Moſeri vollſtändiger Bericht von der ſo berühmt- als fatalen clauſula art. 4. Pac. Ryſwicenſis.

Inter Leonem X. & Carolum V.

Diſſidia propter legationes obedientiæ.

qualia fuere ratione inveſtituræ, Regaliæ, Annatarum, Beneficiorum, ditionum Italicarum, Concordatorum, aliorumque Jurium. Ultimis etiam ſæculis a tempore Reformationis hinc inde inter Romanos Pontifices ac Imperatores pientiſſimos fuiſſe lites brevi tamen, & ut plurimum amicabiliter compoſitas, quis neſcit, dum vel Imperator jura eccleſiaſtica uſurpaſſe, vel Pontifex ſua jura ultra ſuos limites extendiſſe credebatur? Notæ ſunt inprimis frequentiores proteſtationes & contradictiones Leonis X., aliorumque Pontificum contra ea, quæ egit Carolus V. in cauſa Proteſtantium, dum Lutherum citavit ad Comitia Wormatienſia, inſtituit varia colloquia, promulgavit *Interimiſticum*, aliaque pro ſecuritate publica & pace componenda conſtituit. Notæ ſunt Proteſtationes Innocentii X., aliorumque Pontificum contra Pacem Weſtphalicam. Notæ ſunt controverſiæ, quas inter diverſos Pontifices & Imperatores Ferdinandum I. & Paulum IV. Maximilianum II. & Pium IV. Rudolphum II. & Gregorium XIII. Leopoldum & Alexandrum VII. excitarunt *Miſſiones Legatorum obedientiæ* ita dictæ, de quarum origine, uſu, & modo illas obeundi non niſi pauca pro aliquali notitia annotaſſe ſufficiat (h).

De Miſſionibus Legatorum obedientiæ.

Origo earum indagatur.

Imperatores olim ſumme reverentiales erga Pontifices.

Moris eſt antiquiſſimi, ut Imperatores Neo-Electi ad Pontificem ſolemnem legationem mittant, eidem ſuam electionem ſignificent, agnitionem Majeſtatis, &, olim ſaltem, confirmationem electionis, nec non Coronationem aliquando conſuetam petant, eidemque fidelitatem, reverentiam, & obedientiam appromittant, aut nonnunquam Pontifici neo-Electo gratulentur (i). Quandonam vero ſolennes hæ legationes, præcipue ſolemnis obedientiæ promiſſio, invaluerint, nondum in comperto eſt. Equidem ab illo ævo, quo Imperatores ſuum nomen ſacris Chriſtianis dederunt, Imperatores & Reges maxime Carolingicos & Saxonicos fuiſſe valde devotos & reverentiales erga Romanos Pontifices, quoſdam eorum & non paucos Pontificibus obviam proceſſiſſe (k), Stratoris munus obiiſſe (l), invicem formulam fidei

(h) Hactenus neminem reperire potui, qui hanc materiam ex profeſſo tractet præter Chr. ſt. Gottlieb Buderum, qui librum ſingularem *de Legatis obedientiæ* ſcripſit.

(i) Fiebant hæ legationes ſub auſpicia vel novi Pontificis, vel novi Imperatoris, Regis, & Principis, quatenus hac ratione Pontifici qua Chriſti Vicario & Petri ſucceſſori fidem, reverentiam & obedientiam conteſtarentur.

(k) Ita Pipinus Stephano II. ad tria milliaria obviam proceſſiſſe legitur.

(l) Similia exempla leguntur apud Thomam Bozium de Italiæ Statu antiquo & novo de eodem Pipino, Carolo M., Ludovico Pio, Henrico Angliæ Rege &c.

Digitized by Google

miſiſſe (m); quin etiam fidelitatem ac tutelam promiſiſſe, & eorum quosdam limina Apoſtolorum viſitaſſe, ut ſua Romano Pontifici obſequia conteſtarentur (n), docent hiſtoriæ. Cæterum ſolennes legationes cum promiſſione obedientiæ conjunctas, ante Sæculum XI. vel XII. factas non legimus. Thomaſſinus earum originem & uſum refert ad Sæc. XII., & hanc ſuam doctrinam exemplis confirmat. Verba illius hæc ſunt: *quod ad legationes ſpectat, quas obedientiæ vocamus, cum anno* 1131. *Remis ageret Innocentius II., ſuam illi fidem obedientiamque ſignificaverunt, obligaruntque Lotharius Germaniæ Rex per Archi-Epiſcopum Moguntinum, Henricus Angliæ Rex per Hugonem Archi-Epiſcopum Rotomagenſem, Alphonſus uterque Hiſpaniæ Rex per Epiſcopos Regnorum ſuorum. Obedientia promittitur. Se filios & obedientes denuntiant. Iſtiusmodi ergo legationibus plerumque fungebantur Epiſcopi, ſed & eæ breviores erant. Nec abhorret a veriſimilitudine, eo ipſo ævo, hoc eſt, Sæc. XII. invectum hunc fuiſſe uſum, ut per ſolennem legationem Chriſtiani Principes novo Pontifici ſuam pietatem & obedientiam profiterentur, ut obviam iretur Germaniæ ſchiſmati, cum Germani Imperatores pertinacius & diutius pſeudo-Pontifices obtruderent orbi Chriſtiano.* Hucusque Thomaſſinus (o). Cujus doctrina eo eſt veriſimilior, quo evidentius conſtat, illo potiſſimum ævo Pontifices & Imperatores fuiſſe colliſos. Idcirco neutiquam aſpernanda eſt opinio Buderi, qui ſolemnes Legatorum obedientiæ miſſiones refert ad tempora Henrici V., de quo primitus legimus, quod Paſchali II. obedientiam promiſerit, & ampliſſimam legationem Romam decreverit (p). Hujus veſtigia ſecuti ſunt plures Imperatores, Lotharius II., Fridericus Ænobarbus, Henricus VI., Fridericus II., usque ad fatalia interregni tempora. Poſt hæc tempora Rudolphus Habſpurgicus primus Romanorum electus Imperator antiquum morem continuavit, & Lugdunum, ubi tunc Concilium agebat Gregorius X., miſit Otto-

Origo earum ad Sæc. XI. & XII. referenda.

Probabilius ad tempora Henrici V.

Henrici exemplum ſequuntur plures Imperatores & ſucceſſores.

(m) De miſſione reciproca formulæ fidei diximus quæſt. præced.

(n) Ita teſtantur formulæ juramentorum, quas Imperatores & Reges qua Advocati Eccleſiarum Pontificibus fecerunt. Sic Otto M Joanni XII. promittit, ſe S. Romanam Eccleſiam, & Joannem Rectorem ipſius pro viribus exaltaturum. Formulam Jurisjurandi vide ſis apud Baronium Annal. Eccleſ. Tom. X. ad. an. 960. Henricus II. a Benedicto VIII. coronam recepturus ab eodem interrogatus: ſi fidelis vellet Romanæ Patronus eſſe Eccleſiæ, ſibi autem ſuisque ſucceſſoribus per omnia fidelis? devota profeſſione fidelitatem ſolam promiſit, teſte Ditmaro lib. 7. Ita ſolemnem obedientiæ præſtationem Franciſcus I. Leoni X. feciſſe legitur apud Buderum loc. cit. §. IV.

(o) Part. II. lib. 3. cap. 39.

(p) Rem fuſe narrat Conradus Urſpergenſis in ſuo Chronico, & ex eo Baronius Annal. Eccleſ. Tom. X.

Digitized by Google

Ottonem Præpoſitum Spirenſem aulæ Regiæ Cancellarium, ut ſuo nomine obedientiam jurejurando promitteret. Idem præſtitit Adolphus Naſſovius, qui miſſis ad Bonifacium VIII. Brixinenſi Epiſcopo, Wormatienſi Epiſcopo, & Gerlaco de Iſenburg promiſit *filialem obedientiam & ſinceræ promptitudinem voluntatis, quam gereret ad Pontificem & Romanam Eccleſiam matrem ſuam, quibus devote obſequi & obedire gratanter animo ferventi propoſuiſſet* (q). Pontifex econtra monuit, quatenus Imperator in laudabili hujusmodi diſpoſitione perſiſtens, quod ore cantaret, operibus comprobet, ac ſuis & ejusdem Eccleſiæ beneplacitis felicibus actibus ſe cooptaret. Idem fecere, atque per ſuos Legatos obedientiam promiſere Albertus Auſtriacus, Henricus VII. duo quoque æmuli Imperii Ludovicus Bavarus, & Fridericus Auſtriacus, & ſignanter Carolus IV. (r), cœterique Imperatores usque ad Ferdinandum I. cui res erat cum Paulo IV. eo quod Pontifex Imperium non legitime a Carolo V. renuntiatum prætenderet, & Martinum Guſmannum petendæ coronæ Romanæ cauſa miſſum Romam intrare prohiberet. Hac re motus Imperator ſuo Legato reſcribit, mandatque, ut, niſi poſt triduum a Pontifice admittatur, ipſe rebus compoſitis Roma diſcedat, ac Cæſarem de iis, quæ in hoc negotio intervenerunt, certiorem faciat. Poſtquam vero inaudierat Ferdinandus, Pium IV. Paulo defuncto fuiſſe ſubrogatum, non modo humaniſſimis literis dignitatem pontificiam eidem adgratulatus eſt, verum etiam Oratorem ſuum Comitem *Arcus* Romam miſit, ut debitum reverentiæ ac devotionis Officium more Prædeceſſorum præſtaret (s). Acrior jam lis erat inter Maximilianum II. & Pium IV. Cum enim Pontifex non legationem duntaxat obedientiæ, ſed etiam Sacramentum fidei ab Imperatore expoſceret, hic utrumque denegavit, & ſuo Oratori in mandatis dedit, ut nonniſi *reverentiam*, *devotionem & obſequium* promitteret: id quod nihilominus Pontifex in vim promiſſæ *obedientiæ* accipiebat (t). Veſtigia patris hoc in negotio perſecutus eſt Rudolphus II. qui Legatum ſuum eo mandato inſtruxit, ut Pontifici non niſi *reverentiam & obſequium* Eccle-

Lis inter Paulum IV. & Ferdinandum I.

Inter Pium IV. & Maximilianum II.

Et inter eundem Pontificem ac Rudolphum II.

(q) Sunt hæc verba Pontificis in epiſt. per modum *Brevis* edita apud Raynaldum Annal. Tom. XIV. ad an. 1295.

(r) De hoc omnino legi meretur Buderus loc. cit. §. 23.

(s) Loc. cit. §. 34.

(t) Vid. Raynaldus Annal. Eccleſ. Tom. XXI. ad an. 1558. Item Paulus Sarpius hiſt. Concil. Trident. lib. 22. cap. 6. & Schilterus de libert. Eccleſ. Germ.

Digitized by Google

Eccleſiæ vero obedientiam pollicéretur. Quid fecerit Mathias, ex defectu documentorum non adeo conſtat. Illum curiæ Romanæ ſatisfeciſſe exinde colligitur, quod indultum pro exercendis precibus primariis obtinuerit. Idem de Ferdinando II. affirmandum, quem fuiſſe Romanæ Sedi valde devotum aliunde ſcimus, & Paulum Savellium Principem Albanum miſiſſe Legatum ex Hofmanno (u) diſcimus. Ferdinandus III. pariter ſplendidiſſimam Legationem id eſt Eggenbergicum Principem ad Urbanum VIII. miſit, ut conſueto obedientiæ faciendæ officio defungeretur. Lis nihilominus oriebatur ſuper conſuetis ceremoniis, quæ tamen feliciter fuit terminata, prout fuſe narrat mox citatus Hofmannus (x). Ex quo ſimul diſcimus, quam accurata, & cum exceſſu ſcrupuloſa ſit Curia Romana in obſervatione ceremoniarum, & exactione honorum Romano Pontifici ex obſervantia debitorum. Graviſſima lis erat inter Leopoldum Imperatorem, & Alexandrum VII. Romanum Pontificem. Mitti ſolebant *Legati obedientiarum* cum ingenti pompa. Igitur Leopoldus bellis graviſſimis implicitus ſupplicaverat Pontifici, ut ſine transmiſſione Legati & ſine pompa magnoque apparatu dignaretur ſuam electionem confirmare, id quod Alexander tenaciſſimus cuſtos rituum conſtanter recuſavit, metuens, ne id in peſſimam abiret ſequelam, cum ſolemniſſima proteſtatione, ſe Diploma confirmationis nunquam conceſſurum, niſi Legatus cæſareus ad hunc effectum ſpecialiter miſſus conſueta ſolemnia impleret. Interim tamen Leopoldus preces primarias non obtento antea indulto pontificio exercuiſſe ſcribitur (y). Utrum Joſephus Imperator Legatum *obedientiæ* miſerit, haud abs re dubitatur. Id ſolum ſcimus, quod jus primarum precum exercuerit, priusquam deſuper indultum pontificium obtinuit, atque anno 1705. preces ad Capitulum Hildeſienſe direxerit contradicente Clemente XI. prout id oſtendunt tum literæ Joſephi præſentatitiæ, tum Clementis inhibitoriæ ad Capitulum præfatum expeditæ (z). Aliam rationem dubitandi de peracta legatione obedientiali ſuppeditat idem Pontifex in ſuo ſermone Conſiſtoriali poſt obitum Joſephi ad Cardinales habito, ubi inter alia laudum encomia illud commemorat, quod Joſephus ſapientiſſimum ſuſceperit conſilium, apoſtolicæ Sedi ea omnia, quæ obedientiſſimum S. R. E. filium decebant,

Inter Urbanum VIII. & Ferdinandum III.

Inter Alexandrum VII. & Leopoldum.

Inter Joſephum Imperat. & Clementem XI. ratione indulti Pontificii ſuper jure primarum precum.

(u) Novæ Scriptorum & monumentorum collectionis Tom II. pag. 755. & ſeq.
(x) Loc. cit. pag. 743.
(y) Hæc ex Juſto Fontanini refert Buderus loc. cit. §. 40.
(z) Has literas exhibet Boehmerus Jur. Eccleſ. Tom. II. lib. 3. Tit. V. §. 104.

Digitized by Google

bant, per oratorem ſuum exhibendi, receptoque a majoribus ſuis more cœtera omnia diſponi curaverit, quæ Romæ conformiter antiquis Romanæ Eccleſiæ moribus agenda ſupererant (a). Non nihil parcius cum Pontifice egit Carolus VI. qui jam non Legatum extraordinarium miſit, ſed Legato ſuo ordinario in Curia agenti in mandatis dedit, ut non iis ceremoniis, quæ olim in uſu, & veluti neceſſariæ videbantur, ſed benevola ſaltem compellatione generalibusque verbis rem hanc ageret. Tota rei ſeries ſecundum ordinem, quo peracta fuerat, una cum literis a Carolo ad Pontificem datis, oratiuncula ab oratore ad eundem habita, & reſponſione Pontificis refertur inter Orationes Conſiſtoriales Clementis XI. typo impreſſas (b). In hoc actu quatuor ſunt animadvertenda: 1mo, quod Imperator jam non Legatum extraordinarium miſerit; 2do, quod indultum ſuper precibus primariis jam non ſpeciale ſed jus primarum precum in terminis generalibus petierit; 3tio, quod author, qui hunc actum deſcribit, illum jam non *Legationem obedientiæ* appellet, ſed rem geſtam ſimpliciter referat; 4to, quod Carolus in ſuis literis Pontifici jam non amplius *obedientiam*, ſed *obſervantiam* promittat, ſeque ſimpliciter *obſervantiſſimum*, non vero *obedientiſſimum* filium appellet. Ita enim in literis citatis habetur: *injungimus noſtro apud Sanctitatem veſtram oratori, ut more majorum noſtrorum omnem illam obſervantiam & filialis amoris affectum teſtetur, qui obſervantiſſimum ſanctæ Eccleſiæ filium, Imperatorem vere Chriſtianum, atque Catholicum decet.* Quod Carolus VII. mox ſuam electionem Romano Pontifici Benedicto XIV per Legatum Henricum Franciſcum Comitem in Mansfeld ſignificaverit, & legationem ad ſe factam perquam gratam habuerit Pontifex, ſcimus. Quibus vero ceremoniis hæc legatio fuerit facta, usque nunc ignoramus. Vix dubitare poſſumus, quin Imperator hic religioſiſſimus pro ſuo Religionis ſtudio, & notiſſima devotione erga Sedem Romanam Pontifici obedientiam more ſuorum Anteceſſorum adpromiſerit. Cujus argumento eſt, quod in oratione Conſiſtoriali in Germanicum verſa expreſſa fiat mentio *filialis obedientiæ* **kindlichen Gehorſams** (c). Neque dubitandum, hanc verſionem eſſe ſince-

Carolus VI. quid fecerit, & an legatum obedientiæ miſerit?

Quid Carolus VII.

(a) Hæc oratio legitur inter cœteras orationes Clementis XI. quæ Romæ an. 1722. prodierunt, & in Germania iterato fuere recuſæ.

(b) Vid. nota antecedens.

(c) Extat hæc oratio in hiſtoriſcher Sammlung von Staats-Schriften zur Erläuterung der neueſten Welt und teutſchen Reichs-Geſchichten unter Kayſer Carl dem VII. erſter Band.

ſinceram, & correſpondere cum latino, adeoque ſcrupulum Buderi eſſe inanem & ridiculum, dum ſcribit: an vero in latino authentico obſervantiæ, an obedientiæ mentio fiat, inſpectio latini exempli docebit. Quid in legatione Franciſci I. factum fuerit, pariter nos ignorare fatemur. Haud ſine omni difficultate legationem illam fuiſſe peractam & legimus & audivimus. Cum hæc materia apud obvios authores non legatur, & plurimis prorſus ſit incognita, eam hic non nihil dilucidare libuit. De Legatis aliorum Principum, qualitatibus Legatorum, deque ceremoniis, quæ hiſce in legationibus obſervari ſolent, & debent, ſuſe agit laudatus Buderus, qui omnino ſed valde circumſpecte legi meretur.

Aliæ controverſiæ & diſſidia inter Pontifices & Imperatores

Super cognitione de ſtatu & nobilitate Canonicorum.

Præter hactenus recenſitas inter Pontifices & Imperatores controverſias variæ aliæ inter ipſos non ſine magno animorum motu fuere agitatæ, dum vel Pontifices, vel Imperatores cauſas diverſas ſuo arbitrio decidendas ſibi vindicavere, quarum deciſionem altera pars ſibi arrogavit: quorſum pertinet *cognitio de ſtatu & nobilitate* illorum, qui ad Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus Germaniæ admitti poſtulant, ad quos paſſim nonniſi illuſtres, & in locis multis nonniſi Viri *Germani Nobiles* admittuntur. Notabile hujus rei exemplum ſub Leopoldo Imperatore extat apud Fabrum Tom. V. & legitur **in Augſpurgiſchen Monathlichen Staats-Spiegel.**

Lis inter Benedictum XIV. & Franciſcum I. in cauſa Moguntina, Herbipolenſi & Fuldenſi.

Noſtra ætate Franciſcus I. haud leviter indignatus fuit Benedicto XIV., quod ſibi tam Pallii Herbipolenſis, quam exemptionis Fuldenſis a jure Metropolitico negotium fuerit occultatum. Rationes *indignationis* plures aſſert Imperator in ſuis literis ad Pontificem datis, in quibus inter alia ſcribit, quod ſibi perſuadere nequeat, ea, quæ nuper Romæ geſta ſunt, ex ipſa Sanctitatis ſuæ mente fuiſſe geſta, minus vero ipſum Eccleſiæ caput exitialem diſcordiarum facem inter Principes Germaniæ eccleſiaſticos accendere, hisque, qui Germaniæ tranquillitati, ipſique Religioni inſidiantur, omnia ſusque deque vertendi anſam præbere velle; adeoque ſuam Cæſ. Majeſtatem muneri ſuo Cæſareo ac juſtiſſimis Principum Imperii querimoniis deeſſe non poſſe, ſibi nec integrum eſſe, in re neque honori divino, neque Eccleſiæ, aut Religionis bono neceſſaria, minusque adhuc proficua, imo in Epiſcopatibus Germaniæ non exemptis hucusque inſolita, Capitulationique Cæſareæ contraria tam amplæ diſſidiorum ſcaturigini copiam concedere, ut naſcentium inde malorum cumulum neque ſat adhuc prævidere, neque emetiri liceat (d). Plures hujusmodi cauſas & con-

(d) Vid. *Series facti & juris circa erectionem novi Epiſcopatus Fuldenſis, & conceſſionem Pallii Herbipolenſis ac læſa Sedis Metropoliticæ Moguntinæ jura.* Moguntiæ 1753.

Digitized by Google

controverſias refert Buderus (e), cujus tamen relationibus in multis nulla adhibenda fides, & ex eo capite non eſt fidendum, quod ad normam aliorum Proteſtantium omnes cauſas in favorem Imperatorum decidat. Et unde tot diſſidia, lites & controverſias provenire exiſtimamus, niſi quod noſtra ætate ſacra & profana mirum in modum miſceantur, jamque Sacerdotium Imperio ad modum abjectiſſimæ ancillæ ſervire cogatur?

§. XIV.

Diverſæ ſectæ hoc ſæculo exortæ.

Innumera ſupereſſent dicenda, quæ ad hoc ſæculum pertinent, & Statum Eccleſiaſticum potiſſimum ſpectant e. g. de variis ſectis hinc inde exortis & noſtram etiam Germaniam inficientibus, qualis eſt ſecta Herrenhutanorum deren Herrenhüter, qui illuſtri Comite Zinzendorfio authore Herrenhuti in Luſatia circa an. 1729. coierunt, aucti deinde per magnam Europæ partem diffuſi ſunt, imo ad Indos, Scythas, & ultimam Thulen migrarunt. Poſteros hi ſeſe dicunt fratrum Bohemorum & Moravorum, qui Sæculo XV. voce & exemplo Joan. Huſſii, Romano Pontifici obedientiam denegarunt, etſi potius ſe imitatores fratrum illorum dicere deberent, cum minima eorum pars ex Moravis & Bohemis conſtet. A Lutheranis porro non ſententiis & dogmatibus, ſed diſciplina & moribus ſe diſcrepare aſſerunt. At vero illorum inſtitutum hodiernum toto cœlo a ſyſtemate Proteſtantico differre, omnes fatentur Proteſtantes. De hac ſecta in compendio videas hiſtoriſches Kirchen- und Ketzer-Lexicon (f). *Herrenhutanorum.*

Item ſecta deren Frey-Maurer, qui in Germania circa annum 1735. innotuerunt, antea ſedem ſuam in Anglia fixerunt, nunc vero ſuam ſectam per omnem orbem circumtulerunt. Utuntur inter ſe ſecreto prorſus, ſi ita dicere licet, ſecretiſſimo, de quo ſervando omnes, qui huic ſectæ nomen dant, jusjurandum terribile prorſus jurare debent(g). Si famæ communi credendum, haud pauci ſummi Principes eandem profitentur. Benedictus XIV. ſumus Pontifex p. m. anno 1751. per ſpecialem conſtitutionem anathemate illam percuſſit. *Frey-Maurer.*

Secta

(e) *Vindiciæ juris Imperat. adverſus Epiſ. Romanos.*
(f) Vid. etiam Baumgartens Abriß einer Geſchichte der Religions Part, pag. 270.
(g) Vid. Ketzer-Lexicon. Item Moshemius Inſtit. Hiſtor. Eccleſ. ad Sæc. XVIII. pag. 1028. inter alia obſervant lotionem pedum, & communionem bonorum Apoſtolicam.

Digitized by Google

Quietiſtarum. Secta quoque Quietiſtarum inter Lutheranos in Germania multos excitavit motus, de quibus agunt Pfaffius (h), & Moshemius (i). Ut jam nihil dicamus de Atheis, Deiſtis, Indifferentiſtis, Spinoſiſtis, Naturaliſtis, qui paſſim per Germaniam graſſantur.

Cum unice ſcribamus pro & de Germania, illiusque Jure eccleſiaſtico, ſupervacaneum ducimus de controverſiis aliarum nationum ingenti animorum æſtu hoc ſæculo agitatis ſcribere e. g. de Ritibus Sinenſibus, de controverſiis Janſenianis, Queſnellianis, & turbis noviſſimis Gallicanis, Luſitanicis &c.

Bullæ Pontificiæ celebriores hujus ſæculi. Pro Jure eccleſiaſtico Germaniæ notandæ ſunt Bullæ Pontificiæ labente ſæculo editæ, inter quas celebriores ſunt tres Clementis XI. prima anno 1705. edita, quæ incipit: *vineam Domini Sabaoth*, & concernit ſilentium Janſeniſticum; Altera de anno 1710. in qua damnantur ritus idololatrici Sinenſes; Tertia de anno 1713. quæ incipit, & vocatur Bulla *Unigenitus*, in qua damnantur reflexiones Gallicæ Paſchaſii Queſnelli, quæ in hanc usque diem tot excitavit turbas in Gallia, quin ſpes affulgeat, quod optatum ſint finem adepturæ. Accedunt plures aliæ Bullæ a Benedicto XIV. editæ; & in plura volumina digeſtæ; Item Capitulationes Cæſareæ Caroli VI. & VII.; nec non Franciſci I. Quid de his ſit ſentiendum, ex principiis generalibus deſumi debet.

Ex reformatione ſtudiorum hoc præcipue ſæculo etiam in Germania aſſumpta ingentem mutationem ſubiiſſe Jus eccleſiaſticum, res eſt extra dubium poſita. Sed brevitati & tempori eſt ſtudendum.

CAPUT III.

DE

Jure eccleſiaſtico Particulari Eccleſiarum Germanicarum, in ſpecie de Concordatis Germaniæ.

§. I. *Recenſentur in compendio Leges eccleſiaſticæ ad Eccleſias Germaniæ pertinentes.* II. *De Concordatis Germaniæ, quid ſint, & an habeant vim pacti, vel Legis.* III. *Præcipua illorum capita recenſentur.* IV. *Quos, & in quibus locis obligent.* V. *Quomodo Pontifices ex iis obligentur.* VI. *An contra ea procedat præſcriptio.* VII. *Sunt Proteſtan-*

(h) l. ſtit. Hiſt. Eccleſiaſt. ad Sæc. XVIII. & in Hiſt. Theol. part. 2.
(i) Loc. cit. ad Sæc. XVIII.

Digitized by Google

teſtantibus exoſa. VIII. *Sunt Germanis favorabilia, quin juſtam contra ea querelandi habeant cauſam.* IX. *Ad quem pertineat illorum interpretatio tam authentica, quam judicialis.* X. *Ad quem ex Concordatis in dubio pertineat jus eligendi & conferendi beneficia.* XI. *De mediis Concordata ſervandi ſarta, tectaque.*

§. I.

Ad Jus particulare Germaniæ noviſſimum non pauci reducunt Concilium Piſanum, Conſtantienſe & Baſileenſe; Piſanum quidem, utpote cujus decreta ſaltem plures ſtatus Imperii, & in ſpecie Provincia Moguntina, receperunt, eſto Rupertus cum aliis Statibus eidem non ſubſcripſerint; Conſtantienſe vero, quippe quod pro æcumenico & legitimo Concilio omnes & ſinguli Status Germaniæ cum ſuo Rege Sigiſmundo agnoverunt, & ſalvis juribus patriis receperunt. Sed quoniam ob electionem novi Pontificis, priusquam canones reformatorii eſſent promulgati, Concilium iſtud finem acceperat, & in eo non niſi ſola Concordata fuerant propoſita, queis Germani ad quinquennium ſeſe acquieturos declararunt, cogitandum erat de novo Concilio eum in finem convocando, ut ea perficeret & effectui daret, quæ Concilium Conſtantienſe præparaverat. Unde Martinus V. convocavit Concilium Papienſe, quod mox in civitatem Senarum, & poſtea Baſileam fuit translatum, & Baſileæ terminatum, ac ab Eugenio IV. fuit confirmatum. Huic Concilio Germani ab initio firmiter adhæſerunt, illiusque Seſſiones 31. cum ulterioribus adhuc proviſionibus anno 1439. Moguntiæ ſpeciali conſtitutione communierunt: & huic conformiter Francofordiæ ſua Concordata cum Sede Romana inierunt, eaque obſervarunt, usquedum ab his Concordatis per nova Concordata cum Nicolao V. inita, utpote quibus priora decreta mirum in modum modificantur, receſſerint. Idcirco ſcribere von verentur Scriptores quidam Catholici, Decreta Concilii Baſileenſis, & ipſa anteriora Concordata eatenus adhuc vigere in Germania, & habere vim legis, quatenus per poſteriora Concordata ab iis non fuit receſſum, præcipue apud illos Status Germaniæ, qui noviora Concordata non acceptarunt, prout quidam gloriantur. Quidquid de his ſit, nos ad jus Germaniæ particulare reducimus Concordata Germaniæ, Tranſactionem Paſſavienſem, Pacem Religioſam & Weſtphalicam, Receſſus Imperii, Capitulationes Cæſareas, aliasque leges noviores Imperii Romano Germanici.

Quæ ad jus particulare Germaniæ pertineant.

Digitized by Google

ci. Scrupulum deſuper nobis factum, quod ſimiles conſtitutiones Imperii ad leges eccleſiaſticas referamus, in quæſtione præcedenti diluimus.

§. II.

De Concordatis Germaniæ.

Ordiamur a Concordatis Germaniæ, quorum originem jam in Cap. I., expoſuimus. Concordata Germaniæ itaque nihil ſunt aliud, quam *ſolemnis conventio, & ſanctio Pragmatica inter Nicolaum V. ſummum Pontificem, & Fridericum III. Romanorum Imperatorem, & reliquos Status tam eccleſiaſticos quam ſæculares & Proceres Germaniæ facta, in quibus collationes Beneficiorum potiſſimum certis regulis determinantur.*

Utrum Concordata habeant vim pacti vel privilegii.

Sed primo mox obtutu ſeſe obiicit difficultas haud inanis, quam facere conſueverunt aſſentatores Romani Pontificis, utrum hæc Concordata habeant vim pacti reciproci etiam reſpectu Pontificis, aut potius meri privilegii Germanis a Pontifice ex mera eaque generoſiori liberalitate conceſſi. Illud prius paſſim docent præfati Aſſentatores, & Curiales Romani, apud quos ipſum nomen Concordatorum peſſime audit.

Argumenta pro privilegio.

Sunt autem duo præcipua argumenta, quibus ſuam doctrinam ſuſtentant, quorum primum ex jure divino depromunt, exiſtimantes, quod, cum Pontifex ſuam jurisdictionem aliaque jura non ab Eccleſia, multo minus ab Imperatore aut Proceribus Germaniæ, ſed ab ipſo Chriſto habeat, eo ipſo hisce juribus in præjudicium tum proprium tum ſuorum Succeſſorum citra offenſam Chriſti renuntiare non poſſit. Alterum inde deſumunt, quod in his Concordatis actum fuerit potiſſimum de beneficiis aliisque juribus ſpiritualibus & eccleſiaſticis, quæ, cum ſint res ſpirituales, in commercio humano non exiſtunt, & hoc ipſo in contractum venire nequeunt.

Diluuntur.

Sed quis non prima fronte perſpiciat, utramque rationem eſſe inanem, elumbem, & poſt ſe trahere ſequelas abſurdas bono utriusque Reipublicæ nocivas? utique Chriſtus Pontifici dedit ſuam poteſtatem non in deſtructionem ſed in ædificationem: foret autem hæc poteſtas in deſtructionem, ſi de hac ita exigente neceſſitate & utilitate Eccleſiæ nihil juris poſſet remittere. Nunquid ipſum jus naturale & divinum Epickiam ſaltem impropriam admittit? Eſto e. g. jus naturale prohibeat alterum occidere, & jubeat ſuum ſuo Domino reſtituere, tamen poſſum occidere alterum cum moderamine inculpatæ tutelæ: non teneor reddere ſuum gladium meo proximo, ſi me gladio occiden-

dum

Digitized by Google

dum fore prævideo. Ad hæc, Chriſtus in ſua Eccleſia inſtituit regimen non politicum, non deſpoticum, ſed legibus prudentiæ, manſuetudinis & charitatis temperatum, & hoc ipſo tale, quo pax & tranquillitas publica conſervetur. Recolamus autem memoria rerum ac temporum circumſtantias, Statum Eccleſiæ turbidum, confuſionem jurium, lites & diſcordias inter Sacerdotium & imperium. Qua alia arte hiſce malis aut facilius, aut melius obviari potuit, quam per amicabilem compoſitionem pacto inviolabili innixam, ac in perpetuum obſervandam, niſi utrique parti ab eo recedere libuerit? Hoc enim ſuppoſito ſubintrat jus naturale, quod imperat, ut pacta inita ſancte ſerventur, eſto bonum particulare paciſcentis in caſu particulari aliud exigere videatur: nam aliud longe majus bonum exactiſſimam ſimilium pactorum obſervantiam exigit, eſto fortaſſis talia pacta etiam per metum & vim injuſtam fuerint extorta. Demus enim in circumſtantiis ſibi favorabilibus paciſcentes non obligari, quis amplius inibit pacem, pactum & fœdus qualecunque, ſi ſciat quod altera pars pro libitu poſſit contravenire pacto & paci? Ex hac ratione infra dicemus, quod Pax Weſtphalica eſto vi injuſta fuerit extorta, valide nihilominus fuerit inita. Deinde poſſunt alii Principes Superiorem in terris non agnoſcentes, qui etiam ſuam poteſtatem habent a Deo, eam propter neceſſitates publicas quodammodo reſtringere, pactis ligare, & circumſcribere, quare non Pontifices? huc pertinet illud Gregorii M. (k): *quia ſicut noſtra defendimus jura, ita ſingulis quibusque Eccleſiis ſua jura ſervamus. Nec cui unquam, quod ſui illius eſt, ambitu ſtimulante derogabo, ſed fratres meos per omnia venerari cupio.*

Pacta publica etiam injuſte extorta ſunt ſervanda.

Altera ratio infirmioris longe eſt roboris: Nunquid ratio Sacramenti & ratio contractus ſe in eodem Matrimonio compatiuntur? Eadem perſona non raro ſuſtinet perſonam Epiſcopi & Principis: Eadem Lex ſub diverſa ratione ſpectat rempublicam ſacram & profanam: Respublica Eccleſiaſtica & Politica diverſos invicem habent reſpectus. Epiſcopatus, Eccleſiæ, Monaſteria nexu feudali ſunt obligata Imperio & Imperatori: Quare licet beneficia in ſe ſint jura ſpiritualia, in quantum dicunt Officium ſpirituale, ſunt tamen in aliquo ſenſu res temporales, in quantum illis ſunt annexa quædam alia jura, privilegia & dignitates e. g. dignitas Principis, Ducis, Abbatis, inde fluens Superioritas territorialis, jus ſuffragii in Comitiis, perceptio reddituum eccleſiaſticorum, quæ ſunt res Eccleſiæ & jura potius Eccleſiaſtica quam ſpiri-

Beneficia eccleſiaſtica in certo ſenſu ſunt res temporales, & poſſunt venire in contractum.

(k) Cap. 7. & 8. Cauſ. 25. q. 2.

ſpiritualia. Quod ſi ergo hujuscemodi jura Imperio, Imperatori, ac poteſtati politicæ ſubeſſe non dedignentur, e. g. ratione feudi, in cauſis controverſis, quare in contractum venire nequeant? dein objectum contractuum non debet eſſe neceſſario res pretio phyſice æſtimabilis: ſufficit, ſi modo moraliter pretium recipiat propter certa commoda inderedundantia, jura, privilegia & eminentias; ſecus ſponſalia & Matrimonia in numerum contractuum venire nequeunt, eo quod objectum pretio phyſice æſtimabile, utpote quod ſunt humana corpora, quæ omne pretium phyſicum transcendunt, non habent. Demum hæc Concordata præcipue concernebant jura Eccleſiarum, Epiſcoporum & Capitulorum, quibuscum certe Pontificibus licuit paciſci, & ſua ipſis jura reſtituere.

Concordata Germaniæ habent vim pacti reſpectu Pontificis & Imperatoris ac totius Nationis Germanicæ; legis vero reſpectu Procerum Germaniæ.

Verum jam alia conſurgit difficultas, utrum Concordata habeant vim legis, vel pacti: communior eſt ſententia, quæ illis attribuit vim pacti reſpectu Imperatoris, & Pontificis; legis vero reſpectu Procerum Germaniæ. Nos utrique ſententiæ accedimus cum hoc tamen addito, ut credamus, quod vim pacti habeant etiam reſpectu totius Nationis Germaniæ, etſi in ordine ad Status in particulari ſumptos per modum legis obligent. Jam horum omnium dabimus breviſſimam rationem, & quidem quoad Pontificem & Imperatorem res omnino eſt clara: cum enim nec Pontifex, nec Imperator ſuperiorem in terris agnoſcant, lege humana ligari non poſſunt, quia nemo foret, qui eos ad obſervationem legis cogere, & compellere valeat.

An & quid interſit in effectu, utrum quis obligetur vel ex pacto, vel ex lege.

Quoad integram Nationem Germanicam, deciſio quæſtionis ab eo dependet, utrum Regimen Imperatoris ſit Monarchicum, vel Ariſtocratia temperatum, ita ut Status Imperii collective ſumpti veniant in participium Imperii. Quodſi id affirmemus, profecto non videtur, quomodo hæc Concordata vim legis in totam Nationem Germanicam exerere valeant. Atque hoc in præſenti potiſſimum caſu eſt dicendum, quia in his Concordatis vel maxime de favore & præjudicio ſtatuum fuit actum. Intereſt autem in effectu, an quis lege, vel pacto obligetur. Ad paciſcendum nemo cogi poteſt, bene vero ad obſervandam legem, & hinc paciſcentes mutuo conſenſu a pacto recedere, non vero ſubditi legem pro ſuo libitu elidere poſſunt. Quod vero Proceres Germaniæ ex lege obligentur, inde oſtenditur, quod licet hæc Concordata originaliter ſint pacta, ſecundum effectus tamen in vim legis aſſurrexerunt: habent enim omnia conſtitutiva legis, nempe ſuperiorem, qui eſt Pontifex, ac Imperator, & objectum habile, ut conſtat ex dictis; ſunt confirmata a Pontifice, & ipſi Proceres ſe hoc modo obligaſſe cenſendi ſunt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Capita præcipua Concordatorum recenſentur.

Præcipua autem Capita Concordatorum ſunt ſequentia: In §. *placet nobis* confirmantur Reſervationes Generales antea factæ, nempe Clementis IV. in cap. 2. de Præb. in 6. quæ vocatur clauſa in corpore Juris, & Joan XXII. in Extrav. Execrabilis cit. tit. & Benedicti XII. in Extrav. ad Regimen eod. (l). Atque ex hac reſervatione prædictæ reſervationes acceperunt vim perpetuam, quum antea fuerint mere temporales, aut perpetuæ in eo ſenſu, in quo perpetuitatem habere dicuntur ipſæ Regulæ Cancellariæ. Utrum vero omnimodam perpetuitatem obtinuerint, ita ut etiam Sede Pontificia vacante vim habeant, merito dubitatur, cujus rationem dubitandi nos jam ſupra attulimus. Vid. P. Engl (m). In §. *Item placet nobis* Jus eligendi liberum conceditur in Eccleſiis Metropoliticis, Epiſcopalibus, & Monaſteriis ea lege, ut terminum a jure præſcriptum, & formam Canonicam obſervent, & electionem intra debitum tempus præſentent (n). Jus autem confirmandi contra antiquiorem praxin Eccleſiæ ſibi reſervat Pontifex, item dignitates Majores poſt Pontificales in Eccleſiis Cathedralibus, & principales in Collegiatis, id quod DD. communiter intelligunt de una tantum dignitate majori (o). In §. *placet etiam nobis* concedit Pontifex ordinariis collatoribus ſex menſes pro collatione Beneficiorum inferiorum (p); ſibi vero cæteros menſes reſervat, unaque promittit, quod per nullam reſervationem, aut gratiam exſpectativam velit impedire liberam collationem beneficiorum, & de cætero indulget Collatoribus beneficiorum liberam facultatem providendi beneficiis in menſe papali vacantibus, caſu quo proviſus a Pontifice infra tres menſes a die vacationis notæ in loco beneficii non apparuerit (q). Huic diſpoſitioni appoſita eſt celebris illa clauſula quoad *alternativam menſium*, quatenus relictum eſt in arbitrio Collatorum, an hanc *alter-*

De Clauſula quoad alternativam menſium.

nativam

(l) Atque quoad hoc punctum jam Germani ſunt deterioris conditionis, quam fuere antea, dum adhuc Decreto Baſileenſi inhæſerunt, vi cujus ſola vigebat reſervatio in corpore Juris clauſa.

(m) Ad Tit. de Præb. §. 4.

(n) Vid. cap. 16. de Elect. in 6.

(o) Talis ordinarie eſt Præpoſitura in Eccleſ. Cathed.

(p) Antea vi regularum Cancellariæ ordinarii Collatores non niſi 4. habuere menſes, niſi fuerint Epiſcopi in ſuo Epiſcopatu.

(q) Hac ſuper re edidit Bullam Greg. XIII. de qua infra aliqua obiter dicemus.

Digitized by Google

nativam velint acceptare, caſu quo fortaſſis pinguius antea privilegium vel jus ex quocunque titulo obtinuerunt: unde fallunt, & falluntur illi authores, qui putant, in hoc §. arbitrio Germanorum fuiſſe relictum, an velint Concordata acceptare, vel non: hoc enim unice eſſe intelligendum de alternativa Menſium, meliores Concordatorum interpretes paſſim docent. In §. *placet ſimiliter* regulantur Annatæ Pontifici ſolvendæ, & ad certos terminos reducuntur: & id ſpecialiter cavetur, quod ſi aliquæ Eccleſiæ exceſſive ſint taxatæ, per Commiſſarios deputatos poſſint retaxari, neque bis debeant ſolvi Annatæ, ſi intra ſpatium unius anni Eccleſiam bis vacare contigerit.

§. IV.

An omnes Germaniæ Proceres ex Concordatis obligentur.

Jam quæritur quinam, an omnes Proceres Germaniæ hiſce Concordatis obligentur, & in quibus Germaniæ partibus obligent. Rationes dubitandi graviſſimas ſuppeditat partim ipſa Bulla Nicolai V. quæ expreſſe ait: *cum non nulli dilecti filii eccleſiaſtici*, partim ipſa hiſtoria eccleſiaſtica Concordatorum, ex qua conſtat, quod pauci admodum, nempe ſolus Moguntinus cum uno alterove e raſa cohorte, ut loquitur Nordermannus, ea inierint; ex poſt facto plures Imperii Status contradixerint. Refert enim Platina (r) in vita Pii II., quod, ubi Germani iterum convenerant deliberaturi de bello Turcis inferendo, ſubito nuntiatum fuerit, Nicolaum V. ex hac vita migraſſe, & hoc percepto nuntio omnia fuiſſe diſturbata: *nam*, ſunt verba Platinæ, *& conventus ſolvitur, & Germani rerum novarum cupidi perſuadere Imperatori annixi ſunt, ne Pontificibus amplius obtemperaret, niſi quædam ad Pragmaticam tendentia ab ipſis prius impetraſſent, quod dicerent, Germanis longe pejorem eſſe conditionem quam vel Gallis vel Italis. Nec certe procul abſuit, quin Imperator tumultuantibus obſequeretur. Quo minus autem id fieret, graviſſima Æneæ authoritas interceſſit, cujus hæc fuit apud Cæſarem ſententia, Inter Principes etiam de magnis rebus inter ſe diſſidentes pacem aliquando & amicitiam componi poſſe ; at inter Principem & populum immortale odium ſemper interveniſſe. Quare dicebat, ſatius ſibi videri cum Pontifice ſentire, quam eorum cupiditatibus obtemperare. Motus hac ratione Imperator ſpreta populorum poſtulatione Æneam oratorem deligit, qui ad Calliſtum Nicolai Succeſſorem mitteretur, eique nomine Imperatoris juramentum deferret.* En, quam alieni fuerint Germanorum animi a Concordatis per Imperatorem initis! quantopere obluctati fuerint, contradixerint, & reſtiterint!

(r) In vita Pii II.

terint! Idcirco mirum non eſt, quod Concordata utantur termino *non nulli*. Num exiſtimamus, quod paciſcentes fuiſſent adhibituri terminum *non nulli*, & non potius alium terminum rei geſtæ magis expreſſivum e. g. *plures*, *plurimi*, *plerique*, ſi plures in ea conſenſiſſent?

Genuina interpretatio verborum: non nulli.

Ut verum fatear, hæc res ſemper magni momenti mihi viſa fuit, neque in hanc usque diem in libris, quos ego ad uſum quotidianum habeo, reperire potui, quinam conventibus publicis, in quibus de Concordatis ineundis tractabatur, interfuerint, conſenſerint, & ſubſcripſerint. Quapropter relicta in ſuo valore communi reſponſione, qua dicunt, verba illa *non nulli* in ſenſu ſano & ampliative eſſe accipienda, ut idem dicere videantur, ac *plures vel plerique*, potius dicendum erit, quod Imperator & cœteri Proceres præſentes & ſubſcribentes nomine totius imperii & nationis Germanicæ utilitatis publicæ cauſa hæc Concordata inierint, ut adeo præſentes vota curiata habuiſſe videantur, quin cœteri vel non paciſcentes vel paciſci recuſantes contradicere potuerint, vel poſſint: eo quod in pactis publicis, quæ exigentibus rerum & boni publici neceſſitatibus fiunt, aliquorum contradictio non valet, multo minus particularis acceptatio requiritur. Et nunquid in inſtrumento Concordatorum ubivis ſit mentio totius *Nationis Germanicæ?* Dein demus, quod pauciores fuerint præſentes, quando Concordata fuere inita, attamen hi pauciores etiam erant repræſentantes cœterorum abſentium & his abſentes ſuum calculum & conſenſum ſaltem, qui ex quacunque cauſa comparere vel non potuerunt, vel non voluerunt, interpretative & æquivalenter dediſſe cenſendi ſunt, cum non ſit præſumendum, quod in re ſummi momenti pacem, tranquillitatem & bonum publicum concernente contradicere voluerint. Imo illorum conſenſus eo fortiori ex ratione præſumi poteſt, quod Proceres Germaniæ ferme omnes contra Pontifices conqueſti fuerint, ſua gravamina depoſuerint, ad Concilia provocaverint, ſuisque gravaminibus medelam efficacem quæſiverint, ut adeo illorum conſenſus collegialis & virtualis haud ſecus quam in aliis Imperii concluſis adfuiſſe videatur. Quod ſi verum ſit, plures Germaniæ Status abſuiſſe, id certe non ideo factum eſt, quod Concordata inire noluerint, ſed ex aliis cauſis factum fuiſſe, adeoque illos ſuum ſuffragium in cœteros præſentes transfudiſſe credendum eſt. Et ſi Concordatis ſtare ſeque obligare ad illorum obſervantiam noluerunt Germani, quare non contradixerunt, eaque pacifice acceptarunt? Idcirco ad eorum obſervantiam ex conſenſu interpretativo antecedente, concomitante & ſubſequente

Præſentes habuere vota curiata.

quente ſtringuntur. Illa, quæ ex Platina affert Pfeffingerus, parum probant. Facile damus, quod Germani generoſiorem ſuam magnanimitatem & reverentiam erga Pontifices in ineundis Concordatis, utpote quibus haud pauca jura antea ex Concilio Baſileenſi, vel ex alio titulo antiquiori ſibi competentia ceſſerunt, dolenter agnoverint, & Concordata favorabiliora ſibi ſtipulari optaverint. Verum rebus jam compoſitis, & Concordatis jamjam publicatis & acceptatis amplius ab illis pro ſuo libitu Statibus Imperii particularibus recedere non licuit ex generali principio, quod pactis legitime initis omnino ſit ſtandum. Idcirco ſi qui ex Germanis ſe ab obſervantia Concordatorum exemptos eſſe contendere velint, ſuam exemptionem probare debent.

Cur hæc clauſula addita. Eſt tamen notabilis exceptio quoad *alternativam.* Ita enim expreſſe cautum eſt in Concordatis per hæc verba: *ut hæc ordinatio collationis beneficiorum per alternos menſes poſſit per nationem publicari, & omnes, qui ipſa gaudere voluerint, tempus congruum habeant, eandem acceptandi &c.* adeoque in arbitrio Epiſcoporum fuerit relictum, an illam velint acceptare. Sed poſſet alicui oriri ſcrupulus: cum hæc alternativa ſit favorabilis Epiſcopis & Capitulis, utique nemo tam inſipiens fuerit, ut illam non acceptaverit, quia antea Epiſcopi & Capitula ex regulis Cancellariæ nonniſi quatuor menſes habuere, in quibus beneficia & Canonicatus poterant conferre. Verum ſciendum eſt, quod quædam Capitula fuerint, quæ longe pinguiora habuerunt jura quoad collationem beneficiorum, ita ut Pontifex non habuerit ſuos menſes papales ex regulis Cancellariæ competentes. His ergo liberum fuerat acceptare alternativam vel non. Talia jura dicuntur habuiſſe Eccleſiæ Herbipolenſis, & Bambergenſis, quæ Concordata quoad alternativam non acceptarunt (s).

Quales Germani obligentur ex Concordatis. Quantum ad ſecundum, Concordata obligant tantum Germanos, & quidem illos, qui nexum habent feudalem cum Imperio. Idcirco duo requiruntur, ut obligent: nempe Eccleſia debet eſſe in Germania, & habere nexum feudalem cum Imperio. Inde venit, quod in Belgio aliiſque inferioris Germaniæ provinciis hæc Concordata non obligent: eſto enim Belgium ſit in Germania, non tamen habet nexum feudalem cum Imperio: & econtra, eſto quædam Italiæ partes ab Imperio Germanico ut feuda dependeant, quia tamen non ſunt in Germania, etiam

(s) Vid. Barthel. opuſ. 3. de Concord. Germ. Differt. gener. pag. 326.
(t) E. g. Ducatus Mediolanenſis.

Digitized by Google

Quidam obligantur per extenſionem, non vero per comprehenſionem.

iam Concordata eas non afficiunt (t). Interim tamen hæc Concordata in quibusdam locis obtinent per *extenſionem*, licet non per *comprehenſionem*: ſic e. g. in Diœceſi Leodienſi obtinent Concordata Germaniæ extenſive in illis locis, quæ ſunt verſus Germaniam, non autem in illis, quæ ſunt verſus Galliam, quod idem dici poteſt de Diœceſi Tridentina, Verdunenſi, aliisque. Multum autem intereſt in effectu, an dicamus, hæc Concordata comprehenſive, vel extenſive obligare: nam ſi comprehenſive obligent, habent vim legis & pacti, a quo non poteſt recedi: Si extenſive, habent vim privilegii, cui poteſt renunciari, vel illud omnino tolli (u).

§. V.

An Pontifex poſſit derogare Concordatis de plenitudine poteſtatis.

Ex ſupra dictis conſtat, quod Concordata etiam reſpectu Pontificis habeant vim pacti: ex quo per ſe fluit, quod ipſe teneatur ſtare pacto, nec ab eo ſaltem de poteſtate ordinaria recedere valeat. Hinc DD. quærunt, quid ſit dicendum de plenitudine poteſtatis, an ſaltem per hanc ea abrogare valeat. Et paucis reſpondendum, quod neque hac uti valeat, niſi evidentiſſima neceſſitas abrogationem vel derogationem ſuadeat, cujus rationes ſunt plures: 1mo, quod etiam Principes ex jure obligentur ſatisfacere, & ſtare pactis & contractibus. 2do ipſe Pontifex ſolemniſſime ſtipulatus eſt in Concordatis, quod jura Epiſcoporum & Capitulorum nullo modo velit turbare: & quod magis eſt, ipſe apponi voluit clauſulam, qua cautum fuit, quod ordinatio quoad Beneficiorum proviſionem facta durare debeat, usque dum in futuro Concilio de conſenſu Nationis Germanicæ eidem derogetur. 3tio ſi nimium patrocinemur plenitudini poteſtatis, facile elidentur omnia pacta & contractus. Et demum 4to utique hæc plenitudo poteſtatis eſt conceſſa non in deſtructionem, ſed ædificationem Eccleſiæ.

§. VI.

An detur præſcriptio contra Concordata?

De eo etiam multum controvertitur, an contra Concordata valeat aliqua præſcriptio, utrum e. g. aliquis Epiſcopus contra Pontificem poſſit præſcribere menſes papales ſeu alternativam menſium. Communiſſima ſententia id affirmat ex ſequentibus rationibus in compendium redigendis: 1mo, quia nullibi legitur prohibita vel caſſata talis præſcriptio, & notiſſimi juris eſt, quod contra Sedem Romanam ſal-

(u) Barthel loc. cit. pag. 327.

Digitized by Google

tem centenaria, vel immemorialis procedat præſcriptio. 2do poſſunt concurrere omnia requiſita *tempus*, *poſſeſſio* &c. Nam ſi quid deeſſet, tunc bona fides, ſed hanc ſæpius non deficere facili negotio oſtenditur: quid enim ſi Ordinarius ſciens a duobus vel tribus anteceſſoribus fuiſſe collata beneficia putet, quod illi vel ex privilegio, conſuetudine, vel alio juſto titulo hoc fecerint, & ipſorum ſequatur veſtigia, jamque tempus immemoriale fluxerit, ex quo jus nominandi in menſibus papalibus fuit exercitum, an non hic adeſt bona fides cum titulo? 3tio talis præſcriptio neutiquam eſt præjudicioſa SS. canonibus, ſed amica, eoquod primigenium jus ex jure divino competens Epiſcopis & eccleſiis valde utile iterum reducat ad ſuos priſtinos terminos, & ampliet, quum utique Epiſcopi hoc jus ſemper exercuerint, usquedum Pontifices illud per ſuas reſervationes reſtrinxerunt. 4to hac ratione magis eſt conſultum neceſſitati & utilitati Eccleſiarum, eo quod Epiſcopi melius noſcant qualitates promovendorum, neceſſitates ſuarum Eccleſiarum, quam Pontifices longe diſſiti & in millena alia gravioris momenti negotia diſtracti. 5to tali præſcriptione nititur domus Bavarica in ſuo jure præſentandi Clericos ad dignitates & beneficia, uti patet ex Concordatis inter Domum Bavaricam & Provinciæ Bavaricæ Epiſcopos Salisburgenſem, Paſſavienſem, Friſingenſem, Ratisbonenſem, Chiemenſem anno 1583. inita. 6to in multis locis beneficia curata etſi in menſibus papalibus vacantia conferuntur ab inferioribus collatoribus ſine concurſu: ſed quo titulo, niſi præſcriptionis?

Jure præſcriptionis nititur Domus Bavarica.

Diluuntur contraria.

Nec obſtat 1mo, quod non procedat præſcriptio cum mala fide: quomodo autem poterit haberi bona fides, quum Concordata ſint publica, & ea nemo poſſit ignorare? ſed utique nos jam ſupra caſum poſſibilem dedimus. Dein eſto Concordata ſint publica, poteſt tamen aliquis prudenter exiſtimare, ſuos prædeceſſores obtinuiſſe exemptionem quoad aliqua, ſeu privilegio, ſeu alio legitimo titulo.

Nec obſtat 2do, ſi dicatur, quod materia Concordatorum ex ipſis Concordatis ſit impræſcriptibilis, utpote in quibus ſtatutum, ut perpetuo durent, niſi de conſenſu Nationis Germanicæ aliter fuerit diſpoſitum. Inde enim ſolum ſequitur, quod non pro libitu, & arbitrio ſive Pontificibus, ſive ſtatibus Imperii liceat a Concordatis recedere. Interim modi regulares obtinendi exemptionem aliquam non excluduntur. Et ſi poteſt præſcribi contra alia pacta publica, cur non contra Concordata?

Nec obſtat 3tio, quod Pontifices, nominatim Clemens VII. in ſpeciali Bulla omnem præſcriptionem excluſerint: quid enim hoc obſit?

Digitized by Google

ſit? ex infra dicendis ſoli Pontifices non ſunt legitimi interpretes Concordatorum. Dein tales Bullæ ſunt intelligendæ de præſcriptione ordinaria, non de immemoriali, quæ habet vim privilegii, vel longiſſimi temporis.

Nec obſtat 4to, quod privati, quales cenſendi ſunt ſtatus Imperii ſingulares reſpectu Concordatorum, non poſſint abrogare ea, quæ ſunt Juris publici. Hoc enim in eo ſenſu eſt intelligendum, quod legibus publicis non poſſint derogare per pacta vel ſtatuta particularia; ſecus dicendum de præſcriptione & conſuetudine: ea enim a jure conceſſa eſt vis præſcriptioni & conſuetudini, ut prior poſſit auferre jus quæſitum; poſterior legem eccleſiaſticam & civilem tollere valeat.

§. VII.

Concordata Germaniæ Proteſtantibus ſunt ſumme odioſa.

Si quid in univerſo jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ eſt odioſum Proteſtantibus, illud certe ſunt Concordata Germaniæ. Et quid mirum? cum enim in his ſua tam ordinaria, quam quædam extraordinaria jura ſint aſſerta Pontifici, cujus vel ſolum nomen apud ipſos eſt execrabile, ſua quoque ſint ſtabilita Epiſcopis, quos ſummopere exoſos habent, ſua quoque ſint vindicata Capitulis, quorum jura invidioſis ſuſpiciunt oculis, in id ſane connitendum ipſis fuit, ut hæc Concordata eliminarent, proſcriberent, aut ſaltem illorum obſervantiæ ſe ſubtraherent. Profecto Proteſtantes ante Pacem Weſtphalicam Concordatis contradixiſſe, acta publica loquuntur, ex quibus vel ſolam Replicam Proteſtantium Reginoburgi an. 1598. productam adduxiſſe ſufficiat (x). Quantopere in Pace Weſtphalica laboraverint pro abolendis Concordatis, hiſtoria Pacis Weſtphalicæ luculenter commonſtrat, usquedum ſe ab illorum obſervantia, in quantum ipſis ſunt odioſa, ſe liberaverint, de quo dicemus infra. A tempore Pacis Weſtphalicæ nihil non tentarunt, & moliti ſunt, ut eorum vim infringerent. Loquuntur illorum querelæ & gravamina, loquuntur Capitulationes Cæſareæ, loquuntur acta publica, & inter hæc literæ Corporis Evangelici ad Imperatorem ſub dat. Regenſpurg 18. April. 1703. die Dohm-Probſtliche Wahl zu Münſter betreffend (y), in quibus inter alia ſic habetur: und ſo gar gegen die ſogenannte ſelbiger Nation vormahls nach dem Concilio Baſileenſi aufgedrungene, von den Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandten aber niemahls erkannte, höchſt-

Eiſdem contradixerunt ante & in Pace Weſtphalica.

Et poſt Pacem Weſtphalicam.

præ-

(x) Vid. Lehman de actis Pac. Relig. lib. 2. cap. 70.

(y) Apud Fabrum Tom. IX. cap. 11. §. I.

Digitized by Google

præjudicirliche Concordata unverantwortlich gekränket worden ꝛc. Juvat in hanc rem audire celeberrimum Barthelium ita loquentem: *Aſpera nimis, conſtantis veritatis, pacis publicæ, ac fidei Germanæ tenace animo haud digna & exaggerata cenſura ex Proteſtantibus minus moderati Authores Concordata Germaniæ perſtringunt, dum illa velut Imperatoriæ Majeſtati derogatoria, injurioſa, extorta, falſa, & venenata ratione perſuaſa, iniquis artibus obtruſa, libertati, exiſtimationi & utilitati Imperii Romano-Germanici penitiſſime contraria, ab Imperatore Friderico ſegniter rem Imperii tractante, cum conſenſu paucorum Principum, nimirum nonniſi uno Moguntino, & uno alterove e raſa cohorte annuentibus confecta veluti peſtem Reipublicæ traducunt* (z). Horret animus & calamus cœtera ſcribere, quæ præfatus author ex Doctoribus Proteſtanticis res geſtas & hiſtoriam Concordatorum ſcribentibus eum in finem ſcribit, ut hujusmodi malevolos Scriptores, & calumniatores peſſimos nec principiis ſanæ rationis, nec Chriſtianæ Religionis imbutos coram orbe univerſo confundat. Quid ſi Catholici uterentur telo retorſionis, & talia contra Pacem Religioſam, & Weſtphalicam, ac tolerantiam Religionis in Germania ſcriberent? Nunquid criminis læſæ Majeſtatis, aliorumque facinorum ac criminum ſe reos facerent, & proceſſum judiciarium nonniſi in Comitiis Imperii decidendum contra ſe inducerent? Oro, atque obſecro lectorem, ut hujusmodi retorſiones in magno cumulo coacervatas attento oculo legat in laudatiſſimo Barthelio (a). Verum de hac exemptione a Concordatis Germaniæ infra fuſius agemus.

Calumniæ Proteſtanticorum contra Concordata exceſſivæ.

§. VIII.

Res beneficiales in Germania ante Concordata erant in ſtatu peſſimo.

Res beneficiales in Germania peſſimo loco fuiſſe conſtitutas, jura collationis, electionis, Patronatus per gratias exſpectativas, mandata Apoſtolica, regulas Cancellariæ mirum in modum fuiſſe turbata, ſuppreſſa, & e manibus collatorum, Capitulorum, ac Patronorum extorta, teſtantur hiſtoriæ, teſtantur querelæ & gravamina Germanorum, teſtantur Concilia, colloquia & Conventus eum in finem inſtituti, ut hiſce ſalubris & efficax afferretur medela. Quidquid jam ſit de illa quæſtione, utrum Germani melius ſibi conſulturi fuiſſent, ſi Decretis Concilii Baſileenſis inhæſiſſent, quam dum Concordata inierunt, id ſaltem certum eſt, quod in Synodo Baſileenſi ſatis rigide, & durius, quam par erat, cum Pontifice actum fuerit, neque illius decreta rebus

(z) Opuſ. 3. de Concord. Germ. Differt. General. cap. 3. pag. 355.
(a) Loc. cit. pag. 365.

Digitized by Google

bus afflictis, diſſidiis, controverſiis & gravaminibus efficax medium attulerint. Receſſerunt paulo poſt a Concilio Baſileenſi Galli, ipſi Pontifices, & Germani. Unde de remedio efficaciori & ſolidiori cogitandum erat. Eſto igitur favorabilior fuiſſet conditio Germanorum ex decretis Synodi Baſileenſis, nihilominus pro ſtabilienda & firmanda pace remittendum aliquid fuit a Natione Germanica in conteſtationem ſuæ reverentiæ, pietatis, & gratitudinis erga ſummum Pontificem haud ſecus quam a belligerantibus, ut pacem firmam & ſtabilem obtineant. Optime nempe perſpectum habebant Germani, quod moderata durare ſoleant, & idcirco viam amicabilem, ſive amicam transactionem uno dato & altero retento ineundam provide duxerunt. Et quidni Germani de ſuis prætenſis juribus notabilem eorum partem remittant? quippe quod ipſi Romanis Pontificibus ſua jura eccleſiaſtica ut plurimum in acceptis referre debeant. Quis enim Epiſcopatus & Eccleſias Germanorum ab infenſiſſimo jure inveſtiturarum, ac Regaliæ liberavit? Quis Capitulis jus liberum eligendi reſtituit? Quis Epiſcopos aliosque Prælatos eccleſiaſticos a jugo Imperatorum, aliorumque Procerum ſæcularium liberavit, niſi Pontifices? Intereſt vel maxime, ut Epiſcopi Germaniæ ſtent in arctiori communione & unione cum Pontifice Romano tanquam centro unitatis, quippe qui ferme ſolus eſt, qui ipſos contra poteſtatem ſæcularem, eorum jura contra injuſtas uſurpationes, auſus, & invaſiones hactenus defendit, & defendere poteſt. Avertat Deus clementiſſimus a finibus Germaniæ ſchiſmata inter Epiſcopos & Principes ſæculares. Tempora aliunde vivimus periculoſa, quibus jura eccleſiaſtica peſſundantur, libertates eccleſiarum ſupprimuntur, Clericorum privilegia vilipenduntur, immunitates deridentur, ut adeo jure optimo metuendum ſit, ne Status eccleſiaſticus maxima ex parte ſupprimatur, & ad infimæ conditionis ſubſellia detrudatur. Et unde jam medela quærenda aut ſperanda, niſi a Romano Pontifice? quem ferme ſolum Principes, illi ſaltem, quibus Religio cordi eſt, reverentur, & metuunt, quem ſolum hactenus comprimendo faſtui Imperantium, extinquendis ſchiſmatibus, vindicandis juribus eccleſiaſticis parem fuiſſe rerum geſtarum hiſtoriæ docent, ad quem Epiſcopi toties recurrere neceſſe habuere, quoties a Principibus ſæculi in ſuis juribus fuere læſi.

Germani ex æquiſſimis cauſis receſſerunt a decretis Concilii Baſileenſis.

Germaniæ Epiſcopi ſua jura in acceptis referre debent Pontifici.

Epiſcoporum Germaniæ intereſt, ut ſtent in arctiori communione cum Pontifice.

Habent potius, quod ſibi gratulentur Epiſcopi & Capitula Germaniæ, illi quidem, quod ampliorem conferendi beneficia facultatem; hæc vero, quod jus liberum eligendi Epiſcopos ex Concordatis obtinuerint, & hoc ſuo generoſiori modo agendi Pontifices ſibi propitios,

Epiſcopi & Capitula ſibi gratulari debent de Concordatis.

&

Digitized by Google

& quodammodo obſtrictos reddiderint. Eſt hæc prærogativa prorſus ſumma ſolis Capitulis Germaniæ propria, qua nulla alia gaudet natio quibuscunque prærogativis inſignis. In cœteris omnibus regnis & provinciis Epiſcopatus contra normam & traditionem antiquiſſimam per 10. & ultra ſæcula continuatam vel conferuntur a Pontificibus, vel Epiſcopi nominantur a Principibus ſæculi. Peſſime ſane ſibi conſuluit Clerus Gallicanus, quod tenacius Sanctioni ſuæ pragmaticæ inhæſerit: nam exinde factum eſſe haud inanis eſt ſuſpicio, quod Pontificem ſibi minus propitium & faventem habuerit, hicque Regi Gallarum in ineundo Concordato Gallico in tantum faverit, ut jus eligendi Epiſcopos Capitulis, Eccleſiis & Monaſteriis ſubtraxerit, & jus nominandi Epiſcopos & Prælatos ampliſſimum ad omnes ferme eccleſias in manus Regum tranſtulerit, id quod ſane Clero Gallicano nunquam non triſtiſſimum accidere debuit.

Galli per ſuum Concordatum ſibi non bene conſuluerunt.

Si qui ſunt, qui ſe ex Concordatis Germaniæ graviſſime læſos eſſe juſtam querendi cauſam habent, ſane ſunt Metropolitæ, utpote qui prærogativam ſummam, id eſt jus confirmandi Epiſcopos ſuos Suffraganeos per 10. & ultra ſæcula juſte poſſeſſum amiſerunt. Sed quid ſi hoc ipſum jus confirmandi fuiſſet translatum in Imperatores & Principes? Utique Metropolitis longe exoptabilius eſſe & glorioſius videri debet illud in manibus Pontificum, quam Imperatorum ſuſpicere. Anne omne abfuiſſe periculum, ne id accideret, exiſtimamus? Atque inde eſt, quod Proteſtanticorum querelæ, dicteria, & criminationes contra Concordata Germaniæ neutiquam in favorem Epiſcoporum, Metropolitarum, & Capitulorum, ſed magis Imperatorum colliment, atque hos potiſſimum in ſuis juribus prætenſis graviſſime læſos conquerantur. In hanc rem facit, quod ſcribit Pfeffingerus (b): *Æterna & indelebili Germanorum gloriæ macula vel ſoli Imperatori per Concordata auferri, quod reliquis Chriſtiani populi Regibus liceat, utpote quorum beneficio vel electionem vel præſentationem vel nominationem vel confirmationem Prælatorum vindicant, cum Imperatori præter jus protectionis, & nudam de Regalibus inveſtituram vix quidquam relictum ſit.*

Metropolitæ videntur habere juſtam querendi cauſam contra Concordata. Hæc cauſa diluitur.

Jura autem Germanis poſtliminio reſtituta, aliaque commoda inde in Nationem Germanicam redundantia ex tenore Concordatorum colliguntur, inter quæ præcipua ſunt *jus liberum eligendi* Epiſcopos aliosque Prælatos, *jus conferendi* beneficia inferiora antea ex regulis Can-

Commoda Germanorum ex Concordatis.

(b) Apud Vitriarium Tom. I. lib. 1. Tit. 15. pag. 1403. ubi quam plurimas Diſſertationes, & libros in hanc rem facientes longo ordine recenſet.

Digitized by Google

Cancellariæ ad 4. menſes reſtrictum, & nunc ad 6. menſes extenſum, ita quidem, ut poſthac per nullam reſervationem aut gratiam exſpectativam impediri valeat, & etiam in menſibus papalibus obtineat, caſu quo proviſus a Pontifice infra tres menſes a die vacationis notæ in loco beneficii non appareat; item *reſtrictio Annatarum* poſthac juxta matriculam ſolvendarum.

Ex quo ulterius ſequitur, jam in Germania jus præventionis aut concurſus, quo antea Pontifices uſi fuerunt, amplius nullum habere locum, multo minus Legatos a latere uti poſſe ſuo privilegio in corpore juris clauſo (c), vi cujus in Provincia ſuæ legationis habent poteſtatem conferendi beneficia, & concurrendi cum quolibet Ordinario, ita ut locus ſit præventioni: quia alias parum, imo peſſime conſultum foret ordinariis collatoribus, quippe quod Legati facillime jura illorum turbare, prævenire, & intervertere poſſent, ex quo Germanis accideret præjudicium longe graviſſimum. *In Germania amplius non obtinet jus præventionis & Concurſus.*

Præterea quia hæc Concordata habent vim pacti perpetui, & tamdiu durare debent, donec mutuo conſenſu ab illis recedere libuerit, Pontifices per Bullas pontificias eisdem derogare non poſſunt. Unde in Germania non obligant Bullæ Pii IV. & V. Alexandri VI. & Gregorii XIII. (d), in quibus hi Pontifices varias fecere reſervationes, & jure optimo Germani usque nunc contradixerunt Bullæ Gregorii XIII. anno 1576. editæ, in qua Pontifex verba illa Concordatorum: *ſi non apparuerit intra tres menſes a die notæ vacationis in loco beneficii*, in favorem collationis papalis interpretatur. *Pontifices eisdem derogare non poſſunt per Bullas.*

Denique quia hæc Concordata præcipue in favorem Germanorum fuerunt inita, ideo ex iis non poſſunt trahi ſequelæ odioſæ, anterioribus Germanorum juribus præjudicioſæ, ne quod in favorem fuit introductum, in illorum odium detorqueatur. Itaque quemadmodum Ordinarii Germaniæ ante erectionem Concordatorum ex diſciplina regularum Cancellariæ, utpote quæ una cum Pontifice expirant, Sed. vac. habuere jus conferendi beneficia per omnes menſes etiam papales vacantia, ita etiam eodem jure nunc fruuntur, licet Concordata ſint perpetua, & nunquam moriantur: ſecus enim Germanorum conditionem longe deteriorem feciſſent Pontifices, & incongrue dixiſſet Nicolaus V., quod hæc *Sunt interpretanda in favorem Germanorum, & eis nocere non debent.*

(c) Cap. 1. de Offic. Legat. in 6.
(d) Vid. P. Engl. L. 3. Tit. 5. §. 2. & Illuſt. Barthel. opuſ. 3. de Concord. Germ. pag. 381.

Digitized by Google

hæc Concordata Nationi Germanicæ ſint utilia & ſalubria (e). Hæc ſi bene perpenderent & aſſentatores Sedis pontificiæ & vindices zeloſiores libertatis eccleſiaſtico Germanicæ, illi exaltandæ cum exceſſu Pontificum erga Germanos munificentiæ, & juſto durioribus Concordatorum interpretationibus; hi vero ſuis contra Pontifices querelis & gravaminibus prorſus exceſſivis modum ponerent.

§. IX.

De interpretatione Concordatorum authentica, & judiciali.

Quum nulla lex tam clara poſſit ferri, ut pro caſibus emergentibus non indigeat interpretatione, ſeu authentica, ſeu judiciali, caſu quo lites oriantur in judiciis, haud abs re quæritur, ad quem pertineat interpretatio Concordatorum tam authentica, quam judicialis. Et quidem ſi loquamur de interpretatione authentica, dubium in eo eſt, an vel ad ſolum Pontificem, vel ſolum Imperatorem, vel etiam ad Nationem Germanicam pertineat. Nobis ſtat firma ſententia, quod ad hos omnes jure ſpectet, cujus ratio eſt, quod ex communi regula illius ſit legem interpretari, cujus eſt legem condere: ſed utique legem Concordatorum condidere Pontifex, Imperator, & Status ſimul. Et quid ſi vel ſoli Pontifici, vel ſoli Imperatori aſſeramus facultatem interpretandi, nunquid poſſet quilibet Concordata interpretari in ſuum favorem cum præjudicio alterius? Itaque ut ſervetur æqualitas, ut præcaveantur lites, & evitentur præjudicia, ac peſſimæ conſequentiæ, opus erit conſenſu tam Pontificis, quam Imperatoris. Accedit, quod paciſcentes in hoc ipſum conſenſiſſe videantur: ad quid enim apposuerunt clauſulam, ut hisce Concordatis non derogetur, niſi de conſenſu totius Nationis Germanicæ & quidem in Concilio plenario? Ex hoc ſequitur, quod Bullæ Pontificiæ hinc inde a Pontificibus in ſui favorem editæ, qualis eſt illa Greg. XIII. de an. 1576., qua Pontifex Concordata, quibus diſpoſitum eſt, ut proviſus de beneficio a Papa intra tres menſes a die notæ vacationis in loco beneficii appareat, hoc modo interpretatur, quod ſatis ſit, dummodo proviſio Pontificia in curia Romana ſit facta, nullius ſint valoris. Nec dicatur tali modo nunquam poſſe haberi interpretationem authenticam Concordatorum pro caſibus emergentibus: quum utique non adeo difficile ſit, ut & Pontifex, & Imperator, & Status Imperii Commiſſarios deputent, illisque poteſtatem interpretandi demandent, & committant.

Bullæ Pontificiæ in favorem Pontificum editæ in Germania non obligant.

De interpretatione particulari &

Sed jam de interpretatione particulari & judiciali paucis diſpicien-

(e) Idem P. Engl. loc. cit. §. 4. & Barthel. loc. cit. pag. 343.

Digitized by Google

judiciali quæ ſpectat ad Rotam & Curiam Romanam.

ciendum. Ut, quæ noſtra ſit mens, ſciatur, dicamus breviter, quod judicialis Concordatorum interpretatio competat Rotæ, & Curiæ Romanæ, ita tamen, ut ſtylus ex iteratis deciſionibus ibidem introductus vim authenticam univerſalem, & tantam non habeat, quantam habet in aliis conſtitutionibus faciendis. Hujus ratio eſt, quod cauſæ beneficiales ex notoria praxi ad Curiam Romanam tanquam ſecundam & ultimam inſtantiam pertineant, excepto caſu, ſi ſuper ſtatu & qualitate Nobilitatis lis oriatur: hæc enim ex capitulatione Cæſarea ad tribunalia Imperii ſpectat. Quum ergo Judicis ſit interpretari legem, profecto Curia Romana erit legitimus Judex in cauſis ſaltem particularibus. Ratio 2di eſt, quod, quum Doctores & Judices in Curia præſumantur potius in favorem Pontificis, quam aliorum ſententiam ferre, & illius jura extendere, Germanorum vero reſtringere ſoleant, inde facile graviſſima præjudicia Nationi Germanicæ oriri poſſent, ſi iteratæ deciſiones ſtylum curiæ facientes in vim interpretationis authenticæ aſſurgerent. Dein quum Doctores Romani non habeant ſufficientem notitiam Status Germanici, facile contingere poteſt, ut in graves errores, ſententias & deciſiones Statibus Imperii valde præjudicioſas, & nocivas inducantur. Nec dicatur, hujuſmodi præſumptiones Curiæ Romanæ authoritati multum præjudicare, imo potius meliora eſſe præſumenda. Profecto enim tales præſumptiones eſſe fundatas, & habere fundamentum, multis caſibus commonſtrari poſſet. Et quare hoc adeo præjudicioſum deberet eſſe famæ & honoribus Curiæ? Utique Judices poſſunt induci in deciſiones aliquoties ineptas errore aliquo probabili, & non culpabili, maxime ſi non ſint ſufficienter inſtructi, ſi neſciant conſuetudines locorum particulares, rerum circumſtantias, aliaque ad deciſionem cauſæ pertinentia. Hæc tamen unice intelligenda ſunt de interpretatione, & declaratione Concordatorum: aliud procul dubio dicendum de declarationibus aliarum conſtitutionum pontificiarum, ubi tales exceptiones Curiæ Romanæ opponi non poſſunt, & pro ea longe melior & fortior ſtat præſumptio, eo quod illarum ſenſum facilius penetrare poſſint, quam Concordatorum. Accedit, quod tanti non interſit Nationis Germanicæ, quomodo tales conſtitutiones declarentur, quanti intereſt, ut legitima fiat interpretatio Concordatorum, quippe quæ in illius favorem ſuere inita, & vim legis in Germania acceperunt.

§. X.

In dubio juris conſerendi

Experientia didiſimus, quod non raro oriantur lites inter Collatores

Digitized by Google

tores beneficiorum, Pontifices & Epiſcopos, aut etiam Capitula, imo etiam quoad electiones, ſeu libertates & jura eligendi. Quæritur ergo, in cujus favorem ſit pronunciandum, caſu quo vel Pontifex cum Epiſcopo collidatur, vel Capitulo ſuum liberum jus eligendi impugnetur. Putamus, quod in priori caſu pro Epiſcopo; in altero pro Capitulis deciſio fieri debeat. Ratio primi eſt, quod quum Ordinarii habeant pro ſe jus divinum, antiquiſſimum, & per XII. Sæc. continuatam poſſeſſionem; & econtra reſervationes a Pontifice factæ, & in Concordatis Germaniæ eidem ſtabilitæ ſint contra jus commune, hoc ipſo in dubio pronunciandum ſit in favorem Ordinariorum. Ad hæc: pro Epiſcopis ſtat fortiſſima præſumptio, quod per ſuas collationes melius proviſuri ſint Eccleſiis, & providere poſſint, quippe qui melius noſcunt, & neceſſitates ſuarum Eccleſiarum, & qualitates ſuorum Clericorum, quibus conferuntur beneficia. Præterea accedit hæc ſententia proximius intentioni fundatorum, quippe qui beneficia fundarunt pro Clericis indigentibus, & cœteroquin bene meritis, & hoc ipſo potius ad Clericos & Miniſtros, qui aliunde alicui Diœceſi ſunt obſtricti, quam extraneos reſpexiſſe videntur. Et quis melius noſſe poteſt indigentias, paupertatem & merita Clericorum, quam Ordinarii? & quam non difficile accidere debet Clericis, quod tot & tam graves expenſas & ſumptus in Curia Romana facere debeant? ut nihil dicamus, quod non raro magis dignis & idoneis, vel nullus vel valde difficilis ad beneficia pateat acceſſus. Huc pertinet illud: Papa providet hominibus, Ordinarii Eccleſiis. Item: Ordinarii dant homines beneficiis, Papa vero beneficia hominibus.

beneficia inter Pontifices & Epiſcopos controverſo pronuntiandum in favorem Epiſcoporum.

Eadem ratio pugnat pro libertatibus electionum Canonicorum, & jure eligendi Capitulis competente: nam etiam electiones Epiſcoporum fuerunt liberæ per XII. ferma Sæcula, & dein ad Capitula jure optimo devolutæ: cum enim Capitula cum ſuo Epiſcopo tanquam capite unum corpus conſtituant, & ipſi Capitulares omnium optime neceſſitates Eccleſiarum, & qualitates ſuorum Capitularium noſſe præſumantur, & aliunde reſervationes, & reſtrictiones electionum ſint odioſæ, prævalebit jus Capitulorum juri pontificio tanquam novo & libertatibus Eccleſiarum & Capitulorum tantopere præjudicioſo.

Item in favorem Capitulorum, ſi lis oriatur ſuper jure eligendi.

§. XI.

Media pro conſervandis Concordatis.

Cum in hanc usque diem querelæ & gravamina contra infractionem Concordatorum perdurent, & hujusmodi infractionum Pontifices præcipue rei agantur, idcirco ſæpius deliberatum fuit, quibus mediis Concordata Germaniæ ſarta tectaque conſervari, & infractionibus quibuscunque efficaciter contraveniri poſſit. Hujusmodi querelæ &

Gravamina contra Pontifices pro-

Digitized by Google

pter violationem Concordatorum.

gravamina contra Pontifices paſſim apud Scriptores leguntur (f). Unde etiam mirum videri non debet, quod ferme omnes Imperatores a tempore conditorum Concordatorum de tectis ſartisque conſervandis Concordatis in ſuis Capitulationibus cæſareis jurare debuerint, cujus noviſſimum exemplum proſtat in Capitulatione noviſſima Franciſci I. moderni Imperatoris Auguſtiſſimi, in qua inter alia ſic habetur (g).

Imperatores ex Capitulationibus obligantur conſervare Concordata.

Wir ſollen, und wollen auch bey dem heiligen Vatter dem Pabſt und Stuhl zu Rom unſer beſtes Vermögen anwenden, daß von denſelben, gleich wir ohnehin des Vertrauens ſeynd, die Concordata Principum, auch die zwiſchen der Kirchen, Päbſtlicher Heiligkeit, oder dem Stuhl zu Rom, und deutſcher Nation aufgerichtete Verträge, wie auch eines jeden Erz-und Biſchoffen, oder deren Dohm-Capituln abſonderliche privilegia, hergebrachte Statuta und Gewohnheiten allerdings beobachtet, und dargegen durch unförmliche Gratien, Reſcripten, Proviſionen, Annaten, der Stifft-Mannigfältigung, Erhöhung der officien in Römiſchen Hof, und Reſervation, Diſpenſation &c. in keine Weis gehandlet werde.

Placetum Regium eſt medium ad conſervanda Concordata.

Nobis nec vacat nec libet talia remedia in medium proferre. Quapropter Lectorem remittimus ad Illuſtrem Barthelium, qui in ſuis egregiis opuſculis hanc materiam, aliaque ad Concordatorum intelligentiam ſpectantia ſolide prorſus & inſigniter tractat (h). Inter alia Concordatorum ſervandorum media ipſe affert *Placetum Regium*, uti vocatur, Imperantibus ex ipſo jure Advocatiæ, Protectionis, & Reipublicæ officio competens, & Superioritati territoriali indivulſe annexum, vi cujus Imperantes poſſunt & ſolent inſpicere, examinare, & recognoſcere Bullas pontificias, an nihil contineant, quod Rempublicam lædere poſſet, & an illas promulgare & acceptare expediat. De hoc *Placeto Regio* alibi tractavimus, illiusque uſum innocuum omnino approbavimus, dummodo ultra ſuos limites non extendatur, ne-

Eſt caute adhibendum.

Rr 3 que

(f) Exemplum dant in Innocentio XII., qui Petro Philippo L. B. de Berleps ad interceſſionem Hiſpaniarum Reginæ Canonicatum in Eccleſia Conſtantienſi contulit, eſto ille haberet pedem ex nervorum contractione incurvatum ac pendulum, adeoque ad actus miniſteriales ineptus eſſet. Refragabantur Epiſcopus & Capitulum, & Imperatorem implorabant, qui proin hoc negotium ſuo Legato in Curia agenti verbis ſat gravibus, & fortaſſis plus æquo expreſſivis commiſit.

(g) Wahl-Capitulation Franciſci I. art. 14.

(h) Opuſ. 3. de Concord. Germ. pag. 402.

que ſacra profanis miſceantur, aut manus nec lotæ nec unctæ ſacris apponantur. Aliud remedium, quod proponit laudatus Author, in eo eſt, ut Pontifex ſuas Bullas non ex neceſſitate juris, ſed ex legibus charitatis, amicitiæ, regiminis manſueti & eccleſiaſtici, quod omnem dominatum & principatum reſpuit, juxta illud: *Principes dominantur eorum, vos autem non ſic*, transmittat ad Ordinarios, quatenus hi conſultis Viris egregiis, ac rebus ex æquo & juſto ponderatis dimetiri valeant, utrum Leges pontificiæ ſint conformes Concordatis, juribus communibus & particularibus, conſuetudinibus & obſervantiis; an non in bonum Reipublicæ ſacræ impingant; & ſaluti animarum conducant. Atque hac ratione authoritati Pontificum nihil deceſſurum, econtra bono Eccleſiarum optime conſultum iri exiſtimat. Huc ſpectant, quæ nos alibi de promulgatione & acceptatione Legum eccleſiaſticarum pro noſtro genio ſcripſimus. Demum idem author in puncto violatorum Concordatorum ſuadet modum recurrendi ad Imperatorem moderatum & diſcretum. Verum in hoc modo non raro excedi limites diſcretionis, ac debitæ erga Pontificem obſervantiæ & reverentiæ tam ex parte provocantium, quam reſcribentium (liceat ſcribere veritatem) facile perſpiciet, qui vel ſupplicas, vel reſcripta verbis dictatoriis concepta legerit.

Alterum medium eſt transmiſſio Bullarum ad Epiſcopos, antequam promulgentur.

Tertium eſt recurſus ad Imperatorem.

Idcirco priusquam ad Imperatorem recurrimus & provocamus, alio mitiori, legibus eccleſiaſticis conformiori, authoritati Pontificis minus præjudicioſo, noſtræ obſervantiæ ac debitæ reverentiæ accommodatiori remedio utendum fore exiſtimarem. Et quidni primitus ad ipſum Pontificem recurramus, atque ut ipſe legem revocet, reſtringat, illius rigorem mitiget, corrigat, emendet, ſupplicemus? Provocatio ad poteſtatem ſæcularem ſit ultimum refugium. Ita ſane exigit authoritas Pontificis, honor eidem debitus, diſciplina eccleſiaſtica usque nunc obſervata, ordo hierarchicus, bonum Eccleſiæ, ne authoritas Pontificis vilipendatur, honor Eccleſiæ, illiusque poteſtas periclitetur, & poteſtas ſæcularis ultra ſuos limites quam longiſſime protendatur. Aliunde Juriſdictio eccleſiaſtica hodiernis moribus maximum in diſcrimen adducitur, & ferme omnes cauſæ eccleſiaſticæ, in quicus etiam de hilo boni politici agitur, ad tribunal ſæculare non raro violenter trahuntur.

Optimum & primarium eſſe debet recurſus ad ipſum Pontificem.

Hoc principium & medium mutuavimus ex authore Proteſtantico in orbe literario notiſſimo (i), cujus doctrinam ut Catholici omnes illi

Doctrina ſaluberrima Senckenbergii commendatur.

(i) Perilluſt. de Senckenberg Method. Jurisprud. Addit. IV. de libertate Eccleſiæ Germanicæ §. III.

Digitized by Google

illi præcipue, qui erga Pontificem illiusque poteſtatem minus æqui ſunt, alte impreſſam teneant, libuit illius verba utut longiora adducere: *Videlicet*, inquit, *Eccleſia Romana Mater Chriſtianorum, & orbis inprimis Germanici benigniſſima, data ſua in ſacra authoritate ſemper benigne tulit, ſi quis jura ſua, ea qua par eſt modeſtia, conſervare niteretur. Non opus ergo, nec conducit etiam, ut convellantur omnia, ut nexus & Eccleſiæ & Imperio utilis ac neceſſarius diſſolvatur. Oportet ordinem aliquem eſſe inter Chriſtianos, oportet eſſe Caput, quod eum regat. Non alius huic regimini magis aptus, quam Chriſti Vicarius, B. Petrum continua ſucceſſione referens. Is ab omni ævo ea fuit æquitate, ut oves ſuas balantes exaudiret, ut gravaminibus mederetur. Non renixum certe novimus Hadrianum P. M., cum Carolus M. non omnia ejus poſtulata admitteret. Tranſactionem de Inveſtituris conſlavit Calixtus II., in quam pluribus Friderico I. ceſſit Alexander III. Nec in cunctis obſtreperos Pontifices experti Philippus & Fridericus II., donec ultimus plane ab ipſa fide declinaſſe crederetur. Summa quæque conſecuti ſunt Rudolphus I. & Henricus VII. Uſurus erat æquo Pontifice Ludovicus IV. ſi ſua tantum vindicatum iviſſet, & ni mala illorum temporum interveniſſent. Certe quod ille tantopere cupiebat, obtinuit Carolus IV. ut Italiæ dominaretur, & regia poteſtas penderet a ſola Principum Electorum authoritate. Nec Wenceslaus, Sigiſmundus, Albertus II. aut reliqui Germanicæ libertatis aſſertores, ne ipſe quidem Maximilianus I. aut Carolus V. Majeſtatis ſuæ & libertatis Nationis Statores ſummi, iniquum hactenus experti ſunt Pontificem. Semper gravaminum, inprimis per Hadrianum VI. oblata medela. Et ſi promiſſa in plurimis irrita manſere, res in modo hæſit, aut turbæ intervenere, ut de cardine quæſtionis cogitari haud poſſet. Hæc omnia eo, ut evincamus, nihil hactenus ſanctæ Sedi, aut etiam Nationi, quæ jura ſua nunquam deſeruit, imputari poſſe, ſi per injuriam ſæculorum usque nunc fieri non potuit id, quod alias lubens admiſiſſet ſummus orbis Pontifex. Cives noſtri, gens bello adſueta, rerum novandarum cupida, in ſe ipſa diſcors habet, quod ſibi in ceſſando imputet, nunquam refragantem Eccleſiam experta, cui potius media præſtandi ipſa ſubtraxit. Et jure affirmari poterit, ne exemplum quidem eſſe in omni rerum memoria, ubi Pontifex proceſſerit adverſus eos, qui juribus ſuis intenti, ultra limites vagari in animum non induxerunt ſuum.* Hucusque Senckenbergius. Videant jam Proteſtantes, qui Pontificem ambitionis ſummæ, & dominatus exceſſivi accuſant, omnia facta hiſtorica, diſſidia & controverſias inter Pontifices & Imperatores in peſſimam partem & in odium Pontificum interpretantur, illumque veluti uſurpatorem & prædonem jurium Majeſtaticorum, ac libertatum Germanicarum peſſime traducunt,

Digitized by Google

cunt (k), & diſcant de Pontifice melius ſentire, æquius judicare, & cautius ſcribere. Germani vero ſibi gratulentur, quod ſecundum leges æquitatis, juſtitiæ, modeſtiæ ac reverentiæ cum Pontifice pacti fuerint, & dato ac retento tranſegerint.

CAPUT IV.

De Transactione Paſſavienſi & Pace Religioſa.

§. I. *Occaſio fuſius ſcribendi de hac materia deſumpta ex opuſculis non ita pridem editis, in quibus novum prorſus ſyſtema defenditur.* II. *Fata horum opuſculorum.* III. *Scriptores & Scripta de Tranſactione & Pace Religioſa.* IV. *De Præcedentibus Pacem Religioſam.* V. *De ipſa tranſactione Paſſavienſi.* VI. *De Pace Religioſa.* VII. *Præcipua illius capita recenſentur.* VIII. *Quid in ea ſit diſpoſitum de tolerantia Religionis & coexercitio.* IX. *De Reſervato eccleſiaſtico.* X. *De beneficio emigrationis.*

§. I.

Occaſio Tranſactionis Paſſavienſis & Pacis Religioſæ.

Ad jus particulare Germaniæ pro Statu tam eccleſiaſtico, quam politico pertinent ſine dubio *Tranſactio Paſſavienſis*, & *Pax Religioſa*, nec non *Pax Weſtphalica*. Utrique occaſionem præbuiſſe diſſidia, tumultus, turbines & bella inter Catholicos & Proteſtantes, ex ſupra dictis conſtat. Et quoniam utraque hæc Pax conſtituit legem fundamentalem veluti primariam Germaniæ, ad quam tanquam ad Cynoſuram & normam principalem toties confugiendum, quoties in rebus eccleſiaſticis nobis res eſt cum Proteſtantibus, hanc materiam non nihil accuratiori & fuſiori calamo exponendam exiſtimavimus. Alia item nobis peculiaris eſt ratio, cur id laboris aſſumere placuit. Annus erat 1757., cum opellas noſtras de Statu Eccleſiæ, Hierarchia eccleſiaſtica, prærogativis Eccleſiæ Salisburgenſis, nec non Jus eccleſiaſticum particulare Germaniæ in duas Diſſertationes diviſum typis commiſimus, & diſputationi Academicæ ſubjecimus: eodem anno Vir excelſi nominis, cujus memoria jam in benedictione eſt, tecto nomine edidit

Occaſio & cauſa hujus Scriptionis.

(k) E. g. in controverſia de Inveſtituris per annulum & baculum, de jure Regaliæ inter Pontifices & Imperatores agitata.

Digitized by Google

didit Scriptum ſatis prolixum ſub titulo: Grund-Riß des ſo genannten Juris Reformandi, quod Authori pro ſua in me ſingulari exiſtimatione ad me mittere placuit. Eæ tamen mihi tunc erant rerum circumſtantiæ & temporum anguſtiæ, ut opus meum tumultuarie congerere, in ordinem qualemcunque redigere, ac prætermiſſis rebus plurimis ad hanc materiam ſpectantibus celeriter perficere debuerim, & nequidem tempus illud inſigne opus legendi, ne dicam expendendi habuerim. Itaque

§. II.

In hoc opere Excelſus Author agit de famoſo *jure Reformandi*, & *Simultanei*, atque ex actis Pacis Weſtphalicæ oſtendit, doctrinam, quam hactenus Proteſtantes de utroque præfato jure tradiderunt, eſſe falſam, Paci Weſtphalicæ contrariam, atque Doctores Proteſtanticos univerſo orbi impoſuiſſe, & ſucceſſive dogmata juridica introduxiſſe, de quibus conditores pacis ne quidem ſomniarunt. *Opuſcula excelſi cujusdam Authoris.*

Interea temporis idem Excelſus Author varia alia opuſcula edidit, quibus ſuum Syſtema magis magisque illuſtravit, qualia ſunt Wahrer Begriff deren von einigen Proteſtantiſchen Scribenten ſchändlich verdrähten §§. 30. 31. *Art. V. Pac. Weſtph. Quantum deinde ad Comites &c. Hoc tamen non obſtante &c.* Erkläret aus denen *Actis Publicis Pac. Weſtph.* Regenſpurg 1758. Item Gründliche Antwort auf die Einwürffe wider den Haupt-Satz: daß ein vorher Proteſtantiſcher- hernach aber zur Catholiſchen Religion übertrettender Reichs-Stand das offentliche Religions-*Exercitium* ſeiner Unterthanen *reformi*ren könne. Und noch andere darmit verbundene Sätze von dem *Simultaneo*, von der *Juriſdictione Eccleſiaſtica*, und von der Religions-Verfaſſung in deutſchen Reich. Regenſpurg 1758. Item *Compendium hiſtoriæ gravaminum de Subditorum Religionis exercitio publico, eorumque conſcientiæ libertate & horum gravaminum compoſitione.* Oder kurzer Auszug der Geſchichten von Vergleichung der Beſchwärden wegen den Religions-*Exercitium* deren Unterthanen und derſelben Gewiſſens-Freyheit. Idem Author ſecunda vice typis Ratisbonenſibus 1759. edi curavit Meyeri Emblemata anno 1739. ibidem edita ſub titulo: *Meyeri Emblemata ſive loca quædam ex Adami Adami Epiſcopi Hieropolitani & ad tractatus Pacis Weſtphalicæ quondam Legati nuper ex Autographo Exemplari edita, hiſtoria de Pacificatione Weſtphalica a Joanne Godofrido de Meyern interpolata, inverſa, vel omiſſa prorſus, hinc inde notata vel delibata potius Promulſidis loco. Ex ungue Leonem.*

Digitized by Google

Illorum fata.

Ex quo hæc opera per orbem literarium varie diſperſa ſunt, a pluribus viris eruditis, imo etiam Legatis ad Comitia Ratisbonenſia deputatis immenſam laudem, encomia plurima, & omnimodam approbationem retulerunt; Proteſtantes vero mirum in modum commoti ea non modo refutanda & convellenda, verum etiam eorum, aut ſimilium ſcriptionum prohibitionem ab auguſtiſſimo Cæſare impetrandam exiſtimarunt.

Proteſtantes exinde mirum in modum commoventur.

Illa refutare conantur.

Primus, & unicus, ſaltem quantum nobis conſtat, qui contra Authorem ſtrinxit calamum, fuit David Georgius Struben Regio-Britannicæ, & Electoralis-Brunewicenſis Cancellariæ Director in ſuo opuſculo, quod inſcribitur: Entdeckte Verdrehung des Weſtphäliſchen Friedens-Schluſſes *Art. V.* §. 31. und *Art. XVII.* §. 4. 5. 6. 7. quod paulo poſt ſequebatur alterum: Zugabe zur entdeckten Verdrehung des Weſtphäliſchen Friedens-Schluſſes *Art. V. &c.* Subſequebantur Novelliſtæ Göttingenſes, qui in ihren Göttingiſchen Anzeigen von gelehrten Sachen &c. 104. Stück den 30. *Aug.* 1759. opera Strubii miris extollunt laudibus, Authorem vero noſtrum turpiter ſugillant, & traducunt (k). Utrique ſcriptioni Strubianæ Author Excelſus oppoſuit ſcriptionem refutatoriam: Gründliche Nachrichten ꝛc. & : In denen *actis publicis & Protocollis Proteſtantium* gegründete Antwort auf die ſo betitelte Schrifft: Georg David Struben ꝛc. Zugabe zur entdeckten Verdrehung des Weſtphäliſchen Friedens-Schluſſes *Art. V.* §. 31. und *Art. XVII.* §. 4. 5. 6. 7.

Refutantur ab Authore.

Proteſtantes impetrant edictum Cæſareum prohibitorium.

Apud Aulam vero Cæſaream Proteſtantes impetrarunt Reſcriptum Cæſareum ad Auguſtiſſimi Imperatoris Commiſſarium Principalem 16. Auguſt. 1759. datum, in quo eidem injungitur, ut ſolicitus ſit, ne poſthac ſcriptiones, quæ tumultus in publico cauſare poſſent, in lucem publicam emittantur (l). Ex hoc reſcripto Cæſareo Legatus Electoralis-Saxonicus paucos poſt dies die 29. Aug. 1759. dictavit brevem extractum, quocum eadem die emanavit aliud dictatum cum inſcriptione: Gemeinſchafftlicher Bericht deren Herren Proteſtantiſchen

---

(k) Vid. gegründete Antwort Authoris noſtri, ubi novellas Göttingenſes recenſet, & notis illuſtrat.

(l) Reſcriptum Cæſareum legitur in der in denen actis publicis & Protocollis gegründeten Antwort noſtri Authoris. NB. in hoc Reſcripto nulla fit mentio opuſculorum noſtri Authoris, multo minus ea tanquam prohibita leguntur, ſed nonniſi cura Commiſſario Principali injungitur invigilandi, ne talia poſthac edantur.

Digitized by Google

ſchen Geſandten wider die St. Emmeramiſche Schrifft. *Dictatum Ratisbonæ 29. Auguſt.* 1759. Im Chur-Sächſiſchen Quartier. Utrumque hoc dictatum una cum animadverſionibus videre eſt in ſupra citato opere Authoris noſtri: Gegründ te Antwort.

Ex quo jam hæc opuſcula ex munificentia ipſius excelſi Authoris, antequam edictum Cæſareum emanavit, ad noſtras pervenere manus, nosque amplius non nihil ea legendi & perſcrutandi temporis ſpatium nacti ſumus, majori ſtudio ea pervolvimus, atque novum iſtud Syſtema de *Jure Reformandi, & Simultanei* ingenti argumentorum pondere ſuffultum deprehendimus, ac prorſus digniſſimum cenſuimus, ut in orbe Catholico & literario, in quantum illud publicum facere licet, magis magisque notum & publicum fieret. Et quoniam hæc opuſcula ferme omnia paſſim diſtracta, paſſim etiam ſtudioſe ſuppreſſa eſſe, & ad paucorum reſpective manus perveniſſe haud ignoramus, operæ pretium nos facturos exiſtimavimus, ſi illorum quaſi epitomen, aut potius ipſum Authoris Syſtema, dogmata & doctrinas in illis contentas, & in compendium redactas hiſce opuſculis una cum ſyſtemate hactenus communiter tradito inſeramus. Quia vero iſtud ſcribendi argumentum eſſe valde delicatum, & de eo ſcribere oppido hiſce temporibus periculoſum & delicatioris genii hominum eſſe offenſivum, haud nos latet, noluimus noſtrum calculum ſeu antiquiori ſeu noviori Syſtemati adiicere. Sublimius deſuper judicium exſpectamus. Cœterum neminem nobis indignaturum, aut exiſtimaturum confidimus, quod contra Reſcriptum Cæſareum ſcribamus. Nihil enim novi ſcribimus, neque aliud, niſi quod jam inter eruditos notum eſt, et ante omnem prohibitionem vulgatum fuit. Neminem lædimus, innocenter utriusque partis Syſtema ſine offenſa alterutrius proponimus. Hæc prævie animadvertenda duximus. Nunc ad explicandam Tranſactionem Paſſavienſem & Pacem Religioſam accingimur.

Scopus hujus Scriptionis.

§. III.

Acturi de Tranſactione Paſſavienſi, ac præcipue de Pace Religioſa duas Periodos ſtatuamus. 1ma comprehendit tempus illud, quod labitur a tempore cœptæ Reformationis usque ad Pacem Religioſam, id eſt ab anno 1517. usque ad an. 1555. Altera a tempore Pacis Religioſæ usque ad Pacem Weſtphalicam. Priusquam de his agamus, indigitare juvat præcipuos Scriptores, qui de Pace Religioſa egerunt.

Inprimis Tranſactio Paſſavienſis extat in noviſſima editione Receſſuum

Scriptores de Pace Religioſa.

Digitized by Google

ceſſuum Tom. 3. N. 1. p. 3. Eandem cum obſervationibus ediderunt Joan. Strauchius & Adamus Cortreius. De Scriptoribus Pacis Religioſæ qui accuratiorem notitiam haurire vult, evolvat Burcardi Gothelf Struvii Bibliothecam Juris ſelectam cap. 11. pag 390. Addatur in calce libri IV. harum inſtitutionum conſignatio de Scriptoribus Juris publici §. de Pace Religionis. Præcipuam hic operam navavit Joan. Schilter, cujus liber ſingularis de Pace Religioſa an. 1700. Argentorati Typis fuit excuſus. Extat etiam hæc Pax in noviſſima editione Corporis Receſſuum Tom. 3. N. II. pag. 15. Eandem Pacem cum obſervationibus edidit Joan. Limnæus lib. 5. cap. 13. n. 16. nec non cum ſingulari commentario Adamus Cortreius. Ad hujus hiſtoriam faciunt Chriſtophori Lehmanni Acta Pacis Religioſæ tribus Tomis comprehenſa, quorum primus Tomus prodiit 1707. alter ſub titulo *Lehmannus ſuppletus & continuatus* 1709., & Tomus novus 1710. in qua collectione omnes Scriptores de Pace Religioſa agentes reperiuntur. Huc etiam ſpectat Nicolai Hieron. **Gundlings gründlicher** Diſcurs **über den Weſtphäliſchen Frieden.** Addatur Gabrielis Schwederi Diſſ. de Pacis Religioſæ conſtantia ac perpetuitate Tom. I. Diſſ. Tubing. Reliqui Scriptores de hac Pace recenſentur tum in Bibliotheca Struvio-Buderiana, tum in Hoffmanni Biblioth. Jur. publ. p. 172. Ex Scriptoribus Catholicis huc pertinet præcipue Adamus Adami, Author noſter Anonymus, de quo ſupra egimus, & alius author Anonymus in opere, quod inſcribitur: Defenſio Jurium Status Eccleſ. par. poſter. item illuſt. Barthelius in ſuis opuſ. Beſoldus. Plures infra de Pace Weſtphalica recenſebimus.

§. IV.

Quæ Pacem Religioſam præceſſerunt.

Quaenam transactionem Paſſavienſem & Pacem Religioſam præceſſerint, & utrique condendæ occaſionem & neceſſitatem fecerint, ex dictis colligitur, quæ certe alia non fuere niſi Secta Lutheri, illiusque propagatio, diſſidia Religionis, occupatio bonorum eccleſiaſticorum, tumultus bellici maxime poſt ictum fœdus Smalcaldicum, & inde ſecutum bellum, quod etſi ab initio feliciſſime geſtum, & in eo capti fuerint fœderis Coryphæi Joannes Fridericus Elector Saxoniæ, & Philippus Haſſiæ Landgravius, alii vero Principes & Civitates Imperiales ad officium fuerint redacti, attamen inito poſthac novo fœdere cum Gallis Proteſtantes in eas anguſtias redegerunt Cæſarem, ut relicto Oeniponto ubi tunc erat, Villacum Carinthiæ ſe recipere, Electorem

Digitized by Google

ctorem Saxoniæ dimittere, & pro ſui corporis defenſione militem tumultuarie conſcribere neceſſe habuerit.

Prima origo fœderis Smalcaldici derivanda eſt a ſiniſtris fatis Lutheri & ſuorum Aſſeclarum. Edictum Wormatienſe, quod Lutherum banno feriit, Comitia Spirenſia an. 1526. & 1529. celebrata & Proteſtantibus parum propitia, Comitia Auguſtana 1530. ab Imperatore convocata, in quibus Confeſſio Auguſtana Imperatori oblata, & a quibusdam Principibus Proteſtanticis fuit ſubſcripta, prima poſuere fundamenta fœderis Smalcaldici, quod paulo poſt pepigerunt, ſeque arctiſſimo nexu contra Cæſarem & Catholicos conjunxerunt, ubi Confeſſionem Auguſtanam a Cæſare & ordinibus Imperii confutari, damnarique experti ſunt. Fœdus iſtud non poterat non Imperatori ſuſpectum periculoſumque videri. Res Imperatoris in iis rerum circumſtantiis erant conſtitutæ, ut ſe huic fœderi efficaciter opponere, aut illud diſſipare non potuerit. Quapropter mitioribus mediis eſſe utendum ratus Norimbergæ primam pacem Religioſam invito Pontifice (m) an. 1532. promulgavit, in qua §. 3. cautum, ne quis alteri propter Religionem moleſtiam inferat, alterum invadat, bello laceſſat, bona diripiat, ſed omnes in charitate Chriſtiana & pace invicem compatiantur, usquedum in Concilio plenario lis omnis deciſa fuerit (n). Verum Proteſtantes rebus ſuis metuentes fœdus iterum an. 1536. renovarunt. Interea Imperator nihil non egit, ut Concilium conflueret, jamque illud Paulus III. per literas encyclicas convocavit, in quo ut comparerent Proteſtantes, nullo modo adduci potuerunt. Quare Imperator rebus Catholicorum conſulturus fœdus fœderi oppoſuit, quod Norimbergæ an. 1538. cum ſtatibus Catholicis iniit, & propterea *fœdus ſacrum* appellatur.

De fœdere Smalcaldico.

Fœdus Catholicorum Norimbergæ.

Demum ad arma ventum, jamque Proteſtantes aperto Marte Cæſarem aggrediuntur, & quidem, uti mox antea dictum, ab initio felici Marte a Catholicis pugnatum, poſtea vero ſuperveniente fœdere Gallorum res Catholicorum in maximum diſcrimen adducuntur, quibus ut meliorem in modum conſuleret Imperator, primum Lincii, mox Paſſavii conventum indicit, in quo præter Ferdinandum Regem Romanorum, & ejus filium Maximilianum comparuere Mauritius Elector cum ſuis, Albertus Dux Bavariæ, quidam Epiſcopi, & multorum Principum Legati, quorum interventione tandem anno 1552. 2. Aug. inita

Bellum inter Catholicos & Proteſtantes.

(m) Prout videre eſt in Pallavicini hiſt. Concil. Trid. lib. 3. cap. 9. §. IX.
(n) Hortleder Tom. 1. lib. 8. cap. 14. & 15.

Digitized by Google

inita eſt nominatiſſima illa *Tranſactio* Paſſavienſis, de qua jam diſpiciendum.

§. V.

Præcipua capita tranſactionis Paſſavienſis.

In hoc Conventu Paſſavienſi multa gravamina contra Imperatorem propoſuit Mauritius, quæ apud Hortlederum legi poſſunt (o), ac poſt multas altercationes in plura capita fuit conventum, quorum præcipua ſunt, ut ab armis deſiſtatur, & pacem colerent omnes, nemini in Imperio ob religionem moleſtia, violentia, aut contemptus inferatur, Cæſar ſecundum ſuam promiſſionem ſolicite curet, quomodo per generale aut nationale Concilium omnis de fide controverſia tolli & pax unioque Religionis ac Statuum in Imperio conſtitui poſſit: ſimiliter Confeſſioniſtæ inpoſterum ſtatibus Imperii Catholicis eorumve ſubditis nullam inferant moleſtiam, ſed bonis ac juribus ſuis pacifice frui ſinant, de facto autem per vim nihil attentantes idque ſub pœna in conſtitutione pacis publicæ conſtituta (p). Extractum eorum, quæ in conventu Paſſavienſi acta, & ab ipſo Ferdinando Romanorum Rege confirmata ſunt, una cum punctis hujus transactionis exhibet Joan. Jac. Smaus in ſuo *corpore Juris publici* (q). Transactio hæc poſtea a ſtatibus Imperii ratihabita, & in Pace Weſtphalica fuit confirmata.

§. VI.

Pax religioſa concluditur.

Poſtea Proteſtantes neſcio quæ gravamina opponentes iterum ad Comitia celebranda provocarunt, & id effecerunt, ut Imperator Comitia Ulmam 15. Aug. an. 1553. convocaret. Quoniam vero ea ibi celebrari non poterant, an 1555. die 5. Febr. Auguſtæ Vindelicorum indicta ſunt, in quibus tandem poſt plurimas altercationes, potiſſimum de *Reſervato eccleſiaſtico* in favorem Catholicorum Paci inferendo pax illa famoſa, quæ *religioſa* communi vocatur nomine, fuit concluſa, quæ nihil eſt aliud, quam *ſanctio Pragmatica Imperii mutuo Imperatoris & ſtatuum conſenſu concluſa, qua ſtatibus Imperii Proteſtanticis liberum ſuæ Religionis exercitium cum aliis annexis in vim tolerantiæ conceditur.* Atque hæc eſt illa pax rebus Catholicis inimiciſſima, jurisdictionis eccleſiaſticæ everſiva, litium, gravaminum ac bellorum mater fœcundiſſima, Germaniæ ſumme exitioſa, avitæ Religionis excidium ſupremum, Proteſtanticæ vero

Quid ſit?

Eſt Catholicæ Religioni ſumme nociva.

(o) Tom. II. lib. 5. cap. 13.
(p) Vid. Relat. hiſt. Adam Adami pag. mihi 4.
(q) Pag. 160. & ſeq.

Digitized by Google

vero lapis angularis, ac fundamentum primarium, cui Ferdinandus I. non niſi lacrymantibus oculis ſubſcripſiſſe fertur (r), contra quam proteſtatus fuit Pius V. per ſuum Nuntium Joan. Franciſcum Commendonum in Comitiis Auguſtanis, Otto quoque Comes de Truchſes & Epiſcopus Auguſtanus, cum ſinceriſſima conteſtatione, quod quidem Pacem promovere, at vero prius ſibi vitam eripi ſit paſſurus, quam de negotiis Religionis paciſci (s); ac Abbates Weingartenſis & Ochſenhuſanus. Cœteri quoque Status Catholici apud Ferdinandum deprecati ſunt clauſulam illam: *inconditionatam & perpetuam pacem*, quam Proteſtantes ab ipſo extorſerunt: id tamen ſolum impetrarunt ut præter illam etiam clauſula Catholicorum: *usque ad amicabilem Religionis compoſitionem* receſſui fuerit inſerta. Atque hanc pacem in hanc usque diem Catholici ex principiis ſuæ Religionis exoſam habent, etſi eam ex pacto publico obſervare & colere obligentur: Unde in hanc usque diem de valore hujus Pacis diſputatur. Quoniam vero idem dubium de Pace Weſtphalica movetur, commodius hanc quæſtionem infra dilucidabimus, ubi de Pace Weſtphalica agemus. Hæc ut clarius eluceſcant, præcipua Pacis Religioſæ capita videamus, eaque neceſſariis animadverſionibus illuſtremus.

§. VII.

Integra Pax Religioſa cum omnibus ſuis Capitibus & articulis igitur in Receſſu Imperii de anno 1555., quem exhibet citatus Smaurſius (t), ex quo brevitatis ergo non niſi præcipua Religionem potiſſimum concernentia capita decerpere placuit, utpote cujus cauſa hæc Pax fuit inita, & ideo *Religioſa* vocatur non quidem ex ratione, quod Cæſar & Status Catholici omnibus pro nutu novam Lutheri doctrinam amplectendi libertatem fecerint, aut Religionem proteſtanticam ac Confeſſionem Auguſtanam approbaverint, ſed quod plura circa tolerantiam Religionis Proteſtanticæ in favorem præcipue Statuum Imperii Proteſtanticorum diſpoſuerint, quemadmodum ex mox recenſendis capitibus conſtabit. Præcipua ergo Pacis Religioſæ capita ſunt ſequentia. *Præcipua capita Pacis Religioſæ.*

1mo

(r) Ita teſtatur Card. Hoſius in epiſt. ad Paulum IV.

(s) Hujus Proteſtationis inſtrumentum teſte Erneſto ab Euſebiis cuſtoditur in Archivio Auguſtano, vid. Lehmann Acta Pacis Religioſæ lib. 1. cap. 3.

(t) Pag. 166.

Digitized by Google

Tolerantia Religionis Proteſtanticæ.

1mo Cæſar & Imperii ordines Catholici Statibus Imperii Auguſtanæ Confeſſionis ob ſuam Religionem Proteſtanticam nullam moleſtiam, nullam injuriam, nullam vim facto ope conſilio vel armis inferant, neque ab exercitio ſuæ Religionis vel jam introductæ, vel introducendæ deiiciant, vel eos moleſtent & impugnent. Quæ autem de Religione eſt controverſia, ea nonniſi Chriſtianis, amicabilibus, & pacatis rationibus componatur.

Religio Catholica intacta permaneat.

2do Idem viciſſim erga Status Imperii Catholicos, ſive Eccleſiaſticos ſive ſæculares una cum Capitulis & aliis Clericalis ordinis hominibus, quocunque ſuum domicilium transtulerint, ordines Proteſtantici obſervent, eosque absque ulla moleſtia ſua avita Religione, ritibus & ceremoniis, juribus, privilegiis, bonis, ſubditis, reditibus uti & frui ſinant.

3tio Quotquot vero nec Auguſtanæ Confeſſioni, nec Religioni Catholicæ ſunt addicti, hac pace non ſint comprehenſi, ſed ab ea excluſi.

Reſervatum eccleſiaſticum.

4to Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Prælati aliique Eccleſiaſtici, ſi a Catholica Religione illos recedere contingat, ſuis beneficiis & fructibus, ſalva manente eorum exiſtimatione, ſimul cedant, conceſſa facultate Capitulis, vel quibuscunque id de jure vel conſuetudine convenire dignoſcitur, alium eligendi, ſubſtituendi, ſubrogandi, præſentandi.

Suſpenſio Jurisdictionis eccleſiaſticæ.

5to Eccleſiaſtica Jurisdictio (ſalvis cujusque reditibus, decimis, juribusque temporariis) in ordine ad Auguſtanæ Confeſſionis Religionem, ritus & miniſteria usque ad plenam Religionis conciliationem ſuſpenſa quieſcat. In aliis vero rebus & cauſis ad Auguſtanam Confeſſionem, Religionem, fidem & ritus, ordinationes, ceremonias, & Miniſtrorum ordinationem non pertinentibus, poſſit ac debeat eccleſiaſtica Jurisdictio per Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, aliosque Prælatos juxta receptum cujusque loci uſum poſſeſſionem, & conſuetudinem deinceps exerceri.

Vis & violentia in negotio Religionis prohibetur.

6to Ne quis Statuum alterum ejusve ſubditos ad ſuamReligionem adigat, vel arte aliqua ad ſe abſtrahat, vel contra proprium Magiſtratum tueatur aut defendat.

Bona eccleſiaſtica relinquuntur in manibus Statuum.

7timo Collegia, cœnobia aliaque bona eccleſiaſtica a non nullis Statibus vel eorum Prædeceſſoribus occupata & piis uſibus applicata (u), ſi neque ad alios Imperii Status pertinent, nec tempore trans-

actionis

(u) E. g. ſi Eccleſias exſtruxerint, ſcholas erexerint, hoſpitalia inſtituerint.

Digitized by Google

actionis Paſſavienſis, poſteave ab eccleſiaſticis poſſeſſa fuerint, ſub hac pace non comprehendantur, & in ea diſpoſitione, quam quisque Status de occupatis & applicatis bonis fecit, permaneant.

Beneficium emigrationis.

8vo Cæſaris & Statuum ſubditis una cum familia, ſi velint alio ſe transferre ac domicilium figere religionis cauſa, commigrandi, & bona ſua alienandi (dummodo ſervilis conditionis debitique tributi nomine pro loci conſuetudine Magiſtratui ſatisfecerint) facultas & poteſtas eſto.

9no Hac pace quoque Ordo equeſtris immediatus ita fruatur, ne unius, alteriusve Religionis cauſa gravetur, ac moleſtetur.

Coexercitium Religionis Proteſtanticæ in Civitatibus liberis.

10. Quibus in Civitatibus liberis ante pacem hanc conditam utraque Religio in uſu fuit, in iis porro ſic maneat. Cives & incolæ pacifice & comiter inter ſe cohabitent. Neutri parti alteram de Religionis ſuæ exercitio, Eccleſiæ ritibus & ceremoniis deturbare liceat, ſed liberum ultro citroque religionis, facultatum, & bonorum uſum, ſicut ſuperius de Statibus cautum, quilibet habeat.

Pax hæc Religioni Catholicæ in tribus potiſſimum punctis ſumme nociva.

Atque hæc ſunt præcipua Pacis Religioſæ puncta, quæ ex Adamo Adami (x), quibusdam minus principalibus prætermiſſis, extrahere placuit, ex quibus facili negotio deprehenditur, Pacem Religioſam Religioni Catholicæ in tribus potiſſimum capitibus eſſe ſumme nocivam, in eo inprimis, quod Statibus imperii Confeſſioni Auguſtanæ addictis tolerantia exercitii ſuæ Religionis proteſtanticæ in ſuis territoriis fuerit ſtabilita, cum grandi præjudicio Catholicorum, quorum Religio ſola ſine ulla conſorte dominatum & principatum habuit in Germania. Dein in eo, quod in Civitatibus Imperii liberis coexercitium Religionis Proteſtanticæ fuerit toleratum; ac demum Juriſdictio Epiſcoporum ex jure divino competens reſpectu ſubditorum proteſtanticorum fuerit ſuſpenſa.

Puncta dubia.

Sunt autem quatuor præcipue capita, quæ majoribus ſubjacent difficultatibus, & ſingularem dilucidationem merentur: 1mo quomodo illud, quod de tolerantia exercitii Religionis proteſtanticæ; 2do de coexercitio ejusdem in Civitatibus liberis; 3tio de Reſervato Eccleſiaſtico; & 4to de beneficio emigrationis ſuit diſpoſitum, ſecundum mentem & intentionem paciſcentium intelligi debeat. De his jam diſtinctim videamus. Unde ſit

§. VIII.

(x) Relat. Hiſtor. pag. 7.

§. VIII.

Diverſi hominum Status in Germania.

Quinam liberum exercitium Religionis obtinuerint.

Sunt in Germania diverſi hominum ordines. Sunt Status Imperii immediati, Civitates liberæ, Nobilitas immediata, Landſaſſii, Civitates mediatæ & Statuum Imperii tam immediatorum quam mediatorum, æque Proteſtanticorum ac Catholicorum ſubditi. Atque hi omnes, exceptis Catholicis, nihil magis olim & hodie optarunt quam exercitium Religionis & libertatem conſcientiæ. Unde quæritur, quinam ex his tolerantiam exercitii Religionis in Pace Religioſa obtinuerint; ſpecialiter quid de ſubditorum exercitio tam publico quam privato, quod *libertatem conſcientiæ* ſeu *Autonomiam* vocare ſolent, in Pace Weſtphalica fuerit diſpoſitum, & quibus ex his tolerantia pace publica fuerit adpromiſſa. Cum enim ex poſt Proteſtantes paſſim ad Pacem Religioſam provocaverint, Catholicos fractæ pacis accuſaverint, eo quod ſubditis exercitium ſuæ Religionis indulgere nolint, ſane operæ pretium erit ſcire, an jure querantur, & utrum ſubditis tale exercitium fuerit lege publica ſtabilitum. Dixi notanter *tolerantia*, quia hoc termino utitur Pax Religioſa, eamque adhiberi voluere Catholici, utpote qui Religionem Proteſtanticam, ſalvis ſuæ Religionis principiis nunquam tanquam veram agnoſcere, nec approbare potuerunt (quemadmodum nec Proteſtantes noſtram tanquam veram agnoſcunt, imo tanquam ſentinam errorum turpiſſimis calumniis laceſſunt, quidquid Pax Weſtphalica dicat, dum propter Religionem neminem deſpectui haberi deſiderat), & non niſi majoris evitandi mali cauſa eandem per ſolam tolerantiam civitate donarunt, dum econtra Religio Catholica a tempore immemoriali jus civitatis ſola habuit, & in poſſeſſione ſui juris fuit quietiſſima, & ſola per univerſam ferme Germaniam fuit dominata.

Quid ſit Exercitium Religionis publicum?

Quid libertas Conſcientiæ & Autonomia?

Notanter etiam dictum fuit de exercitio tam publico quam privato. Eſt autem exercitium publicum *cultus Dei publicus illi Religioni conformis, quam quis profitetur, & qui in publicis conventibus in Eccleſiis concionando, cantando, pſallendo ſecundum certas ceremonias præſcriptas peragitur, ad quem populus ordinarie campanæ pulſu vocatur.* Exercitium vero privatum ſeu libertas conſcientiæ & *Autonomia* in ſenſu Pacis Religioſæ nihil eſt aliud, quam tolerantia ſubditorum, qui a Domini ſui Religione aliam profitentur, & eidem privatim vacare poſſunt, quin a Domino territoriali ad emigrandum e terris ſuis cogi valeant.

Tolerantia Religionis

Jam ad quæſtiones diſputatas: indubitati juris eſt, quod in Pace Religioſa Statibus Imperii Auguſtanæ Confeſſioni addictis tolerantia Religio-

Digitized by Google

Proteſtanticæ Statibus Imperii Auguſtanæ Confeſſionis fuit ſtabilita.

Religionis Proteſtanticæ fuerit ſtipulata. Ita enim loquitur litera Pacis per verba: So ſollen die Kayſerl. Majeſtät, Wir, auch Churfürſten, Fürſten und Stände des Reichs, keinem Stand des Reichs von wegen der Augſpurgiſchen Confeſſion, und derſelbigen Lehr, Religion, und Glaubens halben mit der That gewaltiger Weis überziehen, beſchädigen, und vergewaltigen, oder in andere Weeg wider ſein Gewiſſen, und Willen von dieſer Augſpurgiſchen Confeſſions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, ſo ſie aufgericht, oder nachhin aufrichten werden, in ihren Fürſtenthumen, Landen und Herrſchaften dringen, oder durch Mandat oder in einiger anderer Geſtalt beſchweren, oder verachten, ſondern bey ſolcher Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, und Ceremonien, auch ihrem Haab, Gütern, liegend oder fahrend, Land, Leut, Herrſchaften, Obrigkeiten, Herrlichkeiten, und Gerechtigkeit ruhiglich und friedlich bleiben laſſen. Quid clarius? Atque hic etiam fuit finis paciſcentium, ſolis Statibus Imperii conſulendi per indulgentiam & tolerantiam, quippe quibus unice in votis erat religionem illam, quam ipſi profitebantur, introducere, ac promovere, & nihil magis quærebant, quam ut eſſent quaſi Religionis Domini: & hinc ſubditos haud paucos quaſi vi ad Religionem novam amplectendam compulerunt; plures ſolum purgare, & emigrare juſſerunt. Neque probabile eſt, quod Principes ſeu Proteſtantici ſeu Catholici religionem territorii quaſi in manus ſubditorum dare, & Catholici illis in ſuis territoriis tolerantiam ſtipulari voluerint.

An ſubditis tolerantia exercitii fuerit ſtipulata.

Unde facile reſolvitur quæſtio, an etiam ſubditis tolerantia exercitii publici Religionis proteſtanticæ in terris Statuum Imperii immediatorum ſeu Catholicorum ſeu Proteſtanticorum fuerit ſtipulata: nam de ſubditis, eorumque exercitio publico tolerando nec jota, nec apex, nec litera in Pace Religioſa invenitur. Aut enim loquimur de ſubditis Statuum Proteſtanticorum, aut Catholicorum: Illi ſimili beneficio tolerantiæ opus non habebant, qui volentes nolentes Religionem ſui Domini profiteri debebant, niſi ſolum purgare & ad flebile emigrationis beneficium confugere vellent. De exercitio vero Religionis publico ſubditorum, qui Catholicis Imperii Statibus ſubjecti erant, tranſactio fieri non poterat, quia tempore Pacis Religioſæ nullum tunc erat exercitium Religionis proteſtanticæ nec in hæreditariis Imperatoris provinciis, neque in territoriis Catholicorum Statuum ſæcularium Imperii. Solummodo in quibuſdam eccleſiaſticorum Imperii Statuum territoriis neſcio quo fato vel auſu temerario ſubditi quidam adverſæ Religionis exercitium introduxerunt, quod vel hi Status ob defectum virium impedire non poterant, aut violenter evertere nolebant ſpe opti-

Digitized by Google

Non fuit actum in Pace Religioſa de exercitio publico ſubditorum Proteſtanticorum.

ma freti, hos ſubditos in virtute manſuetudinis & lenitatis potius fore trahendos, quam in virga ferrea violenter compellendos. Atque de his nulla in Pace Religioſa erat quæſtio. Et profecto de exercitio Religionis publico ſubditorum non fuiſſe actum in Pace Religioſa teſtantur ipſi Proteſtantes, quippe qui nihil aliud poſcebant, niſi ut ſubditi Catholicorum Statuum in horum territoriis (*absque publico tamen novæ Religionis exercitio & Ceremoniarum Religioſarum uſu*) tolerarentur, prout mentem ſuam teſte Lehmanno (y) exponebant, Proteſtantes 5. Septembris A. 1555.

Neque exercitium privatum ſeu libertas conſcientiæ illis fuit ſtipulata.

Obtinuerunt tamen beneficium Emigrationis.

Anne ergo, quæres fortaſſis, hiſce ſubditis libertas conſcientiæ, Autonomia, & privatum Religionis exercitium fuit ſtabilitum? Neutiquam: Id quidem poſtulabant, & urgebant Proteſtantes; at nihil obtinuerunt, ita quidem, ut Ferdinandus ſe publice declaraverit, potius ſe malle omnes tractatus abrumpere, quam in petitionem Proteſtantium deſcendere. Demum in id fuit conventum, ut ſubditis, qui ſe Religioni ſui Domini territorialis conformare nollent, liceat divenditis ſuis bonis emigrare, & ſua bona in aliam terram transferre, de quo infra. Videant ergo Proteſtantes, quo jure, quo fundamento, qua ratione Catholicos poſt Pacem Weſtphalicam toties fractæ pacis arguere, gravamina haud ſatis æqua proponere, eisque objicere potuerint, quod ſubditos ſuos proteſtanticos in exercitio ſuæ Religionis impediant, turbent, & a jure ſuo contra datam fidem dejiciant, cum tamen tale jus ipſis conceſſum nullibi legatur.

Civitates liberæ obtinuerunt coexercitium.

Libera Imperii Nobilitas in Pace Religioſa comprehenditur.

De Civitatibus Imperii liberis & immediatis ſingulare quid fuit diſpoſitum, ut nempe in illis, in quibus coexercitium Religionis Proteſtanticæ fuit introductum, illud poſthac perduret, quin una pars alteram in ſuo exercitio impedire, turbare aut moleſtare valeat. Sed quid de libera Imperii Nobilitate, freyen Reichs-Ritterſchaft? de hac ſic legitur: Und in ſolchen Frieden ſollen die freye Ritterſchaften, welche ohne Mittel der Kayſerl. Majeſtät und uns unterworfen, auch begriffen ſeyn, alſo und dergeſtalt, daß ſie obbemeldter beyder Religion halber auch von niemand vergewaltigt, bedrängt, noch beſchwert ſollen werden.

Non vero Nobiles mediati & civitates mediatæ.

Quoad Nobiles mediatos, Anſeaticas & alias civitates, qui jam paſſim Religionem Proteſtanticam amplexati ſunt, equidem hi exercitium Religionis publicum obtinere contenderunt; at vero id fieri non permiſit Ferdinandus ex optima, eaque ratione politica, quod ipſis contra Statuum Imperii, quibus eſſent ſubjecti, ordinationes non ſit patro-

(y) De Pace Relig. lib. 1. pag. m. 37.

patrocinandum. Nec Proteſtantes de horum exercitio Religionis amplius quidquam movebant. Hinc in Inſtrumento Pacis de ſola Imperii nobilitate & civitatibus Imperialibus, nulla vero de *Mediatis, Landſaſſiis*, *Civitatibus* Imperii Statibus ſubjectis habita fuit tranſactio.

§. IX.

Quid ſit Reſervatum Eccleſiaſticum?

De *Reſervato Eccleſiaſtico*, ſicuti vocant, vi cujus Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, aliique Prælati eccleſiaſtici Auguſtanam Confeſſionem amplectentes ſuas Prælaturas amittunt, & omnia beneficia reſtituere coguntur, vehementiſſime in Comitiis Auguſtanis, in quibus de Pace Religioſa condenda fuit actum, & poſtea ad Pacem uſque Weſtphalicam fuiſſe diſceptatum, loquuntur hiſtoriæ, loquuntur Acta publica (z). Quidquid autem oppoſuerint, contradixerint, & reclamaverint Proteſtantes (a), Ferdinandus I. clauſulam *Reſervati Eccleſiaſtici* inſeri voluit. Hinc tot querelæ & gravamina, quorum vel ipſe Ferdinandus II. in *famoſo Edicto de reſtituendis bonis eccleſiaſticis a tempore Religioſæ Pacis a Proteſtantibus occupatis* de dato 6. Maj. 1629. Vien. mentionem facit.

Gravamina contra illud.

Deſuper actum occaſione Gebhardi Electoris Colonienſis a Religione Catholica deficientis.

Etquis in numerum coget gravamina veluti innumera, quæ Proteſtantes annis 1556. 1557. 1559. 1566. 1590., præcipue vero Oſnabrugæ, dum de Pace Weſtphalica ineunda agebatur, exhibuerunt (b)? Acriter quoque de *Reſervato Eccleſiaſtico* diſceptatum fuit annis 1582 & 83, cum Gebhardus illuſtri Truchſeſſiorum de Waldpurg ſanguine procreatus, Præſul Colonienſis ducta in uxorem Agnete Joannis Georgii Mansfeldii Comitis filia Auguſtanam amplecteretur Confeſſionem, ejusque liberum exercitium in Diœceſin introducere contenderet, cujus cauſam tres Electores, Palatinus, Saxo, & Brandenburgicus, ſed

 inani

z) Scriptores, Scripta, Acta in puncto Reſervati Eccleſiaſtici in magno numero recenſet Pfeffingerus ad Vitriarium Lib. 1. Tit. 15. pag. 1416. & ſeq. & lib. 3. Tit. 19. pag. 38. & ſeq.

(a) Acta oppoſitionis An. 1555. ſiſtit Lehmannus de Pace Religionis lib. 1. cap. 13.

(b) Vid. Proteſtantium gravamina Plenipotentiariis Cæſareis An. 1645. Oſnabrugæ exhibita apud Londorpium lib. 2. cap. 114. & Catholicorum Reſponſ. cap. 117. Item eorum propoſitiones componendis diſſidiis aptas apud eundem Tom. 6. lib. 3. cap. 30. Vid. etiam Lehmann Oper. de Pace Relig. lib. 1. cap. 13.

Digitized by Google

Scriptores hujus Hiſtoriæ. inani conatu defendendam ſuſceperunt. Hac ſuper re plures æque Catholici, ac Proteſtantici Scriptores ſcripſerunt. Inter Catholicos argumentum iſtud ex profeſſo tractarunt ineunte Sæculo elapſo Franciſcus Burckardus Colonienſis Cancellarius in ſua *Autonomia*, & Scriptores *Pacis Compoſitionis* Dilingenſes An. 1629. quibus ex parte Proteſtantium ſe oppoſuit Jacobus Lampadius ſub nomine *Scipio Aretinus*, & plures alii.

Argumenta contra Reſervatum eccleſiaſticum. Jam argumenta, quibus Proteſtantici ſuam cauſam defenderunt, ad ſtateram ſanæ rationis appendamus, & quanti ſint ponderis expendamus. Inprimis conquerebantur, in perpetuam ignominiam, ac diſpendium ſui honoris ac famæ, nec non ſuæ Religionis ceſſurum, ſi ob Religionem, quam profiterentur, omnibus beneficiis, prælaturis, dignitatibus, ac juribus eccleſiaſtici, ipſo jure & facto forent privandi, ac inſtar hæreticorum publicorum habendi; repugnare conſcientiæ, vim quoque ac violentiam inferri conſcientiis Proteſtanticorum, ſi in id conſentire deberent, ne quis Clericus illam amplectatur Religionem, quam ipſe tanquam veram agnoſcit; hac ratione Paciſcentes diſponere de ipſa Religione, &, quæ ſit vera, determinare, id quod non modo eſt extra poteſtatem Imperatoris, & contra intentionem Paciſcentium, verum etiam ſumme præjudicioſum Religioni Proteſtanticæ, quippe quod inde aperte ſequatur, Confeſſionem Auguſtanam continere ſectam damnabilem, hæreticam, erroneam, cui nemo Clericorum nomen dare poſſit ſine jactura omnium beneficiorum, quin etiam ſine diſpendio ſui honoris, famæ, & exiſtimationis, cui parum conſultum foret per illam clauſulam utpote facto contrariam: *ſalva exiſtimatione.* Præterea hoc agendi modo, præterquam quod Religio Proteſtantica omnium contemptui, deſpectui & irriſionibus exponatur, & quaſi infamis fiat, obicem poni, quo minus Proteſtantes ſuam Religionem promovere, diffundere ac propagare poſſint, ad quam dilatandam diffundendamque ſe ex mandato Chriſti obligatos exiſtimarent; ipſis vero Chriſtianis ex ductu conſcientiæ Religionem proteſtanticam amplexis, aut amplecti volentibus & in territorio Catholico viventibus omnem viam omnemque januam intercludi, quo minus doctrinam Evangelii veram addiſcere poſſint, quippe quod ſine Prædicante Proteſtantico in doctrina Religionis Proteſtanticæ debite inſtrui nequeant, & hac ratione aut in ſua Religione Catholica, quam falſam reputant, volentes nolentes permanere, aut Religioni, cujus ne quidem dogmata ſatis perſpecta habent, ſuum nomen cæco modo dare & in tenebris ambulare cogantur; inauditum quoque eſſe ab orbe condito, quod profeſſio Evange-

Digitized by Google

Evangelicæ veritatis ſit modus amittendi dominii rerum & bonorum ſuorum (c).

Argumenta Catholicorum in favorem Reſervati.

Hæc & his ſimilia argumenta ſummi ponderis videri poſſunt. At vero ſuo robore deſtituuntur, ſi ad principia generalia eaque prorſus certa expendantur. Indubitati præprimis juris eſt, in libero arbitrio ac poteſtate Imperantium eſſe, jus civitatis donare, aut ab eo excludere, prout libuerit, niſi quidam jus quæſitum habeant, imo etiam de bonis & juribus ſubditorum diſponere, & aliquoties ipſum jus quæſitum auferre, ſi utilitas & neceſſitas publica ita exegerit. Quidni ergo Imperator una cum Statibus Imperii tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus legem condere potuit, ut, qui Beneficiis eccleſiaſticis uti frui voluerint, Religioni Catholicæ ſint addicti, ea amiſſuri, ſi ad Religionem Proteſtanticam tranſierint? An non eſt in poteſtate Imperantium ab illis, qui ad officia & dignitates aſpirant, certas qualitates & conditiones exigere? quas ſi non habeant vel obſervent, ad ea non admittuntur, aut ſi jam poſſideant, iisdem privantur. Profecto hujusmodi privatio nequidem pœna niſi mere *negativa* dici poteſt, id eſt mera derogatio beneficii indebiti, prout docent Doctores Catholici ad Tit. de Conſtit. Et quomodo, in regula ſaltem loquendo, ſalvis ſuæ Religionis principiis Catholici Prælatis ad caſtra Acatholicorum tranſeuntibus poſſeſſionem beneficiorum eccleſiaſticorum relinquere potuerunt? Nam quia Epiſcoporum eſt prædicare, inſtruere, docere, bonum Religionis promovere, nunquid a Prælatis alterius Religionis ſpem concipere poſſunt Catholici, quod bonum Religionis, quam falſam reputant, ſint promoturi? Quare ergo Proteſtantes tantopere laborarunt, ut jurisdictio eccleſiaſtica quoad Proteſtantes in rebus Religionem concernentibus ſuſpenſa foret? an non ideo, ne ipſorum conſcientiis vis inferatur, aut ab Epiſcopis obtrudatur Religio ex dictamine ſuæ rationis falſa? nunquid hoc eſt probroſum Catholicis, injurioſum Epiſcopis, præjudicioſum honoribus Religionis Catholicæ, & idem eſt, ac Epiſcopos habere tanquam uſurpatores jurium eccleſiaſticorum, Religionem Catholicam damnare veluti falſam, diffamare noſtram Eccleſiam, eamque toti orbi contemptibilem facere? Idcirco jure retorſionis optime contra ipſos utuntur Catholici: nam ſi ex eo, quod Epiſcopi ad ipſorum caſtra tranſeuntes ſuis priventur beneficiis, ſequi exiſtiment, ſuam Religionem damnari veluti hæreticam, erroneam, aut ſaltem damnabilem, an non idem

(c) Vid. Nicol. Gundlings Diſcours über den Weſtphäl. Frieden, cap. 1. pag. 29. Item Pfeffingerus ad Vitriar. Tom. 1. pag. 1415. & Tom. 4. pag. 37. & ſeq.

idem jure longe fortiori queri poſſunt Catholici, dum eorum Epiſcopi ſua jurisdictione divinitus ſibi conceſſa privantur, & hoc ipſo ipſi Catholici falſi dogmatis arguuntur? Neque ex eo, quod Proteſtantes non admittantur in participium Beneficiorum eccleſiaſticorum, iisque, ſi poſſideant, priventur, ipſis infertur injuria: habet enim Eccleſia jus ſua diſpenſandi beneficia, prout libuerit, & iisdem privandi illos, quos ſuo ſuſtinendo muneri minus aptos, aut animarum ſaluti procurandæ minus proficuos, & Religionis bono potius nocituros, quam profuturos dijudicat, haud ſecus, quam Princeps quiscunque, in cujus poteſtate eſt ad munera publica aſſumere Viros magis aptos, idoneos, & digniores; & econtra officiis & dignitatibus publicis privare, quos Reipublicæ bono eſſe nocivos cognoverit. Quemadmodum Proteſtantes prætendunt, quod ex mandato Chriſti ſint obligati ad promovendam diffundendamque ſuam Religionem proteſtanticam, ita hanc ipſam obligationem conſervandi ſuam Religionem ſartam tectamque, eandem promovendi, ac fidelibus ſuis de Paſtoribus, & non mercenariis proſpiciendi incumbere Catholicis negare non poſſunt, usque dum veritatem ſuæ, & falſitatem noſtræ Religionis argumentis convincentibus commonſtraverint. Sicuti ergo Proteſtantes per Reſervatum eccleſiaſticum ſibi in Religione ſua promovenda obicem poni, quinimo ſubditis proteſtanticis januam intercludi, quo minus principia Religionis, quam eſſe veram exiſtimant, addiſcere valeant, conqueruntur, ita & nos juſtam & longe juſtiorem conquerendi cauſam habemus, ſi nobis in locum Paſtorum obtrudantur Mercenarii, id eſt Epiſcopi illorum ſacris addicti, quibus dictamen conſcientiæ prohibet, ne in Religione Catholica propaganda ſuum ſtudium collocent, aut noſtræ Religionis principia Chriſtianos doceant. Habent hujusmodi ſubditi Proteſtantici in terris Catholicorum viventes longe alia remedia ſuam ſalutem faciendi certam. Habent beneficium emigrationis, quod etſi revera flebile dicatur, & a parte rei ſit, amore tamen ſuæ æternæ ſalutis conſequendæ difficile non debet accidere. Adeant ſuos Paſtores, & ab his in principiis Religionis, quam ex ductu ſanæ rationis & conſcientiæ veram exiſtimant, inſtrui rogitent. Id facile largimur, *inauditum eſſe ab orbe condito, quod profeſſio Evangelicæ veritatis ſit modus amittendi dominii rerum ac bonorum ſuorum.* Verum ante omnia demonſtrandum erit, *Confeſſionem Auguſtanam* eſſe profeſſionem Evangelicæ veritatis. Quæſtio hæc eſt fori Theologici, non Juridici. Legant Aa. utrumque Codicem Theodoſianum & Juſtinianeum (d), & quibus poenis

(d) Tit. de hæret. & Manich.

Digitized by Google

nis, banno, exilio, proſcriptione, privatione omnium bonorum a piiſſimis Imperatoribus contra hæreticos & ſchiſmaticos fuerit animadverſum, videant. Abſit ut Proteſtantes hæreſeos *in ſenſu juris publici* damnemus. Reveremur leges Imperii fundamentales, quibus jubemur *neminem propter Religionem deſpectui habere.* Neque leges omnes, quarum aliquæ exceſſive ſunt rigidæ, contra hæreticos latas abſolute approbamus. Interim licitum nobis erit uti jure noſtro ex principiis Juris publici univerſalis competente eliminandi & proſcribendi, aut non admittendi ad noſtras terras illos, qui a ſacris noſtris ſunt alieni, & a quibus vel noſtræ Religioni, vel Reipublicæ damnum qualecunque timemus. Eccur legibus adeo ſeveris in quibusdam regnis & provinciis contra Catholicos utuntur Proteſtantici & Reformati? Utique in arbitrio Dominorum territorialium eſt, quas velint ſtatuere leges, quibus velint jus civitatis dare, & quos ab officiis publicis velint excludere? En, qua arte omnia, quæ Proteſtantes contra *Reſervatum Eccleſiaſticum* obmovere poſſunt, jure *Retorſionis* in ipſos retorqueri valeant!

Cæterum hiſce querelis medendis remedium eſt inventum in Pace Weſtphalica, in cujus Art. 5. §. 15. *Reſervatum Eccleſiaſticum* ad Proteſtantes & Clericos Catholicos etiam inferioris ordinis fuit extenſum, ut non modo Epiſcopi Evangelici ad Catholicam Religionem tranſeuntes eo ipſo Epiſcopatum & bona eccleſiaſtica ſalva exiſtimatione amittant, ſed & Clerici Catholici ad caſtra Proteſtantium tranſeuntes ſtatim ſuo jure excidant (e). *Reſervatum Eccleſiaſticum ad Proteſtantes extenſum.*

§. X.

Ex dictis conſtat, quod Proteſtantes in tractatibus Pacis Religioſæ tota contentione in id incubuerint, ut *Autonomiam* ſeu libertatem conſcientiæ pro ſubditis impetrarent, ſed fruſtraneo conatu, dum Ferdinandus ſe poſitive declaravit, quod malit abrumpere omnes tractatus, quam in hanc petitionem conſentire. Ut tamen libertati conſcientiarum modo quocunque conſuleretur, in id conſenſerunt Imperator & Status Catholici, quod ſubditis, ſi religionem Domini territorialis amplecti nolint, liceat diſtractis bonis ſuis alio tranſmigrare, id quod antea non licebat, quippe quod Domini Territoriales non raro ſuos ſubditos etiam invitos detinuerint, ne una cum ſubditis pinquioris fortunæ eorum quoque pecuniæ a provinciis horum Statuum exportarentur. *Proteſtantes prætendunt Autonomiam.*

(e) Cit. §. 15.

Digitized by Google

Obtinent beneficium emigrationis. rentur. Itaque in favorem ſubditorum iſtud *emigrationis beneficium* fuit tranſactum, quod jure optimo *flebile* dicitur, quia ſubditis ſane difficillimum accidere debet, quod Religionis ergo ſolum patrium purgare, bona ſua diſtrahere, & in alienas terras non ſine damno ſæpe graviſſimo ſuæ rei œconomicæ tranſmigrare debeant.

Catholicis beneficium iſtud jam antea per Receſſum Imperii Auguſtanum de Anno 1530. (f); Proteſtantibus vero per Pacem Religioſam fuit ſtatutum (g).

Utrum Pax Religioſa de emigratione voluntaria aut neceſſaria intelligi debeat. Cæterum ex hoc jure & beneficio emigrationis paulo poſt ingentes enatæ ſunt controverſiæ, & acerrime diſputatum, utrum Pax Religioſa intelligi debeat de emigratione *neceſſaria*, aut *voluntaria*, id eſt an emigratio ſtet in arbitrio ſubditorum, quando amore Religionis, quam profitentur alienam a Religione ſui Principis territorialis, ſua ſponte emigrare potius volunt, quam Religionem ſuæ conſcientiæ repugnantem amplecti, quin tamen a Principe territoriali ad emigrandum cogi poſſint, quæ emigratio vocatur *voluntaria;* vel de emigratione *neceſſaria*, in quantum Princeps e. g. Catholicus ſuos ſubditos Proteſtanticos, qui nullum Religionis habent exercitium lege publica aut alio titulo legitimo ſtabilitum, etiam invitos ad emigrandum cogere poteſt, niſi Religionem in territorio dominantem amplecti velint.

Verba Pacis Religioſæ loquuntur de emigratione voluntaria. Literam Pacis Religioſæ ſi inſpiciamus, certum eſt, quod de emigratione *voluntaria* loquatur, nam ita habet: Wo aber unſere, auch der Churfürſten, Fürſten, und Stände Unterthanen, ſo der alten Religion oder Augſpurgiſchen Confeſſion anhängig, von ſolcher ihrer Religion wegen aus unſern, auch der Churfürſten, Fürſten und Stände des H. Röm. Reichs Landen, Fürſtenthümern, Städten und Flecken mit ihren Weib und Kindern an andere Ort ziehen, und ſich nieder thun wollen, denen ſolle ſolcher Ab- und Zuzug, auch Verkaufung ihrer Haab, und Güter gegen ziemlichen billigen Abtrag der Leibeigenſchaft und Nachſteur, wie es eines jeden Orts von Alters her üblich, hergebracht, und gehalten

(f) §. 60. ubi ſic legitur: Dazu wollen wir aus Kayſerlicher Macht denſelben Bürgern, und Einwohnern, ſo noch des alten Chriſtlichen Glaubens ſind, und darauf verharren, ihrer Gelegenheit nach, mit ihrem Leib, Haab, und Gütern, einen freyen Ab- und Zuzug ohne Beſchwerde einiger Nachſteur, oder Abzug ihrer Güter, und unverhindert maniglichs zugelaſſen, und bewilliget haben.

(g) Pax Relig. Art. XI. Wo aber unſere auch der Churfürſten ꝛc. Vid. Smauſii Corp. Jur. Publ. pag. 175. Struvius Corp. Jur. Pub. cap. 29. §. 31. pag. 1086.

Digitized by Google

gehalten worden, unverhindert männiglich zugelaſſen, und bewilliget, auch an ihren Ehren und Pflichten allerding unentgolten ſeyn (h).

Gravamina Proteſtanticorum contra emigrationem neceſſariam quandonam & quare propoſita.

De emigratione *neceſſaria* primum ſucceſſu temporis & probabilius poſt mortem Ferdinandi I. Proteſtantes quæſtionem juris moverunt. Nam quamvis ipſi in Comitiis Imperii de An. 1557., & de An. 1559. varia propoſuerint gravamina tam contra *Reſervatum Eccleſiaſticum*, quam contra impedimenta, quæ ipſis a Catholicis objiciebantur in reformatione bonorum Eccleſiaſticorum, attamen nondum querebantur contra Catholicos, quod ſuis ſubditis Proteſtanticis Religionis Catholicæ conſervandæ cauſa emigrationem injungant. At vero mortuo Ferdinando Proteſtantes An. 1566. Maximiliano II. libellum gravaminum valde prolixum obtulerunt, & inter alia gravamina iſtud quoque inſeruere, quod Catholici ſuos ſubditos proteſtanticos una cum uxore & liberis etiam invitos emigrare cogant, aut aliis mediis violentioribus e. g. incarceratione, privatione bonorum &c. contra eos agant, quin tamen aſſerere ſimpliciter auſi fuerint, emigrationem eſſe liberrimæ voluntatis, eamque a Principe nec urgeri nec imperari poſſe: ſed potius id unicum efflagitabant, ut Imperator in vim declarationis inſtrumento Pacis Religioſæ inſeri curaret, mitius cum ſubditis agendum, iisque, ſi emigrare deberent, terminum congruum & tempus commodum vendendi bona, ſi vellent, indulgendum, & de cætero ſecuritatem & ſalvum conductum eſſe dandum (i). Ad hæc Catholici aliud non reponebant, niſi quod, cum verba Pacis ſint clariſſima, emigratio minime in ſola ſubditorum voluntate ſit collocanda (k).

Eadem innovantur in Comitiis Ratisbonenſibus.

Gravamen iſtud de novo propoſuere Proteſtantes in Comitiis Ratisbonenſibus de An. 1575. & 1576. atque fundamentum ſui gravaminis in eo ponebant, tum quod ſubditi tales nonniſi libertatem conſcientiæ, neutiquam exercitium Religionis publicum peterent: tum quod Pax Religioſa ſit inita non modo pro conſervanda tranquillitate inter Status Imperii, ſed etiam inter ſubditos in ordine ad ſuos Dominos Territoriales (l).

Quinimo de hac quæſtione, utrum emigratio ſit *neceſſitatis*, aut *voluntatis*, jam dudum antea fuiſſe diſputatum, patet ex quatuor illi:

(h) Schmauſii Corp. Jur. publ. loc. cit.

(i) De hac ſupplica fidem facit Lehmann de Pace Rel. pag. 100.

(k) Idem pag. 111. & cum eo Excelſus Author. Compend. Hiſt. Gravam. pag. 32. 33.

(l) Excel. Author loc. cit.

dubiis de genuino ſenſu Pacis Religioſæ, quæ Camera Imperii jam Anno 1562. Comitiis Auguſtanis decidenda obtulit, inter quæ iſtud ferme eſt præcipuum: Ob auch der Catholiſchen Stände Unterthanen und Landſaſſen der Augſpurgiſchen Confeſſion anhängig dergeſtalt im aufgerichten Frieden begriffen, daß ihre Catholiſche Obrigkeit ſie bey ſolcher ihrer Evangeliſchen Confeſſion, Glauben, Landen, Herrſchaften und Gebüthen unangefochten und unausgeſchaft bleiben zu laſſen, und zu gedulten ſchuldig (m). Hæc eadem dubia ſæpius fuiſſe repetita, & denuo in pleno Senatu Anno 1582. lecta, deliberata, & ad transmittendum emendata, teſtis eſt Pfeſſingerus (n) qui, ubi de hac quæſtione agit, adducit Scriptores innumeros, qui de hac quæſtione ſcripſerunt, varia reſponſa & deciſiones, quæ in hac materia fuere datæ, Acta publica, quæ ad Pacem usque Weſtphalicam & præcipue circa tempus, quo de Pace Weſtphalica tranſigenda agebatur, emanarunt (o). Quid in Pace Weſtphalica fuerit tranſactum, ſuo loco dicemus.

Utrum emigratio ſecundum Pacem Religioſam ſit voluntaria an neceſſaria?

Hic unice quæritur, quid conformiter Paci Religioſæ dicendum, an emigratio unice ſit *voluntatis* aut etiam *neceſſitatis*. Præcipua Proteſtanticorum argumenta ex diverſis Scriptoribus collecta potiſſimum ſunt ſequentia: 1mo verba diſpoſitiva de beneficio emigrationis nullam prorſus neceſſitatem important, ſed conditionaliter loquuntur: *ſi diſcedere voluerint*, id ipſis integrum fore, nulla facta neceſſitatis mentione. 2do emigrandi beneficium in favorem Auguſtanæ Confeſſionis & ſubditorum eſt conſtitutum, proinde ad læſionem illorum extendi nequit. 3tio expreſſe cautum eſt, ut placide alter alterum in unaquaque Religione ferat, donec Chriſtiana Religionis concordia ſopiantur omnia, & componantur: und ſoll die ſtrittige Religion nicht anderſt, dann durch Chriſtliche, freundliche, friedliche Mittel, und Wege zu einhelligem Chriſtlichen Verſtand und Vergleichung gebracht werden (p). 4to Scopus & finis Pacis Religioſæ fuit, ut non inter Status Imperii duntaxat, ſed etiam inter ſubditos & eorum Magiſtratus ſit pax, concordia, tranquillitas, quies, fiducia & ſecuritas, per verba: Daß die Stände, und Unterthanen ſich beſtändiger und gewiſſer Sicherheit 2c. & paulo poſt: Solche nachdenkliche Unſicherheit aufzuheben, der Ständen, und Unterthanen Gemüther wiederum in Ruhe, und Vertrauen gegen einander

(m) Lehmann lib. 3. cap. 29. §. zum dritten.

(n) Apud Vitriar. lib. 3. Tit. 19. pag. 32.

(o) Idem loc. cit. & Struvius in Corp. Jur. Pub. cap. 29. §. 31. Vid. etiam Londorp. Tom. V. pag. 1048. & 1070. Item Tom. 6. pag. 38. Gravam. 3. & alibi.

(p) §. 15. Pac. Relig.

Digitized by Google

ander zu ſtellen (q): Sed quâ arte hæc ſecuritas, hæc tranquillitas, hæc animorum concordia abſque libera conſcientiarum libertate comparari poteſt, maxime ſi Statibus poteſtas expellendi ſubditos ſuæ Religioni adverſos indulgeatur? 5to Nunquid conſtitutio Pacis, qua Jurisdictio Epiſcopalis in conſcientias ſubditorum ſuſpenditur, tranquillati, ſecuritati, & conſcientiis eorum conſulere voluit, adeoque vim & violentiam omnem excludere videtur?

Verumenimvero hiſce obſtant graviora longe Catholicorum fundamenta, ut mirum videri debeat, quod Proteſtantes talia principia, quibus emigrationem mere *voluntariam* propugnant, adoptaverint, utpote quæ cum aliis ipſorum doctrinis difficillime combinari poſſunt. Inprimis enim ipſi Proteſtantes negare nequeunt, imo inconcuſſi inſtar dogmatis habent, quod Pax Religioſa principaliter in favorem Statuum, non vero ipſorum ſubditorum fuerit inita, & in dubio potius Statibus quam ſubditis ſit patrocinandum, prout ex §. 15., & 16. aperte colligitur, & ex infra dicendis patebit. Et quidem 2do ingens ſane favor factus eſt ſtatibus Proteſtanticis, quod tolerantia exercitii Religionis Proteſtanticæ una cum jure reformandi, ſaltem, ut ipſi prætendunt, ipſis pro ſuis territoriis fuerit ſtabilita, cum quo vix aut ne vix quidem ſtare poteſt doctrina, qua dicunt ſubditis alterius Religionis emigrationem injungi non poſſe. 3tio nullibi in inſtrumento Pacis Religioſæ legitur, quod Princeps alterius Religionis ſubditos tolerare debeat: quemadmodum ergo ante Pacem Religioſam Statibus jure Superioritatis Territorialis omnibus Magiſtratibus communi licuit ſubditos alterius Religionis e ſuo territorio expellere, ita etiam nunc id ipſum licebit. 4to opinio contraria nititur ſuppoſito hactenus nondum demonſtrato: Exiſtimant nempe *Autonomiam* ſeu libertatem conſcientiæ eſſe tranſactam, ſed hanc doctrinam utique jam ſupra eliminavimus, & ab ea petenda ex dictis Proteſtantes ipſi abſtinuere, atque in illius vicem beneficium emigrationis eflagitarunt, poſtquam Ferdinandus I. efficaciſſimam fecit declarationem, quod in Autonomiam nunquam velit & poſſit conſentire. 5to quomodo hæc concordabunt cum ſuis principiis? nam prætendunt ipſi jus reformandi ferme incircumſcriptum, & revera illud ingenti cum exceſſu exercuerunt, Epiſcopatus & Monaſteria ſæculariſarunt, Clericos e ſuis territoriis eliminarunt: & quo jure, ac fundamento? nempe fundarunt ſe in Pace Religioſa, inquientes, Pacem Religioſam principaliter in favorem Statuum eſſe initam, ſubditos in ne-

Argumenta Catholicorum pro emigratione neceſſaria.

Proteſtantes ſibi in ſuis doctrinis contradicunt.

(q) §. 13. ibid.

Digitized by Google

gotio Religionis debere ſe conformare Domino, & hujus Religionem ſequi. Et nunc Statibus Imperii denegant jus imponendi emigrationem: nunc Status Imperii etiam inviti, volentes nolentes debent tolerare exercitium ſaltem privatum alterius Religionis. Qua igitur conſcientia, quo jure ipſi jus Reformationis per ſæculariſationem Epiſcopatuum, & expulſionem Clericorum exercuere? Reſpondebunt procul dubio, quod reformaverint exercitium Religionis publicum, non privatum. At vero hanc reſponſionem eſſe petitionem principii, & ipſis incumbere probationem, quod ſubditis libertas conſcientiæ fuerit aſſerta, aliquoties inſinuavimus. 6to ille §. **Wo aber unſern ꝛc.** procul dubio loquitur de emigratione voluntaria; & hæc diſpoſitio unice in favorem ſubditorum eſt facta, & in locum Autonomiæ, quam urgebant, ſubrogata, principaliter ne ſubditi inviti detineantur, prout id Principes Proteſtantici fecerunt antea, & in libertate ſuæ conſcientiæ hoc modo impediantur: ſed utique hæc diſpoſitio eſt intelligenda cum limitatione: *ſalvis juribus tertii?* Non eſt veroſimile, quod Paciſcentes ſubditis voluerint concedere jus emigrandi, ſimulque Statibus Imperii adimere jus imperandi emigrationem. Neque unquam Catholici ſe in hoc §. fundarunt, ſed in alio longe principio, videlicet in eo, quod hoc jus habuerint ante Pacem Religioſam, neque ſibi in hac pace ademptum fuerit; aut quod illud, ſi tamen principia Proteſtanticorum adoptare velint, una cum *jure reformandi* acceperint. Similiter 6to ſuadet, monet, hortatur Pax Religioſa locis citatis, ut mitiori modo conſcientiis, tranquillitati & ſecuritati conſulatur. Verum etiam hæc diſpoſitio accipienda eſt cum grano ſalis & cum limitatione: *ſalvis juribus Principum territorialium.* Satis conſultum fuit conſcientiis ſubditorum per beneficium emigrationis. Dein, priusquam ſubditi Religionis cauſa exeſſe, & ſolum patrium purgare jubentur, mitiora adhibenda ſunt media, qualia ſunt ſalubres admonitiones, inſtructiones in principiis fidei, prædicationes verbi divini. Quod ſi hæc nihil proficiant, ferro abſciſſionis utendum eſt, ne una alterave ovis morbida totum gregem inficiat. Et quare demum Proteſtantes, etſi diverſa Religionis gravamina contra Catholicos coram Ferdinando I. propoſuerint, iſtud gravamen per longius temporis ſpatium diſſimularunt, & dum prima voce contra expulſiones ſubditorum conqueſti ſunt, id unum precati ſunt, ut ipſis longius tempus pro rebus ſuis componendis indulgeatur? De beneficio emigrationis poſt Pacem Weſtphalicam ſicuti etiam de jure transplantandi infra agetur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

De Actis præcipue in negotio Religionis a tempore Pacis Religioſæ usque ad tempus Pacis Weſtphalicæ.

§. I. *Pax Religioſa cauſa tumultuum.* II. *De gravaminibus Catholicorum, & Proteſtanticorum.* III. *Comitia, in quibus de utriusque Partis gravaminibus abolendis actum fuit.* IV. *Præcipua Gravamina, eorumque fundamenta.* V. *Jus reformandi quomodo exercuerint & uſurpaverint Proteſtantes.* VI. *Quomodo eodem uſi fuerint Catholici non contradicentibus Proteſtantibus.* VII. *De declaratione Ferdinandea.* VIII. *Quo titulo & jure Catholici jus reformandi exercere poſſint.* IX. *Jus reformandi Principum Catholicorum & Proteſtanticorum fuſius explicatur.* X. *De tolerantia Religionum.* XI. *De ſæculariſatione bonorum eccleſiaſticorum.* XII. *De Religione in terris Auſtriacis.* XIII. *De bello tricennali remiſſive.* XIV. *De Edicto Reſtitutorio.* XV. *De Pace Pragenſi.* XVI. *De Præliminaribus Pacis Weſtphalicæ.*

§. I.

Pax Religioſa cauſa tumultuum & litium.

Quod alias communius fieri conſuevit, ut Pax, quæ deberet eſſe finis tumultuum, ſit incentiva ac fomes novorum bellorum, id in Pace Religioſa accidiſſe non ſine triſti præteritorum recordatione ex hiſtoriis, actis publicis, & documentis antiquis ſcimus, & in hanc usque diem lugemus, ut merito nobis ingeminandum ſit: *Pax, & non eſt Pax.* Nondum, aut vix annus ab inita Pace Religioſa effluxerat, cum jam Catholici contra Proteſtantes, & hi ſua gravamina contra Catholicos in Comitiis publicis exhibuerunt. Et quod in his peſſimum erat, nemo ſciebat, quisnam in rebus ad religionem pertinentibus judex eſſet, & eſſe deberet. Catholici ad Concilia & Pontificum judicia; Proteſtantes ad privata colloquia, ambo aliquoties ad Comitia Imperii vel ad judicium Cameræ vel Imperatoris provocabant. Res tamen ſuſpecta ſemper fuit Proteſtantibus, quoties Catholici aut ad Cameram aut ad ipſum Imperatorem appellabant. Metuebant nempe, ne Impera-

Dubium quis judex competens in rebus Religionem ſpectantibus.

tor

tor ſtudio partium agitatus plus æquo Catholicis tanquam Religionis ſuæ conſortibus patrocinaretur. Duas hic Periodos ſtatuamus nempe ab Anno 1555., quo Pax Religioſa fuit tranſacta; & uſque ad Annum 1619., quo bellum tricennale fuit inchoatum, & ab hoc uſque ad An. 1641. quo Tractatus Pacis Weſtphalicæ ſuum ſumpſerunt initium.

§. II.

Gravamina Proteſtantium exhibet Adam Adami.

Auſpicemur a gravaminibus utriusque partis. Præcipua gravamina Proteſtanticorum, quæ in variis Comitiis nominatim annis 1541. 1556, 1566, 1576, 1582, 1613, ac demum 1641. eum in finem obtulerunt Oſnabrugæ, ut in Pace Weſtphalica illis ſatisfieret, una cum reſponſis & novis Catholicorum gravaminibus decem capitibus comprehenſa exhibet Adam Adami in ſua Relatione Hiſtorica (r), ex quibus facile colligitur, præcipua Proteſtanticorum fuiſſe contra *Reſervatum Eccleſiaſticum* tantopere ipſis odioſum, contra *emigrationem neceſſariam, & imperatam*, contra *libertatem conſcientiæ* a Catholicis jure optimo denegatam, contra inhibitiones, quibus Proteſtantes a Catholicis in ſuo jure reformandi impediebantur, contra rigorem, quo Catholici erga ſubditos Proteſtanticos uterentur, contra exceſſus, quos ipſi Catholici in ſuis reformationibus committerent, contra pluralitatem votorum in negotiis Religionis &c.

Quænam illorum præcipua gravamina.

Quænam Catholicorum.

Nec pauciora nec leviora fuere gravamina Catholicorum contra Proteſtantes, inter quæ illa facile præcipua fuerunt, quæ obmoverunt contra ſæculariſationem tot Epiſcopatuum, Eccleſiarum ac Monaſteriorum; contra jus reformandi prorſus in immenſum, & cum ingenti exceſſu extenſum, contra exturbationes Clericorum, & excluſionem eorum a ſuis beneficiis & dignitatibus, contra occupationes & invaſiones bonorum Catholicorum potiſſimum eccleſiaſticorum, contra expulſiones Catholicorum non ex iis duntaxat locis, id eſt civitatibus liberis, in quibus coexercitium Religionis vigore Pacis Religioſæ eſt tranſactum, ſed etiam ex iis, in quibus ſola viguit Religio Catholica, contra occupata & everſa templa, cœnobia, & bona Catholicorum, contra excluſionem Catholicorum ab officiis & opificiis, ab eccleſiaſtica ſepultura, adminiſtratione & participatione ſacramentorum, contra læſiones graviſſimas Jurisdictionis Epiſcopalis & eccleſiaſticæ, eo quod Confeſſioniſtæ non modo cauſas Religionem, miniſteria, ritus, & ordinationes eccleſiaſticas concernentes, reſpectu quarum

(r) Pag. mihi 112.

rum Juriſdictionem Epiſcopalem eſſe ſuſpenſam Catholici non diffitebuntur, ſed etiam promiſcue ferme omnes cæteras cauſas, quæ Religionem ne a longe quidem tangunt, ad ſua conſiſtoria & tribunalia mox ab ipſis Religioſæ Pacis primordiis conſtituta vi externa pertrahant, ſibique non ſolum ſi partes litigantes Auguſtanam Confeſſionem profiterentur, ſed frequentiſſime, etiamſi eſſent Catholici, in Civitatibus mixtis, dummodo ibidem rerum potirentur, Confeſſioniſtæ ſubjiciant. Prætereo cætera gravamina, quæ tum in reſponſo Catholicorum ad gravamina Proteſtantium Oſnabrugæ exhibita (s) tum in Actis publicis legenda proſtant.

§. III.

Priusquam gravamina tam Proteſtanticorum contra Catholicos, quam Catholicorum contra Proteſtantes, eorumque fundamenta examinemus, animadverſionibus illuſtremus pro priori Comitia, in quibus de abolendis gravaminibus actum fuit. *Proteſtantes ſua gravamina proponunt in Comitiis Ratisbon. 1556.*

Nondum annus a tempore initæ Pacis Religioſæ effluxerat, cum jam Proteſtantes in Comitiis An. 1556. Ratisbonæ celebratis contra *Reſervatum Eccleſiaſticum*, ſed fruſtraneo conatu proteſtabantur, & aliud non evincebant, niſi quod Pax Religioſa fuerit confirmata. Placuit tamen colloquium inter utriusque religionis Theologos & Clericos inſtituendum, quod mox 11. Sept. ejusdem anni inchoatum, ſed brevi ſine fructu finitum fuit.

Anno 1559. Ferdinandus iterum celebravit Comitia, in quibus utraque pars ſua denuo exhibuit gravamina. Imperator pro iis abolendis ſuaſit Concilium: conſentiebant Proteſtantes, ſed nonniſi ſub conditionibus, quas Catholici approbare non poterant. Utriusque partis gravamina exhibet Lehmannus (t). In id denique conventum, & ultimato per Receſſum Imperii concluſum, ut Tranſactio Paſſavienſis & Pax Religioſa obſervetur. *Et iterum 1559.*

Anno 1566. Auguſtæ Vindelicorum celebravit Comitia Maximilianus II., ad quæ Pontifex miſit Cardinalem Commendonum cum Proteſtatione contra Sæculariſationem & Reformationem. Proteſtantes proteſtantur contra Concilium Tridentinum, provocant ad Concilium Nationale, exhibent nova Gravamina, conqueruntur contra Albertum *Iterum Auguſtæ Vindelicorum 1566. contra Concil. Trident.*

(s) Vid. Adam Adami Relat. Hiſt. pag. 113. Edit. Francof. de An. 1707.

(t) Acta pacis Relig. lib. 2. cap. 1.

tum Ducem Bavariæ, quod Comitem de Ortenburg Religionis cauſa ſuis bonis exuerit, quod Proteſtantes in diverſis locis Coloniæ, Aquisgrani in exercitio ſuæ Religionis impediantur. Opponunt Catholici libellum gravaminibus plenum, inter quæ haud pauca contra Fridericum III. Electorem Palatinum, qui non modo Religionem Reformatorum in ſuis ditionibus civitate donavit, verum etiam Monaſteria ſæcularizavit, novum Catechiſmum in lucem edidit, & Status eccleſiaſticos graviter afflixit. Verum in his etiam Comitiis Pax Religioſa novam obtinuit confirmationem (u).

Item 1576. in Comitiis Ratisbon. Anno 1576. idem Maximilianus convocavit Comitia Ratisbonæ. Immenſus eſſe deberem, ſi gravamina omnia, potiſſimum Nobilitatis Fuldenſis & ſubditorum illius, nec non cæterorum Statuum Proteſtanticorum recenſere vellem, præcipue conquerentium, quod ſubditi in exercitio Religionis violenter impediantur, carceribus mancipentur, e provinciis, & territoriis expellantur. Longe graviora erant Gravamina Catholicorum contra reformationem Proteſtantium, ſæculariſationem Eccleſiarum, ſuppreſſionem Jurisdictionis eccleſiaſticæ, expulſionem Clericorum, excluſionem Catholicorum ab officiis publicis, ſubtractionem redituum (x). Etiam in hoc Receſſu Imperii deciſum, ut pacto Pacis Religioſæ ſtetur (y).

Ibidem 1582. contra Ducem Bavariæ & Archiepiſcopum Salisburg. Anno 1582. Auguſtæ iterum celebrantur Comitia, in quibus Proteſtantes antiqua gravamina renovarunt, & quædam nova Cameram Imperii ſpectantia appoſuerunt. Conquerebantur contra Ducem Bavariæ, & Archiepiſcopum Salisburgenſem, utpote qui ſuos ſubditos ad matrimonium non admittebant, niſi prius profeſſionem fidei deponerent, ſeque in Religione Catholica conſtanter perſeveraturos promitterent. Accedebant gravamina Deputatorum Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, qui ſe in exercitio ſuæ Religionis ab Archiduce Carolo turbari querebantur (z).

Item 1590. Annus erat 1590., cum Electores Proteſtantici Imperatori libellum gravaminibus Religionem ſpectantibus plenum obtulerunt, cui alia adhuc gravamina ad Statum politicum Imperii pertinentia appoſuerunt, ad quæ Imperator in terminis ampliſſimis & graviſſimis reſpondit. Et quoniam Reſcriptum Cæſareum Proteſtantibus non placuerat, antiquis

(u) Vid. Gundling Diſcours über den Weſtphäl. Frieden pag. mihi 40.
(x) Idem pag. 44. (y) Idem pag. 45.
(z) Vid. Lehmann. Act. Pac. Relig. Part. 2. cap. 44. usque ad 64.

Digitized by Google

quis & novis gravaminibus apud Imperatorem inſtiterunt, quin aliud impetraverint, niſi ſtandum eſſe Paci Religioſæ (a).

Et Anno 1594.

In Comitiis Imperii Ratisbonenſibus de An. 1594. recruduerunt utriusque partis gravamina, ſane ampliſſima, quæ in medium proferferre nimis longum foret. Deſuper videantur Scriptores ex profeſſo hanc materiam tractantes (b). Ex quibus videri meretur Nicol. Hieronym. Gundling, qui hæc gravamina refert in compendio (c).

Dein Ratisbonæ 1597.

Anno 1597. jam iterum Comitia Ratisbonæ fuere celebrata, & Anno 1598. finita Et quis gravamina de novo propoſita in numerum coget? Sed ſingulariter notandum, quod eo ipſo Anno 1598. Imperator Bannum imperii contra Magiſtratum & Cives Aquisgranenſes Reformatorum Religioni addictos pronuntiaverit, & Magiſtratum Catholicum cum magna ſolemnitate poſtliminio reſtituerit (d) & hoc modo novis gravaminibus campum aperuerit ampliſſimum.

Sæculo XVII duo Comitia valde notabilia ſunt celebrata.

Sæculo ſubſequente XVII. ad primordia usque belli tricennalis duo Comitia ſunt valde ſpectabilia, prima de An. 1608. in quibus ſollicitabantur ſubſidia & pecuniæ pro bello contra Turcas gerendo. Negabant Proteſtantes ſubſidia, usquedum illorum gravaminibus fuerit ſatisfactum. Conſentiebant Catholici ea ſub conditione, ut Proteſtantes illa omnia prius reſtituerent, quæ a tempore Pacis Religioſæ occuparunt. Et quoniam deſuper conveniri non poterat, decedentibus Statibus Proteſtanticis Comitia fuerunt diſſoluta (e).

Fœdus Proteſtanticorum, & liga Catholicorum.

Poſthæc & Proteſtantes, & Catholici rebus ſuis meliorem in modum conſulturi arctiori fœdere ſe uniebant, illi quidem in unionem coierunt Halæ Suevorum 1608., hi vero fœdus, quod *ligam Catholicorum* vocare ſolemus, Herbipoli inierunt. Ab hoc tempore varii alii tumultus Germaniam turbarunt, quos recenſere noſtri non eſt inſtituti.

Nova gravamina in Comitiis Ratisbon. 1613

Idcirco revertamur ad Comitia, quæ Mathias Rex Romanorum An. 1613. Ratisbonæ celebranda indixit, in quibus ferme omnia gravamina, quæ ab utraque parte usque nunc toties fuerunt propoſita, de novo proponebantur, quin eisdem abolendis medela fuerit allata. En Comitia a tempore Pacis Religioſæ, id eſt ab Anno 1555. usque ad An.

 1613

(a) Vid. Gundling loc. cit. pag. 56.
(b) Præ cæteris vero Lehmannus loc. cit.
(c) Loc. cit. cap. 2. per totum.
(d) Gundling loc. cit. §. 13. pag. 46.
(e) Vid. Goldaſt. politiſche Reichs-Händel, P. XXII. pag. 946. Londorp. Act. pub. Tom. I. pag. 37. edit. de An. 1668.

1613. celebrata, in quibus ferme unice de gravaminibus Religionum fuit actum!

§. IV.

Prætenſiones Proteſtantium.

Jam ad ipſa gravamina, eorumque fundamenta. Præterquam quod Proteſtantes contra *Reſervatum eccleſiaſticum* proteſtati fuerint, *emigrationem* a Catholicis imperatam vehementiſſime impugnaverint, ſubditis Proteſtanticis *libertatem conſcientiæ* vindicare tota contentione laboraverint, inſuper *Jus reformandi* religionem, & bona eccleſiaſtica una cum jure in ſacra quaſi incircumſcriptum prætenderunt, & revera a parte rei exercuerunt, ſicuti mox infra dicemus. De *Reſervato Eccleſiaſtico*, *emigratione voluntaria*, & *libertate conſcientiæ* in cap. præced. actum fuit, ubi argumenta Proteſtanticorum fuſe examinavimus & diluimus.

Fundamenta, ex quibus Jus reformandi & integrum jus in ſacra prætendebant.

Itaque videndum, quibus fundamentis prætenſum Illud *Jus reformandi* una *cum jure in ſacra* nitatur. Paſſim apud Proteſtantes Pax Religioſa audit baſis & fundamentum Eccleſiæ Proteſtanticæ, & Juris eccleſiaſtico-proteſtantici. Duo autem potiſſimum ſunt Paragraphi, qui illorum cauſæ patrocinantur, nempe §. 15. in quo cautum, ne Status imperii propter Confeſſionem Auguſtanam violenter moleſtentur, aut alio quocunque modo ob ſuam Religionem, ritus & ceremonias a ſe inſtitutas aut poſthac inſtituendas graventur. Alter eſt §. 20. in quo juriſdictio Epiſcoporum reſpectu ſubditorum proteſtanticorum in iis, quæ Religionem & conſcientiam attingunt, fuit ſuſpenſa. Ex §. 15. inferunt non modo *Jus Civitatis* ſuæ Eccleſiæ aſſertum, verum etiam *Jus reformandi* veluti incircumſcriptum, & hinc per modum axiomatis indubitati mox receperunt commune illud: *Cujus eſt regio, illius eſt etiam Religio.* Ex §. 20. ſibi & ſuis Principibus jam vindicant totum *Jus in ſacra* (f).

Jus reformandi difficulter eruitur ex Pace Religioſa ſed potius mera tolerantia.

Verum utrum ex §. 15. coetus Proteſtanticus *Jus Civitatis* abſolutum eruere, & Principes Jus reformandi veluti incircumſcriptum ſibi vindicare poſſint, aut potius tolerantia Religionis proteſtanticæ fuerit aſſerta, æquus rerum arbiter judicet. Inprimis enim §. 15. terminis

mere

(f) Durch den Religions-Frieden wird die Evangeliſche Gemeinde für eine rechtmäſſige Geſellſchaft erkannt, und den Evangeliſchen Fürſten wurde das ganze Jus circa ſacra, eben dasjenige Recht, welches vorher die Biſchöffe gehabt hatten, und mithin das Recht, daß der Pabſt gehabt hatte, von dem Kayſer, und dem Reich eingeraumet. Mosheim allgemeines Kirchen-Recht der Proteſtanten. pag. 554.

mere negativis eſt conceptus, nempe: *non moleſtentur*, *non graventur*, *non bello laceſſantur*. Nunquid hæc verba meram tolerantiam, non vero poſitivam approbationem Religionis Proteſtanticæ ſignificant? Idcirco usque nunc Religio Proteſtantica vocatur *tolerata*, & ipſi etiam Catholici in Pace Weſtphalica, ne Proteſtantes & Reformati ſe læſos eſſe querendi cauſam haberent, pati debuerunt, ut eorum Religio vocaretur tolerata (g): etſi impropriiſſime *tolerata* dicatur, & nunquam *tolerata* dici debuiſſet, quippe quæ antea ſemper Jus civitatis habuit, & ſola in quietiſſima ſui exercitii poſſeſſione ſtetit.

Jus reformandi proteſtanticum incircumſcriptum, quod ſe ad Catholicam Religionem debet extendere, eſt contra literam Pacis Religioſæ.

Jus autem reformandi incircumſcriptum, quod ſe extendere deberet etiam ad ſubditos Catholicos, ita quidem ut Principibus liceat Eccleſias, Monaſteria & bona eccleſiaſtica reformare, & ſæcularizare, ex citato §. 15. eo minus inferri poteſt, quod id ſit contra literam Pacis Religioſæ, & mentem Paciſcentium. *Literam* ſi inſpiciamus, inprimis in §. 15. aliud cautum non legitur, niſi quod Status Imperii propter Confeſſionem Auguſtanam, & in iis, quæ intuitu hujus Confeſſionis e. g. inſtituendo ritus & ceremonias diſpoſuerunt, aut poſthac diſponent, non impediantur, non moleſtentur. Sed utique hæc omnia unice ſunt intelligenda reſpectu ſubditorum proteſtanticorum, quatenus in poteſtate & arbitrio Statuum eſſe debet, ſuis ſubditis *NB. Proteſtanticis* præſcribere ritus & ceremonias, ſecundum quas ſuam Religionem exercere debent: & quia tam verba antecedentia, quam ſubſequentia: Auch bey ihren Haab, Gütern ligend, oder fahrend ꝛc. ruhiglich, und friedlich bleiben laſſen, unice loquuntur de ſubditis Proteſtanticis, ſane non video, quo jure propitio hæc verba de ſubditis Catholicis intelligi poſſint. Dein quomodo Proteſtantes ſuum prætenſum Jus reformandi ad Catholicorum reformationem extenſum concordabunt cum verbis eodem §. 15. mox ſequentibus: Und ſoll die ſtrittige Religion nicht anders, dann durch Chriſtliche, freundliche, friedliche Mittel, und Wege zu einhelligem Chriſtlichem Verſtand, und Vergleichung gebracht werden? Nunquid ſæculariſatio bonorum eccleſiaſticorum, expulſio Clericorum ſunt illa media mitiſſima Religiones diſſentientes componendi, uniendi, & concordandi? Exprobrarunt Proteſtantes Catholicis, quod ſubditis proteſtanticis emigrationem imperaverint, an non longe juſtiorem conquerendi cauſam habent Catholici, quod Proteſtantes ſuum prætenſum Jus reformandi cum ingenti exceſſu contra Catholicos extenderint, illorum bona invaſerint, integras communitates ſa-

(g) Pac. Weſtph. Art. 5.

Digitized by Google

cras ſuis reditibus privaverint, & ſibi appropriaverint, aut in alios uſus impenderint? Profectò ex terminis negativis: *non moleſtentur*, *non impediantur*, *non graventur*, velle inferre Jus reformandi illimitatum, exceſſum dicit, & eſt contra regulas bonæ interpretationis.

Eſt etiam contra mentem. Multo magis hæc interpretatio eſt *contra mentem paciſcentium.* Quis enim ſibi perſuadeat, quod Catholici, qui Religionem proteſtanticam nunquam tanquam veram agnoverunt, & nonniſi tolerantiam ſtipulati ſunt, ac in Pace Religioſa inter alia id præcipue conqueſti ſunt, quod Proteſtantes tot bona eccleſiaſtica ſæcularizaverint, & ea ſibi reſtitui poſtularint, etſi parum obtinuerint, jam in Jus reformandi, & ſæcularizandi bona eccleſiaſtica irreſtrictum contra principia ſuæ Religionis, & cum ſummo ſuæ Eccleſiæ præjudicio conſentire voluerint? Id ſane nemo, ut opinor, ſomniaverit.

Abuſus Juris circa ſacra. *Jus circa ſacra*, quod ſibi ex Pace Religioſa & cit. §. 20., in quo juriſdictio eccleſiaſtica quoad ea, quæ Religionem & conſcientiam tangunt, ſuſpenſa legitur, ſibi vindicant, illudque vel ad ſe devolutum, aut potius ſuo cœtui reſtitutum (h), & poſtea in ſuos Principes translatum aſſerunt, haud impugnamus, ſed contra abuſum juſte conqueſti ſunt Catholici, eoquod Proteſtantes non cauſas duntaxat Religionis, ſed etiam cæteras ferme omnes ad ſua conſiſtoria traxerint, ſibique ſubjecerint.

§. V.

Jus reformandi ingenti cum exceſſu a Proteſtantibus exercetur. Videamus de ipſo exercitio *Juris Reformandi* ex ſuperioritate territoriali & Pace Religioſa a Proteſtantibus prætenſi. Tam parum hæc pax *Juri reformandi* antea nullo prorſus titulo munito, niſi praxin eorum in vim tituli aſſumere velimus, limites ponere potuit, ut quod antea ex nullo titulo legitimo a lege publica approbato prætendere poterant Proteſtantes, jam ſe ex lege publica & titulo *Superioritatis territorialis* in Pace Religioſa corroborato ſe facere poſſe prætenderent. Hinc nihil tam ſacrum, nihil tam ſanctum erat in Eccleſia Catholica, quod non in melius reformare tentabant, & jure a ſe reformari poſſe prætendebant. Itaque libere occupabant Epiſcopatus, Collegia & Monaſteria, eorum bona & appertinentias ſæcularizabant, & ad alios uſus pro libitu applicabant nil proficientibus in contrarium proteſtationibus & querelis a Catholica communione aſſidue propoſitis ac repetitis, ſpeciatim

(h) Vid. Tom. IV. Quæſt. I. de Statu Eccleſiæ, ubi de juribus collegialibus cœtus Proteſt. fuſe agemus.

Digitized by Google

tim in Comitiis Auguſtanis 20. Jun. 1559. ubi illud memorabile expoſuerunt Status Catholici, eousque progreſſas eſſe invaſiones Proteſtantium, ut totam Catholicam Religionem in Germania evertere velle viderentur, atque hanc voluntatem ex ſeparatis illorum Receſſibus, quos crebris in coitionibus ſuis condiderunt, ac præcipue ex nuperrimo Wormatienſi colloquio perſpicue apparere; atque hoc verum eſſe ex ipſo Proteſtantium Statuum gravamine 6to aperte conſtare, utpote in quo queſti ſunt, quod a reformatione Collegiorum & Monaſteriorum per decreta Cameræ & aliunde impedirentur (i). In hujus argumenti corroborationem ex Adam Adami Relatione Hiſtorica (k) recenſere liceat Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Monaſteria a Proteſtantibus occupatos, qui ſunt ſequentes, nempe Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, Bremenſis, Rigenſis in Livonia; Epiſcopatus Merſeburgenſis, Miſnenſis, Naumburgicus, Brandenburgicus, Havelbergenſis, Lebuſienſis, Slesvicenſis, Caminenſis, Suerinenſis, Raceburgicus, Lübeckenſis, Halberſtadienſis, Verdenſis, Oſnabrugicus, Mindenſis; Abbatiæ immediatæ ſive Monaſteria imperialia Hirſchfeld, Walckenried, Maulbron, Königsbron, Salfeld, Waldſachſen, Quedlinburg, Herforden, Geringroda &c. *Omnes iſtos Archiepiſcopatus, Epiſcopatus & Prælaturas cum ampliſſima in ſubditorum res & perſonas juris dicendi, Religionis, vitæ & necis facultate*, inquit citatus Adami, *occuparunt Proteſtantes: Mediatæ vero Eccleſiæ, Cœnobia, Monaſteria, templa, fundationes piæ poſt Paſſavicam tranſactionem a Proteſtantibus occupata, reformata, converſa, dejecta numerari non poſſunt.* Exempla ſpecifica eaque prorſus horribilia ſi quis ſcire velit, adeat citatum Authorem Anoymum *Defenſionis Jurium* (l).

Epiſcopatus ſæcularizati recenſentur.

§. VI.

Cum Proteſtantibus optime perſpecta eſſet regula juris: ***quod quis juris in alterum ſtatuit, eodem & ipſe utatur***, & minime ignorarent, idem in Pace Religioſa §. 16. eſſe diſpoſitum de Catholicis, quod de ipſis in §. 15., ex quo *Jus reformandi* derivabant, non audebant Catholicis *Jus reformandi* denegare, id quod eo facilius concedere poterant, quod *Jus reformandi* ſibi longe eſſet favorabilius, quam Catholicis: nam eo ævo inter omnes Principes ſæculares Imperii non niſi duo erant Religioni Catholicæ addicti, videlicet Archidux Auſtriæ, & Dux Bavariæ

Proteſtantes Catholicis Jus reformandi non denegarunt, & quare?

(i) Author Defenſionis jurium Status Eccleſ. Part. II. pag. 73.
(k) Fol. mihi 9.
(l) Loc. cit.

Digitized by Google

Bavariæ, qui aliunde in ſuis territoriis nullum Religionis proteſtanticæ exercitium tolerabant, & ita occaſionem exercendi Juris reformandi nullam vel exiguam cauſam habebant, videlicet pro caſu, quo quidam ſubditorum relicta avita Religione ad caſtra Proteſtantium tranſituri eſſent. Cæteri omnes Principes ſæculares Auguſtanæ Confeſſioni jam antea ſuum nomen dederunt. Et quoniam in eorum territoriis plerisque adhuc magna ex parte vigebat Religio Catholica, ac proin ibidem ſita erant Monaſteria, Epiſcopatus, & Eccleſiæ pinguiſſimæ, habebant ſane campum ampliſſimum reformandi, ſæcularizandi, ſibique bona eccleſiaſtica ampliſſima appropriandi. Et licet plures eſſent Principes eccleſiaſtici, in quorum territoriis viguit exercitium Confeſſionis Auguſtanæ, haud tamen adeo de Reformatione ab illis inſtituenda ſibi metuebant, tum quod ſperarent, Epiſcopos mediis violentioribus haud uſuros contra ſuos ſubditos Proteſtanticos, ſed potius pacifice toleraturos illorum exercitium Religionis, utpote quod ſpem ſibi certam facerent, illos ad avitam Religionem reverſuros, tum quod crederent, præfatis Epiſcopis tantum virium non eſſe, ut cum fructu grande Reformationis opus in ſe ſuſcipere poſſint.

Catholici Jus reformandi exercuerunt ſed modeſte.

Itaque haud ſecus Catholici quam Proteſtantes ſucceſſu temporis *Jure reformandi*, ſed prorſus moderate, innocenter, & modeſte uti cœperunt: neque alio medio uſi ſunt, niſi quod tales ſubditos ex ſuis territoriis emigrare, & exeſſe juſſerint, aut aliquoties ob alia delicta carceri mancipaverint. Profecto non legimus, quod Principes Catholici bona Proteſtantium invaſerint, ea occupaverint, violenter ſibi appropriaverint, omnia templa illorum profanaverint, ipſorum Paſtores peſſime habuerint, & violenter ejecerint. Demus hujus rei exempla.

Exempla reformationis Catholicorum in Provincia Salisburgenſi.

Jam Anno 1557. in Provincia Salisburgenſi, in qua pridem antea ſecta Huſſitarum & Wicleffiſtarum invaluerat (m), ſubditi quidam exercitium Religionis proteſtanticæ, ac in ſpecie uſum calicis prætendebant, quos proin Archiepiſcopus data facultate ſua bona divendendi emigrare juſſerat, quin alio medio violentiori contra ipſos animadverterit. Id quod exinde conſtat, quod emigrantes illi aliud gravamen in Comitiis, ad quæ provocaverunt, non exhibuerint, niſi quod terminus nimis anguſtus pro diſtrahendis bonis fuerit conceſſus. Haud longe poſt id eſt Anno 1588. Wolfgangus Theodoricus exercitium Religionis in Provincia reformavit, & ſubditos Proteſtanticos aut Religionem Catholicam

(m) Vid. Author der vollkommenen Emigrations-Geſchichte. Item infra Quæſt. IV. de prærogativis Eccleſiæ Salisburg.

tholicam amplecti, aut emigrare juſſerat. Idem in Diœceſi Herbipolenſi factum eſſe legimus (n). Similiter Elector Moguntinus, & Abbas Fuldenſis in ſuis territoriis in Eychsfeld, & in ditione Fuldenſi exercitium Landſaſſorum reformabant. Tria inter cætera valde ſpectabilia Reformationis exempla proſtant, unum in Marchionatu Baaden-Baadenſi, in quo Succeſſor Philiberti Marchionis abolito exercitio Religionis Proteſtanticæ Religionem Catholicam introduxit; alterum de Anno 1627. quo Dux Palatinus Wolfgangus Wilhelmus Catholicæ Religionis exercitium introduxit; tertium pariter de Anno 1627. ubi Maximilianus I. Dux Bavariæ, poſtquam a Ferdinando II. per contractum legitimum ſuperiorem Palatinatum jure proprietario accepit, Religionis exercitium reformare cœpit.

Herbipolenſi, Moguntina & Fuldenſi.

In utroque Palatinatu.

Sed quid ad hæc Proteſtantes? Non legimus, quod ab initio contra uſum *juris reformandi* a Catholicis exercitum fuerint proteſtati: neque profecto proteſtari potuerunt, niſi ſibi graviſſimum afferre præjudicium vellent. Nam quia ipſi ſibi jus iſtud vindicarunt, illudque liberrime exercuerunt, & minime ignorarunt, idem eſſe diſpoſitum in Pace Religioſa de Catholicis, quod de ipſis, ſane peſſime rebus ſuis per contradictionem conſuluiſſent, atque Catholicis occaſionem præbuiſſent jure retorſionis ipſis interdicendi jus poſthac reformandi cum tali & tanto exceſſu ab ipſis uſurpatum. Æquo igitur animo ſuſtinuere Proteſtantes has reformationes publicas Principum ſæcularium. Contra Reformationem Baadenſem aliud non objiciebant, prætérquam quod in locum Paſtorum proteſtanticorum Patres S. J. fuerint ſuffecti, & hac ratione populo ſui Doctores ſubtracti. Reformationes Palatinas quoque ex alio capite, & quidem primum poſt longum tempus non impugnabant, niſi quod ſubditi Proteſtantici & Reformati in exercitio ſuæ Religionis per pacta ſibi ſtabilito turbentur, impediantur, eoque priventur. Duo nihilominus erant, in quibus ſe gravatos, & graviſſime læſos exiſtimabant. Et inprimis in eo, quod in locis, in quibus Catholici reformationem ſuſceperunt, ſubditis non publicum duntaxat Religionis exercitium, ſed etiam *libertas conſcientiæ* adimeretur, hique paſſim, & nonnunquam ſatis violenter emigrare juberentur. Alterum erat, quod in quibusdam territoriis Principum eccleſiaſticorum e. g. ab Electore Moguntino in Eychsfeld, ab Abbate Fuldenſi in diſtrictu Fuldenſi ſubditis Proteſtanticis exercitium Religionis publi-

Contra jus reformandi Catholicorum Proteſtantes non fuere proteſtati, nec potuerunt proteſtari.

Quid contra Reformationes objecerint?

(n) Gundling loc. cit. pag. 55.

Illorum prætenſiones. publicum contra ſua jura in lege fundamentali ſtabilita denegetur. Itaque Proteſtantes duo prætendebant, nempe libertatem conſcientiæ pro omnibus ſuæ Religioni addictis, abſque eo, quod *emigratio neceſſaria* imponi valeat; exercitium vero publicum ſolummodo pro aliquibus, illis ſcilicet, qui ſub Principibus quibuſdam Catholicis degebant. *Libertatem conſcientiæ* pro omnibus prætenſam in Pace Religioſa; exercitium vero publicum pro quibuſdam in *declaratione Ferdinandea* fundabant. De *libertate conſcientiæ* in antecedentibus dictum fuit, quod illam Ferdinandus conſtantiſſime denegaverit: de *declaratione* illa *Ferdinandea* paucis admodum cognita ſingulariter agendum, de qua præter Lehmannum (o) nemo melius egit, quam author excelſus in ſuis opuſculis (p).

§. VII.

Hiſtoria declarationis ferdinandeæ. Juvat hiſtoriam hujus *Declarationis Ferdinandeæ* accuratius ex opuſculis Authoris excelſi, Adam Adami, Lehmanni, & Actis Pacis Weſtphalicæ Meyerianis contexere, cujus jam a tempore Pacis Weſtphalicæ rariſſima apud Scriptores & Publiciſtas fit mentio, eoquod ipſi Proteſtantes, etſi a tempore Pacis Religioſæ ac in ipſis tractatibus Pacis Weſtphalicæ ad illam haud raro provocaverint, & in ea tolerantiam exercitii publico-proteſtantici in ditionibus quorumdam Principum eccleſiaſticorum fundaverint, ab illa ob continuas Catholicorum contradictiones abſtrahendum, quin eam ſupprimendam, & in illius locum aliud longe gravius fundamentum ſuorum gravaminum ſubſtituendum eſſe duxerint.

Ad hanc usque ad Pacem Weſtphalicam paſſim provocarunt Proteſtantes.

Quomodo illam impetraverint? Referunt ergo (q), quod Status Proteſtantici, priusquam Pax publica promulgaretur, Ferdinando Regi nomine Caroli V. Comitiis auguſtanis præſidenti ſupplicaverint, quatenus pro pace magis magisque firmanda in gratiam ſubditorum Proteſtanticorum, quorum aliunde in Pace Religioſa exiguus eſſet favor, illorum ſaltem, qui ſub Principibus eccleſiaſticis ante annum 1555. *longo uſu* publicum Religionis exercitium obtinuerant, declarare vellet, iſtud exercitium reformari non poſſe. Super hac re Ferdinandus conferebat cum Catholicis, qui contra ſimilem declarationem continuo proteſtabantur, ultimato tamen

(o) De Act. Pac. Relig. pag. 130.

(p) Vid. Compend. Hiſt. Gravam. pag. 47.

(q) Auther. Excel. loc. cit.

Digitized by Google

men voluntati Ferdinandi ſe ſubmittebant dantes facultatem ſtatuendi, quidquid libuerit. Quo facto declarationem petito Statuum Proteſtanticorum conformem, cujus formalia refert Lehmanus (r) feciſſe aſſerunt 24 Septembris ipſa vigilia promulgandæ Pacis.

Etſi vero Proteſtantes anno 1559. vivo adhuc Ferdinando, & poſtmodum anno 1566. Maximiliano II. varia gravamina exercitium tam publicum, quam privatum, id eſt *libertatem conſcientiæ* & *emigrationem voluntariam* concernentia in Comitiis exhibuerint, nullibi tamen ſua gravamina in hac prætenſa declaratione, ſed potius in ipſa Pace Religioſa fundarunt, donec tandem an. 1576. ad eam provocaverint, ſupplicantes Imperatori, ut eam confirmaret, paucis verbis receſſui Imperii insereret, ac Cameræ Imperiali inſtar regulæ in ferendis ſententiis obſervandæ præſcriberet (s).

Vivo Ferdinando ad illam non provocarunt.

Porro autem, quia hujus declarationis nemo habebat notitiam, non ipſe Imperator Maximilianus Ferdinandi filius, non Principes Catholici, quorum quidam Legati Paci Religioſæ præſentes adhuc degebant, nullum quoque illius veſtigium extabat in ullo Archivio aut Cancellaria, aut actis publicis, & nunquam ad illam vivo adhuc Ferdinando fuit provocatum, licet occaſionem & cauſam ad illam provocandi Proteſtantes habuerint graviſſimam, efficere non potuerunt, ut hæc declaratio receſſui insereretur, utpote contra quam miris modis ſemper proteſtabantur Catholici, quidquid Proteſtantes ſed irrito conatu oppoſuerint.

Hæc declaratio omnibus erat incognita.

Neque receſſibus inſerta.

Ab illo tempore non ceſſarunt Proteſtantes in Comitiis publicis de an. 1594. 1598. & an. 1613., a quo tempore comitia nulla per annos 30. fuerunt celebrata, ad hanc declarationem appellare, proram puppimque ſuorum gravaminum contra *emigrationem neceſſariam* & præcipue contra Principum eccleſiaſticorum reformationem in ea collocare: quin etiam in tractatibus Pacis Weſtphalicæ ad eam provocaſſe legimus, donec ab ea propter contradictiones Catholicorum ſtudioſe abſtinendum eſſe cenſuerint, & aliud medium obtinendi exercitium publicum excogitaverint, prout ſuo loco dicetur (t).

Ad illam Proteſtantes ab an. 1594. usque ad concluſionem Pacis Weſtphalicæ provocarunt.

In hac declaratione Ferdinandea tria notatu digna ſunt: 1mo quod loquatur unice de ſubditis proteſtanticis Statuum Catholicorum eccle-

Tria in hac declaratione notatu digna.

Yy 2

(r) Loc. cit. pag. 130.
(s) Lehmann lib. 2. cap. 16. pag. 128.
(t) Hæc ita ſe habere fatetur ipſe David Struben entdeckte Verdrehung, pag. 6. & 7.

Digitized by Google

eccleſiaſticorum, quales erant Moguntinus, Fuldenſis, Mindenſis, Oſnabrugenſis, Halberſtadienſis, Hildeſienſis, Monaſterienſis, Paderbornenſis, non vero Statuum Catholicorum ſæcularium, quia tunc temporis nulli in illorum territoriis erant Proteſtantes exercitium Religionis publicum habentes. 2do Quod Proteſtantes illam primum poſt obitum Ferdinandi 1576. in lucem publicam produxerint. 3tio Quod eam Catholici omnes ignoraverint, eidem conſtanter contradixerint, & demum ipſi Proteſtantes illam ſuo modo ſuppreſſerint. Unde jam mirum non eſt, quod Scriptores Proteſtantici a tempore Pacis Weſtphalicæ altum de hac declaratione Ferdinandea ſileant, illiusque mentionem non amplius faciant.

§. VIII.

Quo jure & titulo Catholici jus reformandi ſuis principiis contrarium prætendere & exercere potuerint?

Quoniam jam hic de exercitio Juris Reformandi Catholicorum egimus, haud abs re quæritur, quo titulo & jure Catholici jus reformandi prætendere, & exercere potuerint, utpote qui contra illud ſemper proteſtati ſunt, illudque nunquam tanquam legitimum agnoverunt, neque ex principiis ſuæ religionis veluti legitimum agnoſcere poſſunt, quippe quod illud Eccleſiæ & illius Præſulibus ex jure divino competere aſſerant, quos Chriſtus *poſuit regere Eccleſiam Dei* (u).

Aliud hi ſibi vindicant jus reformandi, ac Proteſtantes.

Ita eſt, libere fatemur, quod Catholici ſemper proteſtati fuerint, in hodiernam usque diem proteſtentur, & ex principiis ſuæ Religionis proteſtari debeant contra jus reformandi tale, quale ſibi vendicant Proteſtantes, videlicet reformandi Religionem Catholicam: vel enim reformatio conſiſtit in abrogatione Religionis Catholicæ & ſubſtitutione Proteſtanticæ, vel in abolitione abuſuum, & inſtitutione rituum ac ceremoniarum? profecto quia Catholici ſolam Religionem Catholicam tanquam legitimam & veram reverentur, & Proteſtanticam veluti falſam reiiciunt, illius abolendæ, huius vero in locum alterius ſubſtituendæ jus nec ſibi nec alteri ſalvis juris naturalis principiis ſtipulari potuerunt. Jus autem abrogandi abuſus, inſtituendi ritus, abrogandi ceremonias ſibi vindicare nequeunt Principes Catholici, quod illud ad Eccleſiæ Præſules pertinere optime perſpectum habeant.

§. IX.

Genuinus juris reformandi conceptus explicatur.

Nodum hunc ut ex integro diſſolvamus, neceſſe eſt, ut *jus reformandi* ex ipſis naturæ, Religionis, & legum fundamentalium principiis,

(u) Act. 20. v. 28.

Digitized by Google

piis, prout tam a Proteſtanticis, quam Catholicis accipitur & exercetur, explicemus, aut potius illius genuinum conceptum elucidemus. In hoc conceptu explicando mirum in modum deſudant authores, ut tot ferme ſint ſententiæ, quot capita, prout videre eſt in authoribus, qui ex profeſſo de jure Reformandi agunt. Author excelſus in ſuo impreſſo, quod inſcribitur: Grund-Riß des ſogenannten Juris Reformandi, plurimas Proteſtanticorum opiniones recenſet, ac refellit (x), quorum plerique, licet in *modo explicandi circa objectum* huius juris non conveniant, dum quidam illud veluti appendicem *juris in ſacra*, alii tanquam *jus ſeparatum*, diſtinctum, & omnino politicum agnoſcunt, in eo nihilominus conveniunt, quod illud ex *ſuperioritate territoriali* & communi illo recepto principio: *cujus eſt regio, illius eſt etiam Religio*, derivare conſueverint, atque ex hoc principio ſemel aſſumpto præcipuum Reformationis caput in ſæcularizandis Monaſteriis, Eccleſiis, Epiſcopatibus, & bonis eccleſiaſticis collocarint. Aliter ſi hodierni Doctores ſcribant, & doceant, agunt contra ſpiritum ſuorum Anteceſſorum, qui a tempore Pacis Religioſæ usque ad tractatus Pacis Weſtphalicæ, ac in his ipſis tractatibus pro fundamento Reformationis allegarunt jurisdictionem territorialem, quidquid contradixerint Catholici, qui jus illud reformandi ex ſuperioritate territoriali a Proteſtantibus depromptum & ingenti cum exceſſu exercitum, ſemper impugnarunt, atque ex parte Proteſtantium unice ad Pacem Religioſam (quæ ſolummodo ſecuritati conſulere voluit: *non moleſtentur, non graventur*) tanquam normam eſſe reſpiciendum duxerunt (y).

In quo explicando variant authores.

Ex ſuperioritate territoriali communius derivatur.

Et quomodo ſalvis ſuæ Religionis principiis Catholici in vim regulæ & normæ in ordine ad ſtabiliendum jus reformandi non qualecunque, ſed tale, quale uſurpant Proteſtantes, ſuperioritatem territorialem agnoſcere potuerunt? utpote quibus ſua Religio dictat, quod regimen eccleſiaſticum, reformatio Religionis quoad abuſus Religionem

Aliud fundamentum juris reformandi allegant Catholici.

Yy 3 con-

(x) Art. 1. & ſeq.

(y) Vid. Grund-Riß, pag. 75. 76. &c. Ubi reſponſum Catholicorum ad gravamina Proteſtantium, in quibus Jus reformandi ex jure territoriali deducunt, legitur in hunc modum: daß von dem Jure ſuperioritatis ad jus introducendæ Religionis über, und wider den ausdrucklichen Inhalt des Religion-Friedens, als welcher pro norma & regula fürnemlich zu halten, kein bündiges Argument könne gezogen werden. Nemlich das Jus ſolum ſuperioritatis ſeye keineswegs die Regel introducendæ Religionis, ſondern der Religions-Frieden ꝛc.

Digitized by Google

concernentes, quoad introductionem rituum, ac ceremoniarum ad Epiſcopos ex jure divino pertineat. Equidem vindicant ſibi Principes etiam Catholici jus reformandi, ſed longe aliud, innocuum, principiis ſuæ Religionis, Paci Religioſæ, & Weſtphalicæ conforme, prout mox explicabimus. Illuſtris de Barthel quoque de jure reformandi agit, illudque dividit in *antiquum*, & *novum*: illud ex ordinatione divina, iſtud ex Pace Religioſa derivat (z). Quoad *antiquum* cum celeberrimo authore convenimus; quoad novum in nonnullis diſſentimus. Et quis Scriptores Proteſtanticos de jure reformandi ſcribentes, eorumque diverſas opiniones in numerum coget?

Duplex jus reformandi ex mente Barthelii.

Quemadmodum ergo cœteris Scriptoribus, ita etiam nobis licebit opinionem noſtram fortaſſis ſingularem in hac materia exponere. Itaque exiſtimamus, quod *jus reformandi* poſſit accipi quadruplici modo: 1mo prout eſt in ſe, & ſecundum conceptum, quem habet ex natura rei, & etymologia nominis. 2do In ordine ad Religionem veluti in genere & principia Religionis cujuscunque. 3tio In ordine ad Pacem Religioſam, & ſecundum conceptum, quem habet ex litera Pacis, & mente paciſcentium. 4to reſpective ad principia Religionis tam Catholicæ quam Proteſtanticæ, nempe in eo ſenſu, in quo illud ſumunt, & ſumere debent æque Catholici ac Proteſtantici.

Jus reformandi quadruplici modo accipitur.

Reformare ex etymologia nominis, natura rei, & communi hominum æſtimatione nihil aliud ſignificat, quam corrigere, in melius emendare, exceſſus, defectus & abuſus tollere. Et quoniam id multiplici modo fieri poteſt, vel abuſus ſimpliciter tollendo, vel ea, quæ corrupta ſunt in melius emendando, vel ea, quæ reformationem impediunt, aut novis abuſibus occaſionem præbent, removendo, aperte conſequitur, quod jus reformandi ſit jus ſane ampliſſimum, & ea omnia, ſine quibus jus reformandi commode, utiliter, & cum effectu exerceri non poteſt, adeoque jus corrigendi, emendandi, mutandi, alterandi, novas leges faciendi, media ad reformationem perficiendam ſeligendi, impedimenta, & contraria omnia removendi involvat. Interim nihil impedit, quo minus jus iſtud certis pactis, & legibus reſtringatur: quemadmodum id in Germania in materia Religionis ex Pace Weſtphalica obtinere fatentur, & fateri debent omnes, utpote in qua jus reformandi ad annum normalem eſſe reſtrictum legimus (a). Quare jure optimo *jus reformandi* aliud poteſt dici *univerſale*,

Quid ex etymologia nominis ſignificet reformare.

Jus reformandi eſt jus ampliſſimum.

Poteſt per leges & pacta reſtringi.

Aliud univerſale, aliud ſpeciale.

(z) Opuſc. 2. & 3. de Jure refor. antiq. & novo.

(a) Art. 5. Pac. Weſtph. §. 31.

Digitized by Google

le, & aliud *ſpeciale*: illud ea omnia includit, quæ ad reformationem neceſſaria vel utilia eſſe poſſunt; iſtud per leges fundamentales, pacta & transactiones ad certos limites eſt reſtrictum, & nonniſi certis & determinatis modis exerceri poteſt.

Altero modo ſpectatur *jus reformandi* in ordine ad Religionem, in quantum ea exercetur ab hominibus in ſocietatem quamdam cultus divini certo modo peragendi cauſa confluentibus. Ut vero in ſocietate ſacra, quam ſolemus vocare Eccleſiam, rite de jure reformandi diſcurratur, ad prima Religionis principia, ad inſtitutionem, leges fundamentales, & ipſum Syſtema Eccleſiæ eſt reſpiciendum, & ante omnia videndum, cuinam Deus, qui eſt author Religionis, regimen, inſpectionem, ordinationem in hac Eccleſia in iis, quæ ad Religionem pertinent, demandaverit. Hinc apud Catholicos in ſua Eccleſia, quam veluti Rempublicam ſuſpiciunt, *jus reformandi* quoad ea, quæ ſunt Religionis, eſt penes Eccleſiæ Præſules; apud Proteſtantes vero, qui ſuam Eccleſiam inſtar ſocietatis æqualis habent, vel penes Principes duntaxat, in illorum doctrina nempe, qui inter jura *Majeſtatica* & *collegialia* non diſtinquunt; vel partim penes Principes, & partim penes ipſam Eccleſiam apud illos, qui *ſyſtema collegiale* recipiunt. *Jus reformandi ſpectatur in ordine ad Religionem.*

Poſtea videndum, in quo ex principiis Religionis, & legibus Eccleſiæ tam fundamentalibus, quam particularibus *jus reformandi* conſiſtat, & quonamusque ſe extendat. Quemadmodum enim in Republica quacunque leges fundamentales, quas abrogare non licet, ſunt menſura jurium Principi competentium, ita etiam in Eccleſia *jus reformandi* illiusque extenſio ex legibus fundamentalibus determinari debet. Ex hoc dein ſequitur, quod leges fundamentales Religionis & Eccleſiæ, quas Deus ipſe poſuit, abrogari aut reformari nequeant, atque adeo *jus reformandi* nonniſi ad ea ſe extendat, quæ ſunt adiaphora, & arbitrio ac poteſtati eorum, quibus curam Religionis & regimen Eccleſiæ commiſit Deus, ſunt demandata. *Ad leges fundamentales Religionis & Eccleſiæ in explicando jure reformandi attendendum.*

Et quoniam ferme omnis Religio non quidem ex natura rei, jure naturæ vel divino, ſed ex rerum circumſtantiis (b) dicit habitudinem ad Rempublicam politicam, in qua illius viget exercitium, & non raro contingere ſolet, ut in eadem Republica diverſæ in principiis, doctrinis, & legibus fundamentalibus ſibi invicem prorſus contrariæ Religiones ſuum habeant exercitium (c), in explicando *jure refor-*

(b) Non enim implicat, quo minus ſtet Religio extra rempublicam.
(c) E. g. in Germania.

Digitized by Google

Item ad Rempublicam & quare?

Jus reformandi neceſſario eſt concedendum Principibus, & quare?

reformandi neceſſario habenda eſt ratio tum Reipublicæ, & Principum in ea imperantium, tum diverſarum Religionum jus civitatis habentium aut ſaltem toleratarum. *Reipublicæ* quidem: cum enim Religio ſit vinculum Reipublicæ, & inter Eccleſiam ac Imperium nexus ſit individuus, in reformanda Religione neceſſario attendendum ad abuſus Reipublicæ nocivos, atque in id connitendum, ut antiqui aboleantur, novi autem ſolicite præcaveantur. *Imperantium* vero, qui præterquam quod ſint Advocati & defenſores Eccleſiæ & Religionis, quam profitentur, & jure Advocatiæ eam defendere, tueri, ſartam tectamque conſervare teneantur, etiam qua Principes in id incumbere debent, ne Religio vel propria, cui ſunt addicti, vel tolerantia diverſarum Religionum tam Religioni dominanti ipſius Principis, quam Reipublicæ per ſuos abuſus evadat nociva, id quod aliter vix fieri non poteſt, niſi in ipſis imperantibus *jus* quoddam *reformandi* innocuum, juri divino, & eccleſiaſtico neutiquam contrarium, juribus Eccleſiæ minime præjudicioſum, in ipſo jure naturæ fundatum ſuſpiciamus, mediante quo ea in ſua civitate ex obligatione Religionis reformare debent, quæ Religioni eſſe nociva poſſunt; ea vero, quæ ex determinatione cultus divini, & ſub prætextu Religionis in Reipublicæ detrimentum vergere poſſunt, prævertere ac impedire tenentur: ut adeo duplex *jus reformandi* ſtatuendum eſſe videatur, unum eccleſiaſticum dictum, quod competit iis, quibus a jure divino eſt conceſſum vel ſine, vel cum habitudine & reſpectu ad Rempublicam & Religiones diverſas e. g. in Eccleſia Catholica Præſulibus Catholicis; alterum quod competit Imperantibus ex ipſa habitudine Religionis ad Rempublicam, & exercitium diverſarum Religionum, quod vocare liceat *Politicum*.

Jus reformandi Principibus proprium explicatur.

Dupliciter poteſt conſiderari.

Ne vero hæc cuidam parodoxa videantur, ſi Principibus ſæcularibus *jus reformandi* more Proteſtantium attribuamus, utrumque *jus reformandi*, & quid ſit & quando & quomodo competat, explicemus neceſſe eſt. Quemadmodum ergo ipſa Religio poteſt dupliciter conſiderari, vel prout per ſe ſtat citra reſpectum ad Rempublicam, & diverſas Religiones; vel prout ſtat cum alia Religione in ſuis doctrinis & legibus fundamentalibus eſſentialiter diverſa, & in eadem Republica politica, cui eſt innexa non quidem per modum ſimplicis collegii, uti volunt Proteſtantes, ſed per modum Reipublicæ ſacræ cum politica in certis juribus communicantis, ſimul tamen ſpecialia jura habentis (d), ita etiam *jus reformandi* Religionem poteſt accipi vel reſpective

(d) Id ſane fieri poſſe atque Statum in Statu non implicare infra oſtendemus, & conſtat *ex Syſtemate Civitatum.*

Digitized by Google

ſpective ad Religionem duntaxat, citra omnem reſpectum ſive ad Religionem diverſam ſive ad Rempublicam, vel cum hujusmodi reſpectu & habitudine. Si primum: *jus reformandi* privative vindicandum eſt illis, quibus id a Deo tanquam authore Religionis & Eccleſiæ conceſſum eſſe legitur. Si ſecundum: in participium juris reformandi ex principiis juris naturæ, ita exigente bono non Reipublicæ politicæ duntaxat, ſed etiam ipſius Religionis & Eccleſiæ, admittendi ſunt etiam Principes Reipublicæ, ne videlicet Religio, quæ debet eſſe vinculum Reipublicæ, vergat in illius præjudicium, & cum Republica corruat Religio, niſi authoritate Principis ſuſtentetur, & ea, quæ Religioni contraria ſunt, removeantur.

Quid ſit jus reformandi in genere?

Jam ipſum *jus reformandi* Religionem explicemus, neceſſe eſt. Atque hic eſt ille nodus Gordius, in quo diſſolvendo usque nunc tantopere deſudarunt æque Catholici, atque Proteſtantes, prout ſupra animadvertimus. Quid ergo eſt jus reformandi religionem? quærimus cum doctiſſimo Pfaffio (e). In promptu eſt reſponſio ex dictis de jure reformandi in genere: Nempe eſt *jus tollendi abuſus circa Religionem.* Quod ſi hi abuſus unice attingant Religionem & Eccleſiam, ſubintrabit *jus reformandi eccleſiaſticum*: ſi ſint abuſus Reipublicæ nocivi, locus dandus eſt *juri reformandi politico.* Ita illud ipſi Proteſtantes definiunt, nominatim Joannes Erneſt. Floerckius Academiæ Fridericianæ Director, qui ubi agit de jure reformandi Superiori civitatis competente, ait: *Jus reformandi, quatenus Superiori civitatis competit, eſt jus abuſus circa Religionem ſaluti Reipublicæ contrarios tollendi* (f). Paucis multa complexi ſumus: nam quia *jus tollendi abuſus* quam latiſſime patet, atque abuſus non adeo facile & quidem efficaciter tam pro præſenti; quam pro futuro aboleri poſſunt, niſi ea, quæ abuſum ſapiunt,

Quid eccleſiaſticum & politicum?

(e) Aber was iſt dann das Jus reformandi? ait Pfaffius in den Academiſchen Reden pag. 355. möchte man fragen. Ein dunkeles Wort muß beleuchtet werden. Man iſt ſchuldig hierinne den Fragen zu willfahren. Ehehin hat ſolches bedeuten die alte Religion abzuſchaffen und eine neue einzuführen. So wollen die Catholiſche den Art. 5. §. 30 ſelbſt nicht verſtanden haben. Die Münzen werden nach Geſtalt der Sachen abgeſchäzt, ſo gehet es auch mit dem Sinn der Worten, der, wie es ſich füget, geändert wird. Verba enim valent ut nummi. Das Wort Jus reformandi muß man heute dato in ſenſu ſtrictiore nehmen. Was bedeutet dann dato das Jus reformandi?

(f) Diſſert. de Jure Princip. Sect. I. §. 21.

Digitized by Google

piunt, tollantur, alterentur, mutentur, defectus emendentur, exceſſus corrigantur, remedia ad tollendos abuſus apta aſſumantur, & ea, quæ nociva ſunt vel Religioni vel Reipublicæ, removeantur, aperte ſequitur, quod *jus reformandi* generice ſumptum plura alia jura ſpecialia involvere debeat, quæ commode ad tria capita reduci poſſunt. Priusquam autem hæc tria capita deſignemus, duo animadvertenda eſſe exiſtimamus, quorum primum eſt, quod Religio principaliter ad cultum divinum collimet, cultus divinus vero ita ordinari debeat, ut, quantum ſalvis principiis Religionis licet, bonum Reipublicæ publicum potius promoveat, quam impediat. Alterum & quidem confectarium eſt, quod *jus reformandi* neceſſario partim ad illos, ad quos *jus ordinandi* cultum divinum, partim ad illos, ad quos *jus regendi Rempublicam* cum obligatione promovendi bonum Religionis & Eccleſiæ ſpectat, pertineat. Quapropter non veremur cum Proteſtantibus duplex adſtruere *jus reformandi*, unum quod *ex jure divino* Eccleſiæ; alterum quod *ex jure naturali* eſt proprium Principibus, ita tamen ut doctrina noſtra toto cœlo differat a doctrina Proteſtanticorum, eorum præcipue, qui Eccleſiam fere omnibus ſuis juribus ſpoliant, ea omnia in Principes transferunt, atque inter *jura Majeſtatica & collegialia* non diſtinquunt.

Jus reformandi plura alia jura ſpecialia involvit.

Eſt duplex, unum ex jure divino Eccleſiæ, alterum ex jure naturali Principibus proprium.

Triplicis generis jura juri reformandi annexa.

Jam quænam ſint illa triplicis generis jura ſpecialia *juri reformandi* annexa, & quomodo hæc inter Eccleſiam & Imperium, inter Præſules & Principes ſint dividenda, videamus. Quia ex dictis finis Religionis eſt cultus divinus, hic vero ita determinari, regulari ac dirigi debet, ut exinde etiam reſultet bonum Reipublicæ politicæ, cui innexa eſt Religio, atque jus ad finem quemdam procurandum eſt inane & irritum, niſi quis ſimul habeat jus media fini huic conſequendo inſervientia determinandi, illisque utendi, aperte ſequitur, quod *jus reformandi* ad tria capita revocari poſſit, eoque contineantur 1mo jus ordinandi cultum divinum ad ſuos fines; 2do jus ad media, ſine quibus cultus divinus commode expediri nequit; 3tio jus removendi ea, quæ illum quovis modo impedire poſſunt.

Et quænam?

Varia jura juri reformandi annexa recenſentur.

Ad ſingula hæc capita iterum pertinent diverſa jura ſpecialiſſima, & quidem ea omnia, quæ Proteſtantes *ad jura collegialia* Eccleſiæ reducere ſolent e. g. *ad jus cultum divinum ordinandi* indubitanter ſpectat jus ritus & ceremonias introducendi, corrigendi, mutandi & alterandi ſaltem quoad *Adiaphora*, determinandi loca, in quibus cœtus eccleſiaſtici ſunt habendi, præſcribendi tempora, quibus cultus publicus haberi debet, in quantum hæc omnia cum ſalute Reipublicæ nexum

non

Digitized by Google

non habent (g). *Ad jus determinandi media*, ſine quibus cultus divinus commode expediri nequit, pertinet jus conſtituendi miniſtros Eccleſiæ, qui doceant, & Sacramenta adminiſtrent, illis providendi de bonis ad congruam ſuſtentationem, ad cultum divinum decenter peragendum, ad conſervandas ædes ſacras neceſſariis. *Ad jus removendi impedimenta* recte reduxeris jus declarandi doctrinas veras, & damnandi falſas, componendi controverſias, reformandi abuſus diſciplinæ, corrigendi mores, miniſtros Eccleſiæ officio non recte fungentes, aut indignos deponendi, Synodos pro reformanda Eccleſia convocandi, celebrandi, homines facinoroſos, potiſſimum vero hæreticos pœnis eccleſiaſticis coercendi, eiiciendi, & excommunicandi.

Atque hæc ſunt præcipua jura ad *jus reformandi ſacrum & eccleſiaſticum* pertinentia, quæ poteſtati ſacræ, ſeu illis, quibus Deus ordinationem Religionis una cum regimine Eccleſiæ commiſit, ſunt propria, & a Proteſtantibus *collegialia*, a Catholicis vero jura *eccleſiaſtica* vocantur, quippe quod apud Proteſtantes Eccleſia ſit Societas æqualis, cui haud ſecus quam aliis collegiis competunt jura *collegialia*; apud Catholicos vero ſit Reſpublica, cujus Imperantes ſunt Eccleſiarum Præſules, in quos Chriſtus ſummam poteſtatis ſacræ, & jura Eccleſiæ tranſtulit.

Jus reformandi eccleſiaſticum fuſiori definitione explicatur.

Quod ſi quis jam fuſiorem hujus *juris reformandi eccleſiaſtici* definitionem habere velit, pace mea definiat illud, quod ſit *jus ordinandi cultum divinum, tollendi abuſus, determinandi ritus, alterandi, mutandi, media ad hunc finem apta ſeligendi, & ea, quæ ſunt contraria, removendi iis, quæ Religionem ſpectant, & in quantum id lege, vel pacto non eſt prohibitum* (h).

Quid ſit jus reformandi politicum.

Jam ad alterum *jus reformandi*, quod *politicum* diximus, & Principibus competere aſſeruimus, tranſitum faciamus: & quo jure competat, & quid ſit, videamus. Id priusquam præſtemus, ex dictis quædam ſunt repetenda, duo præcipue, quorum unum eſt, Religionem & Rempublicam intimo nexu ita cohærere, ut ſalus unius a ſalute alterius dependere videatur. Alterum eſt, curam Religionis

(g) Infra dicetur, quod aliquoties Principes in rebus diſciplinaribus Statum politicum concernentibus ſint conſulendi, requirendi.

(h) Coincidit hæc definitio ferme cum illa, quam dat Illuſtris Barthelius, dum Jus reformandi generalius ſpectatum definit, quod ſit libera facultas exercitium Religionis una cum annexis ordinandi, dirigendi, judicandi, tolerandi, mutandi & abolendi. Opuſ. 3. de Jure reformandi novo pag. 228.

non minus ex jure Advocatiæ & Protectionis, quam Reipublicæ ex jure Principatus Principibus incumbere, atque adeo illos ad procurandum utriusque bonum, ac ſpecialiter ad promovendum proportionatis mediis cultum divinum tanquam finem Religionis, & ſecuritatem publicam tanquam finem Reipublicæ eſſe obligatos, ita tamen ut fines ſui Imperii non excedant, ne exinde ſequatur confuſio finium, poteſtas ſacra cum imperio politico collidatur, & jura eccleſiaſtica ac politica permiſceantur.

Duplex eſt titulus juris reformandi Principum, nempe titulus Advocatiæ, & titulus Principatus.

Ex his manifeſte ſequitur, Imperantibus eſſe adſtruendum *jus* quoddam *reformandi* & *tollendi abuſus circa Religionem*, & *ſacra ſubditorum*, qui vel Religioni, cui Princeps eſt addictus, vel Reipublicæ, ſunt nocivi; *Titulum* vero, ex quo *jus reformandi* dimanat, eſſe duplicem, nempe *titulum Advocatiæ*, & *titulum Principatus*. Qua *Advocatus* ſuæ Religioni debet Princeps protectionem non generalem duntaxat, ſed etiam ſpecialem, eamque tueri, defendere, ſartam tectamque contra adverſa quæque conſervare obligatur. Qua *Princeps* vero invigilare debet, ne qui abuſus ab exercitio Religionis, quam vel ipſe profitetur, vel alterius Religionis aut jam introductæ, aut noviter introducendæ in damnum Reipublicæ irrepant. Ponamus igitur ſubditos ab avita Religione deficere, & alterius Religionis exercitium velle introducere: an non Princeps titulo tam Advocatiæ, quam Principatus exercitium Religionis novæ impedire poteſt & debet? eoquod introductio novæ Religionis non tantum Religioni hactenus dominanti, verum etiam Reipublicæ ipſi nociva eſſe ſoleat, & ex diverſitate Religionum nonniſi lites, controverſiæ, tumultus, & ſcandala in populo & Republica ut plurimum oriri ſoleant. Eſto autem Eccleſiæ, aut potius Præſulum Eccleſiæ ſit hæreſes configere, Religionem defendere, errores damnare, errantes eiicere e cœtu Eccleſiæ, excommunicare, atque tam *interiora* Religionis, qualia ſunt doctrinæ fidei & morum, quam *exteriora*, quorſum ſpectant capita exterioris diſciplinæ eccleſiaſticæ e. g. ritus & ceremoniæ, curare, attamen quia gladius ſpiritualis ſe ad ipſum territorium regulariter non extendit, neque ad compeſcendos ſubditos ſat potens & validus eſſe dignoſcitur, Principis erit, gladio temporali tumultus prævertere, territorium a ſectis purgare, ſubditos a Religione deficientes e civitate ſalvis legibus chriſtianæ charitatis, manſuetudinis & juſtitiæ eiicere, & hac ratione damna æque Reipublicæ ac Religioni hactenus dominanti imminentia antevertere. Ponamus ulterius, quod in Republica ipſi Doctores & Præſides Religionis doctrinas perverſas, ſeditioſas,

Digitized by Google

tioſas, & Reipublicæ nocivas doceant & diſſeminent: nunquid Principis erit providere, ut tales doctrinæ ſupprimantur, nec ulterius propagentur? Quid ſi eccleſiarum Præſules cum grandi exceſſu & præjudicio boni politici, præterhabito conſenſu Principis, dies feſtivos multiplicarent, aut alia diſciplinæ exterioris capita innovarent, ex quorum innovatione prævidentur multa incommoda in bonum publicum redundatura, an non Principi licebit ſuum officium, ſervato tamen ordine & ſalvis legibus divinis & eccleſiaſticis interponere, & curare, ut abuſus corrigantur, & emendentur? Huc ſpectant illa principia, quæ dari ſolent ab authoribus, qui de *Placito Regio* ſcribunt, cujus uſum innocuum & moderatum etiam nos alibi approbavimus. Neque profecto in hoc *jure reformandi* aliquid deprehendere licet, quod eſſet contrarium legibus divinis & eccleſiaſticis, regulis fidei & morum, præjudicioſum juribus eccleſiæ, aut excederet limites imperii politici, ſicut infra oſtendemus.

Jus reformandi politicum non eſt contrarium legibus divinis & eccleſiaſticis.

Verum enim vero dicet aliquis, quod hoc modo ſentire cum Proteſtantibus, & commune illud Proteſtanticum adoptare videamur: *cujus eſt Regio, illius eſt etiam Religio*, quod tamen in Proteſtantibus a tempore Pacis Religioſæ usque ad Pacem Weſtphalicam reprobavimus, imo adhuc hodiedum reprobamus.

Origo hujus axiomatis: cujus eſt regio, illius eſt religio, inquiritur.

Priusquam hunc nodum diſſolvamus, in originem hujus axiomatis inquiramus. Sunt ex Proteſtantibus, qui illam derivant ab ipſis Ethnicis (i): quidam ipſos Pontificios illius authores & Inventores habent (k): alii hanc regulam a Cameraliſtis inventam, & a Proteſtantibus adoptatam aſſerunt (l). Quidquid de hoc ſit, reprobarunt procul dubio Catholici hoc axioma, vel potius abuſum illius in Proteſtantibus, eo quod hi contra omnia jura pacta & fœdera Religionem Catholicam reformaverint, novam & antea ignotam introduxerint, bona eccleſiaſtica ſæcularizaverint, ſacra profanis, & profana ſacris miſcuerint, omnem poteſtatem ſacram ſibi vindicaverint, & non modo exercitium Religionis externum, ſed etiam interiora Religionis mutaverint, alteraverint, & jura Eccleſiæ, illiusque Præſulibus ex jure divino propria, & ab iis in omni retro acta antiquitate exercita uſurpaverint, & in ſuos Principes tranſtulerint: id quod fece-

In quo ſenſu Catholici illud axioma reprobaverint.

 runt

(i) Deckherrus cap. 28 Conſult. Forenſ. de Pace Relig.

(k) Rechenbergius & Fritſchius apud Pfaffium Academiſche Reden. cap. 6. de jur. refor. pag. 353.

(l) Hert. de jure reformandi.

Digitized by Google

runt illi præcipue Doctores & Juriſconſulti, qui *jus in ſacra* unice ex principatu & ſuperioritate territoriali deduxere, donec alii mitius ſentientes, & enormem ſuorum Aſſeclarum errorem optime perſpectum habentes *ſyſtema collegiale* excogitaverint, & inter *jura Majeſtatica* Principum, & *collegialia* Eccleſiæ ſubtiliter diſtinxerint (m).

Axiomatis illius uſum ſobrium una cum jure reformandi adoptarunt Catholici in Pace Weſtphalica.

Porro autem ſobrium uſum hujus axiomatis Catholici nunquam reprobarunt, imo illud in vim regulæ adoptarunt in Pace Weſtphalica, in qua ſibi quoque *jus reformandi* vindicarunt, illudque *Superioritati territoriali* vel tanquam *titulo*, vel tanquam *conditioni ſine qua non* ſuperædificarunt (n); ſed tale *jus reformandi*, quod non eſſet contrarium legi divinæ, præjudicioſum juribus Eccleſiæ, multo minus ipſa Religionis interiora & exteriora e. g. doctrinas fidei, ritus & ceremonias attingeret, prout tamen fecere Proteſtantes. Et ſane niſi Catholici illud principium: *cujus eſt Regio, illius eſt Religio*, recepiſſent, non video, quo titulo & jure Principes Catholici *jus reformandi* aut etiam *Simultanei*, id eſt jus introducendi coexercitium Religionis, quam ipſi profitentur, prætendere, vel emigrationem neceſſariam imponere, & ſubditos ſacris alterius Religionis addictos e ſuo territorio proſcribere poſſent. Eatenus ergo verum eſt prædictum axioma, quatenus Princeps ex jure imperii, Principatus & Advocatiæ habet inſpectionem tam generalem, quam reſpective ſpecialem in Religionem tam ſuam ſeu dominantem, quam alias Religiones in ſuo territorio vigentes, & invigilare debet, ne vel ex introductione aut coexercitio alterius Religionis Religioni dominanti, quam ipſe profitetur, vel ex abuſibus circa Religionem dominantem præjudicium generetur Reipublicæ.

Et debuerunt adoptare.

Jus iſtud reformandi Religionem Principi proprium dupliciter accipitur.

Idcirco *jus reformandi* Religionem Principum poteſt dupliciter ſpectari, vel in ordine ad Religionem Principi propriam & ſacra ſubditorum, qui ejusdem ſunt Religionis cum Principe; vel in ordine ad ſacra ſubditorum, qui ſunt diverſæ Religionis a Religione Principis. Quomodocunque ſpectetur *jus reformandi*, eidem, prius quam definiatur, objectum quoddam reformationis eſt adſtruendum. Sed quodnam illud? Inprimis Principes nihil poſſunt in iis, quæ Religio-

Quodnam ſit objectum hujus juris reformandi?

(m) Das leztere Syſtem, welches die Rechtsgelehrte angenommen, daß nemlich die geiſtlichen Rechte deren Fürſten ex ſuperioritate territoriali herflieſſen, iſt das allerunrichtigſte, und gefährlichſte. Moßheim von dem Kirchen-Recht p. 565.

(n) Art 5. Pac. Weſtph. §. 30. quid interſit in effectu, an dicamus, ſuperioritatem territorialem eſſe *titulum*, vel *conditionem ſine qua non*, & quid deſuper in tractatibus Pacis Weſtphalicæ fuerit actum, inferius dicemus.

ligionem ipſam ſpectant, nihil etiam juris habent ſive in Religionis *interna*, id eſt dogmata fidei, ſive *externa* id eſt in ritus, ceremonias; adeoque neque dogmata fidei divinitus revelata, & ab Eccleſia ad credendum declarata, neque regulas morum juri naturali & divino conformes, neque diſciplinam eccleſiaſticam externam regulariter reformare, immutare, aut alterare poſſunt, in quantum hæc diſciplina cum bono politico non connectitur. Dein nihil poſſunt Principes in Religionem hominum internam & cultum divinum in actibus facultatum animæ intrinſecarum conſiſtentem, eoquod ſubditi ſuam conſcientiam, ſuas facultates animæ, & actus internos politicæ poteſtati non ſubjecerint, & hi ad ſalutem & ſecuritatem publicam externam, cujus gratia in Rempublicam coierunt, nihil faciant. Nihil etiam juris habent in cauſis & negotiis pure eccleſiaſticis ad Eccleſiæ Præſules pertinentibus; adeoque jura eccleſiaſtica Præſulum ſine læſione Religionis & juſtitiæ uſurpare, ſibi appropriare, & vindicare nequeunt, quod adeo verum eſt, ut ipſi Proteſtantes, illi ſaltem, qui *ſyſtema collegiale* adoptant, nobiſcum conſentire, & ſcribere non dubitent, *negotia collegialia* non eſſe *objectum juris circa ſacra* Principi competentis (o). Paucis: *objectum juris reformandi* Principi competentis non ſunt dogmata fidei, non præcepta morum, non capita diſciplinæ eccleſiaſticæ, niſi, uti dictum, cum ſtatu politico nexum habeant individuum, non negotia pure eccleſiaſtica, quæ apud Proteſtantes audiunt *collegialia*. Quid ergo dicendum, & quale *objectum juris reformandi politici* ſtatuendum?

Sermo hic eſt *de jure reformandi* prout contradiſtincto *a jure circa ſacra* generaliter accepto, & Principi competente: nam apud Proteſtantes *jus circa ſacra* eſt ampliſſimum, & in eo *jus reformandi* tanquam pars in toto continetur. Complectitur *jus in ſacra* diverſa alia jura, qualia ſunt *jurisdictio eccleſiaſtica* (p), *poteſtas legislatoria* (q) *Inſpectoria* (r), poteſtas in bona eccleſiaſtica, & in negotia collegialia, ſi ea

Jus in ſacra differt a jure reformandi.

Et complectitur varia alia jura.

(o) Floerckius jam ſupra citatus loc. cit.

(p) Id eſt poteſtas cauſas eccleſiaſticas controverſas cognoſcendi, & decidendi.

(q) Ex hac poteſtate legislatoria circa ſacra Proteſtantes inferunt jus condendi ordinationes eccleſiaſticas in rebus eccleſiaſticis, quæ ſalutem Reipublicæ tangunt, orta controverſia ſtatum publicum turbante determinandi, quæ doctrina publice ſit docenda, ceremonias Reipublicæ tranquillitati contrarias abrogandi. Vid. Floerckius loc. cit. §. 16.

(r) Hanc poteſtatem quam longiſſime extendit citatus Author §. 18.

Digitized by Google

ea in Principem fuerint tranſlata, prout transferri poſſe, & actu fuiſſe tranſlata aſſerunt Proteſtantes, quæ tamen translatio, ut aiunt, probari a Principe debet (s). Atque de hoc *jure in ſacra* hic non agimus, ſed unice de *jure reformandi* ſtrictius accepto. Ut autem de hoc *jure reformandi*, illiusque objecto rite quid ſtatuatur, in duplici ſenſu ſpectari debet, nempe vel in ſenſu naturali, quem habet ex ſignificatione grammaticali, in quo ex ſupra dictis nihil aliud ſignificat, quam jus tollendi abuſus circa Religionem Reipublicæ nocivos; vel in ſenſu civili & adjectitio, quem accepit ex libera hominum determinatione, illorum nempe, qui hujus nominis fuere inventores. Atvero hi alii non fuere, quam Proteſtantes, qui cum nihil antiquius haberent, quam ut Religionem Catholicam, ſi ſuperis placet, in melius (in pejus dixeris) reformarent, abolerent, & ſuam Religionem noviter cuſam introducerent, nomine *juris reformandi* nihil aliud intellexerunt, quam jus *Principum mutandi Religionem, illiusque exercitium determinandi pro ſuis territoriis*, quemadmodum ex Pace Religioſa, Weſtphalica, & communi praxi, uſu, & doctrina illorum conſtat.

Quid ſit jus reformandi ſtrictius acceptum in ſenſu juris ex mente Proteſtantium.

His bene perſpectis haud difficile eſt & *objectum juris reformandi* ſtatuere, & quid ſit *jus reformandi politicum* determinare. Vel enim *jus reformandi* ſumitur in ordine ad Religionem Principis unice in ſuo territorio dominantem, & ad ſacra ſubditorum ejusdem cum principe Religionis ſine reſpectu & habitudine ad alias Religiones, aut jam introductas, aut introducendas: & in hac acceptione nihil eſt aliud, quam *jus abuſus in exercitio Religionis externo, quam profitetur Princeps, irrepentes, & in detrimentum Reipublicæ redundantes abolendi, præcavendi, tollendi, media apta ad Religionem & ſalutem Reipublicæ conſervandam adhibendi, & ea omnia, quæ Religioni adverſa eſſe poſſunt, avertendi, in quantum id legibus naturalibus, divinis, & humanis permiſſum, & pactis ac foederibus non eſt contrarium* (t). Vel *jus reformandi* accipitur cum reſpectu ad Religionem ſubditorum a ſacris Principis alienam in territorio vel actu introductam &

Jus reformandi politicum in ordine ad Religionem Principi propriam definitur.

(s) Idem §. 23.

(t) Recolantur dicta de jure reformandi eccleſiaſtico, in quo tria involvi diximus, jus ad finem procurandum, jus ad media, ſine quibus finis obtineri nequit, & jus ea removendi, quæ impedimento eſſe poſſunt. Idem ergo dicendum de jure reformandi politico. Verba illa: *in quantum id legibus permiſſum*, infra explicabimus.

& privative dominantem (u), aut ſaltem coexiſtentem (x), vel poſthac introducendam, adeoque in ordine ad ſacra ſubditorum diverſæ Religionis: & in hoc ſenſu eſt *jus Principis in ſuo territorio introducendi Religionem propriam, mutandi, alterandi, tolerandi, recipiendi Religionem a ſacris ſuis alienam, & ſubditis aliam Religionem profitentibus ſacrorum ſuorum exercitium aut publicum aut privatum concedendi, vel denegandi vel emigrationem imponendi eorumque ſacra dirigendi, in quantum id ſalus Religionis & Reipublicæ vel permittit, vel exigit, & leges, pacta & fœdera non prohibent.* Quodſi quis breviorem definitionem deſideret, dicat pace mea, quod *jus reformandi* anterius ſit *jus abolendi abuſus circa Religionem propriam Reipublicæ nocivos;* poſterius vero *jus mutandi Religionem a ſacris Principis alienam.*

Idem jus reformandi in ordine ad Religiones a Religione Principis diverſas deſcribitur.

In his definitionibus utriusque *juris reformandi politici* nihil nos intermiſiſſe, quod ad illius ſubſtantiam pertinere, neque aliquid immiſcuiſſe, quod offenſivum honoris, Religioni cuicunque præjudicioſum, aut cujuscunque juribus nocivum videri poſſet, exiſtimamus. Age! & hæc ſingula dilucidemus! Et inprimis quidem quoad definitionem *juris reformandi* circa Religionem Principi propriam ex ea aperte colligitur, quod illius *objectum* ſint abuſus vel defectus non qualescunque, qui Religionem intrinſece ſpectant, aut diſciplinam mere eccleſiaſticam, aut ad intereſſe & bonum politicum vel nihil vel parum faciunt, ſed, qui habent nexum cum bono politico, & ſtatum politicum turbare, aut illius ſecuritati obeſſe poſſunt. Id quod nec Proteſtantes ſyſtematis collegialis defenſores & fautores negant, vel negare poſſunt (y). Imo ne tunc quidem Principes territoriales, quando de *intereſſe politico* agitur, pro ſuo libitu diſciplinam eccleſiaſticam, & abuſus in Rempublicam inde redundantes reformare, abolere, aut mutare poſſunt, ſed ex legibus Chriſtianis & Catholicis id facere debent ſervato ordine, moderamine & reſpectu erga Præſules Eccleſiæ: nam quia etiam de Eccleſiæ, & illius Præſulum præjudicio, & juribus agitur, cum his erit deliberandum, conſultandum, & rebus ex æquo & juſto ponderatis, quid Religioni, Eccleſiæ, & Reipublicæ utilius ſit, ſtatuendum: quin imo ſi cauſa Religionis *intrinſeca* concernat e. g. doctrinam fidei, Præſulum judicio deciſivo erit relinquenda: ſecus

Objectum illius ſunt abuſus & defectus, & quales?

(u) Ita res ſe habet in Saxonia.

(x) Sicut in quibusdam locis Palatinatus inferioris.

(y) Vid. citatus Floerckius loc. cit. §. 10. & 23.

ſecus dicendum, ſi doctrina talis ſit, quæ turbat Statum publicum, fovet tumultus, nutrit ſeditiones, aut lædit jura Principum: has enim ſupprimere, prohibere, interdicere, & in illarum authores, ſi ſint ſæculares, pœnas ſtatuere Principes per ſe poſſunt (z). Idcirco Principibus *jure reformandi* utentibus ſummopere cavendum, ne limites ſui imperii excedant, jura aliena invadant, uſurpent, ſibique approprient, aut omnino Sancta ſanctorum ingredi & violare audeant (a), leges divinas aut humanas violent, & pactis, quæ ex jure naturali ſunt ſervanda, contraveniant (b). Hinc notanter dictum, *in quantum id legibus eſt permiſſum, & pactis ac fœderibus non eſt contrarium.*

Jus iſtud reformandi promanat ex jure naturali publico-eccleſiaſtico.

Ex definitione hujus *juris reformandi* ulterius colligitur, *jus iſtud reformandi* ex jure naturali publico eoque eccleſiaſtico fluere, cum Princeps ex jure naturæ teneatur Religionis & Reipublicæ bonum meliorem in modum promovere, damna quæcunque præcavere & avertere. Hinc non ſine ratione fuſiorem illius definitionem adornavimus dicendo: *præcavendi, avertendi, abolendi.* Idcirco ad jus iſtud pertinet etiam jus una cum obligatione e Republica eliminandi, proſcribendi, & eiiciendi Atheos, Deiſtas, Indifferentiſtas, Naturaliſtas, & ſimilia hominum monſtra, utpote qui tenent principia Religionis & Reipublicæ everſiva, quibus neceſſario omnis Religio, omnis Reſpublica & ſubordinatio inter Imperantes & obtemperantes, omne ſocietatis humanæ vinculum peſſumdatur, & tollitur: quin cujusvis diverſæ Religionis aſſeclis emigrationem ex hoc jure reformandi jubere poſſe Principem ne ipſi diffitentur Proteſtantes (c), quia non raro diverſæ Religiones in eodem territorio ſibi invicem & potiſſimum Reipublicæ eſſe præjudicioſæ ſolent. Sed quia hæc jura fluunt potius ex jure reformandi, quod habitudinem dicit ad diverſas Religiones, & aliunde de tolerantia Atheorum, Deiſtarum, hæreticorum infra agere conſtitutum nobis eſt, pluribus de hac re agere nolumus.

Eidem eſt annexum jus e Republica eliminandi Religiones bono politico præjudicioſas.

Jus reformandi reſpective ad Religiones diverſas reſpicit mutationem Religionis.

Quoad alterum *jus reformandi* reſpective ad Religiones diverſas conſtat ex dictis, jus iſtud principaliter reſpicere mutationem Religionis,

(z) Vid. Boehmer. Jur. Proteſt. lib. 5. Tit. de hæret. ubi ex profeſſo de prohibitione librorum agit.

(a) v. g. Si ſe immiſceant adminiſtrationi Sacramentorum, uti in Gallia factum eſſe ſcimus.

(b) E. g. in Germania, in qua certi fines ſunt conſtituti.

(c) Floerckius loc. cit.

Digitized by Google

gionis, prout id bonum Religionis, cui Princeps eſt addictus, & bonum Reipublicæ, cui præeſt, exigit. Poteſt autem hæc reformatio triplici modo contingere: vel enim Princeps Religionem antea dominantem penitus abrogat, & novam, videlicet ſuam introducit, prout fecere Proteſtantes a principio Reformationis, & in hoc caſu locum habet *Reformatio ſtricte dicta*: vel Religionem antea vigentem ſimpliciter tolerat, & tunc ſubintrat *tolerantia* vel *ſimplex*, vel *qualificata* (d): vel Religionem novam præter antiquam introducit, in civitatem recipit, illiusque exercitium vel publicum vel privatum concedit, & tunc habetur *Simultaneum*, uti vocatur, utpote quod nihil aliud eſt, quam cultus alterius Religionis præter jam receptum in loco quodam introductus e. g. ſi Princeps Catholicus præter exercitium ſuæ introduceret exercitium Religionis Proteſtanticæ. Vel denique Princeps alterius Religionis & ſectæ cujuscunque homines e ſua civitate proſcribit, eiicit, & emigrare jubet, & habetur *emigratio neceſſaria*.

Hæc triplici modo poteſt fieri.

Jam vero ex jure tum *Advocatiæ*, tum reſpective *Principatus jus* iſtud *reformandi* ad Principem pertinere aliunde clarum eſt: nam Religionem ſibi propriam introducere, niſi pacta, vel aliæ rationes graves obſtent, *tenetur* Princeps *ex jure Advocatiæ*, & *poteſt* ex *jure Principatus* conformiter ſupra dictis. Religionis diverſæ exercitium aliquoties tolerare *debet*, ſi ſubditi tolerantiam *qualificatam*, & legibus ſtabilitam habeant, prout in multis locis habent Proteſtantes & Reformati: aliquoties *poteſt*, ſi ratio Status abſque diſpendio Religionis id ſuadeat. Coexercitium Religionis ſuæ potiſſimum ex hac ipſa ratione introducere poſſe Principem, aliunde dubitari nequit, ſuppoſito, quod nullæ aliæ leges, pacta, & fœdera id prohibeant, quemadmodum id eſſe prohibitum vi Pacis Weſtphalicæ, ſed falſo, Proteſtantes prætendunt (e). Interim boni imperantis officium ſi conſideremus, non ſolum operam dabit Princeps, ne ſectæ bono Reipublicæ contraria docentes admittantur, ſed etiam ne Religionum multitudo turbis anſam præbeat: quin imo ſectas aut Religionis aut Reipublicæ ſaluti obſuturas recipere, civitate donare, aut illarum exercitium admittere ne quidem valet. Quod autem Princeps non iis ſolum, qui Atheiſmum, aliasque doctrinas Reipublicæ peſtiferas propagare ſtudent, ſed etiam cujusvis diverſæ Religionis aſſeclis emigrationem jubere poſſit, ne ipſi Proteſtan-

Jus iſtud reformandi ex jure Advocatiæ & Principatus ad Principem pertinet.

Multitudo Religionum turbis anſam præbet.

Jus expellendi ſectas ad Principem pertinet.

(d) Vid. §. ſeq. ubi diviſio tolerantiæ multiplicis explicatur.

(e) Nempe in §. 31. Art. 5. Pac. Weſtph. ubi annum normalem per modum regulæ aſſumptum, & vi hujus *Simultaneum* eſſe interdictum aſſerunt.

Utrum emigratio imperata principiis politices contrarietur?

Et an propterea intermittenda?

tes abnuere audent (f), quamquam poſteriori jure uti ſanioris Politices principiis, aut certe regulis humanitatis contrariari exiſtiment (g). Verumenimvero demus aliquoties emigrationem imperatam principiis Politices contrariari, num propterea ab illa abſtinendum erit, ſi bonum Religionis reclamet, ſi ex tolerantia ſectarum periculum immineat Religioni? Haud ignoro, quid authores doceant de tolerantia Religionum, quam bono politico eſſe ſumme proficuam, atque in iis potiſſimum provinciis vigere & florere commercia, cives æque eſſe beatos & opulentos, ac ipſos Principes tradunt. Sed permittamus iſta (quamquam hæc univerſaliter eſſe vera aperte ſit falſum) anne bonum quoddam externum adventitium & accidentale politicum bono Religionis eſt anteferendum? Utinam noſtri Principes ſequerentur exemplum Ferdinandorum Imperatorum II. & III. Maximiliani I. Bavari qui ſe aperte declararunt, quod malint excidere ſceptro, regno, & ditionibus, quam exercitium Religionis Proteſtanticæ tolerare. An quando, & quomodo tolerantia locum habere poſſit, §. ſequenti docebimus.

Jus iſtud reformandi eſt mere politicum, & non ſacrum.

Porro autem *jus iſtud Reformandi* eſſe *politicum*, non ſacrum, non legibus divinis contrarium, non juribus Præſulum Eccleſiæ præjudicioſum, ſed innocuum, in jure naturali publico fundatum, facile patet. Quod juris hactenus Principibus in rebus Religionem ſpectantibus adſtruximus, id omne ex natura imperii dimanare compertum habetur ſine præjudicio jurium eccleſiaſticorum & Eccleſiæ: nihil enim in hujusmodi caſibus Principes territoriales diſponunt de doctrinis fidei, nihil de conſcientiis ſubditorum, nihil de juribus Eccleſiæ, nihil, ſaltem directe, de ipſo exercitio Religionis quoad ritus & ceremonias aliaque adiaphora, niſi in quantum hæc neceſſarium habent nexum cum ſalute Reipublicæ: ſolummodo ſubditis alienam Religionem profitentibus ſuum denegant territorium, ſuam protectionem, jura ſuæ civitatis, id quod utique ex jure imperii facere poſſunt, cum in illorum ſit poteſtate ſuis ſubditis ponere conditiones, ſub quibus jura civitatis illis concedere velint. Et quare conditionem illius Religionis ponere non poſſint, quam ipſi veram eſſe in conſcientia exiſtimant? Quemadmodum ergo Præſules Eccleſiæ habent jus ab Eccleſia repellendi, eiiciendi, excommunicandi eos, qui in illius communione per pro-

Princeps poteſt ponere conditionem Religionis illis, qui jus civitatis petunt.

(f) Floerckius loc. cit. §. 19. ubi ſic habet: *vi juris in ſacra poteſt Princeps non ſolum eos, qui Atheiſmum, aliasque doctrinas peſtiferas propagare ſtudent, civitate eiicere, ſed etiam cujusvis diverſæ Religionis aſſeclis emigrationem jubere.*

(g) *Quamvis poſteriori jure adeo ſtricte uti, non ſolum ſanioris politices principiis ſed ipſis etiam regulis humanitatis contrarietur.* Citatus Author cit. §. 19.

Digitized by Google

profeſſionem fidei ſtare nolunt, ita etiam Imperantes qua *Advocati*, & *Principes* vigore poteſtatis ſibi in bonum Religionis & Reipublicæ conceſſæ ſubdſtis in unitate fidei & communione Religionis ſtare nolentibus ſocietatem civilem denegare, & jura civitatis adimere poſſunt: ſecus ne ipſi Religioni, Eccleſiæ & Reipublicæ ſatis conſultum eſſet, quia dantur homines, qui gladium ſpiritualem parum curantes omnia ſusque deque vertere, ſacra turbare, Religionem Principis eliminare non erubeſcerent, niſi majori poteſtati ſuccumbendum foret. Quid antiquiores iique piientiſſimi Imperatores Romani contra ſectarios, & hæreticos fecerint, quales pœnas contra ipſos ſtatuerint, in utroque Codice Theodoſiano & Juſtinianeo paſſim legitur.

Jus expellendi ſectarios neceſſarium eſt Principi.

Ut hactenus dictis *de jure reformandi* cum reſpectu ad diverſas Religiones major lux affundatur, nemo nobis vitio vertet, ſi in hac re etiam ad Doctores Proteſtanticos provocemus, illorumque doctrinas, in quantum doctrinis Catholicis illuſtrandis inſerviunt, ac ſunt conſentaneæ, adoptemus. Ex his duos ſeligamus Matthæum Pfaffium, & Laurentium Moshemium, ambos inter ſuos magni nominis, pretii & exiſtimationis. Profecto Pfaffium in ſubſtantialibus *ad jus reformandi* pertinentibus nobiſcum conſentire, ex eo patet, quod etiam ipſe illud cum ordine ad mutationem, abrogationem, & tolerantiam Religionis determinet, ubi ante omnia animadvertit, quod noſtro ævo *jus reformandi* in ſenſu ſtrictiori ſit ſumendum, procul dubio in eo ſenſu, quem ex arbitrio Proteſtantium primitus, & poſtea etiam Catholicorum accepit (h). Poſtea duplex jus reformandi ſtatuit, unum ex *jure publico univerſali Eccleſiæ*, & alterum *ex jure publico Proteſtantium in Germania* (i): & quid ſecundum utrumque Principi faciendum ſit & liceat, ſequentibus exponit. 1mo ex jure publico univerſali Eccleſiæ Principi ſunt eliminandæ omnes doctrinæ, quæ juri naturali, aut Reipublicæ ſtatui ſunt contrariæ. 2do Athei ex omni Republica eliminandi. 3tio Nec Deiſtæ tolerandi, aut ſaltem illorum conventus diſpergendi. 4to Omnes abuſus contra fundamentales Eccleſiarum ordinationes, diſpoſitiones & pacta irrepentes abolendi (k). Ubi mox ſubjungit,

Proteſtantes in explicando hoc jure reformandi nobiſcum conſentire videntur.

Doctrina Pfaffii exponitur.

Statuit duplex jus reformandi, unum ex jure publico univerſali Eccleſiæ.

Quid Principi vi illius ſit faciendum?

(h) Das Jus reformandi muß man jetzt und heute dato in einem ſenſu ſtrictiori nehmen. Academ. Reden pag. 356.

(i) Was bedeutet dann dato dieſes jus reformandi reſtrictum? wir antworten demnach auf die vorgelegte Frage theils aus dem allgemeinen Kirchen-Rechte, theils aus dem Jure Eccleſiaſtico publico Proteſtantium in Germania.

(k) Nach jenem ſolle eine jede Obrigkeit 1. alle diejenige principia, die in der Kirche wider

jungit, cum hoc jure reformandi neceſſario eſſe connexum *jus Advocatiæ & Patronatus ſupremi*, aut ſaltem ex illo infallibiliter promanare. En, quomodo Pfaffius jus reformandi Principum in ordine ad mutationem Religionis, illiusque objectum, limites & fines ſecundum principia juris tam naturalis, quam etiam humani ex jure Advocatiæ non minus quam Imperii determinet! Hæc ſi non nihil explicentur, illa præcipue, quæ de abolendis ordinationibus fundamentalibus Eccleſiarum habet, quarum abolitio, emendatio & reformatio, ſi unice cum reſpectu ad Religionem & Eccleſiam ſine ordine ad bonum Reipublicæ conſiderentur, ad Eccleſiæ Præſules in principiis Catholicorum ſaltem pertinet, noſtris principiis haud ſunt difformia.

Alterum ex jure publico Germaniæ. Quid vigore hujus poſſit & debeat facere Princeps.

Poſtea agit *de jure reformandi* reſtricto per leges Germaniæ, & ex eo concludit, quod Princeps vi hujus poſſit 1mo omnes abuſus contra ordinationes Eccleſiarum introductos abolere; 2do ſimultaneum ſeu introductionem alienæ Religionis, quæ in annis decretoriis non viguit, eliminare; 3tio Religiones in Imperio Germaniæ non toleratas, non receptas, non privilegiatas, ſi earum ſectatores devotione privata nolint eſſe contenti, proſcribere, aut tolerare, emigrationem ſub conditionibus honeſtis imponere: quod idem 4. dicendum de Waldenſibus, & illis, quos appellant Refugiés. 5. Et econtra Religionibus ex Pace Weſtphalica receptis, earumque Affeclis ſuam protectionem & aſſiſtentiam ſingularem impertiri, media ad erigenda templa, hoſpitalia, Gymnaſia & ſcholas ſuppeditare, quin imo 6. privatum ſuæ Religionis exercitium introducere, ſi fortaſſis in ſuo territorio prorſus alienam Religionem vigere contingat (l).

Hæc

---

wider das natürliche Recht, und wider den Staat Platz greifen mögten, abſchaffen, und reformiren, alſo 2. wo auch in der Republique ſich finden ſollten, denſelben die Thür weiſen. 3. Keine Deiſten, wenigſtens deren Zuſammenkünften nicht dulden, ſondern ſolche zerſtreuen. 4. Alle in der Kirche wider ihre urſprüngliche Ordnungen, Anſtalten und pacta einſchleichende abuſus abſtellen, und reformiren, und 5. anbey dieſelbe mit dem Brachio ſæculari ohnpartheiiſch ſchützen, und handhaben. Dann auch das jus Advocatiæ und Patronatus ſupremi unter dem jure reformandi begriffen iſt, wenigſtens ſolches nach ſich ziehet, oder vielmehr damit verbunden iſt. loc. cit.

(l) Nach dem Inſtrumento Pacis ſtehet das jus reformandi darinnen, daß man 1. alle wider die Schlüſſe des J. P. und recipirte Kirchen-Ordnungen eingeſchlichene oder einſchleichende abuſus reformiren, und præcaviren kan, und ſolle. Worunter 2. beſonders das Simultaneum, oder introductio alienæ Religionis, die in

Proteſtantes jus reformandi novum unice per ordinem ad mutationem Religionis explicant.

Hæc eum in finem dicta volumus, ut conſtet, quod Proteſtantes jus reformandi noviter excogitatum ferme unice in ordine ad mutationem Religionis explicent. Utrum vero ex jure reformandi in Pace Religioſa & Weſtphalica ſtabilito jura a Pfaffio aſſerta inferri poſſint, infra videbimus, ubi de jure reformandi cum reſpectu ad leges Germaniæ dicemus.

Doctrina Moshemii circa jus reformandi.

Audiamus etiam Moshemium, virum inter ſuos æquum, juſtum & modeſtum, qui præ reliquis objectum *juris reformandi* egregie dilucidat, illius limites & fines determinat, & quandonam in rebus diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus propter nexum cum ſtatu politico locum habeat, explicat.

Ad quæ, & quonamusque ſe extendat?

Hic ergo poſtquam Jura Principis in ſocietates ſacras, earumque Religiones diverſas ex jure naturæ explicavit, tandem quærit, quonamusque jus reformandi Principum ſe extendat, & ſic habet: aber wie weit gehet nun dieſes Reformations-Recht des Fürſten? oder in wie ferne hat die Obrigkeit Macht, ſich in die nicht weſentliche Dinge des Gottesdienſtes zu miſchen? Hier müſſen wir einen Grund annehmen, aus welchem die Obrigkeit handeln muß. Dieſe Grundregel muß aus dem Endzwecke der Obrigkeit hergeleitet werden. Die Obrigkeit muß die Wolfarth des Staats beſorgen. In allen den Dingen, die dem Staate nicht nachtheilig ſind, kann die Obrigkeit nichts ändern. Die Menſchen haben ihre Handlungen in ſo ferne der Obrigkeit unterworfen, als dieſelben dem Staate nachtheilig ſeyn können. In ihren übrigen unſchuldigen Handlungen haben ſie ſich die Freyheit vorbehalten. Die Obrigkeit kan alſo alle Dinge, welche nicht zum Weſen der Religion gehören, und die dem Staate nachtheilig ſind, abſchaffen. Mit einem Worte: über alle Dinge, die nicht den Glauben und die Lehre ſelbſt, oder weſentliche Stücke der Religion, und das Gewiſſen betreffen, hat die Obrigkeit ſoviel zu ſagen, als dieſe Dinge einen ſtärkern oder geringern Einfluß in die

in annis decretoriis nicht Platz gegriffen, beſtehet, daß man 3. alle fremde Religionen, die im deutſchen Reich nicht privilegirt ſind, wo ſie mit der devotione domeſtica ſich nicht begnügen, ausſchaffen, und ihren Sectatoribus emigrationem unter honneten terminis injungiren, oder auch 4. Religionen, die in Deutſchland recipirt ſind z. E. Refugiés oder Waldenſer recipiren, und toleriren, 5. die in A. 1624. etablirte Religion und deren Verwandte ſo ſchützen, daß man auch in dero Religions-Weſen z. E. zu Erbauung neuer Kirchen, Pfarr-Häuſer, Schulen, Gymnaſien und anderen Anſtalten die obrigkeitliche Hülfe vorkehret, 6. auch in ſeinen Landen, wo eine ganz andre Religion herrſchet, ſeinen privat-Gottesdienſt an ſeinem Hofe introduciren kan. loc. cit. pag. 357.

Digitized by Google

die Wolfarth des gemeinen Weſens haben. Sie kan in dieſen Dingen verbiethen, und gebiethen, nachdem, und ſo fern die allgemeine Wolfarth des Landes es erfordert (m). Poſtea hic author progreditur ad dilucidanda jura ſpecialia, quæ ex hoc *jure reformandi* per modum ſequelarum neceſſariarum fluunt, & inter hæc ponit jus recipiendi, tolerandi, eliminandi Religiones, earumque aſſeclas proſcribendi, eiiciendi, eisdemque certos limites determinandi, exigendi ab illis formulas fidei, ſymbola, eorumque inſpectionem petendi, & plura alia, unaque perſtringit doctrinam Boehmeri, Hugonis Grotii, aliorumque, qui *jus reformandi* ultra ſuos limites extendunt, atque dogmatis inſtar ponunt enorme prorſus principium, quo ſtatuunt: *quidquid jure divino non eſt determinatum, illud pertinet ad ſupremam poteſtatem Reipublicæ* (n).

Brevis definitio juris reformandi hactenus explicati.

Sequelæ inde fluentes.

Hactenus explicavimus *jus reformandi* cum ordine ad *Religionem in genere*, & reſpectu ad principia diverſæ Religionis, ac ipſius Reipublicæ politicæ, illud definiendo, quod ſit *jus abolendi abuſus circa Religionem Reipublicæ nocivos*, ſpecialiter vero *jus Principi proprium introducendi Religionem ſibi propriam, cæteras eliminandi, non admittendi, & ea, quæ Religioni Principis ſunt noxia, removendi:* ex quibus patet 1mo, hoc jus eſſe *politicum*; 2do illud fundari in jure tum Principatus, tum advocatiæ tanquam in titulis legitimis; 3tio illius objectum eſſe mutationem Religionis, & ea, quæ in puncto Religionis ſunt *adiaphora* & nexum habent cum bono Reipublicæ politico; 4to aliud longe jus reformandi ex ſuperioritate Territoriali Catholicos, & aliud Proteſtanticos ſibi vindicare. Proteſtantes enim ſaltem antiquiores ſuis Principibus ex ſolo titulo ſuperioritatis territorialis vindicarunt integrum *jus in ſacra* cum omnibus juribus non Majeſtaticis duntaxat, ſed etiam collegialibus, videlicet jus non modo introducendi ſuam Religionem, ſed etiam determinandi illius exercitium, præſcribendi ritus & ceremonias, dirigendi cultum publicum cum appendice ferme cœterorum omnium

(m) Exempli loco ponit multiplicationem dierum feſtivorum, de qua ita habet: Was aber die außerweſentlichen Stücke, und die Adiaphora betrift, ſo hat die Obrigkeit bey dieſen Dingen viel zu ſagen. Denn dieſelben können einen groſſen Einfluß in die Wolfarth des Staates haben. Es kan zum Beweis eine geiſtliche Geſellſchaft ſo viele Feſttage anordnen, daß der Staat darunter leide. Je mehr Feyertage ſind, je ärmer ſind die Unterthanen. Haupſt. 3. von dem geiſtlichen Recht nach der Vernunft pag. 510. 511. & ſeq.

(n) Cum Moshemio ſentit Pfaffius Academ. Kirchen-Reden. pag. 161 Floerckins Diſſert. de jure Princ.

Digitized by Google

mnium jurium eccleſiaſticorum: Catholici econtra de hoc nunquam ſomniarunt, ſed potius poteſtatem hanc determinandi ritus, exercendi jura eccleſiaſtica in Eccleſia, illiusque Præſulibus reverentialiter agnoverunt, utpote a quibus conformiter principiis Catholicis cultus externus determinari debet. Prætendunt ergo Principes Catholici vi juris ſibi competentis nihil aliud, præterquam id, quod ex jure naturali poſſunt, niſi leges fundamentales, pacta & fœdera obſtent, quibus omnino eſt ſtandum, nempe jus introducendi ſuam Religionem, quam profitentur, alienæ Religionis conſortes vel non admittendi, vel excludendi. Idcirco optime inquit Author excelſus ſupra citatus, quod Catholici aliud *jus reformandi* non agnoſcant *præter regulam territorialem*, quatenus ex ſuperioritate territoriali fluit jus imperio annexum introducendi ſuam Religionem, & ſubditos cuicunque alteri Religioni addictos a jure civitatis excludendi.

Quid Principes Catholici vi juris reformandi prætendant.

Verum quid hoc, inquies? nunquid hæc doctrina aperte patrocinatur Doctoribus Proteſtanticis, qui ſubtiliter diſtinquentes inter *jura Majeſtatica* & *Collegialia* pro ſuis Principibus aliud non prætendunt, quam quod vi ſuperioritatis territorialis poſſint introducere ſuam Religionem, abuſus cum bono politico connexos abolere, corrigere, emendare. Ut quid ergo ipſorum jus reformandi ante Pacem Religioſam & poſthac exercitum tantopere veluti omni juri contrarium deteſtamur, ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum tanquam effectum ex jure reformandi fluentem execramur, exercitium Religionis proteſtanticæ in terris proteſtanticis quaſi contra omnia jura introductum reprobamus? anne Catholici ſint melioris conditionis, quam Proteſtantici? Cur non valeat apud Proteſtantes, quod tamen pro ſe valere volunt Catholici, illud: *quod quis juris in alterum ſtatuit, eodem & ipſe utatur?* Veritatem Religionis ſi prætendant Catholici, ſunt judices in propria cauſa. Neque enim hic de veritate Religionis, ſed de jure ex ſuperioritate territoriali promanante quæritur.

Utrum hæc doctrina patrocinetur doctrinæ proteſtanticæ.

Hæc difficultas tanti nobis primitus viſa fuit, ut parum abſuerit, quin eidem ſuccubuerimus. Rebus autem melius inſpectis etiam hæc difficultas diſparuit. Hoc ut luculenter commonſtremus, ſtatum Imperii Romano Germanici ex una, & Statum Religionis Catholicæ ac Proteſtanticæ ex altera parte, prout erat ante Pacem Religioſam, ante oculos ponamus. Eſt Imperium veluti *Syſtema civitatum*: ſunt Status Imperii totidem quaſi ſtatus in ſtatu: Status ſupremus eſt ipſum imperium tanquam corpus ex totidem membris, quot ſtatibus compoſitum, cujus caput eſt Imperator, ut adeo ſtatus Imperii in ordine

Diluuntur difficultates.

dine ad ſua territoria ſint Principes territoriales, cum ſubordinatione tamen ad Imperium & Imperatorem, cujus & ſunt ſubditi, & legibus fundamentalibus communi imperii & Imperatoris ſuffragio latis in cauſis ad Romani Imperii bonum pertinentibus ſe ſubiicere debent.

Religio Catholica ante Pacem Religioſam ſola fuit dominans & habuit jus legitimum civitatis.

Quantum ad Religionem, fuit Religio Catholica ante tempora Lutheri, & Pacem Religioſam, ſi paucas excipias provincias, ſola dominans, ſola a tempore immemoriali in poſſeſſione, ſola jure civitatis donata, ſola ab Imperio & ſtatibus Imperii agnita tanquam vera, & legitima. Fuit econtra Religio Lutheri nova, heſterna, antea incognita & inaudita, quæ ſe violenter in poſſeſſionem introducere voluit, & revera patrocinantibus quibusdam Principibus ſæcularibus ab avita Religione deficientibus ſe introduxit & intruſit, contradicente Imperatore, imperio & ferme plerisque Statibus Imperii. Jam vero cum cauſa Religionis fuerit cauſa publica & communis totius Imperii, & pro cauſa Religionis Catholicæ ſemper fuerit pronuntiatum; cauſa econtra Religionis Proteſtanticæ ſemper ſuccubuerit, & nunquam in Comitiis Imperii favorabilem ſententiam, adeoque nec legitimam poſſeſſionem, vel jus civitatis obtinuerit, inde quid ſequitur? niſi quod Principes Catholici regula territoriali uti, jus reformandi inde fluens liberrime exercere, Religionem Catholicam defendere, tueri, conſervare, ſartam tectamque conſervare, alienæ Religionis conſortes aut non admittere, aut ſi jus civitatis habuere, proſcribere, excludere, & exterminare potuerint: econtra Principes Proteſtantici, eſto habuerint jurisdictionem territorialem, quia tamen hæc in ordine ad Religionem Catholicam reformandam fuit reſtricta & ligata a legibus Imperii, profecto illam exercere non valuerunt, eoquod Religio Catholica ſola non modo ex antiquiſſimo jure poſſeſſionis, ſed etiam vi legum Imperii dominatum exercuerit, quin ulla alia Religio jus civitatis ſibi arrogare potuerit, quippe quod Imperator & Imperium nullam aliam Religionem intra Imperii fines tolerare, multo minus eidem *jus civitatis* dare voluerit. Quapropter Proteſtantes ad regulam territorialem, ad quam poſt Pacem Religioſam toties provocarunt, ante Pacem Religioſam provocare, & mediante hac jus reformandi exercere, bona eccleſiaſtica ſæculariżare, ſibique appropriare, aut ad alios uſus applicare non potuerunt. Quid-quid ergo juris habent Status Proteſtantici in negotio & exercitio Religionis reformando, determinando, mutando, id omne habent ex Pace Religioſa mediante ſuperioritate territoriali, qua aliter uti non poſſunt, niſi in quantum per Pacem Religioſam id licet.

Cauſa Religionis eſt cauſa publica.

Catholici ante Pacem Religioſam potuerunt ſuam jurisdictionem territorialem in ordine ad Religionem exercere, non vero Proteſtantes, & quare?

Proteſtantes jus reformandi unice habent ex Pace Religioſa.

Unde

De jure reformandi in ordine ad leges Germaniæ.

Unde jam ad *jus reformandi* in ordine ad leges Germaniæ ex Pace Religioſa & Weſtphalica dilucidandum accingimur. Quid a tempore Lutheri, & principio Reformationis usque ad Pacem Religioſam in colloquiis & conventibus privatis, in Comitiis publicis toties celebratis, in ſupremis Imperii tribunalibus fuerit actum, ſupra expoſuimus. In id omnes curæ, ſolicitudines, labores & ſtudia Catholicorum collimabant, ut Religionem Lutheranam in Germania usque tunc ignoratam, novitiam, & noviter cuſam e finibus imperii proſcriberent, illiusque exercitio januam perpetuo occluderent. Econtra Principes Proteſtantici nihil non egerunt, ut ſuam Religionem in ſuis territoriis introducerent, eamque ſuis ſubditis obtruderent, & tandem jus civitatis obtinerent. Idcirco pro ſuo libitu ſæcularizabant Epiſcopatus, monaſteria & bona eccleſiaſtica, ſubditos Religioni Catholicæ addictos diriſſime vexabant, armis etiam Catholicos laceſſebant. Tandem ad arma ventum, & diu Marte dubio pugnatum.

Quare & quomodo Catholici Pacem Religioſam inierint?

Ut ergo ſecuritati publicæ conſuleretur, Catholici majoris mali evitandi gratia de ſuis juribus aliquid remittendum eſſe rati pacem, quam vocamus Religioſam, cum Proteſtantibus inierunt, & in ea pro ſtabilienda concordia in id conventum, ne poſthac Statibus Proteſtanticis propter Confeſſionem Auguſtanam, Religionem & doctrinam proteſtanticam ulla vis aut violentia, aut moleſtia inferatur (o). Idem ferme in favorem Catholicorum §. mox ſequenti diſpoſitum legimus (p).

Quale jus reformandi Proteſtantes ex Pace Religioſa deducant?

Atque hic eſt ille §. (q), ex quo Proteſtantes *jus reformandi* ampliſſimum, & quidem non modo jus introducendi exercitium ſuæ Religionis, verum etiam excludendi & proſcribendi Catholicos, eorumque bona ſibi appropriandi, quamquam hinc inde verbis aliud profeſſi & contra emigrationem neceſſariam a Catholicis imperatam proteſtati fuerint, inferre non dubitarunt. Unde cardo difficultatis eo devolvitur, quomodo §. ille ſive ſecundum literam, ſive ſecundum mentem paci-

(o) So ſollen die Kayſ. Majeſtät, Wir ꝛc. keinen Stand des Reichs von wegen der Augſpurgiſchen Confeſſion, und derſelbigen Lehre, Religion, und Gewiſſens halben mit der That gewaltiger Weis überziehen, beſchädigen, vergewaltigen, oder in andere Wegs wider ſein Gewiſſen, und Willen von dieſer Augſpurgiſchen Confeſſions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, und Ceremonien, ſo ſie aufgericht, oder nachmahls aufrichten mögten ꝛc. beſchweren, oder verachten ꝛc. §. 15.

(p) Dargegen ſollen die Stände. vid. §. 16.

(q) Videlicet §. 15.

pacifcentium ſit intelligendus. Et quoniam *jus reformandi* dicit duplicem reſpectum, unum ad Religionem ipſi Principi propriam id eſt Proteſtanticam; alterum ad Religionem Catholicam, dubitatur, de quo jure loquatur, an de *jure reformandi* reſpective ad Religionem Proteſtanticam eatenus, quatenus Principibus Lutheranis licet ſuæ Religionis exercitium introducere, ritus & ceremonias præſcribere, cultum externum determinare, ſalvo manente exercitio Religionis Catholicæ; vel an reſpective ad Religionem Catholicam cum jure Catholicis ſuum interdicendi exercitium, illorum ſæcularizandi bona, illisque imponendi emigrationem neceſſariam: Paucis, utrum §. citatus ſit accipiendus de jure reformandi *latius*, vel *ſtrictius* accepto in eo ſenſu, quem hic per duplicem reſpectum explicavimus.

Quale jus reformandi Pax Religioſa Proteſtantibus concedat?

Nobis, ſive literam Pacis Religioſæ, ſive mentem Catholicorum inſpiciamus, indubitata res eſſe videtur, citatum §. eſſe intelligendum de jure reformandi ſtrictius accepto, quemadmodum jam ſupra argumentis ſat luculentis commonſtravimus, quæ hic repetere & nonnihil dilucidare juvat. Literam ſi intueamur, Paragraphus 15. meris terminis negativis: *non moleſtentur, non graventur, non ipſis inferatur violentia*, eſt conceptus. Sed quis ex his terminis pure negativis ſecundus regulas ſanæ rationis, melioris Critices, ac bonæ interpretationis *jus reformandi* ampliſſimum inferre audeat? quis, inquam, inferre audeat: *ergo Principes Proteſtantici poſſunt ſæcularizare bona eccleſiaſtica, interdicere exercitium Religionis Catholicæ, illiusque conſortes e territorio expellere?* Quod ſi literam ſiccam, prout ſonat, explanemus, profecto vi verborum Principes Proteſtantici aliud nihil obtinuerunt, niſi immunitatem, libertatem, aut, ſi cum Authore, quem ſemper excelſum vocare placuit, loqui velimus, *regulam territorialem*, vi cujus nullus Imperii Status circa ordinationem exercitii Religionis *ſuæ* ab altero impediri poteſt. Ne vero Proteſtantibus quidquam juris detrahere videamur, facile largimur in his ipſis terminis negativis: *non graventur, non moleſtentur*, latere *jus quoddam reformandi*: nam hoc ipſo, quod in ſuo exercitio Religionis *moleſtari* & *turbari* nequeant, habent utique jus ſuam Religionem introducendi, ritus & ceremonias inſtituendi & abrogandi, id quod ex verbis mox ſequentibus patet, in quibus dicitur: von dieſer Augſpurgiſchen Confeſſions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, ſo ſie aufgericht, oder nachmahls aufrichten werden (r). An autem ex hoc *jure reformandi* reſtricto inferri poſſint

Pax Religioſa ſecundum literam jus reformandi valde reſtrictum in ordine ad Religionem proteſtanticam conceſſit.

(r) Cit. §. 15.

ſint alia jura ſpecialia eidem alias annexa, qualia ſunt jus interdicendi exercitium alterius Religionis, imponendi emigrationem, expellendi ſubditos Religioni Catholicæ addictos, ſæcularizandi Epiſcopatus, & Monaſteria, longe alia eſt quæſtio ex mente paciſcentium decidenda. *Mentem paciſcentium* ſi exploremus, hi vel fuere Proteſtantes, vel Catholici? Proteſtantes nihil aliud quærebant, nec quærere poterant, quam introductionem, tolerantiam & exercitium ſuæ Religionis liberum, poſthac amplius non turbandum, id quod ipſa litera Pacis loquitur: ſecus enim Paciſcentes longe aliis verbis magis expreſſivis, prægnantioribus, clarioribus *jus reformandi* apertius ſignificantibus uſi fuiſſent. Profecto violentia ingens fieri debet verbis, ſi quis ex terminis negativis ſupra citatis aliud extorquere, & veluti extundere vellet. Nec veroſimile eſt, quod *jus reformandi* tale eblandiri, & velut extorquere tentaverint, quale ſe nunquam a Catholicis obtenturos prævidere debuerant. Anne enim (ut jam de mente Catholicorum loquamur) anne, inquam, unquam ſperare poterant Proteſtantes, quod Catholici ſuam Religionem, pro qua tanquam pro aris & focis ſemper dimicarunt, adeo neglectim & contemptim ſint habituri, ut eam veluti in prædam dare Proteſtantibus, eorumque juri reformandi irreſtricto ſubiicere, ac tanquam ancillam Religioni proteſtanticæ, cui antea veluti Domina imperaverat, ſubſternere non dubitarent? Nemo ſane nobis perſuaſerit, ut credamus, Catholicos unquam in id conſenſiſſe.

Quid ſecundum mentem paciſcentium?

Idcirco *jus reformandi* Proteſtanticum conformiter Paci Religioſæ eſt *jus competens Statibus Imperii Proteſtanticis introducendi ſuam Religionem illiusque determinandi exercitium, in quantum id a lege permiſſum, & legibus Imperii fundamentalibus non eſt contrarium, ita ut propterea moleſtari, inquietari & turbari non poſſint, ſalvo tamen manente exercitio Religionis Catholicæ.* En, quam liberales ſimus ergo Proteſtantes! Jam pace noſtra ſumant Doctores proteſtantici ſuum *jus reformandi*, prout libuerit: emendent defectus, corrigant exceſſus, aboleant abuſus, determinent ritus, ceremonias & exercitium ſuæ Religionis, prout libuerit, dummodo illud non extendant ad Religionem Catholicam, & hanc intactam & illibatam conſervent. Nos Catholici in hoc ſenſu noſtris Principibus concedere tale jus ex principiis Religionis prohibemur, quippe apud quos dogmatis inconcuſſi eſt, quod Reformatio Religionis quoad ritus, ceremonias & cultum externum ex jure divino pertineat ad Epiſcopos. Quid vero, & quantum poſſit Princeps ſæcularis in negotio & exercitio Religionis quoad abuſus Reipublicæ nocivos, ex aliis principiis & ſupra dictis diſcendum eſt.

Quid ſit jus reformandi Proteſtanticum conformiter Paci Religioſæ.

Catholici ſuis Principibus non poſſunt concedere tale jus reformandi, quale prætendunt Proteſtantici.

Catholicis ex Pace Religioſa jus reformandi ferme nullum, aut non niſi improprium competit.

Jam quæres, qualenam ergo *jus reformandi* ex Pace Religioſa competat Statibus Catholicis? In promptu eſt reſponſio, & libenter fatemur, Catholicis proprie nullum jus competere: niſi *regulam territorialem* ſupra ex Authore excelſo explicatam, vi cujus Catholici haud ſecus quam Proteſtantici circa ordinationem exercitii Religionis ab altero impediri non poſſint, *jus reformandi* appellare velimus, quæ tamen locutio eſt valde impropria.

Neque jure reformandi indigebant, utpote quod jam antea habuerunt.

Sed dices: ergo Catholici ſunt deterioris conditionis, quam Proteſtantici. Neutiquam. Catholici non indigebant *jure quodam reformandi*, ex Pace Religioſa emendicato, quippe qui illud ante Pacem Religioſam ex titulo tam *Advocatiæ* quam *Principatus* habuere, cum eorum Religio ſola fuerit in legitima poſſeſſione, ſola fuerit dominata per Imperium, ſola habuerit jus civitatis. Et quidem habuere Catholici *jus reformandi* non qualecunque, ſed tale, quale habent Principes ex jure naturæ & principatus reſpective ad Religionem non tantum ſuam, quam profitentur, ſed etiam ad cœteras Religiones, quemadmodum ſupra explicavimus.

Utrum Catholici poſſint prætendere jus reformandi magis extenſum quam Proteſtantes?

Inde jam ſtylo inverſo dices: ergo Proteſtantes longe deterioris ſunt conditionis, quam Catholici, quia Catholici habent *jus reformandi* ampliſſimum, Proteſtantes vero valde limitatum, & ad ſolam Religionem Proteſtanticam reſtrictum: id quod eſt *contra leges pactorum*, in quibus par debet eſſe conditio paciſcentium; contra *literam Pacis Religioſæ*, in cujus §. 16. idem de Catholicis & ferme iisdem verbis diſpoſitum eſt, quod de Proteſtantibus in §. 15. præcedenti diſpoſitum legitur; *contra intentionem Proteſtantium*, qui quoad *jus reformandi* voluere & volunt pares haberi Catholicis; *contra alias doctrinas & diſpoſitiones Pacis*: nam ſi Principibus Proteſtanticis non competit jus in ordine ad Religionem Catholicam reformandam, ad quid opus habuere ſubditi Catholici æque ac Proteſtantici beneficio emigrationis voluntariæ? cum aliunde jam fuerint tuti, & in Religionis ſuæ exercitio turbari non potuerint (s): eſt *contra omnem hiſtoriam & praxin imperii:* cum Proteſtantes *jure reformandi* reſpective ad Religionem Catholicam uſi fuerint a tempore Pacis Religioſæ usque ad tempus Pacis Weſtphalicæ; imo eſt contra *propriam Catholicorum Confeſſionem*, qui, ſi tamen verum eſt, quod ſcribit Author excelſus in ſeinem Grundriß (t), qui, in-

(s) Religions Friede §. 24.

(t) Die Proteſtanten verlangten von den Catholiſchen Ständen das freye Exercitium diverſæ Religionis für die der A. C. zugethanen Unterthanen deren Catholiſchen, und Geiſtlichen, die Herren Kayſerlichen ſtellten aber denen Proteſtanten ihr ungerechtes Begehren vor, und behaupteten das jus reformandi, wie ſelbes die Proteſtantiſche Stände practicirt, pag. 81.

Digitized by Google

inquam, ipſi, dum Proteſtantes exercitium ſuæ Religionis in terris Catholicorum urgebant, ad *jus reformandi* a Proteſtantibus exercitum provocarunt, neque acquieverunt, usque dum *jus reformandi* adinſtar regulæ §. 30. Art. 5. Pacis Weſtphalicæ Catholicis æque ac Proteſtantibus ſtabiliretur; & inviti prorſus in ſubſequenti §. 31 in favorem ſubditorum proteſtanticorum in annum regulativum conſenſerunt.

Satis hæc gravia eſſe videntur, ſed non tanti momenti, ut dilui non valeant. Et inprimis quidem quis neſcit, non ſemper parem eſſe conditionem paciſcentium, quando non par eſt eorum ratio? Quis vero non videt imparem fuiſſe conditionem Catholicorum & Proteſtantium? Catholici ante Pacem Religioſam exulante adhuc Religione Proteſtantica, quin ne nomine quidem illius audito habuere *jus reformandi* Principatui ex jure naturali modo ſupra explicato annexum quaſi irreſtrictum; Proteſtantes econtra nullum prorſus. Jure ergo Catholici inſiſtebant ſuo juri antiquiſſimo, & Proteſtantes gratulari ſibi debebant, quod tandem jus civitatis per viam tolerantiæ & *jus reformandi* Religionem *ſuam* duntaxat NB. per viam introductionis obtinuerint. Quemadmodum ergo Catholici ante Pacem Religioſam, ſic etiam poſt illam *jus reformandi* cum reſpectu ad Religionem noviter introductam aut poſthac introducendam exercuerunt, & prætenderunt. Et ſi Proteſtantes agnoverunt, *jus reformandi* ex Pace Religioſa ſibi conceſſum etiam ad Religionem Catholicam reformandam ſe extendere, ad quid toties conqueſti ſunt contra *emigrationem neceſſariam* a Catholicis imperatam? contra quam ſane conqueri non potuiſſent, ſi perſuaſum habuiſſent, ſibi competere *jus reformandi* cum ordine ad Religionem Catholicam. Neque dicas, hoc ipſum eſſe contra nos, & ſignum manifeſtum, quod Catholicis voluerint haberi æquales. Verum inanem fuiſſe hanc querelam exinde patet, quod Catholici jus imperandi emigrationem prætenderint non vi *juris reformandi* a Pace Religioſa noviter ſibi conceſſi, ſed vi juris jam ante Pacem Religioſam ex regula territoriali ſeu ex jure Principatus ſibi competentis.

Non fuit par ratio paciſcentium.

Quo jure Catholici prætenderint jus imperandi emigrationem?

Ita eſt, ferme æqualiter loquitur litera Pacis Religioſæ in §. 15. de Proteſtantibus, & in §. 16. de Catholicis in ordine ad ſecuritatem publicam & *regulam territorialem* ſupra explicatam, quatenus Status imperii invicem ſe moleſtare, & turbare non debent, nec poſſunt, adeoque quoad *jus reformandi*, in quantum id in Pace Religioſa eſt fundatum, & exinde deduci poteſt, de quo ſibi Catholici per legem publicam providere voluere & debuere, ne Proteſtantes audaciores fierent, &

Explicatur §. 15. & 16. Pacis Religioſæ in ordine ad jus reformandi.

Quare Catholici in diſpoſitionem

§. 16. conſenſerint, & de quali jure reformandi ſibi providerint?

& ſub prætextu *juris reformandi & regulæ territorialis* ſibi ſolis ſtabilitæ omnia ſuſque deque verterent, & totam rem Catholicam everterent, ſalvo tamen manente *jure reformandi* longe ampliori, quod Catholici jam ante Pacem Religioſam habuerunt, cui renuntiare illos voluiſſe eo minus præſumi poteſt, quod a tempore Pacis Religioſæ usque ad Pacem Weſtphalicam illud conſtanter exercuerint, & non modo contra publicum, ſed etiam contra privatum Religionis Proteſtanticæ in ſuis terris Catholicis exercitium, contra *Autonomiam* & libertatem conſcientiæ proteſtati ſint, unaque contra ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum, ejectionem ſubditorum Catholicorum a Proteſtantibus intentatam, ſua gravamina paſſim in Comitiis depoſuerint. Hæc ſane ſigno ſunt apertiſſimo, quod Catholici longe aliud *jus reformandi* in ſuis, quam in Statibus Proteſtanticis agnoverint, in ſuis nempe *jus reformandi* in jure Principatus fundatum amplum ſatis & ad reformandam, ac abolendam Religionem proteſtanticam extenſum; in Proteſtanticis *jus reformandi* reſtrictum ſatis, & unice in Pace Religioſa & *regula territoriali negativis terminis* concepta: *non graventur, non moleſtentur* ſtabilitum.

Non eſt idem modus loquendi in §. 15. & §. 16.

Sed nec idem prorſus loquendi modus in §. 15. & 16. occurrit. In §. 15. fit mentio ſaltem implicita de jure inſtituendi ritus, ceremonias &c. Statibus Proteſtanticis competente, non vero in §. 16. in favorem Catholicorum concepto. Et quare? ratio eſt in propatulo: quia nempe

Proteſtantes prætenderunt jus reformandi non politicum duntaxat ſed etiam eccleſiaſticum; non vero Catholici.

Proteſtantes pro ſuis Principibus prætenderunt *jus reformandi* non *politicum* duntaxat, ſed etiam *eccleſiaſticum*, quod ex propria confeſſione vel aliunde Principibus ex natura Religionis erat proprium, vel a cœtu proteſtantico in ipſos fuit translatum; dum econtra Principes Catholici hujusmodi jus penitus abhorrebant, reſpuebant, & a ſe proiiciebant, ne invaſores jurium alienorum audirent, utpote quibus optime ex doctrina chriſtiana perſpectum fuerat, *jus reformandi eccleſiaſticum* ex jure divino Eccleſiæ & Eccleſiæ Præſulibus eſſe proprium, quin ipſis ſine ſacrilegio ſurripi valeat.

Subditi etiam Catholici opus habuere beneficio emigrationis, & quare?

Eſto autem Catholici ipſo jure in exercitio Religionis fuerint tuti, & in eo impediri non potuerint: quid ſi nihilominus a ſuis Principibus ex odio Religionis fuere moleſtati, turbati, aut rigidius hábiti, aut ex aliis rationibus noluere vivere inter Proteſtantes, & tamen a ſuis Principibus emigrare non permiſſi, aut omnino violenter detenti fuere, quemadmodum id factum eſſe hiſtoriæ perhibent, an non opus habuere ſingulari privilegio & aſſiſtentia juris? cum enim Principes Proteſtantici optime perſpectum haberent, bono politico peſſime eſſe conſultum per emigrationem ſubditorum, maxime ſi in magna copia emigrarent,

grarent, non raro ſubditos aut violenter detinere, aut eorum bona fiſco addicere, illosque ſine pera & ſacco dimittere non abhorrebant, quibus propterea contra violentas detentiones aliasque vexas beneficio emigrationis conſulere placuit.

Proteſtantes exercuerunt jus reformandi contradicentibus Catholicis.

Neque inficiamur, quod Proteſtantes jus reformandi, quanquam hoc nomine *jus reformandi* usque ad tractatus Pacis Weſtphalicæ uſi non fuerint (u), exercuerint, ſed utique contradicentibus Catholicis, non quidem contra uſum innocuum & a lege permiſſum, ſed contra abuſum illius, contra ſæculariżationem bonorum eccleſiaſticorum, contra violentas ejectiones Clericorum. Et quoniam Proteſtantes in tractatibus Pacis Weſtphalicæ, ſicut antea diximus, vehementiſſime *Autonomiam*, & exercitium ſuæ Religionis urgebant, & propterea ad impetrandam facilius *autonomiam a jure reformandi* abſtrahendum eſſe exiſtimabant, Catholici Plenipotentiarii non acquieverunt, usquedum in Art. 5. §. 30. P. W. Statibus Imperii *jus reformandi* ſtabiliretur (x), ſed utique conformiter Paci Religioſæ: id quod apertiſſime ex verbis citati §. colligitur, quæ cum verbis Pacis Religioſæ quoad ſenſum omnino conveniunt (y).

Quare Catholici in Pace Weſtphalica jus reformandi ſtabiiri voluerint?

Diſcrimen inter jus reformandi Catholicorum, & Proteſtanticorum ex Pace Religioſa.

Ex his jam ſequitur, aliud *jus reformandi* competere Statibus Imperii Catholicis, & aliud Proteſtanticis, ſive ad principia utriusque Religio-

(u) Dieſe Wort: jus reformandi kommen das erſtemahl bey denen Weſtphäliſchen Friedens-Tractaten offentlich zum Vorſchein, da nemlich die Herren Proteſtanten bey Uebergebung ihrer Religions-Beſchwerden in dem zweyten gravamine wegen der geiſtlichen Güter ſelbe gebrauchen, und ihren gewaltthätigen Praxin in Abnehmung deren geiſtlichen Gütern mit den ſcheinbaren Worten juris reformandi beſchönen wollen Author des Ungrunds pag. 55.

(x) Vid. mox antea dicta ex Authore des Ungrunds.

(y) Verba enim Pacis Weſtphalicæ ſic habent: *cum ejusmodi Statibus immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum imperium hactenus uſitata praxi etiam jus reformandi exercitium Religionis competat, ac dudum in pace Religionis* (En quomodo hæc pax ad pacem religioſam provocet!) *talium Statuum ſubditis &c.* ac paulo poſt: *conventum eſt, hoc idem porro quoque ab utriusque Religionis Statibus obſervari, nulli Statui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio Religionis competit, impediri oportere.* Nunquid hæc verba quoad ſenſum æquivalent verbis Pacis Religioſæ in §. 15.?

Digitized by Google

ligionis, ſive ad Pacem Religioſam aliasque legesGermaniæ fundamentales reſpiciamus. Jus Catholicorum eſt mere *politicum*, in jure tam Principatus quam Advocatiæ fundatum, ex aliqua tamen parte latius extenſum, quam Proteſtanticorum, in quantum ſe extendit ad Religionem Proteſtanticorum, aliasque Religiones reformandas: Proteſtanticorum eſt ſimul *politicum* & ſimul *eccleſiaſticum*, quippe quod ex principiis illorum ſe etiam extendit ad exercitium Religionis quoad diſciplinam externam ſuæ Eccleſiæ per introductionem rituum & ceremoniarum dirigendum, regendumque, id quod eſt contra principia Religionis Catholicæ, quæ regimen Eccleſiæ externum una cum directione Religionis Præſulibus Catholicis adſcribit: in eo tamen eſt minus pingue & magis reſtrictum, quod ſecundum principia ſanioris Jurisprudentiæ non minus, quam juxta literam & mentem Pacis Religioſæ præter *regulam territorial m*, in quantum nempe in exercitio ſuæ *tantum* Religionis determinando impediri, moleſtari, & turbari eorum Principes nequeunt, nihil juris importet, adeoque exercitium Religionis Catholicæ in territoriis proteſtanticis ſalvum relinqui debeat, quin vel illud exterminare, vel ſubditis Catholicis emigrationem imponere Principes Proteſtantici valeant.

Neque dicas: ergo Status Proteſtantici potius habent *jus ſimultanei*, quam *jus reformandi*, ſi exercitium Religionis Catholicæ reformare non poſſunt. Pace noſtra vocetur illorum jus vel *jus ſimultanei*, vel *jus reformandi*. Sunt hæc verba aliunde noviter inventa, & eorum ſignificatio dependet ab acceptatione hominum. Profecto habent Principes Proteſtantici *jus reformandi* ampliſſimum, quia exercitium ſuæ ſaltem Religionis reformare, abuſus tollere, ritus & ceremonias abrogare, novas introducere, & diſciplinam ſuæ Eccleſiæ externam dirigere poſſunt, quod ex principiis ſuæ Religionis nequeunt Imperantes Catholici, qui poteſtatem dirigendi Eccleſiam reverentur in ſuis Præſulibus, niſi diſciplina eccleſiaſtica cum regimine & bono politico connectatur.

Habent Proteſtantes jus reformandi ſat amplum.

Hæc jam, quæ de *jure reformandi* ſecundum varios reſpectus conſiderato fuſiori calamo dilucidavimus, ſublimiori judicio ſubmittimus, exiſtimantes ea eſſe conformia principiis ſanioris theologiæ & Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ univerſalis, ac ipſis etiam legibus Germaniæ fundamentalibus, ſaltem ſi ad literam & mentem paciſcentium potiusquam ad tortas interpretationes, & praxin arbitrarie introductam, & abuſus in immenſum multiplicatos reſpiciamus, de cœtero parati corrigere, & emendare, ſi quæ his contraria ſcripſimus, docuimus, tradidimus.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Quoniam ad *jus reformandi politicum* in genere ſpectatum tanquam pars eidem annexa jus recipiendi, proſcribendi, tolerandique diverſas Religiones pertinere dignoſcitur, & Religio Lutherana in Pace Religioſa jus civitatis per viam tolerantiæ obtinuit, operæ pretium erit de *tolerantia Religionum* quædam diſſerere. Eſt hæc materia difficultatis immenſæ, momenti ſummi, diſquiſitionis ampliſſimæ, & ferme in omnibus diſciplinis ſublimioribus Philoſophia, Theologia, Jurisprudentia naturali, Eccleſiaſtica, Civili, & Politica pertractatur. *De tolerantia Religionum.*

Aut enim de *tolerantia in genere* quærimus, in quantum eſt *affectio animi, indeque fluens declaratio, qua ex juſtis cauſis & approbatis illa, quæ nobis adverſa ſunt, vel a nobis non probantur, prohibere aut declinare non poſſumus, vel non debemus, patienter ferimus, illis non repugnamus, aut reſiſtimus, imo aliquando boni publici cauſa, aut majoris mali evitandi cauſa expreſſe admittere cogimur* (z). Et de hac agitur in Ethica & Theologia morali, in qua non modo *tolerantia* in ſe, & illius objectum, ſed etiam regulæ, ſecundum quas dirigi, & ordinari debet, explicantur. *Quid ſit tolerantia in genere? De hac agitur in Ethica.*

Aut agimus de *tolerantia in ſpecie*, quam vocare ſolemus *Religioſam*, id eſt de *tolerantia diverſarum Religionum*, & hujus pertractatio non ad Theologiam duntaxat, ſed ad omnes ferme diſciplinas Jurisprudentiæ ſpectat. Pertinet inprimis ad *Theologiam* & *Jurisprudentiam naturalem publicam*, ut inde doceamur, an, & qualis Religio ſecundum principia juris naturæ & divini tolerari poſſit & debeat. Pertinet dein ad Jurisprudentiam eccleſiaſticam, civilem tam publicam quam privatam, ut ſciamus, quid leges eccleſiaſticæ & civiles, publicæ & privatæ circa *tolerantiam Religionum* ſtatuerint, quarum tolerantiam permiſerint, reprobraverint, approbaverint, & lege publica communierint (a). Pertinet demum ad *politicam*, ex cujus regulis ſanioribus diſcendum, quid ſanior *politia*, quid ratio boni publici, quid *ratio ſtatus* circa *tolerantiam*, & maxime pluralitatem Religionum in Republica exigat. Eſto enim ſanior *politia* pluralitatem Religionum in Repu- *De tolerantia in ſpecie, quæ vocatur Religioſa.*

 blica

(z) Ita ferme deſcribit tolerantiam in genere Boehmerus Tom. IV. Jur. Eccleſ. lib. 5. Tit. 7. N. 171. ubi addit: *vi vocis & nativæ ſignificationis tolerare nihil eſt aliud, quam patienter id, quod ingratum, adverſum, atque malum nobis videtur, ferre, eique non reſiſtere, imo aliquoties tacite vel expreſſe admittere.*

(a) Sic in Germania tres Religiones lege publica ſunt toleratæ.

Digitized by Google

Pluralitas & diverſitas Religionum non facile toleranda eſt in Republica.

blica non facile debeat aut poſſit admittere, ſed omni ſtudio ante omnia conandum ſit, ut vera eaque unica Religio, & unanimis recte Deum colendi formula ſarta tectaque ſervetur, quo diſſenſionibus, & motibus civilibus omnis anſa præcludatur, quas nulla magis fax accendere ſolet, quam Religionis diverſitas, unde civitates concuti, & lacerari Regna neceſſe eſt, dum quisque pro Religione ſua movet, & movetur, nihilominus tamen dantur quoque rationum momenta, quæ plurium Religionum in una civitate permiſſionem & receptionem exigunt: cujusmodi foret, ſi plus mali ex eliminatione, quam ex earum tolerantia ſecuturum prævideretur; tunc enim veræ politicæ regulis conſentaneum foret ex duobus malis minus eligere (b).

Nobis præcipue de *tolerantia Religioſa* ſecundum principia tam generalia quam particularia, præcipue ſecundum leges Germaniæ particulares agere conſtitutum eſt. Ne tamen a recto tramite deflectamus, & in avia & devia rapiamur, breviter de *tolerantia* in genere, & multiplici illius diviſione agemus. Conceptum *tolerantiæ* in genere ſupra explicavimus, ex quo apparet 1mo, illam ſupponere & *ſcientiam* & *voluntatem*, quatenus ea, quæ toleramus, & ſentimus & intelligimus, & nos intelligere declaramus, etiam per *voluntatem* amplectimur, & ea, quæ non poſſumus vel non debemus avertere, patienter ferimus.

Conceptus tolerantiæ in genere explicatur.

Differt a diſſimulatione.

Hoc modo *tolerantia* differt a *diſſimulatione*: ea enim, quæ diſſimulamus, ignorare videmur, & videri volumus; ea vero, quæ toleramus, nos ſcire, & patienter ferre videri volumus, & quandoque publice declaramus & oſtendimus. Hinc datur *tolerantia expreſſa* & *tacita*, cum tamen *diſſimulatio expreſſa* dari nequeat (c). Differt quoque a *conniventia*, quæ ferme cum diſſimulatione coincidere videtur (d).

Eſt expreſſa vel tacita.

Differt a conniventia.

Debet fundari in juſtis rationibus, quæ ſunt triplicis generis.

Colligitur 2do, omnem *tolerantiam* debere fundari in juſtis & probatis rationibus, quæ ad tria reduci capita poſſunt: aut enim ea, quæ toleramus, & non impedimus, vel *non debemus*, vel *non poſſumus* impedire, aut ea impedire *non expedit?* Prima ratio impedimentum legis; altera impedimentum *naturæ*; tertia impedimentum *utilitatis* deſignat. Ex

(b) Ex hac ratione in Germania Catholici tolerant Religionem Proteſtanticorum, & Reformatorum.

(c) *Diſſimulare* ſtricte id eſt agere, ut ea ignorare, quæ nobis adverſantur, videamur. vid. l. 2. cod. ſi al. res pign.

(d) Sic in l. 4. §. 1. ff. de manum. dicitur: *conniventibus oculis credendum eſſe, ſervum ſuis nummis eſſe redemptum, quamvis ſuos nummos ſervus habere nequeat.*

Digitized by Google

Ex impedimento *juris* tenemur tolerare Religionem Proteſtanticam; ex impedimento *naturæ* calamitates ſubito emergentes, maxime naturales e. g. Grandinem, imbres &c.; ex impedimento *utilitatis* e. g. inveteratos mores, eſto bono publico non adeo proficui videantur, quos majoris mali evitandi gratia patienter ferimus.

Ex hoc colligitur 3tio, *tolerantiam* aliquando convenire cum *patientia*, aut potius *patientiam* degenerare in *tolerantiam*, aliquoties diſconvenire: nam quia ex dictis in omni *tolerantia* præſupponuntur talia, quæ nobis adverſantur, vel ſaltem a nobis non probantur, res eo devenit, utrum ea, quæ patimur, ſint nobis adverſa, vel non: ſi primum e. g. ſi vicinus noſter ſuas ædes altius ædificet, ſi aquam pluviam in aream noſtram dirigat, quin contradicere aut impedire poſſimus, tunc *patientia* idem ferme eſt, ac *tolerantia*. Si non ſint adverſa, & vel expreſſe vel tacite a nobis probantur e. g. ſi patiamur negotium noſtrum ab alio geri, pro nobis fidejubere aliquem, in his & ſimilibus caſibus patientia tacitam approbationem negotii geſti involvit, qualem mera *tolerantia* non includit: neque enim ex eo, quod Synagogas Judæorum toleremus, illorum judaicam ſuperſtitionem approbamus. Idem dici poteſt de *tolerantia* Religionis Proteſtanticæ. Ex hoc patet, quod *patientia* latius vagetur, & ſæpe plusquam meram *tolerantiam* in ſe contineat, & hinc in omni *tolerantia* adeſt *patientia*, ſed non vice verſa. Id etiam addendum, quod nomine *patientiæ* communius utamur in adverſis, & malis a natura; econtra nomine *tolerantiæ* in malis moralibus, quæ majoris mali evitandi gratia tolerare debemus.

Convenit cum patientia, & diſconvenit aliquando.

Colligitur 4to, *tolerantiam* & *permiſſionem* aliquoties ab invicem differre, aliquoties convenire: nam aliquoties *permiſſio* eſt pure *negativa*, quæ conſiſtit in mera negatione præcepti & prohibitionis, quando actus nec præcipitur nec prohibetur; nec præcipi aut prohiberi poteſt ex eo, quod ſit nec malus nec bonus, ſed prorſus indifferens. Aliquoties *permiſſio* eſt *poſitiva*, quæ dat jus poſitivum aliquid agendi citra culpam & pœnam e. g. ſi Princeps det facultatem venandi in ſylva ſibi propria, id quod poſſet impedire; aut debitor creditori concedat jus alienandi fundum ſibi oppignoratum, quo in caſu id, quod permittitur, rectæ rationi & juri naturæ debet eſſe conforme. Aliquoties eſt **permiſſio pure talis**, quæ eſt circa actus illicitos & ſolummodo impunitatem, non vero licititatem tribuit, & hinc a quibusdam vocari ſolet **permiſſio impunitatis**, veluti quando lex 12. tabularum permiſit occiſionem furis nocturni, lex Romana Concubinatum, & hinc inde permittuntur lupanaria. Et hujusmodi *permiſſiones* fiunt vel ob evitationem majoris

Idem dicendum de permiſſione, cum qua pariter convenit & diſconvenit.

Permiſſio eſt multiplex.

Digitized by Google

majoris mali, vel ob impoſſibilem extirpationem, uti in datis exemplis, vel ob ſpem majoris boni, quomodo Eccleſia permittit vivere Judæos ſuis ritibus, quia ſperantur eo facilius ad Religionem chriſtianam reducendi. Jam vero quia omnis *tolerantia* occupatur circa malum vel morale vel naturale, quod nobis adverſum eſt, ſequitur manifeſte, quod *permiſſio negativa*, quæ circa actus indifferentes, & *poſitiva*, quæ verſatur circa actus honeſtos, omnino differat a tolerantia, adeoque ſola *permiſſio pure talis* idem ſit, quod *tolerantia*, quatenus illa non avertimus, aut impedimus, quæ improbamus, ſed fieri patimur, quia declinare non poſſumus, vel debemus (e).

Tolerantia verſatur circa mala vel vere vel apparenter talia moralia vel naturalia.

Colligitur 5to, *tolerantiam* circa *mala* vel *vere* vel *apparenter talia* verſari; & hæc ſunt vel *moralia* vel *naturalia*: illa regulis morum adverſantur: hæc vero ex naturæ approbatione hominibus ingrata proveniunt, uti imbres, tonitrua, terræ motus, incendia &c. *Mala naturalia* volentes nolentes tolerare debemus. *Mala moralia* tolerare aliquando abſoluta quaſi *neceſſitas* cogit, eo quod nullo modo, vel nonniſi difficillime impediri & auferri poſſint, vel *ratio boni publici* exigit, ne ex malorum abolitione majora ſequantur mala. Exemplum primi ſuppeditant mali mores vel veri vel apparenter tales, qui ſi ſemel radices egerint, vel nullo modo vel nonniſi difficillime eradicari amplius poſſunt. Contingit Principibus non raro, quod peritiſſimo medico cui non ſemper eſt integrum, *ſanetur ut æger*, imo interdum, teſte Livio (f), *medici plus quiete quam movendo & agendo proficiunt.* Ita quoque res ſe habet in Republica, quæ corpori humano ægrotanti, multiſque laboranti morbis recte comparatur, ubi ſemper obtinet illud Taciti: *vitia donec homines* (g). Imo ſalus Reipublicæ, quæ ſuprema lex eſſe debet, aliquando poſtulat, ut hæc vel illa prava conſuetudo toleretur, nec ei efficaciter reſiſtatur, utut minime approbetur, & Princeps eam mallet eradicare, quam tolerare. Nunquid Deus ipſe in Republica Judaica olim toleravit divortia *ob duritiam* cordis, polygamiam ob alios fines graves? toleravit primitiva Eccleſia in primis chriſtianis *obſervantiam legalium*, tolerat hodierna Eccleſia *commendas*, *pluralitatem beneficiorum &c.* Exemplum ſecundi præbent delicta ſeu *facta probroſa* & *illicita*. Hæc licet regulariter non ſint toleranda, ſed coercenda & impedienda, contingere tamen poteſt, ut Reipublicæ morbidæ ratio non ferat, ut ex- tir-

(e) De permiſſione vid. Diſſert de diverſ. Relig. tolerant. Joan. Petri Banniza cap. 1.

(f) Lib. 22. cap. 18. (g) Lib. hiſtor.

Digitized by Google

tirpentur, & pœnis ſubjiciantur. *Tolerantia* Lupanarium olim apud Romanos, & hodie apud gentes quasdam eſt malum neceſſarium. Tolerabantur olim apud Ægyptios furta ſub certis conditionibus (h). Duellorum & diffidationum licentia apud Germanos adeo altas egerat radices, ut legibus etiam circumſcripta eſſet publicis, nec in crimen incideret, nec facile, ſed ſucceſſive eradicari poſſet. Ad *mala moralia* etiam referuntur errores circa Religionem: eſto enim errores iſti potius ſint errores mentis, quam voluntatis, attamen ſæpiſſime cum prava voluntate ſunt conjuncti, & ſunt delicta coram Deo ſaltem, licet in Republica pro talibus non habeantur. *Errores circa Religionem ad mala moralia pertinent.*

Colligitur 6to, Eſſentiam *tolerantiæ* conſiſtere in patientia, & admiſſione ſine reſiſtentia, quæ proin omnem prohibitionem & vim reſpuit, libertati indulget, & æquo animo ferendum eſſe jubet, quod declinari, averti & prohiberi vel non poteſt, vel non debet. Interim *tolerantia* habet ſuos gradus, & nunc *major*, nunc *minor* eſt, modo reſtringi, modo relaxari poteſt: e. g. poſſunt Religioni in aliqua Republica toleratæ arctiores vel ampliores poni limites. *In quo conſiſtat eſſentia tolerantiæ? Habet ſuos gradus.*

Ex his ulterius ſequitur, *tolerantiam* eſſe multiplicis generis, & quidem aliam *publicam*, aliam *privatam*: illa nititur authoritate Imperantium in ordine ad regendam Rempublicam illiusque bonum promovendum; hæc reſpicit obligationem hominum privatorum, quatenus ex *regulis chriſtianæ charitatis vel pietatis* (i), vel ex *regulis prudentiæ*, vel *ex regulis juris* aliqua tolerare, pati, & ſine reſiſtentia diſſimulare tenemur (k). *Tolerantia eſt multiplicis generis.*

Publica tolerantia rurſus eſt vel *neceſſaria*, vel *voluntaria* ſeu *gratioſa*: illa debetur ex legibus fundamentalibus, vel pactis publicis inter Imperantes & ſubditos initis, qualis eſt Religionis Lutheranæ in Germania; hæc unice dependet a voluntate Imperantis & pacto reſpective privato inter ipſum & ſubditos inito, ita ut in arbitrio Imperantis ſolius ſtet *tolerantiæ* huic limites ponere, & eam reſtringere, id quod non poteſt, ſi ſubditis debeatur *tolerantia* ex lege fundamentali, & pacto publicó (l). *Tolerantia publica eſt vel neceſſaria, vel voluntaria.*

Iterum

(h) Vid. Diodorus Siculus. lib. 1. cap. 80.

(i) De hac vid. Matth. 5. v. 39.

(k) Prudentia ſæpe ſuadet, ne malo obſiſtamus, ne deterius quid accidat. Jura etiam indulgentiam in certis rebus jubent & determinant, e. g. tolerantiam Lupanarium.

(l) Exemplum habetur in tolerantia Anabaptiſtarum, Judæorum.

Digitized by Google

Simplex & qualificata. Iterum alia *ſimplex*, & alia *qualificata*: hæc perfectam jurium communionem introducit cum iis, qui verum jus civitatis habent, ita, ut idem ſit tolerari ac jure civitatis perfecto gaudere (m); illa in ſimplici Imperantis permiſſione conſiſtit, & ſine perfecta jurium communione alias ex jure civitatis promanantium nunc arctiores, nunc ampliores recipit terminos, quos egredi non licet (n).

De tolerantia Religioſa. Explicatis jam iis, quæ ex regulis Philoſophiæ, Jurisprudentiæ & Politices ad *tolerantiam* in genere pertinent, jam de *tolerantia Religioſa* agendum, & quid ex jure naturæ, divino, politico, civili, publico & privato de ea dici debeat, videndum. *Religiones ſunt diverſiſſimi generis, & una ſolum vera.* Sunt vero Religiones diverſiſſimi generis & plane innumeræ, & ex his nonniſi una tantum vera, licet plures paſſim dicantur & circumferantur tanquam veræ. Illi, qui Religionem veram profitentur, dicuntur in genere loquendo *fideles* (o); *Fideles, & infideles quinam dicantur?* cœteri *infideles*: & hinc *infidelitas* in genere nihil eſt aliud quam *error in Religione vera.* Sed quoniam errores in Religione vera ſunt iterum diverſiſſimi generis, idcirco Catholici ſaltem tres *infidelitatis* ſpecies ſtatuunt, *Paganiſmum*, *Judaiſmum*, & *hæreſin*: *Tres infidelitatis ſpecies apud Catholicos.* *Paganiſmus* eſt ſecta eorum, qui revelationes utriusque teſtamenti negant, ad quam reducunt Atheiſmum, Deiſmum, Indifferentiſmum, Naturaliſmum, Scepticiſmum, & alia his ſimilia ſectarum monſtra, quæ noſtris temporibus per varia regna, provincias, & præcipue in aulis Principum dominantur & graſſantur. Judaiſmus eſt error hominum legem duntaxat Moſaicam ſectantium, nec in Chriſtum credentium. *Hæreſis* juxta mentem hodiernorum ſectariorum diverſimode deſcribitur, aliter in *ſenſu theologico*, ſtricte tali, aliter in *ſenſu juris Canonici*, & aliter in *ſenſu juris Civilis* tam publici quam privati, aliter a Catholicis, & aliter ab ipſis ſectariis. *Hæreſis in ſenſu Theologico* apud ſectarios eſt error contrapoſitus veritati in Scripturis revelatæ (p); *in ſenſu Canonico* eſt error contradicens dogmatibus

(m) Hoc modo tolerantur in Germania Lutherani, Reformati &c.

(n) Huc ſervit exemplum mox datum de Anabaptiſtis.

(o) S. Scriptura fideles paſſim vocat illos, qui viva fide ſunt præditi. Apud Patres antiquos fideles audiunt, qui per baptiſmum in Eccleſiam recepti, & Euchariſtiæ participes effecti. Specialiori ſenſu apud Patres fideles opponuntur Catechumenis. Succeſſu temporis nomen infidelium ampliorem accepit ſignificationem, ita ut infidelium numero etiam hæretici, eſto baptiſmum ſuſceperint, venirent.

(p) Nam ſola Scriptura apud Proteſtantes eſt regula fidei.

Digitized by Google

matibus fidei vel a Conciliis vel a Pontifice declaratis (q); *in ſenſu juris Civilis* eſt error eorum, qui a Religione jus civitatis in Republica habente in ſuis dogmatibus diſſentiunt: & hinc in ſenſu juris publici hæretici non poſſunt dici Proteſtantes & Reformati, quia licet in dogmatibus inter ſe non conveniant, æqualibus tamen juribus in Republica fruuntur (r). Apud Catholicos *hæreſis* eſt error directe & immediate oppoſitus doctrinæ Catholicæ immediate revelatæ & ab Eccleſia ad credendum propoſitæ (s). Quid ſit *hæreſis* apud Proteſtantes, facile ex dictis liquet: cum enim aliam regulam fidei non agnoſcant præter Scripturam, eam unice per oppoſitionem ad dogma in illa revelatum definire conſueverunt. *Quid ſit apud Catholicos?*

Nos de iis duntaxat Religionibus, earumque *tolerantia* agemus, de quibus tanquam apud nos notioribus, & uſu receptis frequentius diſceptari ſolet, antea tamen diſquiſituri, quid requiratur ut aliqua Religio in Republica tolerari queat. Poteſt autem hæc Quæſtio inſtitui dupliciter: vel enim ſermo eſt de *Religione in genere & in abſtracto* ſumpta ſine reſpectu ad veritatem & falſitatem, abſtrahendo an ſit Catholica, Proteſtantica, Judaica, Turcica, vel qualiſcunque, in quantum nempe exercetur a cœtu hominum ſupremi Numinis colendi cauſa in ſocietatem coeuntium, & in quadam civitate aut receptorum aut recipiendorum; vel de *Religione in ſpecie* cum habitu ad veritatem & falſitatem. Similiter ipſe Princeps accipi debet quaſi *in abſtracto*, in quantum eſt Princeps ſine habitu ad Religionem ſpecificam, adeoque unice obligatur ad bonum publicum tanquam finem Reipublicæ conſervandum promovendumque. Atque in hac hypotheſi quæritur, quid requiratur ex parte Religionis abſtractive ſumptæ, ut a Principe tolerari poſſit vel debeat. *Quid requiratur, ut Religio in Republica tolerari debeat?* *Quid requiratur ex parte Religionis abſtractive ſumptæ?*

Neque

(q) Nam quia apud Catholicos dogmata fidei in Conciliis, & a Pontifice declarantur, de Conciliis vero & Pontifice etiam in jure eccleſiaſtico agitur, ſolent Proteſtantes errores hiſce dogmatibus oppoſitos vocare hæreſes in ſenſu juris Canonici.

(r) In ſenſu juris publici ſind nur diejenige Ketzer, und als ſolche zu tractiren, die von denen drey in dem deutſchen Reiche recipirten Religionen abgehen. Keine von dieſen dreyen kan die andere als ketzeriſch in ſenſu politico anſehen. Pfaff. Academ. Reden. pag. 116.

(s) Notas characteriſticas doctrinæ Catholicæ optime explicat Tournelius in Appendice.

Quæſtio hæc non eſt inutilis.

Neque hæc quæſtio alicui inanis, ridicula, aut chymærica, & nonniſi pro Republica Platonica deſervitura videri debet. Eſto enim omnis Religio ſit vel vera vel falſa, & Religio falſa non facile ſit toleranda, nihilominus poſſunt occurrere ſingulares circumſtantiæ, quæ tolerantiam Religionis aperte falſæ ſuadent, e. g. tolerantiam Judæorum, ubi procul dubio Principi, cujus eſt bonum publicum meliorem in modum procurare, & noxia quæcunque removere, incumbit obligatio ulterius inquirendi, quid jus naturæ permittat & jubeat; quid *ratio Status* imperet; utrum *tolerantia* vel receptio hujus, vel illius Religionis Reipublicæ potius ſit nocitura, quam profutura.

Religio ut toleretur, debet eſſe moraliter legitima.

Id ut exequatur Princeps, inquirendum erit, utrum talis Religio ſaltem ſit *moraliter legitima*. Tunc autem cenſetur Religio eſſe *moraliter legitima*, quando nulla involvit principia & dogmata ſtatui & bono publico contraria, adeoque nihil docet, quod eſt contrarium rectæ rationi, adverſum juri naturæ, juribus Principum nocivum; nihil quod bono publico, ſecuritati & felicitati Reipublicæ, quæ ſuprema lex eſſe debet, præjudicioſum.

Quomodo cognoſci poſſit, Religionem eſſe moraliter legitimam?

Ut autem dijudicare poſſit Princeps, an Religio ſit *moraliter legitima*, illius dogmata ad ſaniora Jurisprudentiæ naturalis principia veluti ad lapidem lydium ſunt examinanda, & dein ad *finem* illius non ſolum, ſed vel maxime *ad media* in ordine ad finem ſibi præſtitutum conſequendum præordinata reſpiciendum. Quid enim ſi finis ſit bonus, media vero ſint noxia, perverſa, & Reipublicæ præjudicioſa? Ponamus e. g. Religionem, quæ tanquam finem principalem ſibi præſtituit perfectiſſimam Dei charitatem, ad hanc vero aſſequendam inter cætera media præſcriberet, ut, qui illam amplectuntur, diu noctuque vigilent, ſemper meditentur, de cætero vitam otioſam ducant, ab omni opere manuali abſtineant, nunquam laborent, & poſt aliquot annorum ſpatium ſe ipſos per mortem violentam Deo tanquam victimam immolent: anne hanc Religionem ex ſuo fine prorſus ſanctiſſimam eſſe ſimul *moraliter legitimam* dixeris (t)?

Poteſt finis Religionis eſſe bonus, & media perverſa ac noxia.

Ex

(t) Es kan im Zwecke gut ſeyn, und die Mittel taugen nichts. Man muß daher ihre Glaubens-Lehren prüfen, weilen beyde dem Staate ſchädlich ſeyn können. Es gibt e. g. geiſtliche Geſellſchaften, die den Menſchen faul und träge machen. Dieſe ſind dem Staate ſchädlich. So waren die Janſeniſten, daher hat ſie Ludwig der Vierzehende als eine moraliſch-unrechtmäßige Geſellſchaft abgeſchaft. Moshem. Kirchen-Recht pag. 434.

Digitized by Google

Debet eſſe etiam civiliter legitima.

Ex eo autem quod Religio ſit *moraliter legitima*, nondum *civiliter* eſt *legitima*, neque juribus Civitatis gaudet, niſi a Principe eorum per receptionem particeps fuerit effecta (u). Utrum vero in noſtra hypotheſi Religio *moraliter legitima* neceſſario ſit toleranda, recipienda, & jure Civitatis donanda, tam facile nemo dixerit. Quid enim ſi ratio Status illam recipere prohibeat? Quid ſi ex illius receptione prævideantur tumultus, ſeditiones, vel alia mala, quales communius ex diverſitate Religionum oriri ſolent? Ponamus Principem catholicum, in cujus territorio usque nunc ſoli Lutherani ſuum habuere exercitium, ita tamen, ut liberum eidem usque nunc fuerit, & adhuc ſit, introducere coexercitium Religionis Catholicæ. Jam optime hic perſpectum habet, Religionem Catholicam eſſe *moraliter legitimam:* idcirco politice expendit, an expediat pro bono Reipublicæ recipere Religionem Catholicam, & illius ſequacibus exercitium publicum indulgere. Quid ſi talis prævideat ex hac receptione & tolerantia ſubditos ad tumultus & ſeditiones fore commovendos, num quis dicere auſus fuerit, Principem eſſe obligatum, ut Catholicis liberum Religionis exercitium indulgeat? Itaque cum aliqua reſtrictione hanc quæſtionem eſſe reſolvendam, dicendumque exiſtimamus, omnem Religionem *moraliter legitimam* in data hypotheſi eſſe tolerandam, & in Civitatem recipiendam, niſi ratio major illam non admittendi obſtet. Cum enim in hac hypotheſi ſola felicitas Reipublicæ ſit finis, quam ſibi Princeps præſtituit, Religio vero *legitima moraliter* ad hunc finem conſequendum optime conducere ſupponatur, ſane non video, eccur tolerari non debeat & ſine ratione gravi excludi valeat.

Utrum Religio moraliter legitima neceſſario ſit toleranda.

Libertas Religionum & Sectarum hodie ſumma.

Atque ex his principiis quamplurimæ quæſtiones, quæ noſtro ævo hinc inde motæ ſunt, quo ſi unquam, certe hoc tempore neſcio quæ Religionum monſtra invaluerunt, de quorum tolerantia dubitabatur, reſolvi poſſunt. An unquam Atheiſmus, Deiſmus, Indifferentiſmus, Naturaliſmus, Libertiniſmus firmiores egit radices, ac ultimis hiſce temporibus? De Atheis loquuntur aulæ Principum: de Deiſtis teſtis eſt Anglia, in qua tot intra non adeo multos annos prodierunt Doctores, qui Deiſmum profeſſi ſunt, & docuere publice, ut vix in numerum cogi valeant (x). Naturaliſmum, Indifferentiſmum jam in publicis Scholis

Deiſmus viget in Anglia.

(u) Idem pag. 4.

(x) Vid. Theolog. Ante-Deiſt. Pfaffii. Idem in Academ. Reden pag. 111. ita ſcribit: Es iſt bedaurlich, daß in Engelland der Deiſmus dergeſtalt zunimmt, daß man

lis & publicis Academiis quidam Doctores docere non erubeſcunt. Quid dicam de variis Religionibus & Sectis, quæ ultimis Sæculis per varia Regna invaluerunt? quales ſunt Quacquerianorum, Mennonitarum, Anabaptiſtarum, Socinianorum; item deren Freymäurer, Herrenhuter, quibus omnibus mota eſt *quæſtio Status*, an in Civitatem ſint recipiendi ac tolerandi. Eandem *quæſtionem Status* motam fuiſſe novimus Lutheranis, & Reformatis. Quid quod ipſis etiam Catholicis (at ſine ullo prorſus fundamento, & potius ex principiis erroneis & perverſis) hanc quæſtionem quidam Proteſtantes movere non erubuerint.

Hodiernæ Sectæ.

Age! hæc nonnihil accuratius excutiamus, & quid de horum omnium *tolerantia* ſit dicendum, videamus! Auſpicemur ab Atheis, quos eſſe multiplicis generis novimus: nam ſunt vel *Theoretici*, vel *Practici* (y); *Syſtematici* & minus *Syſtematici* (z); *Subtiliores* & *Craſſiores* (a); *primi* & *ſecundi generis* (b). Habent quidem hæ diviſiones fundamentum quoddam in re, principaliter tamen ab illis excogitatæ ſunt, qui Atheiſmo eatenus favent, quatenus eundem in certis ſaltem circumſtantiis, caſu quo Athei principiis quibusdam moralibus ſanæ rationi conſentaneis imbuti vitam honeſtam pacificam & tranquillam inter ſuos concives degunt, poſſe tolerari in Republica exiſtimant. Dicamus in genere, Atheiſmum nullum in Republica eſſe tolerandum. Ex quacunque enim cauſa Athei ita dicti negent Deum, ſive quia ex erroneis ſuis principiis id ſibi perſuaſum habent, ſive ut ſuis voluptatibus eo liberius ſervire poſſint: ſive etiam quædam moralia principia ad vitam cæteroquin honeſte degendam ducentia admittunt, nihilominus tamen per neceſſariam conſequentiam negare debent, Deum eſſe legislato-

Athei ſunt multiplicis generis.

Atheiſmus in genere non eſt tolerandus.

man ſeit geraumen Jahren denſelben in Schriften ohne Scheu debitiret, und die Chriſtliche Religion elatis manibus attaquiret: ſunt autem Deiſtæ illi, qui ſolum Deum & ſanam rationem admittunt, econtra omnem revelationem ac præcipue chriſtianam Religionem negant. Vid. Walchii Ketzer-Lexicon verbo *Deiſtæ*.

(y) Theoretici ſunt, qui non dari Deum ex rationibus quibuscunque credunt: practici qui contradicente ratione, ut eo liberius vivere poſſint, ſibi ipſis Deum non exiſtere perſuadere ſatagunt.

(z) Syſtematici & non Syſtematici vix differunt a theoreticis & practicis.

(a) Subtiliores ſunt, qui ſaltem aliqua principia moralia admittunt: craſſiores omnes honeſtatis fines tranſiliunt.

(b) Illi Deum ipſum, hi vero divinam providentiam negant, & omnia fato adſcribunt.

Digitized by Google

giſlatorem, dari leges, dari præmia & ſupplicia ſive pro hac, ſive pro altera vita. Inde autem quid conſequitur? ſane nihil aliud, niſi quod hi tales tollant omne vinculum inter Superiores & ſubditos, omnem nexum inter hominem & hominem, omnem obligationem ex pacto, fœdere, juramento reſultantem, & inducant libertatem agendi, quidquid libuerit, atque hac ratione ſubruant fundamenta, & convellant lapides angulares, quibus moles Reipublicæ ſuſtentatur.

Atheiſmi tolerantia a quibusdam defenditur.

Hæc etſi ex Atheiſmo aperte ſequi videantur, haud tamen deſuere, nec hodie deſunt, qui *tolerantiam* Atheiſmi defendere non dubitant, ex ea potiſſimum ratione, quod Atheus, licet doctrinas foveat Reipublicæ ſumme nocivas, attamen ex aliis principiis moralibus & politicis in Republica & inter ſuos concives poſſit vivere vitam honeſtam, tranquillam, civilem & pacificam, propter ſuum intereſſe & ex metu, ne e Republica exterminetur, ſervare pacta, obtemperare ſuis Superioribus, id quod infamis ille Baile (c), & poſt ipſum Thomaſius & Tollandus (d), &, quod mirum eſt, magnus ille Theologus Proteſtanticus Laurentius Moshemius docuere. Hic, quamvis cæteroquin in ſuis doctrinis fuerit valde æquus, Chriſtianiſmi defenſor acerrimus, malleus & terror ſuorum conſodalium in ſuis doctrinis excedentium, quos intra limites honeſtatis ita continuit, ut ſaltem publice Naturaliſmum, Indifferentiſmum, aut Deiſmum docere non auderent, eo tamen prolapſus fuit, ut tolerantiam Atheiſmi defenderet, & nonniſi illius exceſſivam diffuſionem Reipublicæ periculoſam exiſtimaret (e).

Moshemius tolerantiam Atheiſmi defendit, quod mirum eſt.

Quid quod magnum illud Leibnitianæ Philoſophiæ lumen & numen Proteſtanticum Wolfius, quamvis Atheiſmum ex omni Republica eliminandum, proſcribendumque & neutiquam tolerandum exiſtimaverit,

Opinio Wolfii circa tolerantiam Atheiſmi.

(c) Continuation des penſées diverſes. Item Penſées diverſes ſur les cometes. Vid. Philoſophiſches Lexicon Walchii verbo Atheiſterey.

(d) Einleitung zur Sitten-Lehre Thomaſii cap. 3. §. 70.

(e) Ein Atheiſt kan GOtt läugnen, und dabey doch behaupten, daß man Wort und Vertrag halten, und der Obrigkeit gehorchen müſſe. Und ſo lang demnach ein Atheiſt die bürgerliche Obliegenheiten nicht ſchmälert, ſondern ſich als einen ruhigen Burger erzeiget, ſo lang iſt die Obrigkeit als Obrigkeit betrachtet, auch verbunden, den Atheiſten zu dulden. Jedoch trette ich bey dieſer Meynung denen bey, welche behaupten, daß die Obrigkeit, weil ſie verbunden iſt für das Wohl des Staates zu ſorgen, und zu hindern, daß demſelben kein Schade zuwachſe, welches leicht geſchehen könnte, wenn der Atheiſmus überhand nimmt, mit Recht die Ausbreitung des Atheiſmus zu verbieten habe.

rit, nihilominus crediderit, quod Atheiſmus neutiquam vitam ſceleratam poſt ſe trahat, & Atheus vitam honeſtam in Republica ducere poſſit. In hanc rem proſtant libri non admodum pauci, quin plures (f).

Horum opinio refellitur.

Cæterum quid inde ſequitur? niſi quod tales Athei extrinſece ſe mentiantur eſſe bonos cives, & Philoſophos, intrinſece ſint lupi rapaces, homines nullius frontis, nullius Religionis, nullius fidei, peſtis Reipublicæ, & tamdiu intra limites honeſtatis ſe contineant, quamdiu bonum proprium id exigere videtur: data vero occaſione & abſente metu pœnæ temporalis in omne criminum genus ſint prorupturi. Ipſe ſane Moshemius libere fatetur, nullum Atheum futurum bonum civem, niſi magno prorſus ingenio, & judicio polleat (g). Sed quotusquisque inter Atheos erit, qui illum principiorum moralium apparatum ad vitam civilem recte degendam neceſſarium ſecum afferat, ut non prævaleant præjudicia & principia Atheiſmo propria, ab his vero meliora moralitatis principia ſupprimantur?

Idem judicium eſſe ferendum de *Deiſtis*, *Indifferentiſtis*, *Libertinis*, *Naturaliſtis* facile liquet, quorum principia, ſi rite examinentur, neceſſario omne ferme vinculum morale inter Rempublicam & Rempublicam, inter Imperantes & ſubditos, & hos invicem, omnemque fidem, & obligationem reciprocam tollunt, atque viam ſternunt ad libertatem vivendi ampliſſimam.

An Athei vel Idololatræ Reipublicæ pernicioſiores.

Idololatria crimen enorme.

Alia craſſior, alia ſubtilior.

Sed quid de Gentilibus, & Idololatris? Haud ita pridem inter Viros doctos fuit diſputatum, an Athei vel Idololatræ Reipublicæ ſint pernicioſiores, & qui ex his tolerandi (h)? Idololatriam eſſe crimen abominabile, enorme, horrendum, ſuperſtitionibus craſſiſſimis plenum quis ignorat? maxime ſi creaturis abjectiſſimis ac viliſſimis divini honores deſerantur, ac animalia viliſſima Deorum inſtar colantur. Hinc Theologi Idololatriam in *craſſiorem* & *ſubtiliorem* dividere ſolent. De origine, & progreſſu illius extant plures libri & ſcriptores (i). Nobis unice

(f) Vid. Philoſophiſches Lexicon verbo Atheiſterey, ubi plurimi libri & authores recenſentur.

(g) Ein Atheiſt, der ein guter Burger ſeyn will, muß groſſe Vernunft haben.] Kirchen-Recht der Proteſt. pag. 438.

(h) De hac Quæſtione vid. Noodt in ſua *oratione de Religione ab imperio jure Gentium libera*, in qua docet, Idololatris deberi libertatem conſcientiæ.

(i) Vid. Walchii Philoſophiſches Lexicon verbo: Abgötterey, ubi Scriptores de hac re recenſet, & multa alia utilia habet.

unice de illius *tolerantia* agendum eſt. Utrum præſtet tolerare Atheiſmum vel Idololatriam, in theſi decidi nequit. Ponamus Atheum pacifice in Republica degentem, qui externe civem bonum præſefert, quin ulli hominum ſit ſcandalo: an non præſtaret huncpotius tolerare, quam Idololatram, qui vitam vivit ſceleratam, ſcandalo eſt ſuis concivibus, & in corde ſuo fovet ſpiritum perſecutionis, exiſtimans, igne, ferro, & omni tormentorum genere debacchandum eſſe in illos, qui falſis ſuis Diis cultum divinum exhibere perhorreſcunt? An ullum tormentorum genus excogitari poteſt, quo Imperatores gentiles in Chriſtianos non ſunt debacchati? id probabilius non auſuri, ſi fuiſſent Athei: quippe qui ſuum ſpiritum perſecutionis non aliunde hauſerunt, quam a perverſiſſimo illo ſpiritu, quo ad cultum ſuorum falſorum Deorum propagandum impellebantur. Interim certum eſt crimen Atheiſmi eſſe longe abominabilius, quam Idololatriæ tam in ſe, quam reſpective ad Rempublicam, quippe quod omne tollat vinculum inter Imperantes & ſubditos, & in animo præter timorem pœnæ temporalis a Superioribus pertimeſcendæ nihil moralitatis relinquat.

Utrum præſtet tolerare Atheiſmum, vel Idololatriam, in genere nequit decidi.

Atheiſmus eſt crimen longe abominabilius quam Idololatria.

Meretur etiam legi Boehmerus (k) oſtendens Atheiſmum longe eſſe pernicioſiorem Reipublicæ, quam ſuperſtitionem quamcunque, qui ita inquit: *Non nego, quandoque ſuperſtitionem non apparentem, ſed veram idem præſtare poſſe: non tamen tanta inde mala ſunt metuenda, quam ex doctrina Atheiſmi, quæ omne omnino fundamentum Reipublicæ ac Religionis evertit, vinculumque civile diſſolvit, quæ nullum Dei cultum, nullum Numinis timorem, nullum conſcientiæ judicium admittit. Hæc omnia admittit ſuperſtitio utut erronee, & perverſe. Ad minimum aliquis eſt cultus Dei in ſuperſtitione: omnis exulat in Atheiſmo.*

Quidquid jam de hoc ſit, dogma eſt certum ex principiis juris naturæ demonſtratum, Idololatriam non eſſe tolerandam, & Idololatras nequidem libertatem conſcientiæ poſſe prætendere, quippe quod principia, quibus convellitur Idololatria, ex lege naturæ ſint deprompta, quæ debet eſſe regula & norma conſcientiæ, contra quam nulla datur libertas, nulla poſſeſſio, nulla præſcriptio.

Idololatria non eſt toleranda.

Idcirco quamvis *Gentiliſmus* in tribus primis Eccleſiæ ſæculis fuerit Religio dominans, attamen a tempore, quo Conſtantinus M. ejurato Gentiliſmo ſacra chriſtiana fuit amplexus, & paulo poſt Religio chriſtiana dominatum obtinuit, Gentiles nullam poſſeſſionem, præſcriptionem & jus Civitatis prætendere, ſed omni jure e civitatibus proſcribi potuerunt:

Quomodo cum Gentilibus egerint Principes chriſtiani?

(k) Lib. V. Tit. 6.

Digitized by Google

potuerunt: cum illorum Religio *moraliter* non ſit legitima. Interim ea animi moderatione eoque agendi modo uſus fuit Conſtantinus, illiusque ſucceſſores, qui eſt omnino conformis principiis juris naturæ in ordine ad tolerandas Religiones. Non ferro, non igne, non extremis ſuppliciis in Gentiles ſæviit, ſed teſte Theodoreto (l), illorum templa occludi, non deſtrui, non penitus everti præcepit. Majori fervore ad eradicandam Gentilium ſuperſtitionem uſi ſunt ſucceſſores Conſtantini, qui Gentiles urbibus expulerunt, illorum templa deſtrui & everti juſſerunt, & ea extrui nonniſi in agris & pagis permiſerunt (m). Inde Chriſtiani animoſiores facti nihil non egerunt ad ſuperſtitionem Gentilium penitus exterminandam, eorum templa everterunt, fana, & ſimulacra deſtruxerunt, quin illorum zelo reprimendo ſufficerent leges, quas Imperatores facere coacti ſunt. De his Gentilium perſecutionibus videantur Hiſtorici, qui eas fuſe & vivis coloribus depingunt (n).

Item Chriſtiani.

De tolerantia Judæorum.

Sed quid de Judæis, illorumque tolerantia, quos ferme in omnibus Regnis, provinciis & civitatibus tolerari, imo tolerantiam *toleratam* & legibus ſtabilitam habere in comperto eſt? Hos omnino non eſſe tolerandos ſequentia evincere videntur argumenta: inprimis enim ſunt gens ab ipſo Chriſto reprobata: 2do ſunt blaſphemi in Chriſtum, in Sanctos, & totam Chriſtianitatem: 3tio ſunt hoſtes inimiciſſimi Chriſtianorum in illorum ruinam unice intenti: 4to ſunt uſurarii apertiſſimi prorſus exceſſivi, fraudibus & dolis pleni, emungentes marſupia & divitum & pauperum: 5to ſunt bono Reipublicæ pernicioſiſſimi, & habent principia juri naturæ prorſus contraria e. g. Chriſtianis nullam eſſe ſervandam fidem, licitum eſſe ipſos circumvenire, dolo inducere, defraudare &c. 6to ſunt Magiæ, ſuperſtitionibus, & incantationibus dediti, veneficiorum authores & inventores peſſimi: 7timo ſunt liberorum Chriſtianorum ſeductores, nec non commerciorum libertatis deſtructores intolerabiles: 8vo ſunt longe pejores ipſis Gentilibus & Paganis, quorum templa claudi, deſtrui, & everti jubentur in l. 1. Cod. de Pagan. & quid ſi ex quorumdam ſententia ne hæretici quidem ſunt tolerandi,

Cur non ſint tolerandi?

(l) Lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 21. ubi inter alia ſic habet: *Eorum tamen templa nequaquam deſtruxerat, ſed occludi tantum præceperat.*

(m) Inde factum eſſe exiſtimant, quod Gentiles vocentur *Pagani*, quia in agris & pagis ſuam religionem conſervare laborarunt.

(n) Claudius Fleuryus in Hiſt. Eccleſ. ad Sæc. IV. & V. Samuel Baſnage in Annal. Polit. Eccleſ. ad idem Sæc. Boehmerus Jur. eccleſ. lib. 5. ad Tit. 6. de Judæis. §. 3. & ſeq.

Digitized by Google

lerandi, quis Judæos, gentem perfidam, nullius fidei, nullius conſcientiæ eſſe tolerandos aſſerat?

Tolerantur potius quam Gentiles.

Hæc etſi ſummi eſſe momenti, nemo negaverit, nihilominus, quod mirum videri debet, paſſim tolerantur, atque, ſicuti mox antea dictum, tolerantiam habent non qualemcunque ſed prorſus *qualificatam*. Ipſam hiſtoriam eccleſiaſticam luſtremus. Quamquam Imperatores chriſtiani cum Gentilibus ſevere ſatis egerint, eos e civitatibus proſcripſerint, templa illorum clauſerint, dejecerint, everterint, ſimulacra & fana deſtruxerint (o); attamen illos longe mitius cum Judæis egiſſe ex diverſis eorum edictis liquet, in quibus deſtructio Synagogarum interdicitur, illorumque vexæ prohibentur (p), quin talis immunitas ſanis Gentilium indulta ullibi legatur. Sæculo V. autem & VI. duriora longe fata experti ſunt Judæi. Exemplo ſit *ſeditio Alexandriæ mota*, ob quam centum fere millia Judæorum urbe pulſi ſunt (q). Acceſſerunt diverſæ Imperatorum conſtitutiones, in quibus fere omne commercium civile ipſis ademptum (r). Reliqua Judæorum fata ſiniſtra per ſæcula ſubſequentia fuſe perſequitur Boehmerus (s). Vix unquam duriora fata experti ſunt Judæi, quam iis ſæculis: quibus Chriſtiani Jeroſolymam expugnaturi ad terram ſanctam perrexerunt (t). Videntur ſane Judæi gens a Deo derelicta, maledicta, & veluti damnata; omnibus

Perſecutiones Judæorum.

(o) Vid. Boehm. ad Tit. de Judæis. §. 4. & ſeq. ubi facta Gentilium fuſe enarrat.

(p) Vid. l. 9. Cod. Theod. de Judæis de anno 393. ubi ſic habetur: *ne quis ſub chriſtianæ Religionis nomine illicita quædam præſumeret, & deſtrueret Synagogas, atque exſpoliare conaretur.* Idem repetitur an. 397. in l. 12. Cod. Theodoſ. eod. *oportere a Judæis irruentium contumelias propulſari, eorumque Synagogas in quiete ſolita permanere.* vid. etiam l. 21. 25. & 26. eod.

(q) Vid. Socrates lib. 7. cap. 13. & 14. ubi totam rei ſeriem, & inter alia refert, quomodo Cyrillus Alexandrinus, & Monachi ex ſolitudinibus ad urbem convolantes contra Judæos egerint.

(r) Vid. Novel. 129 & 144.

(s) Loc. cit. §. 21.

(t) Moguntiæ duntaxat quatuordecim ultra mille fuiſſe occiſos, teſtis eſt Meibomius Tom. 1. Scriptorum Rer. German. pag. 452. ad An. 1096. Et Bertoldus Conſtantienſis in Appendice ad Hermannum Contractum ad An. 1096. ait: *hoc anno in quibusdam civitatibus Judæi magna cæde trucidati ſunt ab his, qui Jeroſolymam petierunt.*

Digitized by Google

bus ſunt deſpectui, contemptui, & deriſionibus, eosque juſta Dei vindicta preſſo veluti pede ubivis locorum perſequitur, qui licet jus Civitatis multis locis obtinuerint, attamen nonniſi ſub conditionibus duriſſimis recipi, & longe durius ac cæteri ſubditi haberi conſueverunt.

Tolerantia eorum in quibus fundetur legibus.

Jam quomodo & qualem tolerantiam Judæi acceperint, diſpiciamus. In genere loquendo fundatur Judæorum tolerantia in Codicibus Theodoſiano & Juſtinianæo de Judæis, & l. 6. Cod. de paganis, in legibus Imperii & Imperatorum, in *aurea Bulla* & *Reformat. Polit.* de anno 1548. ac *Renovat. Francofurt.* de anno 1577. Tit. 20. & in ipſo Jure Canonico cap. 3. 7. & 9. de Judæis. Et quidem primitus poteſtas recipiendi & protegendi Judæos in Imperio Romano Germanico erat reſervatum Imperatorium; poſtea vero ab Imperatore tanquam Protectore univerſali primo per ſpeciale privilegium in *aurea Bulla* (u) Electoribus duntaxat, dehinc Principibus cæterisve Imperii Statibus, ac demum ob paritatem rationis etiam Nobilibus immediatis (x) fuit tributa: niſi dicere velimus, quod Status & Nobiles immediati jus iſtud vi Superioritatis territorialis ſibi appropriaverint.

Quibus jus tolerandi competat.

Undenam Status Imperii illud habeant.

Interim jam ante *auream Bullam* Imperii Status propria partim autoritate, partim ex Imperatoris privilegio jure recipiendi Judæos fuiſſe gaviſos; poſt vero frequentius idem jus in uſum veniſſe, quamplurimis demonſtrat exemplis Pfeffingerus ad Vitriarium (y). Id quod eruere licet ex conventionibus Statuum cum Judæis, ex legibus eisdem præſcriptis, ex perſecutionibus Judæorum, quas ſubinde per Germaniam ſubiere, ex cenſu ſervili in Bavaria (z), & aliorum territoriis ipſis impoſito, ex Cæſarum donationibus, ceſſionibus, & privilegiis paſſim indultis. Saltem nunc Status Imperii vi Superioritatis Territorialis ſibi jus recipiendi vel non recipiendi Judæos vindicant (a) ita tamen, ut Imperatori

(u) Cap. IX. §. 2.

(x) Habent enim Nobiles immediati requiſita, quorum in citata Reformat. Polit. Auguſt. Tit. 20. von Juden und ihrem Wucher fit mentio.

(y) Lib. 3. Tit. 17. pag. 1275. & ſeq.

(z) Exterminaverat Ludovicus Bavarus edictis publicis Judæos a ſuis dominiis an. 1314. Sed poſtea iterum recepti fuere teſte Hundio in Tom. 3. Metropolis pag. 144. ſub conditione, ut Protectionis nomine quot annis certum penſum darent, vulgo die Juden-Steur, unde vocabantur *Servi cameræ*, Kammer-Knechte.

(a) Praxis hodierna id docet, ex qua ſcimus, quod ſtatus Imperii paſſim Judæos recipiant, vel ejiciant. Sic Fridericus & Otto Henricus Electores Palatini, Henricus

Digitized by Google

Imperatori *Jus protectionis univerſale* ſemper ſalvum maneat, & Judæi in locis, ubi jam ex tempore immemoriali, vel Imperatoris privilegio ſecuritatem & jus habitandi habuerunt, inviti ejici non poſſint (b).

Imperatori competit Jus protectionis eorum univerſale.

Undenam autem venire exiſtimamus, quod Judæi tolerantiam adeo amplam, legibus ſtabilitam, privilegiis munitam acceperint, eſto Reipublicæ chriſtianæ & politicæ videantur eſſe peſtis, ruina & interitus? luſtremus, ſi placet, leges omnes, naturales, divinas, humanasque, & quid ex his circa eorum tolerantiam ſit ſtatuendum, videamus. Jus naturæ, naturam Religionis Judaicæ, illiusque leges fundamentales ſi conſulamus, nihil profecto in his deprehendimus, quod juri naturæ contrarium, Reipublicæ nocivum, ſaniori Politicæ perniciosum eſſe poſſet, & ſocietatem Judæorum ſacram *moraliter illegitimam* facere deberet. Eſt enim lex Judaica lex ſancta, lex divina a Deo lata & promulgata, & habet Characteres divinitatis haud ſecus, quam lex nova. Equidem lex antiqua poſt ſufficientem novæ legis promulgationem evaſit *mortifera*, at non in eo ſenſu, quod foveat malitiam intrinſecam, ſed mere extrinſecam, quam inde accepit, quod Chriſtus novas leges, aliquas ſaltem, cum antiquis incompatibiles condiderit, atque mediis ad ſalutem conſequendam olim neceſſariis longe efficaciora ſubſtituerit (c). Et nunquid Deus ipſe Religionem Judaicam mirum in modum diffudit, gentem hebraicam multiplicavit, eique gentes & populos etiam per miracula ſubjugavit? Quidquid ergo ex tolerantia Judæorum Reipublicæ pertimeſcendum, id non ex natura Religionis, quam profitentur, neque ex legibus illius fundamentalibus, ſed ex defectu revelationis, ex intellectu illorum obcæcato, voluntate obſtinata profluit. Inde autem quid conſequitur? niſi quod Judæi nonniſi circumſpecte & cum magna cautela ſint recipiendi, & contra ipſos ſeve-

Tolerantia Judæorum an juri naturali contraria?

 riſſime

Henricus Julius Dux Brunſwicenſis, Chriſtophorus Dux Würtenbergicus edictis publicis Judæos e ſuis ditionibus expuliſſe, quin, ne unquam recipiantur, legibus fundamentalibus caviſſe, teſtantur eorum edicta publica, de quibus infra. Attamen hujus juris tanquam privilegii in Diplomatibus Cæſareis adhuc mentionem fieri, teſtis eſt Pfeffingerus loc. cit. pag. 1282.

(b) Huc pertinet *Protectorium* Caroli V. de An. 1544. Exempla etiam ſuppeditant civitates Imperii Francofurtum & Wormatia, ubi Judæi a plebe ſpoliati & ejecti Imperatoris authoritate ſunt reſtituti, & ab omni injuria tuti præſtantur.

(c) E. g. baptiſmo circumciſionem. Vid. Tom. 1. Quæſt. 2.

Digitized by Google

riſſime ſit procedendum, ſi in aliquo ex ſupra recenſitis delictis rei eſſe deprehendantur, quemadmodum infra dilucidabimus.

An juri divino.

A jure naturæ ad legem divinam convertimur. Sane tolerantiæ Judæorum patrocinantur innumera ſcripturæ loca, illa præprimis, in quibus Salvator pro omnibus mortuus, omnes redemiſſe legitur (d). Favent inſignia vaticinia de eorum futura converſione paſſim extantia (e); exemplum Chriſti apud Patrem pro ipſis intercedentis (f), jubentisque, ut zizania ad meſſem usque relinquantur (g); Pauli quoque Apoſtoli, qui Judæis factus eſt Judæus, ut eos lucrifaceret (h), & nos hortatur, ut ipſius eſſemus imitatores, quemadmodum ipſe fuit Salvatoris (i). Et nunquid teſte Paulo (k) Judæis concredita ſunt Dei oracula? & teſte Luca (l) Judæorum generatio ad finem mundi usque non tranſibit? Chriſtus quoque juſſit Petrum, ut paſceret oves, quarum nomine veniunt non illæ duntaxat, quæ ſunt de ovili, ſed etiam cæteræ, quæ ſunt extra ovile, quas ſimiliter adduci jubet (m). Et utique Iſraelitis non fuerat prohibitum recipere peregrinos & infideles (n): id quare Chriſtianis ſit interdictum?

Fundatur in Jure eccleſiaſtico, civili, praxi & privilegiis.

Accedit praxis antiquioris & novioris Eccleſiæ, Edicta Imperatorum, reſcripta Pontificum, rationes graviſſimæ, ſenſus graviſſimorum Theologorum & Juris-Conſultorum. Nunquid enim in primitiva Eccleſia Judæi fuerunt tolerati (o)? Ipſi Cæſares in tutelam eos receperunt, Honorius & Theodoſius (p), Theodoſius & Valentinianus (q), Juſtinia-

(d) Rom. 5. v. 15. 2. Cor 5. v. 15. 1. Timoth. 2. v. 6. 1. Joan. 2. v. 2.

(e) Inter alia præcipuum eſt illud Rom. 11. ubi Paulus excæcationem Iſraelis non totalem ſed partialem prædicat, donec magna illa gentium plenitudo complebitur, quam converſionem expectamus cum SS. Patribus Chryſoſtomo, Hilario, Ambroſio, Auguſtino, Baſilio, Origene, Chryſologo, Dionyſio Alexand. Beda &c. Bernardo, Thoma Aquin. &c.

(f) Luc. 23. v. 34.

(g) Matth. 13. v. 30.

(h) 1. Cor. 9. v. 20.

(i) 1. Cor. 11. v. 1.

(k) Rom. 3. v. 2.

(l) Luc. 21. v. 32.

(m) Joan. 10. v. 16.

(n) Levit. 19. v. 3. Deut. 10. v. 18. 1. Reg. 9. & alibi.

(o) Vid. 1. Cor. 7. v. 12. & 13. Socrates lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 13. & cap. 16. Nicephorus lib. 14. Hiſt. Eccleſ. cap. 14. & 15. Auguſtinus de Adulter. conjug. lib. 1. cap. 113.

(p) L. 13 Cod. Theod. de Judæ. & l. 6. Cod. de Paganis.

(q) L. 19. Cod. de Judæ. & l. 2. Cod. eod.

Digitized by Google

Juſtinianus Imperator (r), Theodoricus Italiæ Rex (s). Idem fecere Pontifices Romani, Gregorius Magnus (t), Alexander III. (u), Clemens III (x), Innocentius III. (y). Accedunt leges Imperii Romano-Germanici (z), innumera privilegia Statibus Imperii conceſſa (a) & communis Imperii praxis.

Sed nec rationum momenta graviſſima deſunt, quibus tolerantia Judæorum tanquam *legitima* ſuſtentatur. Inprimis enim cum ipſe Paulus Apoſtolus ſpem faciat converſionis eorum (b), profecto non omnis via ad ſalutem aſſequendam abſcindenda. Dant Judæi perpetuum teſtimonium veritatis Religionis chriſtianæ, & ſunt perpetuo exemplo vindictæ divinæ illorum ſcelera in Salvatorem commiſſa preſſo pede perſequentis. Præbent infallibile argumentum adverſus Gentiles, Deiſtas, Indifferentiſtas de veritate ſacrarum literarum divinitus revelatarum, & ſunt antiqui fœderis veluti teſtes & cuſtodes. Teſte S. Luca (c) in ſupremo judicio clementiorem Judicem invenient Chriſtianis, qui damnabili ſuo vitæ genere ſemetipſos perdent. *Argumenta pro tolerantia.*

Non moramur argumenta Politicorum, quibus ſuos Principes inducere contendunt ad recipiendos Judæos, qualia ſunt, quod Judæi non ſemel in caſibus inopinatis magna pecuniarum vi rem Chriſtianorum juverint e. g. in expeditionibus adverſus Turcas, & tum negotiationibus & mercimoniis, tum oneribus publicis, quæ ipſis imponi graviſ- *Argumenta politica.*

 ſima

(r) In ſupra cit. Novel.

(s) In reſcripto ad Jud. Genuæ conſiſtentes apud Caſſiodorum lib. 2. variar. epiſtol. epiſtola 27.

(t) Cap. 3. de Jud. ubi ſic ait: *ſicut legalis definitio Judæos novas non patitur erigere Synagogas, ita eos ſine inquietudine veteres habere permittit.*

(u) Cap. 7. eod. ubi idem ſtatutum legitur.

(x) Cap. 9 eod. ubi prohibet Pontifex, ne quis Judæos occidat, vulneret, eorum conſuetudines bonas immutet præſertim in feſtivitatum celebratione &c.

(y) Cap. 13. eod. ubi legitur: *etſi Judæos, quos propria culpa ſubmerſit ſervituti, pietas chriſtiana receptet, & ſuſtineat cohabitationem eorum.*

(z) Vid. ſupra dicta.

(a) Vid. Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 3. Tit. 17. pag. 1289.

(b) Rom. 11. v. 25. & 26. *nolo enim vos ignorare fratres Myſterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret. ſicut ſcriptum eſt: veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem Jacob.*

(c) Lucæ 10. v. 14.

Digitized by Google

ſima ſolent, ærarium Principis augeant, quin etiam Chriſtianorum ſocordiæ incitamento ſint magis magisque in arcana mercaturæ penetrandi, & commercia majori ſolertia exercendi. Quid hæc Politicorum argumenta probent, mox infra videbimus.

Crimina Judæorum. Ut autem iis, quæ tolerantiæ Judæorum vehementiſſime obſtare videntur, ſatisfiat, innegabile eſt, quod Judæi ſint tales, quales ſupra fuere deſcripti. Sunt in Chriſtum blaſphemi, ſunt hoſtes chriſtiani nominis infenſiſſimi, ſunt uſurarii manifeſti, fœneratores peſſimi, ſuperſtitionibus dediti, & aliorum criminum rei. Oportet autem duplicis generis delicta diſtinquere, quorum aliqua ex intellectu obcæcato, alia profluunt ex perverſa voluntate. *Alia ex intellectu, alia ex voluntate proveniunt.* Ex intellectu, & illius obcæcatione provenit ipſe Judaiſmus, & quæ inde promanant delicta & crimina, qualia ſunt vatinianum illud odium Chriſtianorum, blaſphemiæ in Chriſtum, in Religionem chriſtianam, in legem novam, eoquod lumine revelationis ſint deſtituti, aut potius eo ſe deſtitutos eſſe exiſtiment. Ex voluntate perverſa hæc ipſa, & cætera illorum crimina, crimen uſurarum, ſuperſtitionum, rapinarum &c. Porro autem quia delicta, quæ ſuam ſedem principaliter in intellectu habent, & ex defectu luminis vel naturalis vel ſupernaturalis proveniunt, aliter vix emendantur & corriguntur, niſi, ſi de veritatibus naturalibus ſermo ſit, intellectus melioribus principiis imbuatur, errores detegantur, veritates oſtendantur; vel, ſi de veritatibus ſupernaturalibus loquamur, mediante gratia Religio revelata argumentis moralibus primum credibilis reddatur, ac poſtmodum ipſæ veritates ſupernaturales modis competentibus explicentur, & convincenter demonſtrentur. *Delicta intellectus quomodo ſananda.* Sed qua arte id fieri poſſe exiſtimamus, ſi Judæi ex omni terrarum angulo eliminentur, proſcribantur, & ultra fines orbis ejiciantur? Itaque inſtruendi ſunt Judæi, dedocendi ſunt ſuos errores, convincendi de veritate Religionis chriſtianæ, & exemplo Chriſti in vinculis charitatis, lenitatis & manſuetudinis potius trahendi, & ad ſaniora perducendi conſilia, quam violentis remediis compellendi (d). Et hoc ipſo tolerari poſſunt, tunc potiſſimum, quando probabilis ſpes converſionis affulget: tunc enim Chriſtianæ charitati dandus eſt locus. Nam *quomodo alias credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante* (e)? Neque

(d) Utrum hæretici poſſint compelli ad Religionem Catholicam, inter DD. diſputatur. Judæos vero, paganos, & illos omnes, qui per baptiſmum nondum ingreſſi ſunt januam Eccleſiæ, compelli non poſſe, communiſſime docetur.

(e) Ad Rom. 10. v. 12.

Digitized by Google

que quis hanc argumentandi rationem nimium probare exiſtimet, quaſi vero Judæis abſoluta debeatur tolerantia: nam in Judæorum tolerantia omnino habenda eſt ratio Religionis chriſtianæ & Reipublicæ. Si enim aliud ſuadeat ratio Status cujuscunque, aut ſi Judaiſmum comitentur alia crimina Reipublicæ pernicioſa, recipi non debent, aut ſi jure Civitatis gaudent, pro rerum circumſtantiis eliminari omnino poſſunt, & proſcribi. Utrum vero ipſe Judaiſmus ſit crimen adinſtar aliorum criminum puniendum (id ipſum de Hæreſi (f) paſſim diſputari ſcimus) quæſtio eſt altioris indaginis hic & nunc non decidenda.

Delicta tolerantis punienda.

Propter cætera crimina voluntate potiſſimum commiſſa Judæi proportionatis coercendi ſunt pœnis adinſtar aliorum ſubditorum facinoroſorum pro qualitate criminis. Blaſphemis aliunde paratum eſt judicium l. 2. Cod. de Judæis. Uſuraria pravitas legibus temperanda, veneficia, raptus infantium & hujuscemodi crimina igne ferroque coercenda, periculum ſeductionis aliunde exiguum: cum caſus ſit prorſus rariſſimus, quod Chriſtianus Judaiſmum amplectatur. Paucis: Judæi nonniſi cum ſumma circumſpectione, cautelis, & ſub conditionibus rigidiſſimis & exactiſſimis recipiendi, arctiſſime in omnibus habendi, & ſi delinquant, pœnis rigidioribus plectendi. Quapropter mirum non eſt, quod aliquoties Judæi e territoriis, in quibus jus Civitatis habuerunt, fuerint proſcripti (g), hinc inde legibus fundamentalibus, ne recipiantur, cautum ſit (h), ubivis locorum nonniſi ſub certis conditionibus recipiantur, & ipſæ leges conditiones præſcripſerint, quas, ſi recipi & tolerari velint, obſervare tenentur (i). Placet conſilium Pfaffii ſuadentis, ne Judæi unquam recipiantur, niſi jus quæſitum aliunde habeant,

Judæi caute recipiendi.

(f) Vid. Thomaſius Diſſert. *An hæreſis ſit crimen?* Pfaffius Diſſert. de Crimine hæretificii, quam annexuit Inſtitutionibus Jur. Eccleſ. Boehmer. Jur. Eccleſ. l. 5. Tit. 7. §. 150. & ſeq.

(g) E. g. e Bavaria. Palatinatu. Vid. ſupra.

(h) E. g. in Würtembergia, ubi ne quidem liberum habent tranſitum absque ſalvo conductu ſeu ſecuritatis literis, Schirms-Zettel, quas a Præfecto loci redimere debent, imo ſubditis Würtembergiæ ſub gravi pœna interdictum eſt, ne cum Judæis contrahant. Num lex iſta fundamentalis adhuc vigeat, me ignorare profiteor: nota mihi tamen & ſingulis eſt famoſiſſima hiſtoria, quæ paucis abhinc annis contigit cum famoſiſſimo illo Judæo vulgo Jud-Süß.

(i) Vid. Boehmeri Diſſert. de cauta Judæor. tolerant.

Digitized by Google

beant, utpote quorum labor præcipuus eſt fallere, defraudare, circumvenire, & lucrum injuſtum quærere (k).

Argumenta Politicorum pro Judæorum tolerantia impugnantur.

Idcirco nihili æſtimamus argumenta Politicorum ſupra allata, quibus ſuis Principibus receptionem Judæorum ſuadere nituntur, neſcio quæ bona in Rempublicam inde redundatura inaniter promittentes. Demus igitur, ut eorum argumentis politicis ſatisfiat, demus inquam, quod Judæi aliquando in publicis neceſſitatibus ſubveniant Reipublicæ, ſed nunquid ex pecuniis uſurariis, inique per fas & nefas comparatis, inde novam captantes occaſionem emungendi marſupia divitum & pauperum, quin & ipſum Principis ærarium? Augent, verum eſt, augent inquam, aut quod verius eſt, augere videntur Judæi ærarium Principis, ſed cum ingenti civium & Reipublicæ nocumento in iis præcipue locis, in quibus præficiuntur commercio publico, aut rei monetariæ. Res enim eſt notiſſima quotidianis experientiis comprobata, quod Judæi ſint falſarii, rei monetariæ deſtructores & corruptores: unde enim, quæſo, tanta lucridiſſimæ ſortis pecuniarum copia? unde omnis rei monetariæ deſtructio & corruptio? niſi quod Imperantes quidam jus monetandi, quod hodie inter *Regalia* numeratur, vel Judæis elocent, vel in cudendis monetis neutiquam bonum publicum, ſed commodum proprium cum enormi regnorum, Provinciarum & ſubditorum ac commercii humani detrimento intendant, contra finem primarium, in quem pecuniæ ingenio hominum ad facilitandum commercium humanum, & ſubveniendum quotidianis hominum neceſſitatibus ſunt adinventæ (l).

Sub quibus legibus & conditionibus Judæi poſſint tolerari & recipi?

Jam quid leges civiles Romanæ, quid eccleſiaſticæ, quid publicæ Imperii Romano-Germanici de receptione & tolerantia Judæorum ſtatuerint, & ſub quibus legibus & conditionibus illos recipi velint, videamus. Atque inprimis Judæi legibus communibus ſeſe conformare, & ſine ſcandalo Chriſtianorum pacifice & tranquille vivere jubentur l. 7. c. 8. de Jud. 2do Chriſtum Salvatorem noſtrum & ſanctiſſimam illius Matrem maledictis haud proſcindant, & ritus ſuos citra contemptum chriſtianæ Religionis & Crucis Chriſti peragant. l. 11. Cod. de Jud. & cap. 15. & 17. de Jud. (m). 3tio diebus Dominicis & aliis Chriſtianorum

(k) Am beſten iſts, wo man dieſe Leute, deren ihr Haupt-Werk nur der Betrug iſt, gar nicht einnimmt.

(l) Vid. Scriptores, qui de re monetaria hodierna quaſi ſine numero in publicum prodeunt.

(m) Profecto Judæos multa in deſpectum Chriſti & Religionis chriſtianæ feciſſe ex

Digitized by Google

rum feſtivitatibus domi ſe contineant, nec Chriſtianos interpellent. l. 13. Cod. eod. & hinc ulterius in Jure canonico cap. 4. & 15. eod. proviſum, ne tota die Paraſceves Paſchæ, & diebus lamentationis Dominicæ paſſionis in publicum prodeant, ſed oſtia & feneſtras clauſas teneant. 3tio novas Synagogas non exſtruant niſi ſciente & permittente Magiſtratu cap. 3. & 7. de Jud. & l. fin. §. fin. Cod. de Jud. (n). 4to Judæum ad chriſtianam Religionem tranſeuntem non prohibeant. l. 3. Cod. de Jud. 5to Chriſtianos ad falſum dogma non ſeducant, id quod ſub pœna ſanguinis, bonorumque proſcriptionis expreſſe prohibitum l. 16. & 18. Cod. de Jud. 6to cum Chriſtianis matrimonium non contrahant. l. 6. Cod. eod. (o). 7mo ut diſcreto veſtitu ac charactere quodam, veluti certo pileo, aut flavo annulo notentur (p). 8vo cauſæ eorum, ſi lis inter ipſos & Chriſtianos oriatur, non coram Senioribus Judæorum, ſed Magiſtratu Chriſtianorum illius loci ordinario diſceptentur. l. 15. Cod. eod. 9no publicis officiis non præficiantur, nec ad honores & dignitates admittantur cap. 16. & 18. de Jud. eo quod Judæis hono-

ex reſcripto Theodoſii atque Honorii docemur ita reſcribentium: *Judæos quosdam feſtivitatis ſuæ ſolemnia ad pœnæ quandam recordationem Hamanis incendere, & ſanctæ crucis adſimulatam ſpeciem ſacrilega mente exurere provinciarum Rectores prohibeant.* Huc pertinet, quod de Judæis in Franconia refertur: da die Juden durch gewiſſe Drath, und Geſchnüre, ſo ſie Erbhim nennen, indiſtincte ſowohl ihre als der Chriſten Häuſer an den Ecken der Gaſſen in formam & ſpeciem Gabali zuſammen hängen, und dadurch Crucem Salvatoris Chriſti liſtiglich zu beſchimpfen ſuchen.

(n) Quidquid ſit de legibus communibus Synagogas concernentibus, hodie Status Imperii de illarum exſtructione paſſim diſponere, teſtis eſt Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 3. Tit. 17. pag. 1292.

(o) De Jure canonico res aliunde eſt, clara, quippe quod Eccleſia primitiva jam matrimonia fidelium cum infideli in theſi prohibuerit, licet ab hac ſua regula aliquoties ex cauſis ſingularibus receſſerit, prout docent Theologi Catholici in materia de Matrimonio, & impedimento, quod vocant *Diſparitatem cultus.*

(p) Vid. cap. 15. de Jud. leges autem, ſtatuta, & mores quoad habitum Judæorum diſcretum variant. Hinc inde pileum cornutum aut flavum; alibi barbam ſingularis figuræ, in quibusdam locis annulum flavum; iterum alibi aliud ſignum diſtinctivum geſtare tenentur. Vid. Pfeffing. ad Vitriar. lib. 3. Tit. 17. pag. 1290.

Digitized by Google

Olim habuere inſignia privilegia.

honorificum officium committere non modo dignitati Chriſtiani nominis repugnet, verum etiam ipſis occaſionem ſuam in Chriſtianos tyrannidem exercendi præbeat (q). Equidem ſub primis Chriſtiani nominis Imperatoribus inſignia fuiſſe Judæorum privilegia, eosque habuiſſe ſuos Patriarchas, Primates, Synedria, probat Gothofredus in Notis ad l. 3. Cod. de Judæis, & ipſæ leges in utroque Codice contentæ; ille quidem, dum inquit: *Judæi erant Hierli, Archi-Synagogi, & Patres Synagogarum, Presbyteri, Patriarchæ, Apoſtoli &c.* hæ vero: ſic enim *Patriarcharum* meminit l. 3. Cod. de Jud. De *Proceribus* eorum loquitur l. 9. Cod. eod. *Primatuum* & *Synedriorum* mentionem faciunt Theodoſius & Valentinianus in l. 17. Cod. eod. de *Senioribus* evolvenda l. 15. Cod. eod.

Quibus fuere privati.

At res hæc diu, & nonniſi ad annum usque 439. ſubſtitit, quo ſub conſulatu Theodoſii Junioris omnes Judæorum dignitates abrogatæ; Judæi vero ad omnia munia gerenda inhabiles ſunt effecti (r). Quapropter neque ad Magiſtratum gerendum, neque ad officium Judicis, aut etiam Advocati ſuſtinendum, neque ad gradum Doctoratus ſuſcipiendum, neque ad Medicinam exercendam amplius admitti poſſunt. In hanc rem extant textus plures in Capitularibus Francorum (s), legibus Viſigothorum (t) Conciliis Toletanis (u), Decreto Gratiani (x), & Decretalibus, ex quibus unum adduxiſſe ſufficiat: *cum ſit nimis abſurdum*, inquit Gregorius (y), *ut blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim poteſtatis exerceat, quod ſuper hoc Concilium Toletanum provide ſtatuit, nos propter transgreſſorum audaciam in hoc Generali Concilio innova-*

(q) Deſuper audiatur Pfaffius in Academ. Reden pag. 109. ubi ſic habet: Sie ſollen auch keine beträchtliche Aemter unter den Chriſten beſitzen, da dieſes nicht nur allein wider die Würde des Chriſtlichen Namens ſtreitet, ſondern auch ihnen Gelegenheit über die Chriſten zu tyranniſiren gibt, wie der in einem eiſernen Käfig aufgehängte Galgen-Vogel Jud-Süß ein Zeuge davon iſt.

(r) Vid. lex ult. Cod. de Jud. ubi ſic: *Hac valitura lege in omne ævum ſancimus, neminem Judæorum (quibus omnes adminiſtrationes & dignitates interdictæ ſunt) nec Defenſoris civitatis fungi officio, nec Patriæ honorem arripere concedimus, nec acquiſiti ſibi officii authoritate muniti adverſus Chriſtianos - - judicandi vel pronuntiandi quamlibet habeant poteſtatem.*

(s) Lib. 6. cap. 122.

(t) Lib. 12. Tit. 3. cap. 17.

(u) Concil. Tolet. IV. cap. 64.

(x) Diſtinct. 44. Can. 14. & Cauſ. 17. Q. 4. Can. 31.

(y) Cap. 36. de Jud.

Digitized by Google

innovamus, prohibentes, ne Judæi publicis officiis præficiantur. Interim paſſim Judæis conceſſum eſt unum ex ſuis ſibi eligere Judicem, qui cauſas inter Judæos controverſas ſecundum leges Moſaicas judicet, quem hinc inde *Magiſtrum ſupremum* einen Hochmeiſter vocari ex Schiltero diſcimus (z). Atque hunc morem neutiquam reprobamus, imo æquum & juſtum eſſe exiſtimamus, ut in certis cauſis judicem proprium legum Moſaicarum peritum habeant, & ab ipſo ſecundum leges ſuas judicentur (a). Illum autem morem hinc inde a Principibus Catholicis introductum reprobamus, quo Judæis publica creduntur officia, dum e. g. præficiuntur *annonæ*, *rei monetariæ*, *commerciis &c.* non ſine ſummo Reipublicæ, Civium, ac ſubditorum detrimento, prout ſupra oſtendimus, & quotidiana experientia diſcimus (b).

Aliquoties Judicem proprium habent.

Non ſunt præficiendi officiis publicis.

10mo Etiam a Collegiis opificum paſſim excluduntur Judæi, non ea duntaxat ex ratione, quod Chriſtiani honeſtiores cum Judæis in Societate ſtare, eosque ſuorum jurium participes reddere erubeſcant, abhorreant, & indignum reputent (aliunde opifices in recipiendis ſociis valde delicatos, ſuorumque jurium & conſuetudinum eſſe tenaciſſimos ſcimus) verum etiam, quod illos dolis & fraudibus plenos, & lucri injuſti captandi avidiſſimos eſſe non ignorent (c). Sunt tamen authores graviſſimi, qui Judæos ad opificia addiſcenda, & agriculturam exercendam eſſe adigendos, atque ad collegia opificum admittendos exiſtimant: id quod facili negotio fieri poſſe opinantur, ſi Judæi a Chriſtianis ſeparati ſeorſim habitare juberentur, & ſeparatis plateis diſtinquerentur, prout id hinc inde fieri amat, & Pragæ in Bohemia, Francofurti ad Mœnum, Hanoviæ alibique conſpicuum eſt. Hac enim ratione omnibus incommodis, & querelis opificum cum Judæis communicare no-

A collegiis opificum excluduntur.

Adigendi ſunt ad opificia addiſcenda.

(z) Inſtit. Jur. Pub. Tom. 1. lib. 1. Tit. 4. §. 5. ubi ſic: *Rupertus Imp. conceſſit Judæis Magiſtrum aliquem ſupremum*, einen Hochmeiſter *Iſraelem nomine.*

(a) Intelligendum id potiſſimum in cauſis Religionem concernentibus, in quibus ſecundum leges proprias ſunt judicandi, ne conſcientiis ipſorum laqueus injiciatur.

(b) *Corruptis tamen Sæculi moribus Reges Principesque frequentius hodie publica Judæis officia credunt, quo titulo tot* Hof-Factoren, *commiſſarii annonarum* Proviant-Toback-*Commiſſarii, monetæ Inſpectores, Telonarii &c. veniunt* Pfeſſing. loc. cit. pag. 1295.

(c) Boehmer Jur. Eccleſ. lib. 5. Tit. 6. §. 28.

Digitized by Google

nolentium contraveniri facile liquet (d). 11mo Judæi non poſſunt bona immobilia, ædes, agros, fundos poſſidere teſte Bodino (e) & Pfaffio (f). Aliter tamen id fieri in multis locis, in quibus bona immobilia poſſident, res eſt notiſſima. 12mo inter alia id ſingulariter cautum eſt, ne uſuras illicitas exerceant, & accipiant nicht mehr als 5. vom hundert (g). 13tio ne emant bona furto ablata (h), vel cum furibus colludant (i). 14to ut hæc & alia ſolemniter & cum certis ſolemnitatibus jurent: cum enim Judæi ſæpiſſime pejerare deprehenſi fuerint, falſo exiſtimantes, juramenta ſecundum formulam apud Chriſtianos receptam depoſita nullam inducere obligationem, Chriſtianis vero juramenta non eſſe ſervanda, placuit Judæis ſingularem juramenti formam & certas ſolemnitates ad ſalubrem ipſis incutiendum horrorem præſcribere, ſecundum quam jurare debent (k). Atque hæ ſunt præcipuæ conditiones, ſub quibus Judæi recipiuntur, & jure Civitatis donantur, quæ tamen pro varietate locorum variant. Si ergo conditionibus ſatisfecerint, nec in perſona, nec in bonis offendi, nec e civitate expelli poſſunt; imo interdum contra expellentes Camera Imperialis Mandata cum Clauſula decernit.

Formula juramenti ſingularis pro Judæis.

Sed

(d) Idem loc. cit. §. 29. & 30. hujus opinionis eſt etiam Pfaffius, qui ita ſcribit: Sie ſind von den Handwerks-Zünften ausgeſchloſſen, wiewohl es beſſer wäre, man hielte ſie zu Handwerkern, und Ackern an, als daß man ihnen zu wuchern erlaubt, womit ſie die Chriſten betrügen, und emungiren, welches doch wider die Reichs-Geſätze läuft. Academ. Reden pag. 109.

(e) De Repub. lib. 3. cap. 7.

(f) Loc. cit.

(g) Vid. R. J. Auguſt. de an. 1500. Tit. 31. & Reformation guter Policey 1530. Tit. 26. & 1577. Tit. 20. Poſſunt tamen Judæi legitimas inter Chriſtianos receptas uſuras exercere, id eſt 5. pro centum recipere. Policey-Ordnung zu Frankfurt 1577. Tit. 20. quidquid plus recipitur, aut in ſortem computatur, aut reſtituendum eſt.

(h) Policey-Ordnung zu Frankfurt, ibid. von Juden und ihrem Wucher.

(i) Loc. mox citato.

(k) Formulæ juramentorum variant pro diverſitate locorum, quarum plures refert Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 3. Tit. 27. pag. 1296. ſingularis forma pro Judæis in Imperio Romano-Germanico eſt præſcripta, quam exhibet Ordin. Cameral. Spirenſ. 1538. Tit. 22. Form und Ordnung des Juden-Eyds. Item Ordin. Cameral. Auguſt. 1555. Part. 1. Art. 86. Ordnung und Form eines Juden-

Privilegia Judæorum ex jure Civili Romano.

Sed nec deſunt privilegia, quibus Judæi olim gaviſi ſunt de jure Civili Romano, & adhuc gaudent in noſtro Imperio. Jus civile Romanum hujusmodi privilegiis plenum eſt, quæ ab Imperatoribus Chriſtiano-Romanis Conſtantino, Honorio, Theodoſiis, Valentiniano indulta ſunt (l). Quid de Imperatoribus & Regibus Imperii dicam? loquuntur Diplomata, Reſcripta, & Conſtitutiones Henrici IV. Conradi IV. Sigismundi, Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Rudolphi II. Receſſus Imperii, Ordinationes & Reformationes Polit. & Scriptores paſſim (m).

Ex conſtitutionibus Imperatorum & legibus Imperii.

Ut autem ordine omnia agantur, jura & privilegia eorum ſecundum certas regulas dabimus, eaque ad diverſas cauſas & negotia potiſſimum Religionis, Juris eccleſiaſtici, & Juris civilis applicabimus.

Immunitas Judæorum in cauſis Religionis.

In cauſis Religionis Judæi omnino immunes ſunt a legibus Religioni ſuæ quoad ſubſtantiam contrariis. Hanc immunitatem, maxime cum ſint Infideles, habent ex jure naturali, divino, eccleſiaſtico & civili, ne illorum conſcientiis violentia inſeratur, & ipſi contra dictamen rationis & conſcientiæ ſuam Religionem, quam veram exiſtimant ſeu bona ſeu mala fide, ejurare cogantur. Neque enim aliter niſi ſub conditione libertatis conſcientiarum ſe poteſtati Principum ſubjeciſſe exiſtimandi ſunt. Quocirca leges ferri nequeunt, ut Judæi crucem Chriſti adorent, ut ſub formulis apud Chriſtianos receptis juramentum deponant, ut diem Dominicam in memoriam reſurrectionis Dominicæ ſanctificent: ſed potius leges Principum ad Judæorum Religionem accommodandæ ſunt, prout id obſervarunt Pontifices & Imperatores quoad ſanctificationem Sabbathi aliarumque feſtivitatum; Pontifices quidem in cap. 9. de Judæis &c. jubentes, *ne Judæi in feſtivitatum ſuarum celebritate ullatenus turbentur*; Imperatores vero in l. 2. Cod. de Jud. conſtituendo: *ne in feſtivitatibus aut ſabbathis ſuis Judæi corporalia munera obire, nec quidquam facere cogantur, neque propter publicam privatamque cauſam in jus vocentur.* Idem quoque cautum eſt in l. 13. Cod. eod. *Die ſabbathi ac reliquis ſub tempore, quo Judæi cultus ſui reverentiam ſervant,*

Fff 3

den-Eyds. Singulariſſimam prorſus juramenti formam a magno Britanniæ Rege & Electore Brunſwicenſi anno 1729. præſcriptam exhibet Boehmerus in Jur. Eccleſ. ad Tit. de Teſt. pag. 1221. & in fine lib. 2. Decretalium per modum Appendicis, quam omnino legere juvat.

(l) Vid. ambo tituli in Codice Tit. de Jud. & Tit. de Paganis, in quibus plures dantur conſtitutiones, vi quarum ab Imperatoribus in tutelam ſunt recepti.

(m) Vid. Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 3. Tit. 17. pag. 1299.

Digitized by Google

vant, neminem aut facere aliquid aut ex ulla parte conveniri debere præcipimus. Hinc ſpeciales jurandi formulas juxta normam ſuæ Religionis Judæis eſſe præſcriptas ſupra diximus. Eatenus tamen ſubjacent legibus & *juri ſacrorum* ſeu Eccleſiæ in principiis Catholicorum, ſeu Principum ſæcularium in principiis Proteſtanticorum, quatenus Judæis prohibitum eſt quædam aſſumere ſuæ Religioni abſolute non ſubſtantialia, ſed potius reſpectu illius indifferentia, quæ tamen in contemptum Religionis Catholicæ vergunt. Quo pertinet l. 11. Cod. de Jud. in qua Judæis merito interdicuntur, quæ in contemptum chriſtianæ Religionis ab illis ſunt adinventa (n). Idcirco Judæis omni jure interdicitur oratio illa, quæ incipit *Alenu Jeſchabbeach*, quippe quod ex interpretatione Hebræorum horribiles in Chriſtum contineat blaſphemias: & ideo ipſis graviſſime fuit prohibita a Friderico I. Boruſſiæ Rege anno 1703. (o). Pariter jure prohibentur, ne diebus Dominicæ Paſſionis ædibus ſuis egrediantur, in ſuis domibus in contemptum myſteriorum religionis catholicæ tripudia celebrent, neque proceſſiones publicas turbent, ſed potius ut domi ſe contineant, feneſtras claudant, & nihil agant, quod in contemptum Religionis Catholicæ vergere valeat.

Quomodo reſtricta?

Immunitas in cauſis & judiciis eccleſiaſticis ad regimen ſpirituale pertinentibus.

Altera regula eſt, quod in cauſis & judiciis eccleſiaſticis, quæ pertinent ad *regimen ſpirituale*, non ſubjiciantur legibus & conſtitutionibus eccleſiaſticis. Hanc regulam adoptarunt ipſi Pontifices, utpote fundatam in Apoſtolo Paulo 1. Cor. 1. *quid mihi de iis, qui foris ſunt* (p)? Si quid ergo commiſerint, quod cenſuris eccleſiaſticis ſubjectum, aut in judicio eccleſiaſtico canonice dijudicandum, aut puniendum eſt, tunc Epiſcopus, ſi ſimul jurisdictionem ſæcularem habeat, vel civiliter ipſos puniat, vel ad Judicem ſæcularem judicandos & puniendos remittat (q).

Utuntur jure Canonico

Tertia Regula eſt, quod Judæi jure tam Canonico, in quantum cauſas civiles & ſæculares, dummodo ſint tales reſpectu Judæorum (r) deter-

(n) Verba legis mox antea citavimus, & inter illa: *ſanctæ crucis adſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei ſacrilega mente exurere, Provinciarum Rectores prohibeant.*

(o) Conſtit. de precibus Judæorum, quam citat Boehmer lib. 5. Tit. 6. §. 40.

(p) Vid. cap. 8. de Divort. in quo legitur: *Infideles conſtitutionibus Canonicis non arctantur: quid enim ad nos ſecundum Apoſtolum de his, qui foris ſunt, judicare?* Vid. etiam cap. 14. de judic.

(q) Vid. cap. 14. de Judæ. & cap. 12. de uſur.

(r) Qualis eſt cauſa Matrimonii, quæ apud Chriſtianos eſt ſpiritualis, apud Judæos civilis, & ſic inæqualis.

Digitized by Google

determinat, & cum jure Civili vel conſpirat, vel illud corrigit & emendat, uſuque eſt receptum, quam ipſo jure civili teneantur, & obligentur, ac jure æquali cum Chriſtianis ſaltem in regula ac in theſi utantur. *& civili æquali cum Chriſtianis ſaltem in theſi.* Ratio per ſe patens eſt ex jure naturali & omni jure humano deprompta, quod ſubditi & Cives legibus & juribus Reipublicæ, cujus ſunt Cives, ſtringantur, illiusque etiam favoribus fruantur, niſi ratio diſpar evidens oſtendi poſſit.

Porro autem hic plures ſe pandunt difficultates ſtudioſe ab invicem ſeparandæ ac diſſolvendæ, quarum prima eſt, quid dicendum, ſi inter legem Moſaicam & canonicam vel civilem ſit colliſio? an videlicet Judæi adigendi ſint, & adigi poſſint ad obſervantiam Juris Canonici & Civilis, vel an illis ſecundum legem Moſaicam vivere permittendum, & ſecundum hanc judicandi ſint? *An lex Moſaica, an Canonum vel civilis apud Judæos prævaleat.* Exempla hujus rei occurrunt plurima in utroque jure: e. g. in lege Moſaica Polygamia & libellus repudii permittitur, non in lege nova; alia computatio graduum in matrimonio ex lege Moſaica, alia ex jure Canonico, & alia ex jure Civili; alia ſucceſſio ab inteſtato in Republica hebraica & alia in Chriſtiana: *Exempla legum variantium inter ſe.* aut demus jure hebraico cautum eſſe, quod ad factionem teſtamenti ſufficiant duo, jure vero Canonico & civili ſeptem requirantur teſtes? Ratio dubitandi graviſſima eſt, quod leges Moſaicæ ſint leges divinæ, quibus a jure humano derogari non poteſt, ut adeo legiſlatores humani in concurſu legis divinæ Judæos ad obſervantiam ſuarum legum obſtringere nequeant, niſi illorum conſcientiis laqueum injicere, eosque ad transgreſſionem legis ſuperioris allicere velint. Ad hæc: regula communis eſt, quod jus particulare deroget juri communi, eſſe autem jus Judæorum particulare, quis negaverit? Et utique leges tam canonicæ, quam civiles Judæorum leges & conſuetudines approbant (s).

Etſi hæc tanti ſint, aut eſſe videantur, ut Authores in varias opiniones abierint, & eorum haud pauci patrocinium Juris Judaici aſſumpſerint, nobis tamen viſum fuit ſemper jus Canonicum & Civile prævalere debere, & huic potius ſtandum quam juri Judaico, & ſtari poſſe ſine præjudicio juris Divino-Moſaici & læſione conſcientiarum. *Jus Canonicum & civile prævalet ante legem Moſaicam.* Hæc opinio non tam probatione, quam explicatione indiget: atque præprimis diſtinquendum inter leges ad ſubſtantiam Religionis & cultum ſacrum pertinentes, prout ſupra monitum, & inter leges regimen Reipublicæ

(s) Vid. cap. 3. Diſt. 45. cap. 7. & 9. de Jud. ubi legitur: *ut nemo bonas, quas hactenus habuerunt, conſuetudines immutare præſumat.* Item l. 10. & 12. Cod. eod.

Digitized by Google

publicæ Hebraicæ, ac normam judiciorum ordinantes; ac iterum inter leges *præceptivas*, *prohibitivas*, & *permiſſivas*, *permiſſione* vel *ſimplici*, quæ potius ſimplex dici debet *tolerantia* (t), vel *approbativa* (u).

Excipiuntur cauſæ Religionis.

Lex Moſaico-divina Judæos in politicis non obligat, ſed lex politica.

Quoad leges prioris generis Religionem ſpectantes jam ſupra dictum, quod in iis, quæ Religionem attingunt, Chriſtiani Principes nihil contra leges Judæis proprias & ſubſtantiales præcipere aut prohibere ſine læſione conſcientiæ poſſint. Quoad cæteras leges politicas, cum Reſpublica Judæorum eſſe deſierit, prout nec ipſi negare poſſunt, jamque Judæi facti ſint cives Reipublicæ chriſtianæ, profecto uſum ſuarum legum amplius prætendere non poſſunt: neque Deus ipſe mutato eorum ſtatu amplius ipſos ſuis legibus jam ſtatui politico Judæorum haud amplius accommodatis, ſed potius legibus Reipublicæ chriſtianæ, cui ſunt ſubjecti, & a qua ea lege ſunt recepti, ut ſecundum leges illius vivant, ſtringi vult. Cum enim Deus ſit Author rerumpublicarum, ſane legitimis Superioribus debitam obedientiam, in quantum id ſalvo ſuo honore & cultu ex lege Religionis a ſe revelatæ ſibi debito fieri poteſt, præſtari jubet, atque id omne vult, quod ad felicitatem, pacem & tranquillitatem Reipublicæ neceſſarium eſſe videtur ac utile. Et utique (permittamus quod Judæi bona fide in ſua Religione errent) ipſæ etiam leges divinæ nonnunquam admittunt Epickiam: & quare non in hoc caſu, in quo legis divinæ obſervantia moraliter eſt impoſſibilis, & ſine turbatione Reipublicæ, ſine offenſa Principis graviſſima, ſine graviſſimo Judæorum incommodo, & ejectionis periculo fieri nequit? An non primi Chriſtiani ſeſe legibus Imperatorum gentilium cum ſtatu Religionis non connexis accommodarunt? anne propterea peccarunt? Et qua conſcientia pientiſſimi Imperatores, Pontifices & Epiſcopi Judæos ſuis legibus politicis, quibus pleni ſunt libri Canonici, & ambo Romani Codices, ſubjicere potuere, & hodierni Imperatores illorum cauſas jam non amplius ſecundum legem Moſaicam, ſed canonicam & civilem dijudicare poſſunt & decidere? Ad hæc: plures ſunt leges in certo ſenſu permiſſivæ, quibus ſi contravenimus, non tam *contra*, quam *præter* legem divinam agere cenſemur: e. g. ſcriptum eſt, ut *in ore duorum vel trium ſtet omne verbum*: num ergo peccant Chriſtiani, ſi in factione teſtamenti adhibeant ſeptem teſtes juxta normam juris civilis Romani?

Idcirco

(t) Talis ſimplex permiſſio & tolerantia apud nos Catholicos eſt lex, quæ Judæis permiſit repudiationem uxoris, Polygamiam &c.

(u) Talis lex eſt, quæ permittit e. g. factionem teſtamenti cum uno teſte, majorennitatem cum 20. annorum ætate &c,

Digitized by Google

Judæi debent ſe accommodare legibus politicis, ſi jure Civium gaudere velint.

Idcirco ſi Judæi forte civium gaudere, jus ſibi adminiſtrari, privilegiorum participes fieri volunt, debent ſe accommodare legibus Reipublicæ, niſi vel privilegium aliquod habeant, quale olim habuiſſe conſtat ex l. 15. Cod. de Jud., ubi ipſis permiſſum fuerat, ut lites inter ſe controverſias poſſent ſubmittere ſuis *Senioribus* & *Majoribus*, de quibus dubium non eſt, quod ſecundum leges Moſaicas ſua judicia inſtituerint, & cauſas judicaverint, & adhuc hinc inde habere dicuntur, vi cujus in quibusdam cauſis judicio Rabbinorum ſubjacent. Unde ulterius Judæi jam matrimonium, quod apud ipſos rationem Sacramenti non habet, ſecundum leges locorum, in quibus jus Civitatis habent, contrahere (x), gradus conſanguinitatis juxta normam juris Canonici computare, teſtamentum conformiter juri vel canonico vel civili facere, ætatem majorennitatis & minorennitatis, item ſucceſſionem ab inteſtato ſecundum jus commune vel particulare locorum menſurare debent. Cæterum, licet Jus Moſaicum ſit jus particulare, quod ex communi regula derogat Generali, quia tamen uſu receptum non eſt, imo potius abrogatum, ſuam vim in jus commune exerere non poteſt. Quænam autem leges Moſaicæ & conſuetudines adhuc vigeant, ſupra ex jure Canonico & civili ſufficienter declaratum eſt. Ex his conſequens eſt, nec Imperantes Judæorum conſcientiis in exigenda legum ſuarum politicarum obſervantia laqueos injicere poſſe, nec Judæos ſeſe accommodando ſtatutis Principum transgreſſionis contra legem divinam reos fieri.

Hæc multo magis obtinent, ſi quædam ex lege Moſaica *permiſſione ſimplici ad duritiam cordis ſint permiſſa*, uti repudiatio uxoris, Polygamia (y). Hæc enim & ſimilia ipſis jure prohiberi, &, ne melioris ſint conditionis, quam Chriſtiani, aut omnino ipſis ſint ſcandalo, prohiberi debere, & contra agentes graviter eſſe puniendos ferme communis eſt chriſtianorum Doctorum ſententia.

Quæritur, an hæc in judiciis ſine diſcrimine obtineant, ſive Judæus cum Chriſtiano, ſive cum Judæo agat? Sunt quidam Doctores, qui tale diſcrimen ſtatuunt. Sed quoniam par ratio in utroque caſu, par quoque obtinebit judicium: etſi facilius Senioribus, & Rabbinis poteſtas judicandi cauſas inter ſolos Judæos, quam cum Chriſtianis controverſas

(x) Vid. l. 7. Cod. de Jud. ibi: *nemo Judæorum morem ſuum in conjunctionibus retineat.*

(y) *Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere. Quibus reſpondens Jeſus ait: ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* Marc. 10. v. 4. & 5.

verſas indulgeri poſſit, quando Chriſtianus etiam eſt Actor, propter vatinianum Judæorum in Chriſtianos odium, licet alias ex regula communi actor debeat ſequi forum Rei.

Gaudent juribus civitatis. Quemadmodum ergo Judæi ſtringuntur legibus, & onera Reipublicæ portare debent, ita ſumma æquitas ſuadet, ut juribus Civitatis & favoribus legum fruantur, niſi ratio boni publici aut alia quæcunque aliter ſuadeat, & aliter revera inter Imperantes & Judæos conventum pactum aut ſtatutum fuerit. Hinc licite nobiſcum converſantur, paciſcuntur, contrahunt, mutuant, commodant, deponunt, pignora capiunt, fidejubent, emunt, vendunt, locant, ſocietatem ineunt, in quantum id jure & pacto permiſſum.

An, & quibus privilegiis fruantur? Hinc ulterior conſurgit quæſtio, an fruantur etiam privilegiis juris communis tam Civilis quam Canonici, iis præcipue, quæ in jure Canonico certis perſonis, vel cauſis, e. g. *cauſis piis* ita vocatis, quales apud nos ſunt templa, Eccleſiæ, capellæ, Xenodochia, Hoſpitalia, & apud Judæos videntur eſſe Synagogæ, templa: his enim ſi aliquid per viam legati, aut ſimilis diſpoſitionis relinquatur, talis diſpoſitio dicitur *pia*, & ad *pias cauſas* facta, habetque varia privilegia ex jure indulta (z). *Via media tutiſſimus ibis*: Diſtinquamus inter privilegia jure communi omnibus & ſingulis ſine reſpectu ad certas perſonas & cauſas conceſſa, & inter privilegia a jure communi recedentia, & cum certo reſpectu indulta: Prioris generis privilegia etiam ad Judæos ſunt extendenda, qui eo ipſo, quod jure communi gaudeant, gaudent etiam privilegiis juris, & hinc Judæi in foro eccleſiaſtico poſſunt condere teſtamentum ſecundum normam juris Canonici. Poſterioris generis, ea præcipue, quæ cauſis piis ſunt indulta, neutiquam poſſunt trahi ad templa & Synagogas Judæorum, quibus ſimilem favorem indulgere neutiquam Pontifices cenſeri poſſunt, quippe quod illis ſacra Judaica, cum ſuam originem ex falſo Religionis conceptu trahant, potius horrori ac abominationi eſſe, quam ad elargiendos favores illos provocare debeant. Utrum vero diſpoſitio a Judæo ex motivo miſericordiæ in favorem Judæorum pauperum facta privilegium cauſæ piæ non mereatur, aliorum judicio relinquimus.

Debent portare onera realia a jure eccleſiaſtico impoſita. Sed nec ab oneribus realibus a jure eccleſiaſtico impoſitis immunes eſſe debent Judæi, etiamſi ratio legis in particulari ex aliqua parte ceſſet. Unde dubium vix eſſe poteſt, quin Judæi intra fines alicujus Parochiæ fundos, agros, aliaque bona immobilia habentes *decimas reales* perſol-

(z) E. g. non ſubjacet legi ſalcidiæ.

Digitized by Google

Solvere decimas reales.

perſolvere debeant. Nam licet decimæ dentur propter *miniſterium ſpirituale*, quod Judæis non impenditur, & hinc ratio principalior ſolvendi decimas ex parte Judæorum ceſſet, nihilominus eas ſolvere tenentur, tum quod onus iſtud reale ſimpliciter poſſeſſorem ſequatur, tum quod Judæi inter Chriſtianos ac fines Parochiæ habitantes per indirectum diminuant jura parochialia, reditusque Parochorum a Chriſtianis præſtandos, ſi illa loca inhabitaſſent, quos proin ut compenſent Judæi, omni jure adigi poſſunt (a). Aliter dicendum de *Decimis perſonalibus*, quæ ſunt onus perſonale Parochianorum qua talium, & hac de cauſa ſolis fidelibus imponuntur (b).

Non perſonales.

Servi cameræ dicuntur, quare & in quo ſenſu?

Quia hactenus de juribus, privilegiis & oneribus Judæorum egimus, opportunum eſſe duximus de Judæorum *ſervitute* (dicuntur enim paſſim *ſervi Cameræ ſpeciales* Cammer-Knechte), nec non auro coronario ab ipſis porrigendo breviter agere. Quandonam ſub hoc nomine Judæi innotuerint, non adeo liquet. Exiſtimat Pfeſſingerus, ante tempora Friderici II. id factum non eſſe (c). Ab illo tempore nomen iſtud in innumeris Diplomatibus, conſtitutionibus, & Reſcriptis occurrit (d). In quo autem ſenſu dicantur *ſervi*, iterum non adeo liquet. Certe non in ſenſu Juris Romani: nam præterquam quod Imperatores Romani Judæos juris Civilis participes effecerint, ſervitus Romana aut apud Germanos non invaluit, aut abrogata fuit. Num fortaſſis in ſenſu Judæis honorifico? quaſi vero Imperatori ſint a *ſervitiis Cameræ* adinſtar *cubiculariorum*: id nemo, opinor, ſomniaverit: tum quod Judæi ex legibus publicis dignitatum, & officiorum publicorum ſint incapaces, habeantur veluti homines levis notæ macula notati, Chriſtianis ſint contemptibiles, excludantur a privilegiis pluribus aliorum civium: tum

(a) *De terris, quas Judæi colunt*, ait Pontifex in cap. 16. de Decim., *tuæ prudentiæ reſpondemus, ut eos ad decimas perſolvendas, vel poſſeſſiones penitus renuntiandas cum omni diſtrictione compellas, ne forte occaſione illa Eccleſiæ valeant ſuo jure fraudari.* Et in cap. 8 de uſur. cautum, ut Judæi cogerentur *ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis & oblationibus debitis, quas a Chriſtianis de domibus & poſſeſſionibus aliis percipere conſueverant, antequam ad Judæos quocunque titulo deveniſſent, ut ſic Eccleſiæ conſerventur immunes.*

(b) Cap. 23. de decim.

(c) *Ante tempora Friderici II. non reperio, Judæos hoc titulo innotuiſſe; aſt in hujus Imperatoris literis legimus: ſervi ſunt Judæi Cameræ noſtræ ſpeciales*, inquit hic author. lib. 3. Tit. 17. pag. 1300.

(d) Loc. cit. pag. 1301. ubi quamplurima Diplomata recenſet.

Digitized by Google

quod in dedecus ipſorum Imperatorum redundaturum foret, ſi hujusmodi infimæ ſortis homines, perfidos, de multis criminibus ſuſpectos ſuis ſervitiis addicerent (e). Longe verius itaque eſt, imo veriſſimum, non ideo duntaxat nomen iſtud Judæis fuiſſe inditum, quod Imperatori *Aurum coronarium Judæorum.* *aurum coronarium* die Cronen-Steur, und jährliche Opfer-Pfennig ſolvere, illiusque ærario inferre debuerint, verum etiam eam ob cauſam, quod de illorum bonis Imperator libere diſponere poſſit, dieweil alle Juden mit Leib und Gut zur Kayſerlichen Cammer gehören, inquit Limnæus. (f) Quid ſi, dicamus aliam adhuc æque probabilem ſubeſſe cauſam, cur Judæi hoc nomine compellentur: eoquod nempe Imperatores non raro ingentem pecuniarum vim in ſignum protectionis Cæſareæ & ſubjectionis Judæorum exigere, eorumque opera ad ærarium ſuum locupletandum uti, aut omnino rei monetariæ præficere conſueverint, quemadmodum adhuc hodie ab Imperantibus fieri ſolere experientia docemur (g).

Quotuplex, & cui ſolvendum? De *auro* a Judæis ſolvendo, & *auro coronario*, Cronen-Steur, oder güldenen Opfer-Pfennig fuſe agit Frider. Lochnerus Diſſert. *de Reſervato Imperatoris exigendi aurum coronarium*, ubi inprimis varium diſtinquit *aurum* a ſubditis ſolvendum, *Glebale* pro poſſeſſionibus, *oblatitium* per modum ſpontaneæ elargitionis, *comparatitium* adinſtar Canonis ſolvendum; item *aurum ſacrarum largitionum*, quod idem eſt ac *aurum publicum*, & *obryziacum*, id eſt *puriſſimum*. Poſtea explicat *aurum coronarium*, illudque duplex *voluntarium*, & *neceſſarium*, & jus exigendi illud a Judæis fundari in ſummo, quod Imperatori competit in Judæos reſervato jure, edocet, ac demum fuſe explicat, quod, licet jus recipiendi Judæos, quod olim erat reſervatum Imperatoris, hodie competat

(e) *Dicuntur* Cammer-Knechte, *non quaſi honorabile cubiculariorum munus in Aula Imperatoris ſuſtineant*, inquit Wildvogelius Diſſert. de Judæor. recept. pag. 21.

(f) Tom. 4. I. P. lib. 5. cap. 7. vid. etiam Goldaſtus Conſtit. Imperial. Tom. 2. pag. 85. ubi Sigismundus in ſua Conſtitutione de privilegiis Judæorum ita loquitur: *omnes ac ſinguli Judæi ubicunque degentes per terras Imperatoris Juriſdictioni ſubjectas ſervi ſint Imperialis cameræ ſpeciales.* Quo ſenſu paſſim apud Publiciſtas vocantur der Kayſerlichen Majeſtät Cammer-Sclaven.

(g) Dicuntur Cammer-Knechte, *quia eos Imperatori & Statibus Imperii tanquam publicos uſurarios & ſervos in bellica expeditione aliisque neceſſitatibus pecuniam ubivis colligere, & Cameræ Imperatoris & Statuum Imperii inferre oportet.* Wildvogelius loc. mox citato.

Digitized by Google

tat Electoribus, Principibus & Statibus Imperii, nihilominus jus exigendi *aurum* coronarium etiam in territoriis aliorum Principum ſit *Reſervatum* ſoli Imperatori proprium, ad quem proin lectorem remiſſum volumus. Nos jam plus quam ſatis de tolerantia Judæorum dixiſſe exiſtimamus, de quibus ideo fuſius agere placuit, quod in Germania paſſim tolerentur. Pleraque de Judæis dicta, de aliis Infidelibus eorumque tolerantia intelligenda ſunt.

De tolerantia Hæreticorum, ita dictorum.

Jam ad hæreticos, quos pace noſtra, ſi nomen *hæretici* diſpliceat, Sectarios vel quocunque alio nomine compelles, quia de quibusdam acturi ſumus, quibus nomen *hæretici* in ſenſu juris publici accom̃odari nequit. Quid ſit *hæreſis*, & quis *hæreticus* dici poſſit & debeat jam ſupra ex Authoribus Catholicis, & Boehmero Scriptore Proteſtantico expoſuimus. Longe fuſiorem hæreſis explicationem præbet Pfaffius in ſeinen Academiſchen Reden über das Kirchen-Recht (h), ubi multiplicem ſenſum *Hæreſis*, quem habet in ſcripturis, in Conciliis, Codice Juſtinianeo, apud Patres, & hodie apud Catholicos, & apud Proteſtanticos, ſecundum ſuam intelligentiam exponit, & inter alia dicit, quod apud Catholicos hodie hæreticus ſit ille, *qui aliam, quam Romanam amplectitur Eccleſiam, & Canones Concilii Tridentini non recipit;* apud Proteſtanticos vero, *qui pertinaciter negat articulum fidei fundamentalem, & errorem in fide fundamentalem ſovet, nutritque, propter quem damnari poteſt* (i).

Quid hæreſis ex Pfaffio.

De tolerantia Sectariorum in Germania celebriorum.

Quidquid jam de hac Pfaffii doctrina ſit, nos agemus de quibusdam ſectis & ſectariis in Germania celebrioribus, & quid de eorum tolerantia ex jure naturæ dicendum ſit, dabimus. Germaniam ſi luſtremus, in ea præter eccleſiam & cœtum Catholicorum offendimus diverſi generis ſectas, Anabaptiſtarum ſeu Mennonitarum, Socinianorum, Herrnhutianorum, deren Frey-Maurern, Reformatorum, & Proteſtanticorum id eſt Lutheranorum.

Anabaptiſtarum.

Antiquiores Anabaptiſtæ qui?

De Anabaptiſtis, eorumque tolerantia auſpicemur. Jam in primis eccleſiæ Sæculis quidam tam ex Orthodoxis, quam hæreticis ſub nomine Anabaptiſtarum aut Rebaptizantium innotuere: ex Orthodo- xis

(h) Pag. 112.

(i) Heutiges Tags iſt in ſenſu Catholico eben ein Ketzer, der von einer andern als der Römiſchen Kirche iſt, und die Ausſprüche des Concilii Tridentini nicht annimmt. Bey den Proteſtanten iſt derjenige ein Hæreticus, der hartnäckiger Weiſe einen Articulum fidei läugnet, oder errores in fide fundamentales häget, welche machen können, daß man die Seeligkeit verſcherze. pag. 113.

xis Patres Africani cum Firmiliano, & Cypriano; ex hæreticis Novatiani, Donatiſtæ, Ariani. Quid in cauſa rebaptizantium in Synodo Nicæna actum fuerit, aliunde notum eſt. Reiteratio baptiſmi ab hæreticis collati fuit prohibita excepto ſolo baptiſmo a Paulianiſtis collato.

Pœnæ in rebaptizantes ſtatutæ. Pœnæ quoque primitus eccleſiaſticæ in rebaptizantes & rebaptizatos decretæ fuere graviſſimæ, illi quidem a ſuo gradu Clericali depoſiti (k), hi vero excommunicati, & *pœnitentiæ publicæ* ſubjecti (l). Imperatores Theodoſius M. & Honorius pœnam mortis in utroſque decreverunt (m), vel confiſcationem bonorum (n). Hodie ſi quis ſe aut ſuos liberos lucri cauſa baptiſmo ſubjecit, crimen falſi & ſtellionatus committit, & pœna proſcriptionis in perpetuum plectitur. Carolus V. & Ferdinandus I. ſimiliter in Receſſibus Spirenſi de anno 1529. Wormatienſi de anno 1535. Auguſtano de anno 1551. pro qualitate criminis ultimum ſupplicium in eos ſtatuerunt. Atque de his Anabaptiſtis hic nobis non eſt

Aliud genus Anabaptiſtarum. ſermo. Sed nec de illis, qui Duce Münzero omnia ſusque deque verterunt, legibus & Magiſtratibus bellum indixerunt, ſuis ſceleribus & criminibus gloriæ & Majeſtati Dei audacter inſultarunt. In hos enim fune, ferro, igne, gladio tanquam rebelles juſtiſſime fuiſſe ſævitum, atque hujusmodi hominum extremam luem & peſtem ex omni orbe, jure omni eſſe eliminandam & proſcribendam, nemo ſanæ rationis negaverit (o). Idcirco de illis ſolis ſermo eſt, qui mitius ſentientes & a

Anabaptiſtæ huc pertinentes qui? Mennone Simonis, antea ſacerdote Catholico in ordinem redacti paſſim in Hollandia, & in Palatinatu inferiori, aliisque locis tolerantur, attamen dogmata quædam perverſa & Reipublicæ pernicioſa ſuſtinent, qualia ſunt, ex orbe Chriſtiano eliminandum eſſe omnem Magiſtratum,

Eorum dogmata. illicitum eſſe omne bellum, illicitum eſſe jurare, illicitum eſſe hominem quemcunque facinoroſum pœna mortis plectere; cæterum Magiſtratibus etiam Tyrannis eſſe obediendum (p). Hæc dogmata, ultimum ſi excipia-

(k) L. 1. C. ne ſanctum bapt. iteretur.

(l) Diſt. 4. de Conſecrat. c. 117.

(m) L. 2. C. ne ſanct. bapt. iter.

(n) Cod. Theod. l. 16. l. 4. & 6.

(o) De origine, motibus, progreſſibus Anabaptiſtarum, pœnis in eos ſtatutis, ac eorum perſecutionibus vid. Moshemius Inſtit. Hiſt. Eccleſ. Sæc. XVI. Sect. 3. Part. 2. cap. 3.

(p) Idem loc. cit. ubi oſtendit, hos juniores Mennonitas adhuc multa ſuſtinere dogmata Münzerianorum.

Digitized by Google

excipiamus, eſſe paradoxa, falſa, tumultuum incentiva, Reipublicæ ſumme noxia, adeoque eorum authores ex omni Republica haud ſecus quam Atheos eſſe eliminandos, quis negare auſus fuerit? At vero quoniam ultimum illud dogma de perfecta Magiſtratibus obedientia præſtanda anteriorum dogmatum rigorem temperare, malitiam corrigere & emendare atque hujusmodi hominibus delirantibus ſalubre frœnum injicere, eosque intra limites officii bonorum civium continere videtur, quo minus Rempublicam turbent, exiſtimant Viri eruditi, eos inſpecto jure naturæ eo ſecurius tolerari poſſe, quo liquidiora in illis locis, in quibus tolerantur, pro ſe habent teſtimonia, quod pacifice vivant, Magiſtratibus obediant, & partes *boni civis* adimpleant (q).

Ex quaratione tolerandi vicantur?

Porro autem, an hæc ratio ſit ſufficiens ad illorum tolerantiam ſtatuendam judicet, qui velit. Nunquid hæc arguendi ratio probat, quod omnis colluvies Sectariorum, Atheorum, Naturaliſtarum, Indifferentiſtarum aliorumque perverſe ſentientium ſit toleranda? quia etiam hi plerumque ſolent pacifice vivere, ſeque bonos cives ex metu ſuppliciorum externe mentiri. Sed an neſcimus, quid hujusmodi deterrimæ Religionis homines mente teneant, & occulte machinentur contra Magiſtratus, contra Rempublicam, contra Religionem, contra concives ſuos? Magiſtratibus profecto ultimam cladem, Reipublicæ excidium, Religioni interminium allaturi, & neſcio quæ, niſi metus ſuppliciorum abſterreret, auſuri. An neſcimus, quod tales Sectarii nullius ſint fidei, occulte ſcelera, crimina & delicta quæcunque committant, data prima occaſione tumultus excitent, rebelles fiant, atque ſub ſpecie externæ pacis, ac tranquillitatis Imperantibus illudant? Atque ex hoc ipſo laxiſſimo ac periculoſiſſimo principio: *ſunt boni cives*, melius

Quæ ratio nimium probat.

Sectariis non eſt fidendum.

Quid ſentiendum de principio: ſunt boni cives.

(q) Mosheim allgemeines Kirchen-Recht, ubi ſic: was die Wiedertäufer, und Mennoniten betrift, ſo iſt bekannt, wie hart in den ehemaligen Zeiten gegen ſie verfahren. Sie lehren zwar, daß man mit gutem Gewiſſen kein Obrigkeitliches Amt verwalten, keine Todes-Strafe zu erkennen, keine Kriege führen, nicht ſchwören könne. Aber ſie lehren doch einen vollkommenen Gehorſam auch gegen eine tyranniſche Obrigkeit. Man duldet ſie dahero in Holſtein, Hamburg, Danzig, in der Pfalz, in Holland, und ſie haben das Zeugniß, daß ſie gute Bürger ſind. pag. 436. Eodem modo loquitur Pfaffius loc. cit. pag. 131. ſo ſind ſie doch der Meinung, man müſſe ſonſt in allen andern Stücken einer auch tyranniſchen Obrigkeit gehorchen. Dies genüget uns zu zeigen, daß ſie tolerirt werden können, wie in Holland, der Pfalz, in Holſtein, zu Hamburg. Man gibt ihnen allenthalben das Zeugniß, daß ſie boni Cives ſeyen.

Digitized by Google

lius diceres: *mentiuntur ſe bonos cives*, venit, quod in terris præcipue Proteſtanticis omnis ferme Sectariorum colluvies præſertim in Hollandia & Anglia tolerentur, in quibus longe major habetur ratio Status externi, commerciorum, ac opum, quam Dei, & Religionis. Si modo floreant commercia, cives ſint opulenti, Imperantes numeroſum alant exercitum, ſuis vicinis ſint formidabiles, quidquid dein ſit de Religione: quaſi vero Principes ſint ex-leges, & nullo jure naturæ Deo ſint obſtricti, illiusque cultum & Religionem promovere nullo modo obligati. Atque hoc eſt illud perverſiſſimum principium, quo Politici Imperantibus imponunt, Religionem peſſumdant, Eccleſiam ſupprimunt, Clerum opprimunt, atque *omne jus naturale Dei anticipatum*, de quo Tom. I. evertere contendunt. An non præſtat pericula Religioni & Reipublicæ imminentia avertere? Aliunde tolerantia Religionum, vaga præſertim, eſt Mater diſcordiarum, tumultuum, ſeditionum. Nobis ſufficit demonſtraſſe, quod perverſa Mennonitarum aliorumque ſimilium Sectariorum dogmata ſaltem per ſe illos ex omni bene ordinata Republica excludant. Quod ſi *Ratio Status* illos tolerare imperet, aut ex argumentis ſummi ponderis ſaltem ſuadeat, arctioribus limitibus haud aliter quam Judæi eſſent coarctandi.

De tolerantia Socinianorum.

De Socinianorum tolerantia non eſt, quod dicamus, quippe qui in ſuis doctrinis fidei, ac morum præceptis parum ab Anabaptiſtis differunt, & cum his bella gerere, Deum jurejurando in teſtem appellare, ſuppliciis capitalibus facinoroſos afficere eſſe illicita judicant (r), & propterea jure jam ante 100. annos e Polonia expulſi fuere, unde in Tranſylvaniam & Hollandiam digreſſi ſunt. In Hollandia tamen ſub hoc nomine non tolerantur. Sed nec in Germania tolerantur, paſſim tamen per Angliam diffunduntur, & a Doctoribus Proteſtanticis non aliter, quam Anabaptiſtæ tanquam *boni cives* dilaudantur (s). Idem ergo de his, ac de Mennonitis judicium ferendum.

De tolerantia Herrnhutianorum & Freymau-

Duæ præcipue ſectæ per Germaniam noviſſimis temporibus invaluere, & ferme omnium ore & calamo celebrantur, nempe illorum, qui vocantur Freymäurer, & primum circa anno 1735. in Germania inno-

(r) Die Socinianer nehmen eben dieſe Grund-Sätze an. Moshemius allgemein. Kirchen-Recht. pag. 436.

(s) Man hat ſie vor 100. Jahren aus Polen delogirt, und ſie ſind hernach in Siebenbürgen und Holland gangen. Doch werden ſie in Holland nicht unter dieſem Namen tolerirt. Man nimmt ſie auch im deutſchen Reich nicht auf. Pfaff. Acad. Reden. pag. 131.

Digitized by Google

ter: de eorum origine & doctrina.

innotuere, antea vero ſuam ſedem in Anglia habuere, & Herrnhutianorum, qui a pago **Herrnhut** in ſuperiori Luſatia vocati Authore & Duce Nicolao Ludov. Comite de Zinzendorf ſub nomine fratrum Bohemorum circa annum 1729. ſe per Germaniam mirum in modum diffuderunt. Utramque hanc ſectam Naturaliſmum, aut Syncretiſmum profiteri, concors eſt etiam Doctorum Proteſtanticorum opinio. Illi priores ſecretum & myſterium inter ſe habent, quod hactenus ſufficienter detegi non potuit. Equidem noviſſime, quemadmodum ex publicis iisque noviſſimis Novellis intelleximus, prodiit in lucem publicam libellus cum Inſcriptione: **Freymaurer verrathener Orden, und das Geheimniß der Mops-Geſellſchaft, aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 2. Theile**, 8vo. An revera Myſterium iſtud in eo proditum ſit, ignoramus, quia usque nunc libellum illum ad manus non accepimus. Interim hoc ſcimus, quod Benedictus XIV. illos in ſpeciali Conſtitutione anno 1751. edita damnaverit, & ipſi etiam Principes Proteſtantici, aliqui ſaltem, illos jure Civitatis donare piaculo ſibi ducant. Et hinc, dum anno 1745. Præco quidam Hannoveranus ſuum nomen huic ſectæ dabat, proviſum fuit ſingulari ordinatione, ne quis Paſtorum hanc ſectam amplecteretur (t). Hi poſteriores paſſim ſe Confeſſioniſtas id eſt Auguſtanæ Confeſſioni addictos profitentur, indignantibus & contradicentibus Lutheranis. In hanc rem præter Carolum Hofmannum Theologum Wittenbergicum merentur legi *quinque Diſſertationes, quibus Herrnhutianam ſectam Auguſt. Confeſſ. Socios non eſſe, nec Pacem Religioſam ad eos pertinere evincit &c. Chriſtianus Sigismundus Georgius, Witembergæ prelo Ephraim Gottlob Eichsfeldi.* Profecto in his Diſſertatiunculis invenitur, quidquid ad illuſtrandam hiſtoriam Herrnhutianiſmi pertinere videtur. Utriusque Freymaurianorum, & Herrnhutianorum ſectæ originem, dogmata, facta, & progreſſus in compendio exhibet **hiſtoriſches Kirchen- und Ketzer-**Lexicon (u). Ex quibus facile dijudicandum, quid de tolerantia utriusque ex jure naturæ dici poſſit, & debeat.

Freymaurer ab ipſis Proteſtantibus non admiſſi.

Herrnhutiani non ſunt Auguſtanæ Confeſſioni addicti.

De tolerantia Religionum in Germania receptarum ex jure naturæ.

Jam ad tres Religiones in Germania toleratas tranſitum faciamus, & quid de earum tolerantia ex jure naturæ dicendum, videamus. Atque in hac materia omnino nos cautos & circumſpectos eſſe oportet, ne in leges publicas impingamus, Proteſtantibus maculam hæreſeos inuramus, & cauſas querelandi, vel omnino ad Comitia Imperii provocandi

(t) Weimar. Acta Hiſtorico-eccleſ. Tom. 9. pag. 404.

(u) Johann Michael Mehligs pag. f. & H.

vocandi porrigamus. Verumenimvero O boni Superi! quis nobis indignabitur, ſi *jure retorſionis* utamur, ſi honorem læſum defendamus, injurias propulſemus, arma armis opponamus? Quodſi Catholico vocula *hæreſis* vel invito excidat, aut violenter extorqueatur, jam Catholici fractæ pacis, violati fœderis, injuriarum, ac ferme criminis læſæ Majeſtatis rei aguntur, nullus querelandi modus & finis, ad leges publicas, ad ſuprema Imperii Dicaſteria, ad ipſa Comitia fit provocatio: Interim Proteſtantes non erubeſcunt Religionem Catholicam neſcio quibus convitiis proſcindere, Eccleſiam illiusque Præſules eorum criminum arguere, quorum ne Athei quidem, & ultimæ fæcis ac malitiæ homines & ſectarii arguuntur. Duos cæteroquin egregios, & apud ſuos magni nominis Viros Moshemium & Pfaffium in medium proferre liceat, qui in eo omnem ſuam operam navarunt, ut evincerent, Religionem Catholicam ſpectato jure naturæ ex omni orbe tanquam ſectam Atheiſmo ferme deteriorem, ac Reipublicæ magis nocivam eſſe eliminandam, proſcribendam, exterminandam.

Proteſtantes non patiuntur ſe dici hæreticos.

Sunt injurioſi in Religionem Catholicam.

Argumenta contra tolerantiam Religionis Catholicæ ex Moshemio.

Audiamus Moshemium, ita loquentem: Die Römiſche Kirche lehret, daß die weltliche Herrn über die Kirche nichts zu ſagen haben, ſondern allein die Geiſtlichkeit. Sie maſſet ſich eine geiſtliche, und weltliche Gerichtbarkeit an, und der Pabſt ſoll die Macht haben weltliche Könige ein- und abzuſetzen. Sie ertheilet ihren Kirchen das Freyſtatt-Recht, und hindert alſo den weltlichen Arm die Gerechtigkeit zu handhaben. Sie lehret, man ſolle denen Ketzern keine Zuſage halten, und hebet das Band der menſchlichen Geſellſchaft auf. Sie übet tauſend Kunſt-Stücke aus, die Beutel der Unterthanen zu leeren. Dieſe Religion iſt alſo dem Staate höchſt gefährlich (x).

Ex Pfaffio ſimilia & adhuc longe deteriora.

Verbis haud mitioribus, imo longe acerbioribus Religionem Catholicam perſequitur Pfaffius, qui ſuum diſcurſum irreligioſum, ferme dixiſſem barbarum & inhumanum convitiis & injuriis plenum in hæc verba adornat: Wir machen von der Römiſch-Catholiſchen Religion den Anfang. Da ſcheinet es, es führe dieſelbe Principia, die dem Staat, und deſſen Befugniſſen und Intereſſe höchſt nachtheilig ſeyen. Hujus rei argumenta aſſert ſequentia, quæ in ſermonem latinum in gratiam eorum, quibus lingua Germanica parum cognita eſt, tranſtulimus: inprimis ſtatuit Religio Catholica *Statum in Statu*, *Rempublicam in Republica.* 2do Epiſcopi, Clerici, Monaſteria, bona eccleſiaſtica Imperantium juriſdictioni ſubtrahuntur, atque immenſa rerum, bonorum,

(x) Allgemein. Kirchen-Recht ꝛc. pag. 436.

norum, ac pecuniarum copia, quibus Epiſcopatus & Monaſteria affluunt, enervat ærarium Status ac Reipublicæ, ipſi vero Religioſi, quorum numerus eſt immenſus, ingenti oneri ſunt reliquis civibus. Anne ergo Imperantes in ſua Republica *Coimperantem eccleſiaſticum*, ac innumeros homines, quibus nec imperare, multo minus ab illorum bonis immobilibus ac poſſeſſionibus tributum exigere poſſunt, æquo animo in ſuo territorio ſuſtineant? 3tio An non Pontifex contra omne jus ſibi arrogat ſupremum dominium in bona temporalia, regna, & principatus Imperantium, quos in ſua poteſtate ſe habere jactitat? ita ut Reges & Principes e ſuo ſolio deturbare, excommunicare, ſubditos ab homagio fidelitatis abſolvere, ditiones Principum diſtribuere, adimere, ac reſtituere poſſit, prout libuerit: ut ſubditi ingens apud Deum meritum ſibi conciliare exiſtiment, ſi contra Imperantes hæreſi infectos, aut de ea ſuſpectos tumultus & ſeditiones excitant, bella conflant, eosque modis illicitis vita & regno privant (y). 4to Quid notius, quam quod Superiores eccleſiaſtico-Catholici Principibus ſuum *Jus in ſacra* violenter e manibus eripuerint, & extorſerint? veri uſurpatores & prædones jurium Imperantibus competentium, ita ut hi in caſibus, in quibus opus eſt brachio ſæculari, ſint meri executores ad ſervitia Cleri mancipati (z). 5to Quid aliud eſt jus *Aſyli* ita dictum templis aliisque piis locis indultum, quam *Civitas refugii*, ad quam latronibus, prædonibus, homicidis, & cujuscunque criminis ac facinoris reis impune confugere licet cum ingenti Juſtitiæ & boni publici detrimento? inde enim fit, ut, quia manus ligantur Judicum, quibus Aſylantes e ſuo aſylo violenter extrahere prohibitum eſt, graviſſima crimina graſſentur, ſaluberrimæ leges Juſtitiæ elidantur, homines liberius peccent, audaciores fiant, & neſcio quæ audeant (a). 6to Quid de perverſis morum regulis apud Catholicos receptis dicamus? e. g. ſtatuunt Catholici, Hæreticis non eſſe ſervandam fidem, juramenta illis præſtita non obligare &c. Nunquid autem ex his & ſimilibus principiis omne Societatis humanæ vinculum ſolvi neceſſum eſt? Nulla ſtabit pax, & omnis pax erit incentiva novorum bellorum, nullum conſtanter obligabit pactum, omnis

Jus aſyli convitiis proſcinditur.

(y) In hanc rem affert Author conſpirationem pulverariam in Anglia.

(z) Raubet die Römiſche Obrigkeit der Weltlichen ihre Rechte circa ſacra, da die Obrigkeit, wo brachium ſæculare nöthig iſt, nudus executor, und alſo ein purer Knecht von dem Clero iſt.

(a) Faſt ein jeder Mörder und Spitzbube kan dahin fliehen, und die Obrigkeit iſt nicht berechtiget denſelben wegzunehmen, und die Juſtitz an ihm zu vollführen. Ibid.

vacillabit contractus, nulla inter homines erit fides, 7timo Quem latent millenæ artes Pontificum & Clericorum emungendi marſupia ſubditorum, & corradendi pecunias ex omnibus orbis Catholici Regnis & provinciis? quæ ſi fluerent in ærarium Principis, longe melius in uſus Reipublicæ publicos impenderentur. 8vo Ex hiſtoriis conſtat, quod Pontifices integra regna *Interdicto* ſubjecerint, matrimonia Regum & Principum ſecundum ritus Eccleſiæ Romanæ non contracta paſſim annullaverint, & ita nonniſi tumultus in plebe & populo excitaverint.

En argumenta! quibus Pfaffius Religionem Catholicam toti orbi abominabilem & execrabilem reddere contendit. Anne terribilius aliquid dici vel cogitari poteſt? anunquam aliquis ſimilia de Atheiſmo vel legit vel ſcripſit? Et tamen Author hic, de cujus ſatis, quæ in ultima perpeſſus eſt ætate (Religionis conſortes me intelligent) præſtat tacere, gloriatur, quod terminos civilitatis & modeſtiæ obſervaverit, vel ſaltem obſervare voluerit dicens: Wir wollen nichts mehrers dieſsfalls ſagen, ob wir wohl könnten. Es iſt auch nicht unſere Meynung etwas zur Schmach der Römiſchen Kirche zu ſchreiben. Ja es iſt billig, daß man intra terminos civilitatis und modeſtiæ bleibe, beſonders, wenn man vom Kirchen-Rechte ſchreibet, und data opera keine Polemica tractiret (b). Judicet jam, oro, atque obteſtor, prudens lector & juſtus rerum arbiter, an hæc ſecundum leges civilitatis & modeſtiæ ſcripta ſint, an non Author verbo, facto, & ſcripto ſibi contradicat.

Ambo ponunt principia, & poſtulata dubia, incerta, & quædam falſa.

Affingunt Catholicis doctrinas univerſales, quæ tamen ſunt ſolum particulares.

Priusquam utriusque Authoris argumentis, aut potius convitiis obviamus, placuit quædam præmonita poſtea clarius declaranda ac demonſtranda præmittere, atque illud præprimis, quod ambo ponant quædam *principia* & *poſtulata* hactenus nondum demonſtrata, quæ omni jure negari poſſunt, & antea demonſtrari debent, antequam illis veluti fundamentis ſuum ædificium & doctrinas ſuperſtruere laborant, quale eſt *non dari Statum in Statu*, *Rempublicam in Republica*, *Chriſtum in Eccleſia non inſtituiſſe Statum*, *Imperantes eſſe ſupremos Monarchas in ſua Republica*, *nulla ratione Eccleſiæ Præſulibus ſubjectos &c.* 2do Affingunt Eccleſiæ quaſdam doctrinas tanquam doctrinas Religionis communes, & univerſales, quarum tamen pleræque ſunt particulares, quæ ſi rite explicentur, nihil habent, quod aut Reipublicæ nocivum, aut juribus Principum præjudicioſum eſſe poſſit, qualis eſt doctrina de *poteſtate Pontificis in Regna & bona temporalia Principum.* 3tio Haud ſecus particulares quaſdam paucorum authorum opiniones adſcribunt Eccleſiæ,

(b) Loc. cit. pag. 133.

Eccleſiæ, illiusque Doctoribus, quas tamen ſapientiores Catholici nunquam ſuas fecerunt, ſed potius rejecerunt, qualis eſt doctrina *de non ſervanda fide vel juramento hæreticis præſtito*. An non inter ipſos Proteſtantes fuerunt & ſunt Scriptores, qui monſtra doctrinarum docuerunt? Habent ambo Authores exempla domeſtica innumera: habent Hobbeſium & Thomaſium, & plures Jurisconſultos domeſticos, quos hiipſi authores in doctrina de *Jure in Sacra* refutant, eoquod illud cum ingenti exceſſu ſuis Principibus vindicent, jura Eccleſiæ ſupprimant, ac deſpotiſmum in regimine eccleſiaſtico introducant, ſuos Principes in ſua Eccleſia veluti Monarchas independentes efficiant, ſuum Clerum deprimant, ac Religionem omnem eliminent (c). 4to Doctrinas Catholicorum perperam explicant, ea, quæ prima facie abſona videntur, nude crude aſſumunt, exaggerant, & ex iis nonniſi venenum exſugunt, interea principia Catholicorum, eorumque argumenta, quibus ſuas doctrinas ſuſtentant, doloſe diſſimulant, tacent, ſupprimunt, uti in doctrina de *Aſylo eccleſiaſtico*. 5to Uſum bonum ab abuſu non ſeparant, & nonniſi abuſus exaggerant e.g. in materia de collectis Pontificum & Clericorum. 6to In omnibus ſuis doctrinis primas deferunt bono Reipublicæ, Eccleſiam ultimo ponunt loco, & Religionem in ultimis habent curis, atque eo dilabuntur & progrediuntur, ut videri poſſint ipſam Dei omnipotentiam ad limites ſui intellectus & Syſtematis reſtringere, prout ex ſyſtemate, quod ſibi de Religione & Eccleſia cudunt, pleno alveo fluere videtur. Iſta mox clarius dilucidabuntur.

Proteſtantes docent doctrinas perverſas.

Doctrinas Catholicorum perverſe explicant.

Religionem & Eccleſiam poſtponunt Reipublicæ politicæ.

Auſpicatur Pfaffius ab illo falſiſſimo dogmate paſſim a Proteſtantibus adoptato, & plurimum decantato, *quod non detur, aut dari poſſit Status in Statu, Reſpublica in Republica*, eoquod talis Reſpublica foret biceps, monſtroſa & chimærica, & Chriſtus ipſe nullum ſtatum, nullam Rempublicam in Eccleſia inſtituerit, ſupremum dominatum in Republica etiam in ordine ad Religionem, in quantum habet nexum cum Republica, ſolis Principibus crediderit, quin & ipſa Religio quaſi ex jure naturæ omne imperium excludere videatur. Porro autem, quis hæc omnia prorſus eſſe incerta, dubia, quin maxima ex parte falſa non videat? undenam demonſtrant Proteſtantes, *Statum in Statu* & quidem diverſi generis eſſe implicatorium, ne ipſi Supremo rerum Authori & Conditori poſſibilem? an non eſt aut fuit in poteſtate ſupremi Numinis modis, quibus placet, Reſpublicas per legitimos Imperantes rege-re,

Utrum detur Status in Statu.

Potuit Deus ponere Statum in Statu.

(c) Vid. Mosheim allgemein. Kirchen-Recht, ubi in principiis Hobbeſianis & Thomaſianis refutandis totus quantus eſt occupatus.

Digitized by Google

re? & ita regere, ut primaria ſit cura Religionis & Eccleſiæ ad dirigendum cultum divinum inſtitutæ, ſecundaria Reipublicæ; atque bonum politicum tanquam bonum inferius cedere debeat bono Religionis & Eccleſiæ veluti bono longe excellentiori; & utrique Reipublicæ, Eccleſiaſticæ & Politicæ diſtincta præſit poteſtas cum ordine ad diverſos fines particulares, & unum finem utrique communem. Num igitur Deus ſuum cultum, ſuum honorem, ſuam gloriam, propter quam creavit omnia, poſtponere debuit bono Reipublicæ? anne ergo præſtat florere Regna, Principes ſuorum regnorum fines protendere, & numeroſum alere militem, cives abundare divitiis, quam promoveri divinum cultum, Religionem dilatari, Dei propagari gloriam? Anne ergo Chriſtus non potuit inſtituere in ſua Eccleſia regimen eccleſiaſticum, cui ſaltem quoad diſciplinam eccleſiaſticam externam, eſto Religionem in cordibus hominum dirigendam ſibi ſoli reſervaverit, ipſi etiam Imperantes Politici deberent eſſe ſubordinati? An non fuit in arbitrio Dei dividere regna, diſtribuere ſceptra, mitigare Imperium ſupremorum Dominantium, & utrumque, id eſt Eccleſiaſticum & Politicum ita temperare, ut ſua jura pecularia eſſent Imperantibus eccleſiaſticis, & ſua politicis, ambo tamen in fine principali, eoque univerſali tanquam centro convenirent, ſimulque fines particulares ſibi præſtitutos adipiſcerentur. Hæc ſi negent AA. neſcio, an non in Deum ſint injurioſi, & illius omnipotentiæ ac ſapientiæ limites ponere audeant. Et quid aliud nos Catholici docemus, niſi quod Deus duas poteſtates conſtituerit, eccleſiaſticam unam, politicam alteram, & inter has voluerit eſſe neceſſariam ſubordinationem? ita ut ea prævaleat, quæ ad finem ſublimiorem ac præſtantiorem eſt præordinata, ambæ ſimul in quodam fine univerſali concentrent.

Bonum Religionis prævalere debet bono Reipublicæ.

Unde ad id devolvitur quæſtio, an Chriſtus tale regimen eccleſiaſticum moderatum, quale nos Catholici adſtruimus, vel deſpoticum, quale plures Proteſtantes adſtruunt, inſtituerit. Si primum: injuria Catholicis fit ſumma, ſi temerarie dicant AA. Religionem Catholicam Reipublicæ eſſe ſumme nocivam, quia non eſt in arbitrio hominis, ſed Dei determinare gradus & limites felicitatis Rerumpublicarum. Si alterum: id probandum erit ac demonſtrandum, quod nunquam præſtabunt.

Ut autem videant AA. *Statum in Statu* non eſſe Hircocervum aut Chimæram omnipotentiæ divinæ aut bono Reipublicæ repugnantem, examinemus non nihil axioma iſtud paſſim jactitatum: *non datur Status in Statu*, quod licet antiquitus paſſim adoptatum & inconcuſſi dogmatis inſtar

inſtar habitum fuerit, hodie tamen non raro a mitioribus Proteſtantibus deſeritur, & cui fundamento nitatur, videamus.

Status in Statu ex omni jure probatur.

Ex jure naturæ.

Undenam enim, quæro, hæc repugnantia *Status in Statu*? Num ex jure naturali, divino, eccleſiaſtico vel civili? non ex jure naturali, quia implicantia hactenus nondum fuit demonſtrata, nec demonſtrari poteſt, contradicente orbe univerſo, in quo tot occurrunt exempla, ex quibus Status in Statu evidenter apparet, ut in numerum cogi nequeant. Aut inde fortaſſis implicantiam demonſtrabit Pfaffius, quod Reſpublica *regularis* ex ſua natura & conceptu eſſentiali exigat formam *uniformem*, & excludat *multiformem*, cum ex mente Doctorum forma regiminis *regularis* debeat eſſe in una moraliter voluntate coadunata, nec in plures poſſit eſſe diviſa: ſecus enim degenerabit in formam regiminis, quam Juris publici DD. vocant *irregularem* vel ex defectu *formæ*, vel *nexus* talem (d). Aſt hunc conceptum Reipublicæ *regularis* & *irregularis* non ex omni parte eſſe certum, ipſi docuimus, etſi illum adoptare tanquam probabilem vel probabiliorem placuerit (e). Et eſto, quod *Status in Statu* ſupponat formam regiminis *irregularem*, an exinde ſequitur, quod Deus talem formam regiminis *irregularem* in Republica Catholica, quæ ſolummodo eſt *talis* reſpectu hominum neſcio quos rerum conceptus ſibi fingentium inſtituere vel non voluerit, vel non potuerit? ideo fortaſſis, quia forma regiminis *regularis* cenſetur eſſe optima, & ad obtinendum finem Reipublicæ magis accommoda. Sed neque hoc tam prompte dixeris, tum quod ignoremus, quid reſpectu Dei ſit optimum, tum quod quotidianam experientiam nobis obloquentem habeamus, cum multæ Civitates longe feliciores fuerint, magisque floruerint, atque in hodiernam usque diem floreant ſub forma imperii *irregulari*, quam *regulari* (f).

Ex jure divino.

Ex jure divino demonſtratum manet a Catholicis, quod Chriſtus inſtituerit *Statum* in *Statu*, id eſt præter poteſtatem regiminis politici, etiam poteſtatem regiminis eccleſiaſtici, ita tamen, ut utrique ſuos determina-

(d) Vid. Tom. IV. Quæſt. I. de Statu Eccleſiæ, ubi multiplicem regiminis formam explicabimus. Item Pufendorf. in Diſſert. ſpeciali de Repub. irreg.

(e) Loc. cit. c. 2. §. 4.

(f) Hæc ſuſe demonſtravimus loc. cit. ubi etiam textum ex Polyb. adduximus dicente: *Manifeſtum eſt eam Rempublicam cenſeri debere optimam, quæ ex omnibus iſtis formis compoſita.* Si quæ in regno quocunque viget forma regiminis multiformis, aut Status in Statu, certe in Anglia, & tamen Rempublicam Anglicanam præ aliis regnis eſſe felicem nemo negaverit.

Digitized by Google

determinaverit fines particulares, ſuos conſtituerit limites, & ambæ ſimul in fine quodam univerſali ultimato, qui eſt Dei honor & gloria, ad quem procurandum ex anticipato jure naturæ Dei etiam Principes politici obligantur, quin in eo a Deo vel diſpenſati fuerint, vel diſpenſari poſſint, collimare debeant.

Ex jure eccleſiaſtico. De jure eccleſiaſtico nemo unquam dubitare potuit, quin agnoverit *Statum in Statu*. De jure civili quid dicamus? An non Statum in Statu, qualem nos Catholici defendimus, agnoverunt gentiles Romani? Dionyſium Halicarnaſſeum audiamus: *Pontifices de omnibus cauſis ad ſacra pertinentibus judicant, novas leges de ſacris condunt, Miniſtros ſacrorum in officio continent: ſi quemquam advertant, dicta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel ſenatui, vel populo* (g). En Statum in Statu Romano! Quid de Romano-Catholicis Imperatoribus dicam? Juſtinianus audiatur: *promulgavimus Edictum, ita ut nullo modo mutaverimus Statum eccleſiaſticum, in omnibus ſervato unitatis Statu Eccleſiarum cum Papa Romano. Non patimur, ut quidquam eorum, quæ ad eccleſiaſticum pertinent Statum, non etiam ad Romani Pontificis referatur beatitudinem, cum ſit caput omnium Dei Sacerdotum, vel eo maxime, quod quoties in his locis hæretici pullularunt, ſententia & recto illius ſedis judicio coerciti ſunt* (h).

Ex jure Romano Gentilium.

Imperatorum chriſtianorum.

Ex regimine omnium regnorum. Circumſpiciamus orbem univerſum, & vix ullum erit regnum, vix ulla provincia, quæcunque forma regiminis in iis dominetur, in quo non plures Status Statum Regni & Reipublicæ conſtituunt, prout ex *Archontologia Coſmica* diſcere licebit. Aut enim regimen Monarchicum ponimus, quale in Gallia? quæſo! in quot & quantis negotiis Reges & Principes dependent a conſenſu ſuorum Statuum vel Parlamentorum proprio jure & propriis avitis legibus independenter a conſenſu Monarchæ utentium, quin & ipſum Monarchicum gubernium moderantium? Num quis in orbe univerſo Monarcha indiviſum, ac independens exercet regimen nec Statibus, nec Primoribus aut Parlamentis alligatum? quin Status iſti, quocunque nomine compellentur, jura habeant ſpecialia ac ſeparata, quæ infringere non liceat Principi. Aut Ariſtocratiam ponimus? Demus formam regiminis Ariſtocratici *regularis*, hæc profecto rara eſt, & de ultimis finibus terræ. Vel ſolos confœderatos Status Belgii intueamur, & apud hos non tam Rempublicam, quam potius *Syſtema*

Ex ſtatu Monarchico.

Ariſtocratico.

(g) Lib. 2.
(h) In epiſt. ad Patriarch. Conſtantinop. an. 528.

Syſtema civitatum, uti vocant, & eo ipſo *Statum in Statu* deprehendemus (i). Aut regimen *Democraticum* hodiernum ante oculos ponimus? *Democratico.* Præterquam quod hoc non ex omni parte ſit regulare, facile diſpicitur, hodiernis moribus tot in Statu Democratico eſſe quaſi ſtatus, quot ſunt tribus, in quas regimen iſtud dividitur.

Ex forma regiminis irregulari.

Aut demum formas regiminis *irregulares* ſive ex defectu *formæ*, ſive *nexus* tales, præcipue *Syſtemata Civitatum* intuemur, quales ſunt in Belgio, in Anglia, in Suecia, Polonia, quidni etiam in Germania? Et in his omnibus *Statum in Statu* offendemus. Habent e. g. Status fœderati Belgii ſua jura in ordine ad univerſam Rempublicam, habent ſua jura independentia ad ſingulas provincias. Habent Status Imperii Romano-Germanici ſua jura reſpective ad Statum Imperii univerſum, habent ſua jura cum ordine ad ſua territoria. In eadem Republica conſtituuntur diverſi generis Officiales, quorum aliqui præſunt cameræ Principis, alii Judiciis, alii commerciis, alii rei monetariæ. Habent hi ſinguli finem generalem, nempe felicitatem Reipublicæ univerſalem, ſed ſimul ſuos fines particulares, & tamen pacifice invicem compatiuntur, & ita invicem connectuntur, ut in fine ultimo veluti in centro conveniant. Quidni in eadem Republica plures Status e. g. eccleſiaſticus & Politicus ſe invicem compatiantur? qui etſi habeant diverſos fines particulares, nihilominus in fine univerſali conſpirant. En *Statum in Statu* nulli repugnantem juri, neque bono Reipublicæ nocivum, neque juribus Principum præjudicioſum! quippe qui, quidquid habent poteſtatis, originaliter a Deo habent, coram quo genuflectere, ſuam coronam una cum ſceptro deponere, cujus ſcabellum adorare, cultum divinum *ex jure naturali ſervo* ante omnia promovere, imperio ſe ſubmittere tenentur, quin ſua poteſtate aliter uti, quam ipſis a Deo conceſſum fuit, aut poteſtatem eccleſiaſticam ſupprimere, ſubjugare aut eliminare poſſint, niſi contra Deum ipſum inſurgere, eidem ingrati, ac injurioſi fieri, & poteſtate ſibi conceſſa abuti velint.

Opes Cleri an nocivæ ſint Reipublicæ.

Alterum AA. gravamen contra eccleſiaſticos & Clericos, quos ipſi ad inſtar Atheorum aliorumque hominum Reipublicæ noxiorum nequidem tolerandos, ſed proſcribendos exiſtimant, deſumunt ex poſſeſſionum, bonorum immobilium ac pecuniarum abundantia, quas a Clericis

(i Habent enim fœderati Belgæ ſua jura independentia in ordine ad Rempublicam, & iterum jura alia independentia, invicem tamen quodammodo connexa in ordine ad ſingulas provincias. Vid. cit. Quæſt. locis citatis.

ricis poſſideri non ignorant. Eſt hæc antiqua crambes: eſt hæc querela decantatiſſima & centies exploſa. Millies demonſtratum fuit, opes Cleri non eſſe nocivas Reipublicæ, ſed proficuas, bonum Reipublicæ ex illis ſuſtentari potius quam diminui, eidem in extraordinariis neceſſitatibus & calamitatibus inde potenter & ferme unice ſubveniri, id quod hodierna docemur experientia. An non Clerici pendunt tributa ordinaria, quocunque nomine veniant (k), porrigunt ſubſidia extraordinaria, dona, ut vocant, gratuita? legant Proteſtantes *opes Sacerdotii Reverendiſſimi Deſingii* (l), *Diſquiſitiones Jur. Eccleſ. Authoris Anonymi* (m). *Reflexiones & Principia meliora de Juriſd. Eccleſ. oppoſita Principiis Poloni Nobilis* (n) in quibus Politicorum rationes, quibus Statum eccleſiaſticum Principibus ſæcularibus odioſum reddere conantur, ſat luculenter confutantur. Oſtendit Author *Reflexionum* demonſtratione arithmetica, ut cætera prætercam, quod in Regno Galliæ Clerus titulo *Doni gratuiti* ab anno 1665. usque ad annum 1748. contulerit 590. milliones librarum, dum econtra Nobilitas Gallica nec obulum unquam contribuit (o). Oſtendit ulterius, quod in Bavaria, ſi Steuræ ordinariæ ſpectentur, antiquitus, ſpeciatim anno 1557. Clerus ad minimum decies & octies plus contulerit, quam Nobilitas, idque demonſtratione ſecundum omnes regulas Arithmetices quam accuratiſſime concepta demonſtrat (p). Idem demonſtrat ex *ſelectis Juris publici Joan. Caroli König Juriſconſulti Magdeburgici* (q) de ſubſidiis extraordinariis, quæ in forma mutui ab urbibus, oppidis, Sacerdotibus, Monaſteriis & Collegiis Bavariæ anno 1740. ſuppeditari debuerunt, ubi ſedes Nobilis una ſolummodo trecentos florenos, & quodlibet Monaſterium mediocre ſex florenorum millia contribuit. Sunt nempe loca pia veluti totidem horrea, in quibus, niſi continuo evacuentur, pecuniæ in futuras neceſſitates aſſervantur, facile abituræ in luxum adinſtar frumenti in auras avolantis, niſi bene cuſtodiantur. Anne igitur Clerus

Clerus plus contribuit quam ſtatus ſæcularis, in Gallia.

In Bavaria.

(k) Et quis eorum nomina comprehendet memoria? quæ tot ſunt, ut novo ferme lexico ad ea in ordinem redigenda opus eſſe videatur.

(l) Paucis abhinc annis Pedeponti editas.

(m) Vel potius *Demonſtratio Jurium Status Eccleſ. circa temporalia anno* 1757. *edita.*

(n) Francof. & Lipſiæ 1757.

(o) Par. 3. Princip. meliora. pag. 96.

(p) Loc. cit. pag. 97.

(q) Ulmæ anno 1746. impreſſa. Tom. 1. cap. 6.

Digitized by Google

us nocivus eſt bono Reipublicæ? quia parcius vivendo proſpicit futuris neceſſitatibus, quia pecunias potius in crumenas patrias quam in extera marſupia fluere facit, & ne per luxum in exteras provincias exportentur, ſolicite ſuis induſtriis œconomicis curat? Quantum vero detrimenti Religioni afferatur, ſi Clericorum reditus diminuantur, authoritas & jurisdictio deprimatur, ipſe Moshemius amariſſime conquerendo contra Principes & Magnates demonſtratum dedit (r).

Quid Catholici doceant de Pontificis poteſtate in Regna.

Tertium gravamen eſt contra Dominatum Pontificis. Sed res prorſus mira! Noverint ipſi Proteſtantes, quod Doctores Catholici nondum ſint concordes in doctrina de poteſtate Pontificis in Regna & bona temporalia Principum ſtatuenda (s). Noverint, quod ſinceriores Catholici ipſi non omnia Pontificum facta juſto majori zelo jura Eccleſiæ defendentium & fortaſſis ſecundum regulas Chriſtianæ prudentiæ haud agentium approbaverint, quosdam eorum abuſus non tam ex dominatu ipſis imputato, quam zelo Religionis profectos agnoſcant, neque fateri erubeſcant, etiam Pontifices eſſe homines, qui ſuos patiuntur manes. An ne propterea tota Religio Catholica ex omnibus Regnis & Provinciis veluti peſtis eliminanda? quare non potius maneat uſus, & tollatur abuſus? Ipſis Atheiſtis indulgent Proteſtantes beneficium tolerantiæ, de quibus liquido conſtat, quod foveant principia perverſa, bono Reipublicæ ſumme pernicioſa: econtra Catholicos ex omni orbe proſcriptos volunt, quorum principia, dogmata & doctrinas nunquam de falſitate convincere potuerunt. Reges etiam Tyrannos non licere occidere, ſaniores Theologi tradunt: & nunquid etiam Pontifices, qui de tyrannide nondum ſunt convicti, extirpandos clamant Proteſtantes? Adhuc utique ſub judice lis eſt, an non Pontifices jure fecerint, quæ in depoſitione Regum & Principum fecerunt, & poteſtatem ſaltem indirectam in regna & bona temporalia Regum a Chriſto acceperint: quam doctrinam a multis DD. Catholicis receptam tam parum expugnarunt Proteſtantes, quam parum alias Catholicorum doctrinas. Quid non tentarunt ſæpe Reges, Imperatores, & Principes contra Religionem & Eccleſiam Catholicam? Schiſmata conflarunt, hæreſes foverunt, Eccleſias ſpoliarunt, jura eccleſiaſtica omnia ſubverterunt. Anne ergo Chriſtus Dominus ſuam Eccleſiam omnino inermem relinquere, & Imperantes

Dominatus Pontificis non eſt cauſa legitima exterminandi Religionem Catholicam.

Poteſtas qualis a Chriſto data Pontifici in Reges & Regna?

Iii 2

(r) Allgemein. Kirchen-Recht pag. 602. Vid. etiam Tom. I. Q. 1. cap. 7. §. 2. pag. 69. ubi formalia Moshemii retulimus.

(s) Vid. Tom. 1. Q. 4. cap. 2. §. 8. pag. 394. ubi hanc quæſtionem fuſe examinavimus, & diverſas DD. opiniones retulimus.

Digitized by Google

perantes politicos ex-leges, nullique ſuperiori poteſtati ſubjectos eſſe voluit? idcirco ad id devolvitur quæſtio, an Chriſtus Dominus, qui Eccleſiam ſuam & fideles in vinculis potius manſuetudinis quam in virga ferrea regi, omnemque violentiam a regimine Eccleſiæ abeſſe voluit, Præſulibus poteſtatem excommunicandi, deponendi, ac per indirectum ſaltem regnis ſuis privandi Principes conceſſerit? quidquid tamen ſit de poteſtate Pontificis directa vel indirecta, de qua adhuc diſputatur inter Catholicos, & quæ tanquam probabilis rationi, ac authoritati ſufficienti innixa defenditur, atque hoc ipſo a Proteſtantibus tanquam nociva Reipublicæ, dato quod jure divino probabili ſuffulciatur, explodi ſimpliciter nec poteſt, nec debet, ne, dum bono Reipublicæ conſulere volunt, authoritati divinæ præjudicent, quaſi vero Chriſtus inſtituerit regimen Eccleſiæ, quod ex ipſorum conceptu juri naturali eſſet contrarium, quidquid, inquam, de hoc ſit, id ſaltem mitiores Proteſtantes negare non poſſunt, quod Eccleſiæ, qua ſocietati, illiusque Directoribus, quales ante reformationem fuere Eccleſiarum Præſules, utpote in quos Eccleſia ingentem jurium collegialium partem tranſtuliſſe fatentur (t), competierit facultas excommunicandi non qualificata per modum imperii, & jurisdictionis, cenſuræ eccleſiaſticæ, atque in *poteſtate Clavium* fundata, ſed ſaltem ſimplex per denegationem communionis & excluſionem ab omni ſacrorum commercio, officiis, bonis & juribus ſpiritualibus (u). Quodſi igitur Pontifices in ſua excommunicandi ratione (dato non conceſſo) commiſerunt exceſſum, in eo exceſſerunt, quod ultra limites excommunicationis effectus extenderint. Sed num ideo tota Religio Catholica eliminanda, omnes Catholici e Civitate politica proſcribendi? quia illorum Præſules limites ſuæ jurisdictionis aliquoties exceſſerunt, ſi tamen exceſſerunt, aut quia jurisdictionem, quam ſibi ex rationibus ſat gravibus competere exiſtimarunt, ex zelo ſuæ Religionis contra Principes Catholicos exercuerunt. An ergo Imperantes Politici nunquam ſuos excedunt limites, hinc inde jura Statuum ſupprimunt, Deſpotiſmum inducunt, leges Reipublicæ funda-

Eccleſiæ competit poteſtas excommunicandi, ſed qualis?

(t) Id expreſſe fatetur Georgius Preuſchen in ſua Differt. daß ein Evangeliſcher Lands-Herr ꝛc. quam nos citavimus in Tom. IV. Q. 1. de Statu eccleſ. c. 3. §. VI. fol. 62.

(u) Docent Proteſtantes, quod Eccleſia haud ſecus, quam alia Societas habeat jus excommunicandi ſocios a cœtu: id ſolum negant, quod hoc jus fundetur in poteſtate clavium, aut exerceatur ad modum Imperii. Vid. Boehmer ad Tit. de ſententia Excommun.

Digitized by Google

fundamentales elidunt? An non perpetuæ Proteſtantium querelæ contra ſuos Principes, quod jura collegialia cœtus Proteſtantici ſupprimant, & poteſtate ſibi conceſſa in rebus ad Religionem pertinentibus omnino abutantur. Itaque in ſimilibus cauſis exceſſus ſunt corrigendi, & pro iis refigendis media mitiora aſſumenda, qualia haud pauca ſuppetunt. Innumeræ inter Pontifices & Imperatores fuere controverſiæ potiſſimum circa fines Jurisdictionis, & hæ qua ratione, qua arte, quibus mediis compoſitas exiſtimamus? nempe per Concilia, per Synodos, per Concordata (x), per amicabilem compoſitionem.

Controverſiæ inter Pontifices & Imperatores quomodo componendæ.

Quid ſi Catholici argumento retorſionis uterentur, dicentes, quod Proteſtantes principia foveant juri naturali, divino, Religioni & Reipublicæ eccleſiaſticæ ac politicæ contraria? eoquod doceant, Principibus competere jus quaſi ſupremum in Religionem, id eſt tolerandi, mutandi, reformandi, juxta illud: *cujus eſt regio, illius eſt Religio*, deponendi, eliminandi Præſules Eccleſiæ, ſæcularizandi bona eccleſiaſtica, prout libuerit, ex prætenſo quodam dominio alto ac ſupremo contra omne jus naturale, quod jubet, ne ſubditorum jura quæſita auferantur, niſi ſuprema neceſſitas jubeat, quam hactenus non demonſtrarunt (y).

Proteſtantes an foveant principia juri naturali contraria?

Denique Proteſtantes plura haud ſatis demonſtrata exempla aſſerunt, quibus probare contendunt, quod Pontifices & Epiſcopi Reges ſuo regno, ſceptroque privaverint: e. g. in exemplum adducunt Ludovicum Pium, Lotharium I. & Carolum Calvum. At vero Ludovicum Pium non ab Epiſcopis ſed propriis filiis; Lotharium ab ipſomet Patre ſuo Ludovico ex inſtinctu Judithæ Novercæ; Carolum Calvum a populo Aquitanico fuiſſe depoſitos, affirmant Scriptores omni exceptione majores (z). Quid quod Carolus Jacobus Spenerus ſcriptor Acatholicus in ſuo jure Publico (a) ex Scriptoribus Synchronis aut certe proxime coævis indubium reddat, omnes Reges Galliæ, & Imperatores Occidentis a tempo-

An Pontifices depoſuerint Reges.

Iii 3

(x) Nota eſt obſervantia Theodorici Regis quamvis Ariani compromittentis in Romanam Synodum in cauſa contra Symmachum Papam. Eodem remedio ordinario frequenter uſi ſunt veteres Reges Galliæ, Italiæ & Germaniæ. Ubinam controverſiæ inter Pontifices ac Imperatores & Principes compoſitæ ſunt niſi in Synodis Conſtantienſi, Baſileenſi, ac demum per Concordata? in quibus Pontifices haud pauca de ſuis juribus remiſerunt.

(y) Vid §. ſeq.

(z) Calmetus, P. Daniel, Fleuryus. Vid. Reflexiones ſupra citatæ pag. 106. & ſeq.

(a) Lib. 2. cap. 3.

Digitized by Google

temporibus Pharamundi uſque ad Ottones a Proceribus ſeu Statibus regni electos fuiſſe & depoſitos. Cæterum doctrinam Gallorum in hac controverſia de poteſtate Pontificis in regna & bona temporalia haud ignoramus. Sed nec omnes Gallorum doctrinæ ſunt mera dogmata & oracula, quamquam ab illorum doctrina in hoc puncto non adeo ex omni parte alieni ſimus.

Jus in ſacra potius Proteſtantes, quam Catholici rapuerunt. Gravamen quartum *ex jure in Sacra*, quod a Præſulibus Eccleſiæ Principibus ſæculi ademptum queruntur, depromunt. Sed an non longe juſtiores cauſas querendi contra Proteſtantes habeant Catholici, eoquod *jus in Sacra* violenter e manibus Præſulum extorſerint, & inique in ſuos Principes tranſtulerint, æquus rerum arbiter judicet. Fuere Eccleſiæ Catholicæ Præſules in continua *juris in Sacra* poſſeſſione jure divino ſtabilita uſque ad tempora Reformationis, quam proin Proteſtantes turbare, adimere, & in Principes transferre nullo jure potuerunt.

Jus aſyli ex ſua origine, & cauſis a calumniis vindicatur. *Jus Aſyli* perperam veluti *civitatem Refugii* omnium facinoroſorum Proteſtantes traducunt, cujus originem, cauſas, & progreſſus non poſſunt ignorare. Origo illius eſt referenda vel ad Hebræos, vel ad Gentiles. Apud Hebræos erant *civitates Refugii*, & *Tabernaculum* (b); ab Hebræis *jus Aſyli* tranſiit ad Græcos. Erat Athenis *Ara miſericordiæ* (c) & *ſepulchrum Theſei*; apud Philadelphios, & Peloponenſes *templa Deorum* (d). A Græcis *jus Aſyli* mutuarunt Romani. Romulus illud conſtituit inter *duos lucos*, Servius Tullius *ad templum Dianæ*, Triumviri *in templo Julii Cæſaris*: quin ad imagines & ſtatuas Imperatorum Julii Cæſaris atque Auguſti jus Aſyli fuiſſe extenſum legimus (e). De jure *Aſyli eccleſiaſtici* quid dicamus? Illud potius introduxiſſe Imperatores, quam Pontifices ex legibus Romanis, communi Scriptorum ſententia, & praxi conſtat, quippe qui illud primitus ad preces Epiſcoporum confugientibus ad Eccleſias conceſſerunt. Cauſa hominibus facinoroſis exorandi *jus Aſyli*, maxime ſi ad Eccleſias confugerent, erat multiplex: exemplum Chriſti, nolentis mortem peccatoris, & omni vita ſua manſuetudinis exemplo prælucentis; reverentia templis, & honor ſanctis debitus, quibus injuriam fieri credebant pii fideles, ſi confugientibus ad illorum tumulos ſecuritas non præſtaretur; præcipue ipſa

(b) Deutero 19. Exod. 21. v. 13.
(c) Pauſanias in Atticis.
(d) Livius lib. 1. cap. 8.
(e) Vid. Clariſſ. P. Zech. Diſſert. Hiſt. Jurid. de Jure Aſyli, cap. 1.

ipſa ſalus æterna facinoroſorum: cum enim Epiſcopi ſanctiſſimi pœnitentiam ſeram & quaſi violenter ultimo mortis ſupplicio extortam raro eſſe ſeriam optime perſpectum haberent, hujusmodi homines ſibi exorarunt, ut eos pœnitentiæ publicæ olim uſitatæ, utique ſatis ſeveræ ſubjicere, ſicque vere *pœnitentes* efficere poſſent (f). Quid jam de extenſione *juris Aſyli* dicam? In Germania noſtra inter prærogativas ſuperioritatis Territorialis, qua gaudent Status Imperii, numeratur etiam Aſyli conſtitutio. Et quidem pro toto Imperio Jus iſtud competit ſoli Imperatori; pro ſuo territorio Statibus, quatenus locum quemdam immunitate donare, ac privilegio aſyli munire poſſunt (g). Quid quod jus aſyli paſſim ad palatia Principum, ad ædes legatorum, imo etiam ad ſcholas publicas fuerit extenſum (h), & antiquioribus, ac noſtris temporibus feſta quædam ſolemniora, aut feliciores eventus in effectu præbere ſoleant occaſionem juris Aſyli eatenus, quatenus Principes occaſione ſolemnioris feſti aut felicioris eventus reis & facinoroſis veniam vitæ impertiri conſueverunt (i).

Jam ergo aut omnes Gentes, Imperatores & Principes tangit barbara criſis Pfaffii, aliorumque Proteſtanticorum *jus Aſyli* inſtar *refugii* omnium facinoroſorum fugillantium, aut injuriam facit Eccleſiæ *jus Aſyli* moderate ex cauſis ſane graviſſimis concedenti. Equidem haud ignoro, Pfaffium ſuosque ſequaces non probare omnes cauſas, ex quibus Eccleſia ad indulgendum *jus Aſyli* concedit, illam præcipue, quam ex ipſa *ſanctitate* loci deſumit. Cæterum ſaltem ſanctitatem quamdam Juridi- *Sanctitas ſaltem juri-*

(f) De his legantur Thomaſſinus, Van Eſpen, Boehmer in locis, ubi ex profeſſo de Aſylo agunt.

(g) Idem P. Zech. loc. cit. ubi varia adducit exempla, ex quibus conſtat, quod Imperatores diverſis locis *jus Aſyli* conceſſerint.

(h) De ſimili privilegio Univerſitati Ingolſtadienſi conceſſo teſtatur idem Author.

(i) Olim in ſignum lætitiæ paſchalis Imperatores aperuiſſe carceres. & reos dimiſiſſe legitur in l. 3. Cod. de Epiſ. audient. & fuſe oſtendit Binghamus Orig. Antiq. Eccleſ. vol. 9. pag. 109. Idem de aliis feſtivitatibus legitur in Capitularibus Francorum lib. 6. cap. 107. ut Epiſcopi Judices publicos commoneant, ut in dies celeberrimos, hoc eſt Nativitatem Domini, & ſanctam Reſurrectionem ac Pentecoſten, quicunque miſerrimis vinculis detinentur, relaxari debeant, & propter ipſam reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti ipſi debeant abſolutionem promereri. Sic ob reportatam aliquam victoriam, & ob inſperatam nativitatem prolis Regio-maſculæ, ad preces Reginæ, Imperatricis non nunquam facinoroſis remittitur mortis ſupplicium.

dica templis competit.

Juridicam templis aliisque locis ſanctis denegare non audebit, qualem habent mœnia Civitatis, palatia Principum, ædes Legatorum. Quodſi ergo his *jus aſyli* rationabiliter indulgetur, quare non domibus Dei, & Sanctorum cultui conſecratis? Ad hæc: verum non eſt, quod Eccleſia omnibus & ſingulis malefactoribus *jus Aſyli* præbeat.

Jus Aſyli reſtringitur.

Reſtrinxerunt profecto potius, quam extenderunt *jus aſyli* juniores Pontifices Gregorius XIV. Benedictus XIII. & XIV. Reſtringunt etiam hinc inde Epiſcopi, & illud intra arctiores limites reſtringi optant multi Catholici ex cauſis bonum publicum concernentibus, quarum aliquas ipſe Pfaffius attulit. Quamquam cæteroquin illius extenſio omnino foret approbanda & optanda, ſi antiquior vigeret diſciplina Eccleſiæ, & malefactores *pœnitentiæ publicæ* antiquitus conſuetæ ſubjicerentur. Interim tantum diſpendii juſtitia & Reſpublica ex jure aſyli non patitur, quantum Proteſtantes ſibi fingunt, cum caſus non adeo ſint frequentes, in quibus malefactoribus via patet ad aſylum. Et quare non etiam tollunt *jus aggratiandi*, quo Principes non raro utuntur erga homines Reipublicæ ſumme peſtiferos, & malefactores peſſimos? Ita nempe nihil intermittunt AA., tantum ut Catholicos odioſos reddant & abominabiles.

Catholicis falſæ doctrinæ imputantur.

Gravamen ſextum, quo Catholicis neſcio quas doctrinas perverſas imputant, jam ſupra fuit dilutum. Sunt illæ doctrinæ nonniſi quorumdam Catholicorum, quas ſapientiores nunquam adoptarunt, neque nos unquam noſtras fecimus: imo injuria fit Catholicis, ſi ipſis affingatur, quod fidem hæreticis etiam jurato datam non eſſe ſervandam doceant (k). Quid ſi ingentem doctrinarum perverſiſſimarum catalogum ex Authoribus Proteſtanticis, quorum aliqui Naturaliſmum & Indifferentiſmum docere jam non erubeſcunt, in medium afferrem?

Clerus falſo accuſatur malarum artium in corradendis pecuniis.

Gravamen ſeptimum, quo Pontificibus & Clericis artes prohibitas emungendi marſupia & corradendi pecunias cum præjudicio Reipublicæ affingunt, ex ſupra dictis refutatum manet. Pontifices vindicavimus in materia de *Annatis*. Aut Pontifices, aut eorum Legatos in colligendis Annatis exceſſiſſe, Catholici ipſi fatentur. Sed hiſce exceſſibus contra-

(k) Vid. Illuſt. Barthel. Opuſ. Jurid. Opuſ. 1. Art. 2. pag. 25. ubi ex S. Thoma; S. Ambroſio, & Joan. Molan., & P. Layman. oſtendit, quod Catholici doctrinas ipſis affictas non doceant. Merentur notari verba P. Laymani a Barthelio adducta, quæ ita habent: *tam Jeſuitæ, quam alii Doctores Catholici aperte profitentur, ac docent, fidem publicam Acatholicis datam inviolabiliter & ſine ullo diſpenſationis remedio eſſe ſervandam.*

Sicuti etiam Pontifices.

contraventum fuiſſe, ſciunt Proteſtantes ipſi. Usque nunc ferme ex omnibus orbis Catholici provinciis ingentem pecuniarum vim Romam in ærarium Pontificis & Curiæ fluere haud negamus. Sed cogitemus, inde ſuſtendandum eſſe innumerum veluti numerum Cardinalium, aliorumque Prælatorum ac Officialium, aliosque ſumptus immenſos Pontificis ſublevandos. Clericos non raro eſſe ſordidos & avaros, & nonnunquam quæſtum prohibitum in rebus ſacris facere ſponte largimur: ſed in collegio Apoſtolorum etiam fuit Judas. Utrum pecuniæ Clericorum melius forent impendendæ, ſi in ærarium Principum fluerent, plurimum dubitamus. Et in quos uſus hodie impenduntur tributa ſubditorum tam ordinaria quam extraordinaria in dies multiplicata? Id noverint alii, quibus ratiocinia & res domeſticas Politicorum inſpicere licet.

Pontifices cautiores in infligendis cenſuris.

Ultimum gravamen contra Cenſuras eccleſiaſticas, Excommunicationes, & Interdicta non moramur. Hinc inde proviſum eſt in Jure canonico, ne Epiſcopi ſint faciles in infligenda excommunicatione (l). Pontifices jam cautiores ſunt effecti, neque amplius integra Regna & provincias *Interdicto* ſubjicere, aut fulmine excommunicationis ferire ſolent: non quod poteſtas ipſis deſit, ſed quod leges prudentiæ acchriſtianæ Politicæ id non permittant. Atque hæc eo operoſius deducenda exiſtimavimus contra Moshemium & Pfaffium Viros alias ſat modeſtos, ſed in hac materia prorſus enormiter exceſſivos, quo major eſt injuria Eccleſiæ Catholicæ illata, quippe quam haud ſecus quam Atheiſmum, Deiſmum, aliasque ſectas peſſimas, e Republica eſſe eliminandam ſcribere non dubitarunt.

Religio Catholica eſt moraliter legitima.

Doctrina illius ſancta & pura.

Jam ſupervacaneum eſſe exiſtimamus, multis commonſtrare, Religionem Catholicam *moraliter* eſſe *legitimam*, cui ex jure naturæ, divino & humano debetur tolerantia. Eſt hæc Religio fundata in verbo Dei ſcripto & tradito, in Conciliis, in SS. Patribus & Doctoribus, in conſtitutionibus Principum, in Hiſtoriis, in omni retro acta antiquitate. Eſt hæc Religio in ſuis doctrinis, legibus & ordinationibus ſacra, pura & ſancta, jubet Deo reddere, quæ ſunt Dei, & Cæſari, quæ ſunt Cæſa-

(l) Greg. VII. l. 2. epiſt. 6. prohibet Epiſcopo Pragenſi excommunicare Ducem Bohemiæ ſe prius inconſulto. Concil. Mogunt. IV. cap. 103. graves pœnas ſtatuit in Epiſcopos, qui absque inevitabili neceſſitate & manifeſta contumacia quemquam excommunicant. Plures canones adducit Author Princip. melior. pag. 103.

Digitized by Google

Cæſaris; præcipit obedire Superioribus tam eccleſiaſticis quam politicis, Deo tamen magis quam homini, præſcribit ordinem in regimine eccleſiaſtico & politico talem, qualem Deus Superioribus præſcribere voluit, & debuit, ut nempe primaria illorum cura ſit Religionis, honoris & gloriæ Dei, ac ipſius Eccleſiæ ab ipſo ad dirigendam Religionem & promovendum cultum ſibi debitum ordinatæ; altera felicitatis Reipublicæ mediante Religione procurandæ. Neque enim potuit Deus ſuum honorem, ſuam gloriam, cultumque ſibi debitum poſtponere felicitati Rerumpublicarum. Dogma proin perverſum eſt, ſi dicamus, quod Principes Politici unice ad felicitatem Reipublicæ procurandam ſint obligati. Non potuit Deus Imperantes abſolvere a primaria ſua obligatione, quæ eſt erga Deum, eosque obligat, ut primario quemadmodum in ſuis actionibus, ita etiam in regimine Reipublicæ ſibi concreditæ Religionem promoveant. Ordo ſane præpoſterus, inverſus & perverſus, quem Deus, iterum atque iterum dico, nec voluit, nec potuit præſcribere, ſi in regimine politico primario quæratur felicitas Reipublicæ, & Religio in ultimis habeatur curis, aut ſaltem prædicta felicitas ad Religionem tanquam finem principalem non ordinetur. Utrum hic ordo potius apud Proteſtantes, quam Catholicos obſervetur, æquo rerum judici expendendum relinquimus. Expendat quæſo! juſtus rerum arbiter, quid Religionem & Eccleſiam Catholicam Proteſtantibus tantopere odioſam, abominabilem & deteſtabilem faciat, & fateri debebit, præcipuum criminationum ſuarum caput eos inde deſumere, quod Catholicos bonum Reipublicæ bono Religionis & Eccleſiæ poſtponere ſciant, & propterea jura Principum ac ipſam Rempublicam periclitari exiſtiment.

Religio antehabenda Reipublicæ.

De tolerantia Religionis Proteſtantium & Reformatorum ex jure naturæ.

Jam quid de tolerantia Religionis Proteſtanticæ & Reformatorum ex jure naturæ dici poſſit, breviter videamus. Nemo, opinor, id vitio vertere nobis poterit, quia nihil agimus, niſi quod jure retorſionis omni jure permiſſo utamur. Tolerantiam Religionis tam Reformatorum quam Proteſtantium ex jure naturæ in dubium eſſe vocatam, ne ipſi Moshemius & Pfaffius negant. Ambo lites, Scriptores, eorumque argumenta recenſent (m). *Reformatis* quæſtionem Status moverunt

Vocatur in dubium ab

(m) Moshem. loc. cit. pag. 437. ſic habet: was die Reformirte betriſt, ſo hat man denſelben gefährliche Lehren wider den Staat beygelegt, und den Vorwurf gemacht, als lehreten ſie, daß die Unterthanen, wenn ſie in Religions-Sachen von der Obrigkeit beeinträchtiget wurden, ſo gleich die Waffen ergreiſen könnten. Die

runt Gottofridus Maſius Theologus Daniæ (n) & famigeroſiſſimus ille Baylius Philoſophus Roterodami (o). Ille *Reformatos Monarchomachiſmi* accuſavit tanquam homines, quibus ſua Religio adeo cordi eſt, ut exiſtiment, Superiores armis & bellis eſſe laceſſendos, ſi quid, quod Religioni præjudicat, attentare audeant. Hic vero eos veluti Rebelles traduxit, eoquod in ſua Religione non modo doceant principia ad rebelliones proxime diſpoſitiva, ſed revera rebelles extiterint (p). Contra Maſium ſcripſit Beckmannus ſub nomine *Huberti Moſani;* contra *Baylium* D. Jurieu, Abbadie, Larrey (q). *ipſis Proteſtantibus.*

Utrum vero Beckmannus, aliique Reformatorum defenſores rem ſuam egregie egerint, Reformatorum doctrinam a nota *Monarchomachiſmi*, ac *Rebellionis* abſolverint, eorumque tolerantiam veluti moraliter legitimam oſtenderint, judicent alii. Duo illorum diſcutiamus dogmata, dogma *Prædeſtinationis*, & alterum *de Jure in Sacra*. Quæſo! quæ rerum, doctrinarum ac principiorum monſtra prorſus horribilia reipublicæ ſumme noxia ex dogmate Prædeſtinationis ſequuntur? Inde annon ſequitur libertas incircumſcripta peccandi, perpetrandi ſcelera & crimina omnia, agendique, quidquid libuerit? *Reformatorum doctrina accuſatur Monarchomachiſmi & Rebellionis.*

Dogma de Jure in ſacra Reformatorum in eo eſt, quod Eccleſia ſe ipſam dirigere & regere poſſit, ab omni imperio Imperantium libera, hique ab omni jure in Sacra excluſi eſſe debeant, prout id *rigidiores Presbyteriani* (r), & *Epiſcopales* in Anglia docuerunt (s). Atque ex hoc *dogmate*

Die Römiſch-Catholiſchen machen uns Proteſtanten zu Rebellen. Et Pfaffius loc. cit. pag. 144. Man hat die Reformirten beſchuldigen wollen, ſie führen Principia, welche dem Staat ungemein præjudiciren, ſie ſeyen Monarchomachi &c.

(n) Intereſſe Principum circa Religionem Evangel. pag. 24.

(o) Avis important aux Refugiez ſur leur prochain retour en France 1690.

(p) Bayle hat noch härter geſchrieben, und die Reformirte als Leute, die ganz rebelliſche Principia haben, auch ſolches in der That bezeuget, angegeben. Pfaff. loc. cit.

(q) Idem loc. cit. ubi rem hiſtorice exponit.

(r) Die ſtrenge Presbyterianer behaupten, daß die Obrigkeit gar kein Jus circa ſacra habe, und ihr nichts mehr als das Schutz-Recht oder das Jus advocatiæ zuſtehe. Moshem. pag. 164.

(s) Die Epiſcopales, die man in Engeland die hohe Kirchen nennet, und mit dem Namen Torris, das iſt die ſtrenge Epiſcopalen zu nennen pfleget, läugnen, daß der König,

gmate innumeras lites, controverſias, motus, tumultus, rebelliones ac bella ſuum ortum habuiſſe, & propterea Calviniſtas in quibusdam provinciis nequidem receptos & civitate donatos (t); in aliis exules factos ac propulſos fuiſſe (u) nemo hiſtoriarum peritus ignorat, & fuſe recenſet ipſe Moshemius (x). Undenam enim lites & tumultus inter Presbyterianos, & Arminianos, qui Statum confœderatorum Belgarum multum turbarunt, & celeberrimo Grotio neceſſitatem fecerunt ſcribendi librum *de Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra* (y)? Undenam lites inter ipſos Epiſcopales in duas ſectas diviſos (z)? undenam tumultus inter Epiſcopales, Presbyterianos ac Independentes? qui tandem in bellum & rebellionem publicam eruperunt (a).

En

König, und das Parlament das Recht Kirchen-Geſetze zu machen habe. Sie behaupten entgegen, daß die Kirche von JEſu Chriſto die Gewalt empfangen habe ſich ſelbſt zu regieren, idem loc. cit. pag. 166.

(t) Nam ut loquitur Moshemius: die Obrigkeit konnte dieſe Leute nicht in Schutz nehmen, weil derſelben kein Jus circa ſacra zugeſtanden wird. Inde etiam factum eſt, quod ſecta Calvini difficillime fuerit recepta tam in Anglia quam in Hollandia, & ipſe Calvinus nonniſi in Diſtrictu Genevenſi tolerantiam acceperit, ut teſtatur Moshemius loc. cit. So richtete Calvin das Kirchen-Recht zu Genev ein. Die übrigen Schweizer-Cantons hat er nicht bewegen können, ſein Kirchen-Recht anzunehmen. pag. 166.

(u) Calviniſtas ita dictos *Hugenottas* e Galliis ejectos aliunde notum eſt: die ſogenannten Hugenotten räumen dem Könige gar kein Jus circa ſacra ein, darüber die Reformirten endlich gar vertilget worden.

(x) Das Kirchen-Recht hat mehr Blutvergieſſen verurſachet als der Streit über die Religion ſelbſt. pag. 165.

(y) Has lites fuſe recenſet Moshem, & inter alia dicit: als nun die Armeniſche Strittigkeiten zu ſtark wurden, gebot die Obrigkeit durch ein Edict Frieden: denn es entſtanden Empörungen, welche die Ruhe des Staats ſtöhreten. Darauf ergrief der berühmte Grotius die Feder, und vertheidigte das Edict. pag. 168.

(z) Nempe *rigidiores* & *mitiores*. De controverſia labente hoc ſæculo inter Benjaminum Hoadley, & Joannem Potter 1717. orta circa Jus in ſacra vid. idem auctor pag. 176. Quid tentaverit Henricus VIII. ejusque filius circa regimen eccleſiæ, & quomodo deſpotiſmum in regimine eccleſiaſtico ab his introductum mitigaverit Eliſabetha, idem recenſet pag. 177.

(a) Videlicet ſub Jacobo I. Carolo I. de quibus omnibus vid. idem Author pag. 180. & ſeq.

En doctrinam, ſiquam aliam juribus Imperantium inimicam, *juris in ſacra* deſtructivam, tumultibus excitandis, rebellionibus fovendis aptam, & revera bellorum inteſtinorum & publicorum incentivam! ubi unquam talia docuerunt Catholici? longe mitiores, longe liberaliores erga Principes ſemper fuere Catholici, qui in Imperatoribus ſemper jus quoddam Advocatiæ agnoverunt, ipſorum patrocinium in rebus etiam ſacris implorarunt, eos in participium jurium quorundam eccleſiaſticorum admiſerunt, imo œconomiæ cauſa jura quædam eccleſiaſtica valde ſublimia e. g. convocandi Concilia, conſtituendi Epiſcopos nomine Eccleſiæ ipſis exercenda commiſerunt, & in rebus Rempublicam politicam æque ac eccleſiaſticam concernentibus jura Majeſtatis nunquam excluſerunt: & tamen, quod mirum eſt, Proteſtantes plerique Reformatos, qui *jus in Sacra* integrum ſuæ Eccleſiæ unice vindicant, ab eo Principes totaliter excludunt, Eccleſiam veluti independentem defendunt, pacifice tolerant, eorum Religionem moraliter legitimam agnoſcunt, imo & illius patrocinium, tunc potiſſimum, quando agendum contra Catholicos, aſſumunt; econtra Religionem Catholicam peſſime caſtigant, & ab omni Republica veluti illegitimam exceſſe jubent.

De tolerantia Religionis Proteſtantico-Lutheranæ pauciſſima dicamus. Etiam hujus principia non eſſe ex omni parte pacifica, ſed turbulenta & tumultuum ac bellorum excitativa, non politica, ſed pſeudopolitica Religioni & Reipublicæ inimica, ſaltem ſi illius Aſſeclæ ſpiritum, principia & doctrinas ſui Magiſtri ſequantur, dudum commonſtrarunt Catholici. Cujus Spiritus fuerit Lutherus, quid docuerit, quomodo ſubditos contra ſuos Magiſtratus excitaverit, Ruſticos ad bellum animaverit, Principes ad arma provocaverit, ipſius ſcripta, hiſtoriæ, ac res geſtæ loquuntur. Scripta illius adeo clara ſunt, ut Proteſtantes Lutheri perverſa principia, & doctrinas peſſimas aliter vindicare & excuſare non poſſint, niſi dicendo, eas eſſe declarandas ex aliis ſuis libris (b). Interim illos libros, in quibus ſaniora docuit, nondum indigitarunt. Clarius loquuntur facta ſubſequentia ac res infeliciſſime geſtæ, bellum Smalcaldicum ac tricennale, invaſio bonorum eccleſiaſticorum, ſæculariſatio ac deprædatio Epiſcopatuum, & Monaſteriorum tam ante quam poſt Pacem Religioſam, quæ quo fumo juris,

 quo

(b) Man muß D. Luthers Lehre von der Obrigkeit aus denjenigen Schriften herholen, da er eigentlich von der Sache geſchrieben, und alſo die harte Reden aus jenen erklären. Pfaff. loc. cit. pag. 147.

Digitized by Google

quo titulo fieri potuerit, niſi in vim tituli adoptemus principia laxiſſimi, & plus quam Pſeudo-politica, hactenus intelligere non potui. Sed de hoc §. ſeq. dicemus.

Quid ſi caſum invertamus, & quod ipſi Catholicis, nos ipſis objiciamus? Ajunt ipſi conformiter ſuo ſyſtemati, Pontifices & Epiſcopos eſſe raptores, prædones, invaſores, atque Imperantibus rapuiſſe ſua jura magiſtratica, quin in ipſa regna ſuas extendiſſe manus violentas, & ſoluto vinculo fidelitatis a ſubditis præſtandæ ea pro ſuo libitu diſtribuiſſe, ac tranſtuliſſe, in quemcunque placuerit. Quid, inquam, ſi caſum invertamus, & dicamus, quod Proteſtantes in Religionem Chriſti, in Eccleſiam illiusque Præſules fuerint rebelles, eam e ſuo throno deturbaverint, in illius locum Rempublicam ad ſolium elevaverint, jamque huic ſceptrum in manus tradiderint, & ad illius pedes Religionem proſtraverint contra jus naturæ & ſupremi Numinis juxta leges divinæ ſuæ ſapientiæ volentis, ut prima ſit cura Dei & Religionis, altera Reipublicæ, hæcque Religioni, non Religio Reipublicæ ancilletur, quod inquam jura Præſulum Eccleſiæ rapuerint, Epiſcopatus & bona eccleſiaſtica invaſerint, ſibique Regnum Chriſti & Eccleſiæ contra jus omne appropriaverint? Quo jure illi nobis ſimilia objiciunt, eodem jure etiam nos uti poſſe exiſtimamus, usquedum ſupremus judex judicet *inter me & te.*

Sed quorſum me rapuit neſcio quis ardor & zelus pro vindicando honore Religionis Catholicæ? Nunquam de hac materia adeo prolixo ſermone ſcribere cogitavi. Scripſi tamen in gratiam eorum, quibus libri de hac re tractantes, cum admodum pauci ſint apud Catholicos, ad manus non ſunt, ne, ſi in libros incidant Acatholicorum, periculum ſeductionis incurrant.

Religiones duæ tantum Catholicorum & Auguſtanæ Confeſſioni addictorum in Pace religioſa tolerantur.

Sed jam revertamur ad id, quod unice & primo loco dicendum fuiſſet, agamusque de tolerantia Religionis civili in *pace* tam *Religioſa*, quam *Weſtphalica* ſtabilita. In Pace religioſa, præter Catholicos, ſolos Auguſtanæ Confeſſioni addictos jus tolerantiæ accepiſſe, ipſa litera Pacis loquitur (c). Equidem etiam Reformatos ſibi nomen *Auguſtanæ Confeſſionis* vindicare voluiſſe legitur, eum procul dubio in finem, ut hac ratione ſe in jura Lutheranorum inſinuarent, & occulte intruderent: ſed jure merito a Ferdinando II. excluſi, haud ſecus, quam Zwingliani, quos Pax Cadamenſis a conſortio cum Auguſtanæ Confeſſioni addictis exclu-

Reformati nomine Au-

(c) Doch ſollen alle andere, ſo obgemeldten beyden Religionen nicht anhängig, in dieſem Frieden nicht gemeynt, ſondern gänzlich ausgeſchloſſen ſeyn Art. 7. §. 2.

guſtanæ Confeſſioni addictorum venire volebant.

Contradicentibus Lutheranis. Præſertim Electore Saxonico.

exclufos voluit (d). Hinc ipſi Sueci & reliqui Proceres Lutherani conſortium ſibi eſſe cum Reformatis in Pace Weſtphalica negarunt (e). Ipſe etiam Art. VII. J. P. W. *Reformatos* opponit *Auguſtanæ Confeſſionis Sociis.* Quantopere in tractatibus Pacis Weſtphalicæ dimicatum fuerit, dum de admittendis in participium jurium Auguſtanæ Confeſſioni Addictis competentium *Reformatis* agebatur, quam fortiter ac conſtanter ſe ſe contra oppoſuerit Elector Saxoniæ, luculenter probat *Proteſtatio*, quam, dum de hac re agebatur, per ſuum Legatum interpoſuit, cujus formulam exhibet Henningius in ſuis Meditationibus ad P. W. (f), donec Articulus VII. huic liti finem impoſuerit, & Reformatos quoad jura ex Pace Religioſa & Weſtphalica competentia Proteſtantibus æquiparaverit (g) ſub certis tamen clauſulis, & ſalvis cujuscunque partis privilegiis, pactis & Reverſalibus (h), ſpecialiſſime vero, ut Proteſtantes & Reformati pro una parte habeantur, quando ipſis eſt res cum Catholicis; pro duabus partibus ſeparatis, quando inter ipſos Proteſtantes cauſa vertitur, & Lutherani cum Reformatis habent, quod diſceptent, ſine præjudicio tamen unionis in ordine ad Catholicos (i).

Tolerantiam acceperunt in Pace Weſtphalica,

Et æquiparati ſub certis clauſulis.

Tres Religiones ex P. W. toleratæ.

Ex hoc jam manifeſtum eſt, Religionem Reformatorum jure Civitatis donatam, & *tolerantiam* accepiſſe *qualificatam*, atque in Germania eſſe tres Religiones, ſicut communiter loqui ſolemus, toleratas. Inde plura oriuntur dubia, inter quæ facile primum eſt, utrum una ex his

(d) Vid. Eſtor Delineat. J. P. Eccleſ. Proteſt. cap. 6. §. 3. ubi citat Sleidanum, & Lehmannum.

(e) Pfannerus in Hiſtor. Pac. Weſt. pag. 628. Item Medit. ad P. W. pag. 807.

(f) Pag. 819. & ſeq. ubi totam rei ſeriem fuſe enarrat.

(g) Unanimi quoque Cæſareæ Majeſtatis, omniumque ordinum Imperii conſenſu placuit, ut quidquid juris aut beneficii - Auguſtanæ Confeſſioni addictis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati dicuntur, competere debeat. Art. 7. §. 1.

(h) *Salvis tamen ſemper Statuum, qui Proteſtantes nuncupantur, inter ſe & cum ſubditis ſuis conventis pactis, privilegiis, Reverſalibus &c.* loc. cit.

(i) *Quoniam vero controverſiæ Religionis, quæ inter modo dictos Proteſtantes vertuntur, hactenus non fuerunt compoſitæ, adeoque illi duas partes conſtituunt* ideo &c. loc. cit. Aſſiſtunt nempe Proteſtantes & Reformati invicem, quoties agendum contra Catholicos, in quos conjunctis armis & viribus contendunt, ubi conſtituunt corpus quod ſolemus vocare *Corpus Evangelicorum.* Quando vero inter ſe ipſos ſunt colliſi, tunc in duas dividuntur partes, & ſe ipſos invicem laceſſunt.

Utrum recte dicatur Religio tolerata. his tribus Religionibus recte dicatur *tolerata*, & quænam? Quæſtio hæc mea opinione, ſi de effectu inde ſecuto loquamur, nihil importat, cum tolerantia hæc ſit *qualificata*, & eosdem effectus tribuat, quos tribuit legitima & libera receptio, qua quis in civem recipitur. Quia tamen ipſum *tolerantiæ* nomen non adeo bene ſonat in auribus, & plus gratiæ quam juris importat, quin ex parte toleratorum communius defectum ſupponit, mota fuit hæc quæſtio quaſi de nomine, cui occaſionem præbuiſſe videtur Pax tam Religioſa, cujus §. 15. & 16, in quo de Proteſtantibus, eorumque tolerantia diſponitur terminis mere negativis (k) & tolerantiam nudam ſignificantibus eſt conceptus; quam Weſtphalica, quæ pariter termino & nomine tolerantiæ utitur: *ſed præter Religiones ſupra nominatas nulla alia in ſacro Romano imperio recipiatur, vel toleretur* (l); & Authores Proteſtantici ipſi, qui paſſim in ſuis libris & ſcriptis publicis per terminum *tolerantiæ* ſuum, quod in Germania habent, jus Civitatis exprimunt.

Occaſio hujus quæſtionis ex utraque Pace.

Religio Proteſtantica videtur mere tolerata. Si tamen, quod res eſt, dicere liceat, profecto Proteſtantes difficillime ſuam Religionem a nota *tolerantiæ* vindicabunt: nam etſi ſuam Religionem haud ſecus quam nos Catholici noſtram pro vera habeant, attamen in eorum principiis nequidem Religio moraliter legitima & vera neceſſario recipienda eſt in Civitatem, ſed id dependet ab Imperantibus, quorum eſt examinare, an ratio Status, & bonum Reipublicæ id permittat. Unde videndum, qua via Religio tam Catholica, quam Proteſtantium in Germaniam introierit, & jus Civitatis obtinuerit. Religio Catholica pridem ante omnem Pacem, & conventionem ſola habuit jus Civitatis in Germania, ſola ſtetit in continua & legitima poſſeſſione, & in ea per vim & violentiam fuit turbata, quin unquam ea exciderit, aut ab ea depelli potuerit, & ex Pace Religioſa nihil juris accepit, quod antea non habuit, niſi quod in exercitio ſuæ Religionis a Proteſtantibus turbari non poſſit, id quod jam antea illis omni jure erat illicitum & prohibitum. Econtra Religio Proteſtantica fuit novitia, noviter procuſa, in toto orbe ignota, quæ ſibi per arma, per vim & violentiam ſtravit viam in Germaniam, in qua antea non habuit, neque aliud primitus, tum potiſſimum, quando Caroli V. ſententia fuit proſcripta, poſtulavit niſi ſecuritatem, & liberum ſuæ Confeſſionis exercitium, & ſuſpenſionem jurisdictionis eccleſiaſticæ, prout ipſa Pax Religioſa

Religio Catholica ante P.R. in Germania jus Civitatis habuit.

(k) Non moleſtentur, non graventur, mit der That Gewaltiger nicht überziehen, beſchädigen ꝛc. loc. cit.

(l) Art. 7. §. 2.

Digitized by Google

ligioſa loquitur: *non moleſtentur, non graventur, non turbentur.* Atque hoc quid eſt aliud? quam petere conniventiam, tolerantiam, & ne quis criminis, pœnæ, ac transgreſſionis reus fiat, ſi ſuam Religionem exerceat. En! manifeſtum diſcrimen inter Religionem Catholicam & Proteſtanticam. Illa antea jus & juris remedia pro vindicanda & recuperanda poſſeſſione habuit, & de his amore pacis aliquid remiſit: hæc nihil juris & poſſeſſionis antea habuit, & quidquid habet, ex Pace primum Religioſa accepit. Jam judicet æquus rerum arbiter, quisnam inter duos de jure Civitatis litigantes dicendus ſit *toleratus*, an ille, cui ſuffragatur jus Civitatis antiquiſſimum, poſſeſſio incorrupta, ac ipſa lex, an alter, cui pacis cauſa poſſeſſio & uſus permittitur. *Utrum Religio Catholica vel Proteſtantica dicenda ſit tolerata?*

Nec obſtat, quod Pax Religioſa æqualiter loquatur de Catholicis & Proteſtantibus, ac uterque §. 15. & 16. terminis negativis ſit conceptus; in Pace vero Weſtphalica utraque Religio non modo vocetur *tolerata* (m), ſed etiam fuerit penitus æquiparata (n). Nam demus, quod Pax Religioſa æqualiter loquatur: verum quis neſcit, non tam literam quam mentem paciſcentium eſſe inſpiciendam? Nunquam ſane Catholici de eo cogitarunt, quod ſibi velint ſtipulari tolerantiam ſuæ Religionis talem, qualem ſibi ſtipulati ſunt Proteſtantes in ordine ad poſſeſſionem legitimam & acquirendam, & poſthac pacifice manutenendam. Quis enim adeo emotæ mentis eſt, ut ſibi in locum poſſeſſionis antiquiſſimæ & juſto titulo munitæ ſtipuletur poſſeſſionem quaſi gratioſam per viam tolerantiæ, compoſitionis & pacti obtinendam? Habuere antea Catholici poſſeſſionem antiquiſſimam, legalem, lege & titulo munitam, adeoque opus non habebant, ut ſibi tolerantiam ſuæ Religionis, quæ jam in poſſeſſione legitima ſtabat, eblandirentur, aut per compoſitionem veluti extorquerent. Sed quoniam in exercitio ſuæ Religionis multum turbabantur, de remedio ipſis fuit providendum, ne poſthac in hoc exercitio turbarentur. Idcirco non tam tolerantiam ſuæ Religionis, quam potius exercitium illius *quietum* & poſthac amplius *non turbandum* ſunt ſtipulati: dum econtra Proteſtantes, quippe qui antea nullum jus Civitatis, nullam legitimam poſſeſſionem titulo legitimo munitam, ſed potius occupationibus tum violentis tum clandeſtinis acquiſitam habuere, tolerantiam ipſius ſuæ Religionis noviter recipiendæ & illius exercitium poſthac quiete poſſidendum ſtipulari debuerunt. In eo ergo conveniunt Catholici & Proteſtantes, quod ambo in §. 15. & 16. ſibi *Catholici non ſibi ſtipulati ſunt meram tolerantiam. Bene vero Proteſtantes. In quo Catholici & Proteſtantes quoad tolerantiam conveniant.*

(m) Art. 7. §. 2. (n) Art. 5. §. 1.

Digitized by Google

ſibi exercitium Religionis *quietum*, *non turbandum*, *non moleſtandum*, *non gravandum* fuerint ſtipulati. In eo vero diſconveniunt, quod Proteſtantes præterea tolerantiam ſuæ Religionis antea non receptæ, nequidem toleratæ, multo minus aliquo jure Civitatis munitæ ſibi ſtipulari debuerint, non vero Catholici, quippe quorum Religio jam pridem antea jus Civitatis habuit, id quod ne ipſi Proteſtantes negant, imo fatentur, dum conformiter dictis paſſim ſcribunt, quod ſua Religio in Pace Religioſa jus Civitatis obtinuerit. Judicet ergo, qui voluerit, an illa potius Religio ſit dicenda *tolerata*, quæ eſt *antiqua*, jus Civitatis antiquiſſimum habuit, in poſſeſſione antiquiſſima & continua ſtetit, & in ſui conſortium aliam Religionem novitiam, clandeſtinis & publicis violentiis intruſam, amore pacis & concordiæ ad compeſcendos tumultus bellicos admiſit; vel hæc ipſa, quæ jus Civitatis antea non habuit, ac poſtea ſecuritatem, tolerantiam, & exercitium ex lege publica obtinuit.

Et diſconveniant.

Æqualitas ex P. W. inter Proteſtantes & Catholicos non eſt omnimoda.

Illa æqualitas inter utriusque Religionis conſortes ſtatuta, eſto *exacta*, & *mutua* dicatur, tamen non eſt omnimoda, & univerſalis, atque ad præſentem quæſtionem prorſus eſt impertinens, neque ad eam ullo modo trahi poteſt. Inprimis non eſt *univerſalis ac omnimoda*, partim quod ex communi regula ſub univerſali locutione non veniant ea, quæ ſpeciali mentione indigent, & nulla detur regula, quæ non admittit exceptionem, quales dari in hac regula noverint ipſi AA. (o): partim quod ſit ſtatuta *æqualitas* conformis *conſtitutionibus Imperii* & per conſequens etiam Paci Religioſæ (p): partim quod Pax Weſtphalica circa tolerantiam utriusque Religionis nihil novi ſtatuerit, ſed tolerantiam in Pace Religioſa ſtatutam ſolummodo confirmaverit. Quemadmodum ergo vigore Pacis Religioſæ ſola Religio Proteſtantica tolerantiam accepit, & *tolerata* dici poteſt & debet; econtra Religio Catholica ſemper manſit *antiqua*, & talis in tabulis etiam Weſtphalicis dicitur, ita etiam in Pace Weſtphalica ſola Religio Proteſtantica ſuæ tolerantiæ, Catholica vero ſuæ antiquiſſimæ poſſeſſionis ac juris confirmationem obtinuit. Dein decantata regula eſt, quod leges non ſoleant, nec poſſint diſpone-

Religio Catholica eſt & dicitur antiqua.

(o) Vid. Boehmer de Tolerant. relig. effect. Civil. cap. 2. §. XI. & ſeq. Item Eſtor Delineat. Jur. Eccleſ. Proteſt. Et nos Catholici docemus, quod non obſtante hac æqualitate Proteſtanticus non poſſit eligi in Imperatorem.

(p) Verba P. W. Art. 5. §. 1. ſic habent: *Sit æqualitas exacta mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, conſtitutionibus Imperii, & præſenti conventioni conformis eſt.*

Digitized by Google

P. W. non potuit omnimodam æqualitatem inter Religionem Cathol. & Proteſtant. ſtatuere.

diſponere de impoſſibilibus, inter quæ jure optimo reputantur ea, quæ ſunt *facta*, & quæ amplius infecta fieri nequeunt. Jam vero impoſſibile eſt, ut hæc diſpoſitio Pacis Weſtphalicæ & ſtatuta æqualitas ad tolerantiam Religionis extendatur, eoquod Religio Catholica tempore Pacis tam Religioſæ quam Weſtphalicæ fuerit, & adhuc ſit Religio antiqua, quæ jus Civitatis ante Pacem Religioſam ſola habuit, & in ea nonniſi meram ſecuritatem contra injuſtos turbatores ac invaſores, eorumque violentias, nullo modo tolerantiam obtinuit. Aut ergo dicendum erit, Religionem Catholicam nunquam fuiſſe antiquam, jure Civitatis in Germania donatam, quod eſt contra apertam veritatem; aut Pacem Weſtphalicam aliquid impoſſibile ſtatuiſſe, & effeciſſe, ut Religio antiqua jam non ſit antiqua, ſed veluti in novam transmutata, jamque quoad ſua prædicata ex jure antiquo ſibi competentia æqualis facta Religioni novæ, atque omnem ſuam antiquitatem cum prædicatis ex antiquitate eidem ſoli propriis penitus amiſerit.

Satis, ni fallor, ex his elucefcit, quænam ex tribus ſupra dictis Religionibus, & quo ſenſu poſſint dici vere *toleratæ* ac *receptæ*. Profecto ſano ſenſui repugnare exiſtimo, illam, quæ *antiqua* prius & ab ævis fuerat Religio, quam *ſalvam per omnia* omnes compaciſcentes & deſiderarunt & ſtabilierunt, inter toleratas aut receptas ſtatuere, & ſic, quod fuit ac dudum erat, pro novo baptizare & aſſerere, atque eandem æqualitatem inter hanc *antiquam*, & *novam* quamdam Religionem quoad prædicata etiam eſſentialiter antiquitati annexa ſtatuere velle, inter novam, inquam, quæ tum antiquis Eccleſiæ conſtitutionibus, tum ab Imperatore Maximiliano I. in epiſtola ad Leonem X. ex Conventu Auguſtano anno 1518. & a Carolo V. Wormatiæ anno 1521. dein Spiræ an. 1529. iterum Auguſtæ Vindelicorum in Comitiis prohibita primitus & damnata fuiſſe; poſtea vero per Cæſarem & Catholicos teſtibus Actis publicis ex indulgentia ob bonum commune Pacis permiſſa ac recepta, & in eorum communionem, quæ eidem antea conſtanter fuerat denegata, admiſſa fuiſſe legitur. Interim ne videamur injurioſi, Pacis turbatores, & fœdifragi, & ut charitati, paci ac concordiæ conſulamus, hiſce potiſſimum delicatis temporibus, ſuſtineamus patienter Religionem Catholicam a Proteſtantibus vocari *toleratam*.

Utrum Proteſtantes poſſint vocari hæretici.

Inde conſurgit quæſtio alia, utrum Proteſtantes a Catholicis poſſint vocari *hæretici*. Dubium inde venit, quod loco ante citato *exacta æqualitas* inter Catholicos & Proteſtantes fuerit introducta, & ulterius Art. 5. P. W. §. 35. cautum ſit, ne Catholici & Proteſtantes ſe invicem

deſpica-

Digitized by Google

deſpicatui habeant (q)? ſed quæ æqualitas ſi Catholicis licet Proteſtantibus nomen *hæreticorum*, quod in communi hominum æſtimatione probroſum cenſetur, affingere? an non hoc ipſum eſt ſe invicem *deſpicatui* habere (r)? Nomen iſtud apud Proteſtantes adeo exitioſum audit, ut non raro contra libros, quibus nomen iſtud inſertum legebant, ad ſuprema Imperii tribunalia, ad Comitia ipſa, & fiſcum imperialem provocaverint, eosque fiſco addici, proſcribi & prohiberi curaverint (s). Ut ergo notam hæreſeos a ſe amoliantur, ajunt, quod alius ſit hæreticus in *ſenſu theologico*, & alius in *ſenſu Juris publici*. In *ſenſu theologico* ille eſt, qui profitetur Religionem, quæ in dogmate quodam fundamentali recedit a Religione, quam quis exiſtimat veram: & in hoc ſenſu omnes in Religione ſubſtantialiter diſſentientes ſe invicem habent pro hæreticis; in *ſenſu Juris publici* vero omnes illi, qui profitentur Religionem a tribus Religionibus in Germania receptis alienam (t).

Nomen hæretici valde odioſum apud Proteſtantes.

Duplicis generis hæretici apud Proteſtantes.

Eſt hæc diſtinctio inter hæreticum in *ſenſu theologico*, & in *ſenſu politico* ſeu juris publici nova, & ante hunc diem inaudita, quæ ſi vera eſt, procul dubio Proteſtantes male dicuntur hæretici. Sed vereor, ne hic conceptus ullum habeat fundamentum; imo potius ſit contra naturam rei & conceptum eſſentialem hæreſis, cum utique eſſentia Religionis & hæreſis non a tolerantia ſed a veritate vel falſitate ſit metienda, & definienda: alias certe nequidem Mennonitæ, Quaqueriani, imo etiam Deiſtæ, Naturaliſtæ, Indifferentiſtæ, & ſiqui alii ſint hujus furfuris homines, hæretici appellari poſſunt in illis locis, in quibus tolerantur, quod an Proteſtantes admittant, neſcio. Et quis unquam audivit, quod tolerantia ſectam quamcunque a nota hæreſeos abſolvat? Ad hæc: Religio Proteſtantica ex dictis ſolummodo eſt *tolerata*, quamvis tolerantia qualificata & privilegiata, adeoque inter illa, quæ non ex

Utrum detur hæreſis vel hæreticus in ſenſu Juris publici.

(q) Sive autem Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſſionis fuerint ſubditi, nullibi ob Religionem deſpicatui habeantur &c. loc. cit.

(r) Iſts nicht ein Wort, das da nur den hegenden Religions-Groll offenbaret? hält nicht der, ſo den andern verketzert, denſelben Deſpicatui, und ſtreitet nicht dieſes wider den angezogenen Paſſum P. W.? Acad. Reden pag. 225.

(s) Ibid. pag. 116.

(t) In ſenſu Juris publici ſind nur diejenige Ketzer, und als ſolche zu tractiren, die von denen drey in dem deutſchen Reiche recipirten Religionen abgehen. Keine von dieſen dreyen kan die andere als ketzeriſch in ſenſu politico anſehen. pag. 116.

Digitized by Google

ex omni parte ſunt recta: nam, uti ait Hugo Grotius, dupliciter aliquid licere poteſt, *primo, quod rectum ex omni parte piumque eſt, etiamſi quid fieri poſſit ſorte laudabilius; alterum, quod ſalva pietate & officiorum regulis fieri non poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubjacet* (s). Id ſatis mirari nequeo, quod Proteſtantes Religionem & Eccleſiam Catholicam, Pontificem & Clerum, convitiis onerent ſummis e.g. Eccleſiam Catholicam vocent *meretricem Babylonicam*, Pontificem dicant *Antichriſtum*, in ſuo publico cantu Tyranno turcico aſſimilent, Deum pro illius internecione precibus publicis exorent (x), cultum Religionis externum appellent idololatricum, ipſos Catholicos tanquam *idololatras* traducant, & ſi quæ alia convitia auditu horribilia excogitari poſſunt, libere effutiant; econtra ſe dici hæreticos graviter indignentur, & inter ſummas computent injurias. Et quare? Audiamus Pfaffium, quia, ait hic Author, ea, quæ nobis imputantur ob Religionem, injuriæ civiles non ſunt: hinc quælibet Eccleſia ſine injuria alteram vocare poteſt falſam, erroneam, Antichriſticam, idololatricam, quia iſta reſpectum civilem ex jure naturæ debitum non diminuunt, non offendunt, non lædunt, non tollunt, cum hæc & his ſimilia aliud dicere non velint, quam: *erras mi bone, ſi hæc credas, credis contra doctrinam Chriſti, adoras, quod non eſt adorandum* (y). Pergit paulo poſt, quod nulla veritas ſit injuria, & dicere verum ſit licitum ac nullo modo injurioſum (z). Boni Superi! quid eſt hoc? an non etiam nomen *hæreſis* Proteſtan-

Proteſtantes Eccleſiam Catholicam Pontifices & Catholicos injuriis graviſſimis laceſſunt.

Quas excuſare laborant, ſed fruſtra.

(u) De Jur. B. & P. lib. 3. cap. 4.

(x) Notum eſt illud: Erhalt uns HErr bey deinem Wort, und ſteur des Pabſts und Türken Mord. Hanc cantilenam, ne Ravenſpurgi caneretur, prohibuit ſenatus Imperii aulicus Tom. 1. der Reichs-Hof-Raths-Concluſ. pag. 719. & Leopoldus Imperat. 1662. in Sileſia. Vid. Tom. 2. q. 1. cap. 2. §. 16. pag. 117.

(y) Ich merke an, daß die geiſtliche Bezichte keine injuriæ Civiles ſeyen, wodurch die Civil-Achtung dieſes oder jenes gekränket werde. Eine Kirche mag gar wohl ſagen, die andere ſeye falſch, ſie ſeye ein Babel, ſie ſeye Antichriſtiſch, das hebt die Civil-Achtung nicht auf, und die Höflichkeit, die man einander nach dem Recht der Natur ſchuldig iſt. Dann was iſt dieſe Bezicht anders, als daß ich ſage: du irreſt dich, wenn du dieſes oder jenes glaubeſt, du glaubeſt wider Chriſti Lehr, du beteſt an, was nicht GOtt iſt, und dergleichen. Die erſte Chriſten hielten ihre heidniſche Kayſer vor Abgötter, und bezeugten ihnen doch den ſchuldigen Gehorſam. Aber mit Civil-Schimpf-Worten drein zu werfen, das will was ganz anders ſagen, und iſt je nicht erlaubt. Academ. Reden. pag. 324.

(z) Iſt keine Wahrheit ein Schimpf-Wort, wenn man beweiſen kan, was man ſaget. pag. 225.

Proteſtantes magis ſunt injurioſi in Catholicos, quam hi in ipſos.

ſtantibus imputatur propter Religionem ſuam, quam nos Catholici falſam eſſe putamus & demonſtramus? quare ergo injuria civilis eſt dicere Proteſtantes *hæreticos*, & quare injuria non eſt Catholicos dicere *Idololatras*, Pontificem vocare Antichriſtum? quare iſtud diminuit reſpectum civilem, & repugnat legibus humanitatis ac civilitatis, quare non illud? Neſcio profecto an non in Societate civili cives magis deſpicabiles ac contemptibiles reddantur, ſi idololatriæ, quam ſi hæreſeos accuſentur, & nomine idololatrarum traducantur. Ait quidem Pfaffius, Proteſtantes verum dicere, non autem Catholicos. Quid ſi invertamus ſtylum, & nos idem ipſum pro nobis prætendamus, dicentes, Proteſtantes falſitatem, nos vero veritatem dicere: quis inter nos erit judex? quis fortiores pro ſe habet præſumptiones? & unde vel quomodo probant, quod falſo dicunt? Et quid nos aliud dicere volumus, dum illos appellamus hæreticos, niſi quod errent, quod credant contra doctrinam Chriſti, quod in errore hæreant? En, quomodo Proteſtantes ſe ipſos feriant, dum Catholicos caſtigare contendunt!

Incivile eſt ipſos dicere hæreticos.

Incivile quodammodo ac inhumanum eſſe, ſi Proteſtantes in negotiis civilibus, in quibus cum ipſis agunt Catholici, hæretici compellentur, ſponte largimur: cum cauſa Religionis ad cauſas civiles non pertineat, & ſimiles compellationes nonniſi odium Religionis prodant, rancorem in animo latentem manifeſtent, jurgia excitent, pacem turbent. Interim contra injuriam ſibi illatam an Proteſtantes queri poſſint, ſubſiſto, non ideo duntaxat, quod reſpectu Catholicorum ſint tales, & ab ipſis ut tales in ſenſu theologico habeantur, ſed etiam quod hæreſis apud ipſos non ſit crimen, & propterea nullam inurere maculam videatur, cum ſit error in intellectu ſæpe cum bona fide conjunctus, aut licet malam fidem conjunctam habeat, de hac tamen judicare difficillimum ſit (a).

Hæreſis apud ipſos non eſt crimen.

De hæretificio.

Sed inquies ſaltem *hæretificium* eſt crimen peſſimum bono publico ſumme pernicioſum graviſſime puniendum, quod qui committit, calumniæ peſſimæ ſe reum facit, ac manifeſtus eſt calumniator, cujus ſe reos faciunt Catholici, ſi Proteſtantibus crimen hæreſis affingunt, eosque ſub nomine hæreticorum traducere non verentur (b). Verum id proban-

(a) Vid. Boehmer ad Tit. de hæret. Thomaſius Diſſert. *An hæreſis ſit crimen.* Pfaffius Academ. Reden. pag. 115. ubi ait: die Ketzerey iſt kein Crimen: kein Irrthum, zumalen bonæ fidei, kan ein Crimen und Laſter ſeyn.

(b) De hæretificio ſcribunt Boehmer loc. cit. §. 225. Rechenberg. de crimine hæretificii.

Digitized by Google

bandum erit, quod Catholici committant crimen *hæretificii*, dum Proteſtantes pro hæreticis habent. An non Proteſtantes longe majoris criminis ſe reos faciunt, quando Catholicis ſcelus Idololatriæ aſſingunt, Pontificem Romanum loco Antichriſti habent, atque pro illius interitu preces fundunt? quid eſt crimen *hæretificii*, quærere liceat? crimen *hæretificii* dicente Pfaſſio *committit ille, qui hominem vel prorſus innocentem, vel eum, qui in nullo præcipuo Religionis capite errat, vel eum, qui bona fide errat, tanquam hæreticum diffamat, vel errorem fundamentalem impingit, quem non ſtatuit* (c). Utrum jam Proteſtantes adeo ſint innocentes, an in nullo fundamentali dogmate errent, an bona fide errent, ſi errant, quis dijudicabit? Ipſi ſunt Judices in propria cauſa, quos jure recuſamus. Eccleſiam non audiunt, ſed illius judicium contemnunt, quod nos reveremur. Nihil ſupereſt, niſi ut cum ipſis pacifice, chriſtiane, civiliter & fraterne agamus, & amore pacis & tranquillitatis publicæ ab hujuscemodi compellationibus abſtineamus, niſi Dei gloria, animarum ſalus, Eccleſiæ honor aliud exigat, aut ad injurias nobis impactas propulſandas provocemur.

Quid ſit?

An Catholici ſe hæretificii reos faciant?

Sed quid de nomine *Acatholicorum?* An ſaltem hoc nomine illos compellare licebit? Etiam iſtud nomen tanquam injurioſum usque nunc dedignati ſunt, & dedignantur hodiedum Proteſtantes: tum quod ſecundum ipſos aut non amplius detur Eccleſia, quæ meretur dici *Catholica*, id eſt *univerſalis;* aut ſi detur, æque ſua ac Catholicorum mereatur dici *Catholica:* tum quod nomen iſtud nec in Pace Weſtphalica, nec in Actis publicis legatur, & nequidem in ſupremis Eccleſiæ tribunalibus toleretur (d). Quocirca, cum tempore Pacis Noviomagenſis Catholici nomine *Acatholicorum* Proteſtantes vocare vellent, contradixerunt efficaciter, quorum literæ Proteſtationis usque nunc aſſervantur (e). Quapropter malunt audire *Auguſtanæ Confeſſioni addicti, Evangelici, Confeſſioniſtæ, Proteſtantici*, & licet admodum ægre, *Lutherani.*

Utrum Proteſtantes recte dicantur Acatholici?

Nomina Proteſtantibus æque ac Ca-

---

retificii. Fecht in ſcrutinio profligatæ ex Eccleſia hæretificationis, & Pfaffius in Diſſert. de Crimine hæretificii, quæ eſt annexa illius Inſtitut. Jur. Eccleſ. pag. 465.

(c) Loc. cit. Art. 1.

(d) Auch iſt der Titul Acatholicus zu einem Schimpf-Wort gediehen ꝛc. - daß es demnach entweder gar keine Catholicos mehr gibt, oder wir ſinds auch. Pfaffius Academ. Reden pag. 325. Vid. etiam Eſthor in delineat. Jur. pub. Eccl. Proteſt. cap. 9. §. 1. p. m. 104.

(e) Comm. ad Inſt. P. W. p. 680. Vid. etiam Tom. 1. Elect. Jur. pub. pag. 374.

Digitized by Google

tholicis ex jure Publico propria.

rani. In Actis publicis plerumque vocantur *Auguſtanæ Confeſſioni addicti*, Verwandte der Augsburgiſchen Confeßion (f). Nos Catholici paſſim vocamur nomine proprio *Catholici*, vel *antiquæ Religioni addicti*, der alten Religion Verwandte (g). Sed quid multum de nominibus, & elogiis diſceptamus?

Utrum præter tres Religiones in Pace Weſtphalica receptas aliam recipere liceat?

Diverſæ Proteſtanticorum ſententiæ.

Longe celebrior ac ſummi momenti ſuccedit quæſtio, utrum *præter tres Religiones nominatas* aliam ab his diverſam Statibus Imperii recipere liceat. Quamvis enim litera Pacis Weſtphalicæ ſit omnino clariſſima in verbis: *ſed præter Religiones ſupra nominatas nulla alia in ſacro Imperio Romano recipiatur, vel toleretur* (h), nihilominus Proteſtantes in plures abiere ſententias, quorum aliqui volunt, Paciſcentes tolerantiam ſolummodo *neceſſariam* determinare; *gratioſam* econtra Imperantium arbitrio relinquere voluiſſe. Huic ſententiæ ſuffragatur ferme communis praxis Germaniæ, cum paſſim non modo diverſi generis hæretici e. g. Anabaptiſtæ, Mennonitæ, Herrnhutiani, ſed etiam Judæi a Statibus Imperii recipiantur & tolerentur (i). Alii hanc clauſulam a Catholicis clandeſtine intruſam ac ſuppoſitam fingunt, quorum doctrinam ne ipſi quidem ſapientiores Proteſtantici approbant, metuentes ne Catholici jure retorſionis ac Repreſſaliarum utentes ſimilia ipſis jure certe longe majori objiciant (k). Alii, quorum opinio plures habet ſequaces, citatum §. intelligunt de tolerantia & exercitio Religionis *publico*, *qualificato* ac *privilegiato*, tali, quali fruuntur Proteſtantes; non vero de tolerantia *ſimplici*, & exercitio *privato*. Hujus opinionis præter alios

(f) Ita vocantur in Receſſu Imperiali Norimbergenſi de an. 1593. Tranſact. Paſſav. Pac. Relig. Vid. Georg. Eſtor. loc. cit. cap. 6. §. 2.

(g) In Receſſ. Ratiſ. de an. 1591. Pac. Weſtph. ſæpius. Vid. idem Author.

(h) Art. 7. §. 2.

(i) Joan. Erneſt. Flörcke. Diſſ. de Jure Principis circa ſacra ſubdit. Sect. 2. §. 25. Titius in Specim. Jur. Pub. lib. 3. cap. 2. & Ludwigius in Conſil. Hal. Tom. IX. Part. II.

(k) Idem Floerckius loc. cit. dicens: *Non neceſſe igitur eſt, ut dicamus clauſulam hanc a Catholicis adjectam Proteſtantes non obligare, cum id argumentum exempli peſſimi futurum ſit, facileque retorqueri poſſit.* Idem habet Pfaffius: Dies iſt gefährlich zu ſagen. Denn man könnte wider die Proteſtanten unter dem Vorwand, daß auch dies und jenes von ihnen unterſchoben wäre, ſehr ſchädliche Repreſſalien brauchen, loc. cit. pag. 357.

Digitized by Google

Sententia Proteſtanticorum affirmativa, illiusque fundamenta.

alios ſunt Boehmerus (l), & Henninges (m). Ille adducit Reſponſum juridicum facultatis Juridicæ Hallenſis in ſimili cauſa anno 1712. ad Illuſt. Comitem Iſenburgenſem expeditum, in quo argumenta hujus opinionis ſequentia afferuntur, atque iſtud inprimis, quod pro nulla re tantopere fuerit dimicatum in Pace Weſtphalica, quam pro libertate *conſcientiæ cujuscunque* (n), cui vel maxime præjudicatur, ſi homines, quibus ſua conſcientia aliam Religionem tanquam veram dictat, a civitatibus paſſim excluduntur. Ille ipſe paragraphus in toto contextu unice loquitur de exercitio Religionis *publico*, & *privilegiato* Religionum receptarum, quare igitur non in favorem libertatis conſcientiarum laxiorem interpretationem admittat, quo minus ad exercitium privatum favorabiliter extendi poſſit? maxime, quod favor conſcientiarum ſit ſummus, & benigna hæc interpretatio ſit ſumme conformis doctrinæ chriſtianæ Religionis, & Chriſti omnes & ſingulos ad ſalutem vocantis, omnem vim ac violentiam excluſam, & econtra in vinculis charitatis ad ſuum ovile trahere volentis. Et quis hujus clauſulæ inferendæ cauſa fuiſſe creditur? nemo certe præter Catholicos, qui ſemper pro unitate Religionis tanquam pro aris & focis dimicarunt, nec unquam aliam Religionem veluti conſortem habere, ac in participium jurium Civitatis admittere voluere. Quamvis ergo Catholicos hanc clauſulam intruſiſſe & ſuppoſuiſſe dici nequeat, attamen rem eo deduxerunt, ut Status Proteſtantici in illorum gratiam pro facilitanda pace conſenſerint ſalva ſua libertate recipiendi, tolerandi, & admittendi. quos libuerit, cui eo minus præjudicare voluiſſe cenſendi ſunt, quo remotiores ſunt a principiis Catholicorum pro unitate Religionis, ſicut dictum, dimicantium, dum Proteſtantes potius a primo ſuæ Reformationis tempore juxta doctrinam ſui Magiſtri Lutheri (o) nunquam non pro *libertate conſcientiarum* vindicanda, & aſſerenda ſtrenue decertarunt, & pro ea ſtabilienda nihil non egerunt. Idcirco veroſimile non eſt, quod ſibi ipſis ligare manus, & tolerantiam Religionum omnem tollere voluerint: ſecus de jure prohibendi Catholicis fuiſſet proviſum, de quo nihil in tabulis Pacis Weſtphalicæ legitur. Et quidſi paſſim per Germaniam Judæi tolerentur,

Libertatis conſcientiarum favor ſummus.

Catholici ſtant pro unitate Religionis.

(l) J.E. Tom. I. lib. I. Tit. I. §.58.

(m) Medit. ad P. W. pag. m. 879.

(n) Loc. cit.

(o) Nächſt dem ſolches Lutherus ſelbſten vielfältig eingeſchärfet, und alle Gewalt wider die Diſſentirende gemißbilliget. Boehmer. loc. cit.

tur, homines ſane peſſimi, peſtis Rerumpublicarum, de quorum tolerantia licita ex jure naturæ tantopere dubitatur, quare non alterius ſectæ homines chriſtiani, pacifici, ac tranquilli privatim ſuæ devotioni vacare, ſuamque Religionem ſecundum dictamen ſuæ conſcientiæ exercere permittantur? Ac profecto paſſim tolerantur in Germania Mennonitæ, Anabaptiſtæ, & hinc inde Sociniani, Herrnhutiani, aliique, ut adeo a ſola praxi hæc ſententia ingens pondus accipiat, & veluti homologetur, ac canonizetur. En argumenta Proteſtanticorum! quibus Pacem Weſtphalicam ſiniſtris interpretationibus intorquere, & elidere contendunt.

Catholicorum ſententia negativa & argumenta.

Quid autem ad hæc Catholici? mirantur profecto, quod Proteſtantes opinionem *literæ* pacis *menti* paciſcentium directe contrariam, aut, ſi aliter de mente ſua ſcribant & doceant, *bonæ fidei* in omni pacto & contractu tam ſancte obſervandæ oppoſitam publice tueri non erubeſcant. *Litera* pacis adeo clara eſt, ut eam ne ipſi Proteſtantes impugnare audeant, dicit enim: *nulla alia præter tres ſupra numeratas in ſacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur.* Ut quid ergo ad contortas interpretationes confugimus? quam facile fuiſſet Paciſcentibus diſtinquere inter exercitium *publicum* & *privatum*, inter *tolerantiam privilegiatam* & *ſimplicem*? ſi illorum intentio fuiſſet reſtricta ad exercitium *privilegiatum*. Anne fortaſſis aliud mente retinuerunt Paciſcentes, & aliud verbis expreſſerunt, & hoc agendi modo Catholicos circumvenerunt? ſed hoc ipſis fore probroſum facile intelligent ipſi.

De aliarum Religionum tolerantia non fuit cogitatum.

Imo de aliarum ſectarum exercitio tolerando nequidem ipſos tunc temporis Proteſtantes ſomniaſſe, id argumento eſt, quod ipſis tota contentione laborandum fuerit, ut pro ſe *libertatem conſcientiæ* & tolerantiam ſuæ Religionis eblandirentur, & extorquerent. Omnis illorum zelus pro vindicanda *libertate conſcientiæ* erat intereſſatus, partialis, unice intentus in bonum ſuæ Religionis Proteſtanticæ. Et quare haud pauci eorum Zwinglianos & Reformatos in conſortes Religionis, ac in participium tolerantiæ juriumque eidem annexorum admittere noluerunt, & tandem ægre admodum Reformatos admiſerunt? quare in hodiernam usque diem Proteſtantes in Reformatos adeo ſunt rigidi, ut illorum exercitium in illis locis, ubi ipſi dominantem habent Religionem, ægerrime admittant, & eorum exercitium, quantum poſſunt, reſtringant? Nondum eo ævo ſeu tempore Reformationis illa libido & vaga libertas ſentiendi in materia Religionis, ille Indifferentiſmus & Syncretiſmus invaluit, qui nunc plurimorum animos occupat, ſectis quibuscunque januam aperit, & introitum permittit liberrimum, illis etiam,

quos

Digitized by Google

quos jus naturæ ex omni orbe proſcriptos vult & eliminatos, quales ſunt ipſi etiam Athei, & Indifferentiſtæ. Nondum invaluit illud: *ſunt boni cives, quieti, pacifici: ergo tolerandi*: quidquid deinde ſit de bono Religionis, quæ in ultimis habetur curis, quemadmodum ſupra dictum fuit. Aut ergo intentio Paciſcentium fuit excludendi omnes alias Religiones, aut Syncretiſmum aliquem, qui univerſale ſcutum ſectarum ac errorum, novitatumque clypeus eſt, in Imperium introducendi, ibidem fovendi ac tuendi? illud primum loquitur *litera*: iſtud alterum dicere nos Catholici erubeſcimus, & nec honor Proteſtanticorum, qui zelantes pro bono ſuæ Religionis videri cupiunt, permittit. Aiſt dicent fortaſſis, dari medium, & nec omnes promiſcue ſectas, nec Sectarios in magno numero, & nonniſi ſub certis cautelis eſſe recipiendos. Verumenimvero huic argumento reclamat *libertas conſcientiæ* tantopere ab ipſis jactitata: animadvertunt nempe quam optime Proteſtantes periculum, quod imminet Religioni & Reipublicæ ex promiſcua tolerantia diverſarum Religionum. Idcirco & numerum eſſe reſtringendum & tolerantiam eſſe moderandam exiſtimant. Quam igitur longe ſapientiores fuere & ſunt Catholici, qui omne periculum corrumpendæ Religionis antevertere voluerunt. Et quis neſcit Sectarios etiam in parvo numero receptos occulte ſerpere, in dies dilatari, & multiplicari, ac demum in ingentem numerum excreſcere, ut ipſi Religioni dominanti formidabiles fiant? Itaque fortiſſima eſt præſumptio, quod Proteſtantes libertatem recipiendi & tolerandi diverſas Religiones ſibi reſervare noluerint, tum quod de hac non ſomniaverint, tum quod illam eſſe pernicioſam Religioni dominanti ac Reipublicæ optime perſpectum habuerint, unice pro ſua Religione introducenda, propaganda ac ſtabilienda ſoliciti fuerint, nihil minus quam Catholicos circumvenire, doloſe ad pacem ineundam introducere, ſibique talia jura reſervare voluerint, in quorum reſervationem Catholicos nunquam conſenſuros optime noverant. Et quis fuit finis hujus pacificationis? certe non alius, quam ut tandem lis de tolerantia Religionum terminetur, ut ſua cuique Religioni jura ſtatuantur, pax & concordia inter diſcordantes Religiones ſtabiliatur, ut cuicunque Religioni ſua ſtet *libertas*, cui profecto fini *ulteriorum & diverſarum ſectarum tolerantia, plenusque exinde invaleſcens libertiniſmus maximum, imo neceſſarium poneret impedimentum, non ſine novarum & continuarum turbarum in Imperio inde ciendarum, nec non toti Imperii compagi imminentis diſſolutionis periculo* (p).

Omnis tolerantia periculoſa, etiam moderata.

Tolerantia diverſarum Religionum inducit libertiniſmum.

Mmm 2 Undenam

(p) Illuſ. Barthel Opuſ. 3. de Jure Reform. novo, art. 7. N. 2.

Cur Proteſtantes pro tolerantia Religionum ſtent.

Undenam autem venire exiſtimamus, quod Proteſtantes pro vaga quodammodo Religionum tolerantia tantopere zelare ſoleant? ſane zelus iſte non eſt zelus bonus, quaſi vero hac ratione *libertati conſcientiarum* ac Religionum conſulere velint, ad quam tuendam defendendamque ſe a ſuo Luthero moneri inquiunt, de qua certe non cogitant. Aut enim ſunt ex ipſis, qui in animo Indifferentiſmum, Libertiniſmum, & Naturaliſmum ſovent, ac nutriunt. Aut ſunt alii, qui finem, & bonum quoddam politicum, non raro imaginarium ac falſum ante oculos habent, forte quod hoc modo ærario Principis melius conſultum iri, commercia magis florere, territorium impleri civibus & incolis, agriculturam majori induſtria exerceri, opificia & artes melius excultum iri exiſtiment. Ambo conformiter ſuis principiis & pro tolerantia diverſarum Religionum pugnare conſueverunt.

Libertati conſcientiarum non eſt excesſive favendum.

Utrum doctrina Proteſtanticorum de *tolerantia Religionis* doctrinæ Chriſti & principiis chriſtianæ Religionis ſit conformior, an Catholicorum, hic & nunc non inquirimus. Eſto *libertati conſcientiarum* quodammodo ſit patrocinandum, & in iis, quæ Religionis ſunt, omnis violentia exulare debeat, num inde ſequitur, quod ſectarii paſſim aut omnino promiſcue, ſæpe ex ratione prorſus futili, in Republica ſint tolerandi, & non potius proſcribendi, aut ſaltem non ſint recipiendi? profecto principium iſtud viam ſternit latiſſimam ad introducendum libertiniſmum, & manifeſte probat, omnis fœcis Sectarios eſſe tolerandos, niſi ratio Reipublicæ obſtet. Sed demus rationem Reipublicæ non obſtare, obſtat ratio Religionis: anne hæc non eſt attendenda? Neſcio ſane, utrum Chriſtus ſimilia verbo vel exemplo docuerit; utrum libertati conſcientiarum in tantum faverit, in quantum ipſi favent Proteſtantes; utrum Religio chriſtiana nunquam ſimiles doctrinas ſuſtinuerit.

Tolerantia Judæorum ſingulari jure nititur, & non eſt extendenda ad ſectarios.

Exemplum Judæorum Proteſtanticis eo minus favet, quo magis adhuc de ipſorum tolerantia diſputatur. Cæterum habent Judæi tolerantiam Religionis antiquiſſimam, jure eccleſiaſtico, civili Romano, Germanico, conſtitutionibus & praxi Imperii, Edictis & privilegiis Imperatorum ac Principum ſtabilitam, cui Paciſcentes in Pace Weſtphalica non derogarunt, nec derogare voluerunt, prout ex hodierna praxi docemur. Oſtendant AA. ſimilem praxin antiquam, & obſervantiam legibus corroboratam, & victas dabimus manus. Praxin, quam ipſi oſtendunt, eſt praxis particularis quorumdam ſtatuum, qui legem publicam infringere pro ſuo arbitrio non poſſunt, non eſt univerſalis, eſt contraria legi publicæ Pacis Weſtphalicæ, nulla lege ſpeciali corroborata, cui usque nunc ſemper contradixere Catholici, ut adeo mandatis

Praxis ſtatuum Evangelicorum contraria P. W.

ſupremorum

ſupremorum Imperii tribunalium fortiorique vi ab ipſo Imperatore impertienda, fiſcalisque Imperii perſecutione in illos, qui ſectarios promiſcue & pro ſuo libitu recipiunt, eosque expellere recuſant, agi poſſe exiſtimem, niſi ratio Status id facere prohiberet, & ipſe Imperii fiſcus illiusque poteſtas facile elidi poſſet.

Salubris doctrina pro Principibus Catholicis in ordine ad tolerantiam Religionum.

Salubrem doctrinam Viri Illuſtris Barthelii pro Catholicis Imperantibus hic apponere placuit: *Arcanum Status eſt in Religione Catholica, quod Princeps omnino ſibi perſuaſum habere debeat, nihil tanti in mundo eſſe, cujus cauſa Religio tolli, alterari, aut dividi poſſit: Religio ſiquidem, quia circa divina verſatur, divinum quid in ſe eſt, & veritati æternæ innitur: veritas autem ſicut in ſe eſt immutabilis, & indiviſibilis, ita Religionem oportet eſſe immutabilem, unam, indiviſam, perpetuamque, proinde ſumma ratio Status eſt, & Principi eſſe debet, quæ pro Religione facit, ergo ex quocunque ſive temporali emolumento ſperando, ſive detrimento vitando Princeps adduci non debet ad concedendam libertatem Religionum & unius Religionis protectionem deferendam, cum bona inferioris ordinis, qualia ſunt temporalia, exponenda potius ſint quibuscunque periculis ad tuenda bona ſuperioris ordinis, inter quæ primarium eſt religio & fidei unitas. Sola itaque jactura, quæ veræ Religioni inſtat, unicisſima ratio eſt, ob metum videlicet majoris mali, tolerandi libertatem, & pluralitatem Religionum, quæ ratio quam primum deſierit, prorſus mutandum Principi conſilium, & ſublato pluralitate reducenda in Rempublicam Religionis unitas. Nihilominus ſi Princeps antea licite fidem fecerit, deſuperque pepigerit, ubi tamen Principi Catholico parce admodum & conſulto ſemper agendum eſt, tunc ex ipſo rectæ rationis arcano ac ſacræ Theologiæ principiis, etiamſi poſt factam promiſſionem mutetur Status, & Princeps poſſet impedire libertatem Religionum, attamen promiſſo ſtabit; alioquin jugis contra Catholicos querela moveretur, nullaque iis amplius fides haberetur, atque ita deinceps periclitanti Religioni veræ haud facile ſubveniri poſſet pactis & transactionibus, quod quovis malo pejus eſſet. Quam ob rem Laymannus aſſerere non dubitat l. 4. Theol. Mor. Tract. 3. c. 7. tametſi Princeps Catholicus graviter peccaret, ſi abſque maxima urgente neceſſitate liberum diverſarum Religionum exercitium in provincia promiſiſſet, poſteaquam tamen publica, maxime juramento firmata fide, pollicitus fuerit, ſervare omnino debebit, quia permittere Religionum diverſitatem non eſt ita intrinſece malum, quo minus cohoneſtari poſſit neceſſitate fœderis publici obſervandi propter jus Gentium, cum alias nulla inter homines ſocietas tuta eſſet.* Hucusque Barthelius (q). Satis de tolerantia.

Mmm 3 §. XI.

(q) Loc. cit. N. 5.

Digitized by Google

§. XI.

Sæculariſatio bonorum eccleſiaſticorum quid ſit.

Acturi de *ſæculariſatione* bonorum eccleſiaſticorum ab ipſo nomine *ſæculariſationis* auſpicemur, quod eſt vocabulum latinæ puritati incognitum, & ob *ſermonis compendium* tempore Pacis Weſtphalicæ invaluit, eoque a Catholicis deſignatur *actus, quo res ſacræ, vel eccleſiaſtico nexu in cultum & ſervitium omnipotentis Dei directe vel indirecte obſtrictæ revocantur in conditionem ſæcularem, ſive ab eo nexu prorſus liberantur* (r).

Hiſtoriæ ſæculariſationis Scriptor.

Hiſtoriam ſæculariſationis Proteſtanticæ a tempore cœptæ Reformationis usque ad Pacem Religioſam, & ab hac usque ad Weſtphalicam egregie prorſus dilucidat Author *Defenſionis Jurium Status eccleſiaſtici*, ubi in fine apponit Catalogum ſecundum ordinem Alphabeticum Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, & Monaſteriorum a Proteſtantibus extinctorum & ſæculariſatorum, & in eo numerat Archi- & Epiſcopatus 20. Monaſteria 854. Poſt hæc Author Anonymus ſic concludit: taceo innumera fere ſacrorum Ordinum Mendicantium Monaſteria & domicilia, quæ a Proteſtanticis Scriptoribus, eoquod ob tenuitatem redituum obtrita potius quam occupata ſint, & privatis etiam ceſſerint in prædam, prætereantur tanquam memoratu pene indigna, quorum vel in ſola Miſnia obvia Albinus numerat quatuordecim. Taceo Eccleſias, pergit Author, non collegiatas, quarum numerum inire opus foret viribus hiſce longe impar. Accedit, quod præter enarrata ingens adhuc numerus reſtaret Monaſteriorum fundatorum, quæ vel annotata non ſunt, vel ad noſtram notitiam non pervenere, maxime quod documenta aut intercepta ſtudio, aut ſuppreſſa vi fuerint, Helvetiam pene totam præterivi.

Poſtea idem Author facit *Deſignationem Monaſteriorum bello ruſticano extra circulum Saxonicum dirutorum & exuſtorum*, & numerat ex Spalatino Monaſteria triginta quatuor. Et ex Paulo Langio Benedictino Paſſavienſi in Saxonia Monacho refert, quod ruſtici primo ſuo tumultu 400. domicilia Clericorum expilaverint, & in Diœceſibus Herbipolenſi & Bambergenſi 50. Monaſteria, & 292. caſtra deſtruxerint, & concremaverint. Sequitur *Deſignatio Monaſteriorum, Eccleſiarum, eccleſiaſticorum locorum, quorum oppreſſionem aut deſtructionem aggreſſus eſt Albertus Marggravius* 1555. & in ſola Diœceſi Bambergenſi exſtitisse tria Monaſteria, & tres Eccleſias, expilata vero ſunt, inquit, Bambergæ omnia domicilia conſiliariorum aliarumque perſonarum eccleſiaſticarum,

(r) Joan. Banniza Diſſert. de Diverſ. Relig. tolerantia §. 17.

Digitized by Google

ſticarum, Eccleſia collegiata ad S. Martinum Vorchemii, Caſtrum Altenburgenſe & Reſidentia Epiſcopalis, Monaſteria Langheimenſe cum ſuis oppidis, Pontenſe cum ſuis oppidis, Monaſt. ad S. Theodorum, Neukirchenſe, S. Claræ Bambergæ, ad S. Sepulchrum Bambergæ. In Diœceſi Würzeburgenſi recenſet Eccleſias, & Monaſteria invaſa, expilata, vel incenſa triginta & tria, ac in fine finali addit: Prætereo civitates, oppida, vicos, caſtra, promptuaria &c. quorum numerus magnus eſt, illa partim exuſta, partim direpta, aut executionibus militaribus afflicta atque obtrita ſunt. Hucusque laudatus Author (s). En ſtragem horribilem tot locorum Dei illiusque ac Sanctorum cultui dicatorum! qualem orbis vix unquam vidit.

Sed quo titulo, quo jure, aut potius juris fumo auſi ſunt Proteſtantes talia attentare? quo jure horribilia hæc facta, deprædationes, rapinas, exuſtiones, invaſiones excuſabunt? de hoc infra videbimus. Prius quid Pax Religioſa cira occupationem & ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum ſtatuerit, videamus. Poſtquam §. 15. & 16. diſpoſitum fuit, ut nemini propter Religionem inferatur moleſtia, nullius bona invadantur, ſinguli in ſuis poſſeſſionibus quieti & tuti relinquantur, tandem §. 19. de bonis occupatis & ex parte ſæculariſatis ita diſponere placuit: *quia vero Status aliqui, eorumque Anteceſſores quædam Collegia, Monaſteria, aliaque eccleſiaſtica bona occuparunt, & ad templa, ſcholas, pios & alios uſus applicarunt, hinc etiam ea occupata bona, quæ ad eos, qui imperio immediate ſubjecti & imperii ſtatus ſunt, non pertinent, ac quorum poſſeſſionem eccleſiaſtici tempore Tranſactionis Paſſavienſis vel ab eo tempore non habuerunt, in hac pace comprehendantur. Et in ea diſpoſitione, quam quisque Status de occupatis & jam inſumptis bonis fecit, permaneant; & Status illi circa eadem bona neque intra, neque extra judicium conveniantur, aut interpellentur.* En, quam liberales, quam mites, quam prodigi, ut ita dicam, erga Proteſtantes fuerint Catholici! quippe qui amore pacis conciliandæ maluerunt ingentem bonorum eccleſiaſticorum copiam in eorum manibus relinquere, quam armis, ferro & bello ſuum jus perſequi. Idcirco mirum non eſt, quod huic Paci Ferdinandus I. profuſis lacrymis ſubſcripſerit (t); Pius V, vero Pontifex per ſuum Nuncium Joan. Franciſ. Commendonum contra illam ſolemniſſime in Comitiis Auguſtanis proteſtatus fuerit (u).

Quid de bonis ſæculariſatis, & ſæculariſatione in futurum in Pace Relig. fuerit diſpoſitum.

Catholici liberales in Proteſtantes in Pace Religioſa.

Sed

(s) Lib. cit. cap. 3. a pag. 103. usque 164.

(t) Ita teſtatur Hoſius Card. in epiſt. ad Paulum IV. P. M.

(u) Inſtrumentum Proteſtationis cuſtodiri in Archivio Auguſtano teſtis eſt Erneſtus ab Euſebiis.

Digitized by Google

Sed num Pax hæc malo finem impoſuit? num ceſſatum fuit ab invaſionibus, occupationibus, deprædationibus & ſæculariſationibus bonorum eccleſiaſticorum? Tantum abeſt, ut potius malum ſuperveniente bello tricennali in dies creſceret. Horribilia ſunt, horrenda ſunt, inaudita ſunt, quæ Author Auonymus citatus ſcribit, ad quem proin lectorem remittimus, interea examinaturi quæſtionem juris, quo jure nempe Proteſtantes tot bona eccleſiaſtica occupare & ſæculariſare potuerint. Plerique, quos legere licuit, ad commune Pſeudo-politicorum *refugium & aſylum*, quod eſt *Dominium altum & eminens* Principum, tanquam ad ſtatuam Jovis repræſentativam haud ſecus, quam olim Romani, confugiunt (x). Interim non deſunt plures magni nominis Doctores Proteſtantici, qui ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum fieri poſſe pernegant, niſi ſub certis conditionibus. Ingentem horum Catalogum recenſet laudatus Author Anonymus (y).

Sæculariſatio bonorum eccleſiaſticorum quo jure a Proteſtantibus facta? Utrum ex jure Dominii alti?

Ex Doctoribus Proteſtanticis iterum ſeligere placuit Mathæum Pfaffium, Virum in Deum, in cœlites, in Clerum ſane injurioſum, qui nihil non egit, tantum ut bona eccleſiaſtica omnibus ſuis qualitatibus exueret, penitus denudaret; opprobriis, ludibrio, & irriſionibus omnium exponeret, illorum ſæculariſationem tanquam licitam & validam non modo defenderet, ſed etiam argumentis graviſſimis eam Imperantibus perſuaderet.

Audiamus ipſius argumenta partim *Theologica*, partim *Politica*. Ut autem exceſſivam bonorum eccleſiaſticorum occupationem ſuis Principibus fucato quodam titulo coloraret, affert præprimis cauſam motricem eamque principalem, qua Principes ad ſuſcipiendum in ſe opus grande ſæculariſationis inducebantur, eamque non immenſam quamdam habendi cupidinem, non avaritiam, ſed juſtum Religionis zelum fuiſſe contendit: cum enim Principes ex una parte de veritate ſuæ, & falſitate Religionis Catholicæ convicti eſſent, ex altera vero parte viderent, quod bona eccleſiaſtica in immenſum multiplicata a Clero nonniſi in luxum, aliosque ſceleratos uſus impenderentur, & in dulci otio, ac noxia

Sæculariſatio bonorum eccleſiaſticorum a Pfaffio quibus argumentis defendatur.

(x) Inter hos præter innumeros, quales ſunt Stryckius. Coccejus, Vitriarius, noviſſime eſt Joan. Floerckius Diſſert. de Jur. Princ. Circa ſacra &c. Sect. 1. §. 17. dicens: *in bona eccleſiaſtica Principi naturaliter idem jus competit, quod in alia bona, quæ in territorio Reipublicæ deprehenduntur. Habet in ea dominium eminens: imo ſi nimia ſunt, aliis uſibus dicari, vel ſæculariſari poſſunt.*

(y) Defenſ. Jur. Par. Poſt. Sect. 2. cap. 1. pag. 217. & ſeq.

Digitized by Google

xiq quiete conſumerentur, nihil non egerunt, quin & vitam & ſanguinem ac terras ſuas legitime poſſeſſas extremo exponere periculo non dubitarunt, eum in finem, ut Religionem falſam eliminarent, Deo verum cultum reſtituerent, Eccleſiæ veræ ac Reipublicæ neceſſitatibus meliorem in modum conſulerent, ac bona eccleſiaſtica turpiter peſſumdata in meliores & optimos uſus converterent (z). Pulchre ſane, ſi Superis placet, hæc dicta ſunt.

Poſtea agit Theologum, & bonorum eccleſiaſticorum qualitates examinat, quales ſunt, quod *res Sacræ*, *ſpirituales*, *patrimonium Chriſti*, *Sanctorum*, *Pauperum* dicantur, easque his omnibus exuere, ſpoliare, & denudare contendit. Jam, ait, quomodo *res Sacræ* dici poſſuns *res* illæ, quæ in falſum Dei cultum, qualis eſt Catholicorum, impenduntur? potius hæc bona *ſacra* dicenda ſunt *pſeudo-ſacra*, *pſeudo-eccleſiaſtica*, qualia fuere bona a Gentilibus oblata falſis Diis, holocauſta furtiva Deo a Judæis conſecrata (a), triginta argentei a Juda in templum projecti (b), qualia bona Deus dudum aſpernatus fuerat (c). *Utrum bona eccleſiaſtica recte dicantur res ſacræ.*

Et qua ratione bona eccleſiaſtica dici poſſunt *Patrimonium Dei*? *Patrimonium* iſtud eſt imaginarium, fictitium, nullo jure divino fundatum, *An patrimonium Chriſti?*

(z) Verba authoris in lingua germanica ſunt hæc: die Acta publica weiſens, wie die Fürſten, die das Evangelium angenommen, Gut und Blut, Leib und Leben, wenigſtens ihre Fürſtliche Würden, und Herrſchaften dabey hazardiret, auch die Bißthümer, Clöſter und geiſtliche Güter deswegen reformiret haben, weil ſie ſich im Gewiſſen überzeugt geſunden, daß daſelbſt ein falſcher, GOtt mißfälliger und abergläubiſcher Gottesdienſt gehalten, auch das Kirchen-Gut von der Cleriſey zur Schwelgerey, zum Staat, zum Müſſiggang und ſchändlichen Leben gemißbraucht würde, und der allzugroſſe Reichthum der Stifter, und Clöſter ſowohl der Kirche, als dem gemeinen Weſen ſchädlich wäre, zu deren beyden beſten ſolche reformiret, und angewendet werden müßten. Wie? iſts denn recht, die Kirchen-Güter zu einem ſolchen Mißbrauch und zu einem falſchen Gottesdienſt ausgeſetzt bleiben zu laſſen? iſts denn beſſer, daß die Cleriſey ſolche verpraſſe, als daß ſie zum wahren Gottesdienſt verwendet werden? Academ. Reden fol. 475. & 76.

(a) Die leztere halten wir Proteſtanten mit Recht vor Pſeudo-ſacra, vor Pſeudo-eccleſiaſtica, zur Etablirung eines abergläubiſchen Gottesdienſts geſtifte und angeſetzte Güter: hujus rei varia adducit exempla ex S. Script. pag. 482.

(b) Matth. 27. v. 4.

(c) Iſaiæ 1. v. 11. Jerem. 6. v. 20. Amos 5. v. 22. Mich. 6. v. 7. Proverb. 21. v. 27.

tum, Deo probroſum, cum Dei aliunde ſint omnia, ipſe ſit pleniſſimus rerum omnium Dominus (d). Quam non probroſum eſt Deo tanquam bonorum omnium Domino, ſi eidem ſingularem *proprietatem* bonorum eccleſiaſticorum adſcribamus, quam ab hominibus primum accipere debet? An non ridiculum eſt dicere, quod Fundatores, Teſtatores, ac donatores ſua bona ad uſus pios deſtinata efficiant *patrimonium Dei?* quaſi vero in poteſtate hominum ſit Deo ſupremo rerum Domino liberales facere donationes bonorum ſuorum ex millenis titulis in ſupremo illius dominio exiſtentium (e). Aut ſi hæc bona eccleſiaſtica ſint vere *patrimonium Chriſti*, quo jure, quo titulo poſſunt præſcribi, alienari, in luxum aliosque malos uſus impendi? Videntur potius Chriſtiani tempore, quo iſtud *Patrimonium Chriſti* excogitarunt, æmulati fuiſſe mores Ethnicorum, qui neſcio quæ anathemata, Donaria & Legata ſuis falſis Diis feciſſe, quin eos etiam hæredes in ſuis teſtamentis inſtituiſſe leguntur, & per hoc effeciſſe, ut res hæ jam nullius, & extra commercium humanum eſſent poſitæ (f).

An Patrimonium Sanctorum?

Multo magis merum figmentum eſt, pergit Pfaffius, *Patrimonium Sanctorum*, cum iſtud patrimonium ſit fundatum in ſuperſtitioſo cultu Sanctorum, quem utpote in nullo Scripturæ textu fundatum, ſed potius cultui divino præjudicioſum dudum & ſemper reprobarunt Proteſtantes. Et quid? an non Catholici (en, qua arte Pfaffius cultum Sanctorum facere ridiculum contendat!) multos colunt ſanctos, falſos & hæreticos? aut qui nequidem unquam extiterunt in rerum natura? quis ſibi perſuadeat, quod Sancti in cœlis cum Chriſto triumphantes ſibi in cultu ſuperſtitioſo complaceant? ſi videant ſibi extrui ſtatuas aureas, argenteas, easque pretioſis exornari, haud ſecus, quam olim Ethnici & gentiles id ipſum fecere ſuis idolis. Quis niſi infirmi intellectus

Cultus Sanctorum impugnatur.

(d) Iſt nicht die ganze Welt GOttes eigentliches und allerhöchſtes Eigenthum, worüber er die Herrſchaft in ſenſu eminentiſſimo beſitzet?

(e) Wunderlich wurde es klingen, wenn man dem Heiland aller Welt, vor welchem alle Könige und Fürſten den Scepter niederlegen müſſen, eine beſondere proprietatem über dieſes oder jenes zuſchriebe. Gerad, als wenn die Menſchen dem HErrn Chriſto ein patrimonium zu ſchenken vermögend wären, fol. 484.

(f) Und iſt offenbar, daß die Chriſten in den verdorbenen Zeiten, da ſie ſolch patrimonium Chriſti erdichtet, darinn den Heiden nachgeahmet, welche dergleichen Anathemata, Donaria und Legaten ihren Göttern geſchenket, und ſie gar zu Erben in ihren Teſtamentern eingeſetzt haben, wodurch ſie alſo res nullius, und auſſer allem commercio geſetzt worden, pag. 485. & 86.

Digitized by Google

ctus homo ſibi imaginetur, ſe gratum Sanctis obſequium exhibiturum, ſi ſe erga illos exhibeat liberalem, exceſſivas ipſis faciat donationes, & ex his ærarium eccleſiaſticum conſtituat? ſunt profecto beati cœlites quam longiſſime alieni ab omni habendi cupidine, ab omni auri & argenti fame, ab omni humana laude, falſo honore & gloria ex cultu hominum emendicanda (g). Poſſident ipſi *theſaurum non deficientem, quem neque rubigo, neque tinea corrumpit* (h). An non, pergit idem, in deſpectum potius, quam in honorem regis terreſtris ceſſurum foret, ſi ipſi aut illius ſtatuæ appendantur centones, aliæque res abjectiſſimæ ſortis? qua ratione ergo fieri poterit, ut B. Virgo, quam veluti ſupremam cœli terræque Dominam venerantur Catholici, aut Sancti, quos tanquam Principes cum Chriſto regnantes colunt, ſibi complaceant, ſi talis honor ridiculus ipſis fiat, ſi ad ipſorum altaria, imagines & tumulos fiant oblationes rerum abjectiſſimarum, aut etiam pretioſarum (i)? Accedit, quod hujusmodi donationes & oblationes Sanctis factæ repugnent ſanioribus Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ principiis, ſecundum quæ docemur una cum vita hominis ceſſare omne dominium, omnem proprietatem, poſſeſſionem, ac patrimonium, adeoque mortuis nec donari nec ab ipſis donationes ſibi factas acceptari, nec res donatas in ipſorum patrimonium tranſire poſſe (k). Poſtea Pfaſſius totus quantus in eo eſt, ut doctrinam Catholicorum de miraculis impugnet, donum miraculorum in Eccleſia pridem deſiiſſe, pleraque miracula a Catholicis prolata eſſe ficta, falſa, imaginaria oſtendat (l).

Sed nec *patrimonium pauperum* recte dicuntur bona eccleſiaſtica, adeoque nec ex hoc capite ſæculariſationem ſubterfugiunt, cum pauperibus alia via ſit conſultum aut ſaltem conſuli debeat a Principibus in ſuis territoriis. Nempe erigenda ſunt hoſpitalia, xenodochia, colligenda a ſubditis opulentioribus tributa extraordinaria, extruendæ officinæ,

An Patrimonium pauperum?

(g) Hæc fuſius deducit Author, & neſcio quibus ridiculis figuris & loquendi modis exornare ſtudet, a pag. 489. usque ad pag. 499.

(h) Matth. 6.

(i) Wenn einem groſſen Kônige ein Armer ſeine Lumpen anhângen wolte, wurde er nicht dieſes vielmehr als eine Entunehrung ſeiner Perſon anſehen? Klingts nicht artig, der heiligen Mariâ, die man für eine Himmels-Kônigin hâlt, und den abgeſtorbenen Heiligen, die man als Himmels-Fürſten verehret, ein patrimonium ſchenken zu wollen, pag. 490.

(k) Pag. 491.

(l) Vid. pag. 493. usque ad pag. 499.

ficinæ, & in his homines otioſi, oſtiatim aut in viis publicis panem quærentes, aut alias Reipublicæ graves vel pro mercede conducendi, vel propter delicta adigendi ad labores publicos, ut ſuis operis ſibi victum neceſſarium compareut, & hoc modo ab otio & viis peſſimis abſtrahantur. Atque id noſtris temporibus a ſapientioribus Principibus non ſine ingenti Reipublicæ emolumento fieri conſpicimus. Si ergo bona eccleſiaſtica ſunt *patrimonium pauperum*, qua conſcientia expenduntur in luxum, in nepotiſmum, in carnem & ſanguinem, in alios abuſus? Et ubi *quarta* illa pauperibus ex antiqua *quadripartita diviſione* debita, quæ prorſus jam evanuit (m)?

An res ſacræ habeant qualitatem ſpiritualem.

Illa *qualitas ſpiritualis*, quam *rebus ſacris* ineſſe exiſtimant Catholici, pariter eſt merum commentum, cum res materiales qualitatum ſpiritualium ſint omnino incapaces, neque illam ex conſecratione aut benedictione recipiant, quippe quod hæc ipſa benedictio & conſecratio ſit ſuperſtitioſa, nulli ſcripturæ textui innixa. Neque juvat, quod in veteri lege Deus tabernaculum fœderis, & Templum ſpecialibus ritibus ſuis honoribus conſecrari, & ſanctificari voluerit: nam, ait laudatus Author, id ex ratione ſingulari factum fuiſſe credendum eſt, eo quod Deus in lege antiqua ſe viſibiliter manifeſtare, in lege autem nova idipſum ſublatum eſſe voluerit (n). Quidquid ergo ſanctitatis ineſſe creditur templis aliisque rebus ſacris, id nonniſi *ſanctitas* eſt *externa per denominationem externam* afficta (o). Quin imo juxta ſacram Scripturam bona eccleſiaſtica ad ſuſtentandos Miniſtros Evangelii, & cultum externum conſervandum deſtinata potius inter temporalia quam ſpiritualia eſſe computanda, fidem facit Apoſtolus Paulus, dum ad Romanos ſcribit: *nam*

(m) Iſt ein Chriſtlicher Fürſt verbunden, in ſeinem Lande vor den Armen genugſame ſuſtentation durch Allmoſen-Steuren, Hoſpitäler, Arbeits-Häuſer, Fabriquen und Armen-Häuſer zu ſorgen, und die vor ſie errichtete Stiftungen im Gang zu erhalten. Es ſolte dies ein Haupt-Augenmerk den Obrigkeiten ſeyn, daß, wie es GOtt im alten Teſtament geordnet, kein unverſorgter Bettler wäre, und die muthwillige Müßiggänger und Bettler mit Arbeit und Zucht beleget würden. Wie kommt es dann, daß in der Römiſchen Kirche, da nach dem alten Recht der erſte Theil der geiſtlichen Güter dem Biſchof, der zweyte den Clericis, der dritte zur Unterhaltung der Kirche, der vierte zur Unterhaltung der Armen gewidmet war, cap. 28. C. 12. q. 1. die quarta pauperum faſt ganz abgegangen? fol. 500.

(n) Fol. 500. & 501. per totum.

(o) Die Güter dieſer Welt ſind ſolcher geiſtlichen Qualität ganz unfähig. Man verſtehe dann dardurch nur eine denominationem extrinſecam. Loc. cit.

Digitized by Google

nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis (p). Et iterum ad Corinthios: *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus* (q)? Profecto ſi res hæ ſacræ ſunt *intrinſece ſpirituales*, mirum eſt, quod illæ ſaltem in caſu neceſſitatis, res vero eccleſiaſticæ ex cauſa magnæ utilitatis in commercium humanum venire, alienari & permutari queant (r).

Sunt hæc argumenta potius *theologica*, quibus Author doctrinam Catholicorum, quam de rebus ſacris, earum ſpiritualitate, de cultu & veneratione Sanctorum, oblationibus, donationibus, & legatis ad pias cauſas tradunt, quam *Politica* ex principiis Juris naturæ deprompta. Jam etiam hæc audire lubeat.

Argumenta politica pro ſæculariſatione.

Hanc exigit ſalus Reipublicæ.

Id docuerunt SS. Patres.

Innegabile eſt, ſummis Principibus competere jus altum & eminens, vi cujus in extremis Eccleſiæ aut Reipublicæ neceſſitatibus de rebus, bonis ac juribus ſubditorum etiam quæſitis diſponere poſſunt, utpote quibus *ſalus Eccleſiæ & Reipublicæ ſuprema lex eſſe debet*. Eccur ergo ab hac lege immunia deberent eſſe bona eccleſiaſtica Eccleſiarum, & Clericorum? pro quibus Principes haud aliter, quam pro bono cæterorum ſubditorum vigilare debent. Fuit hæc doctrina antiquiſſimorum Patrum Ambroſii, Auguſtini, Acacii, Cyrilli Jeroſolymitani, qui, ut captivos redimerent, pauperibus ſubvenirent, bona eccleſiaſtica alienare, ſacros calices aliaque vaſa confringere neutiquam ſibi piaculo duxerunt. Idem ſenſit Juſtinianus Imperator, qui, licet nonniſi duas cauſas nempe *cauſam captivitatis & famis* exprimat, nihilominus de aliis cauſis æque gravibus aut gravioribus, quales ſunt cauſa belli, Religionis, aut Reipublicæ, intelligi debet.

Quæ cauſa ſæculariſationis?

An eorum abundantia?

Hiſce non contentus laudatus Author ulterius progreditur, ſibique probandum aſſumit, non modo in caſu neceſſitatis, e. g. belli, famis &c. ſed toties bonorum eccleſiaſticorum ſæculariſationem eſſe in poteſtate Imperantium, quoties ea abundare videntur; quin imo officii & obligationis Principum eſſe, ut rerum affluentiam, & immenſam opum

(p) Rom. 15. v. 27.

(q) 1. Cor. 9 v. 11.

(r) Wundere ich mich, daß, da man erhärtet, die ſpiritualitas intrinſeca ſetze die Kirchen-Güter auſſer allem Commercio, und mache ſie inalienabel, man doch ſelbſt eingeſtehet, die res ſacræ können im Nothfall, die bona eccleſiaſtica aber um beſſern Nutzens willen veräuſſeret werden, fol. 502.

Digitized by Google

opum eccleſiaſticarum vim diminuant (s). Id ut evincat, perſtringit inprimis abuſus bonorum eccleſiaſticorum, quippe quæ, ut ait, nonniſi in luxum, in pompam, in vanitates, in homines otioſos, Reipublicæ non ſolum non proficuos, ſed etiam ſummopere noxios expenduntur (t). Dein recenſet damna ex ſuperabundanti divitiarum eccleſiaſticarum copia in Rempublicam promanantia, & duo potiſſimum aſſert, quorum primum eſt, quod hæc rerum bonorumque affluentia ad ſuſtentandam *Hierarchiam eccleſiaſticam* Reipublicæ tantopere pernicioſam præcipue deſerviat: alterum, quod exinde vires ærarii Principum ac Reipublicæ enerventur (u).

Reditus Pontificiorum & Clericorum exceſſivi. Ut autem bona eccleſiaſtica magis magisque odioſa reddat, recenſet tot milliones pecuniarum, quæ ex tot diſpenſationibus, privilegiis, Indulgentiis, proviſionibus, confirmationibus, conceſſionibus palliorum, Annatis in ærarium pontificium redundant, ampliſſima territoria, Principatus, Ducatus S. R. J. Principum eccleſiaſticorum, ampliſſimos proventus Epiſcoporum & Clericorum, tributa extraordinaria vulgo *dons Gratuits*, quæ a ſolis Epiſcopis & Clero Galliæ ferme quot annis exiguntur, quorum reditus ad 82. Milliones æſtimantur (x).

An male expendantur? Ad quid ergo, quærit, hæc bonorum, pecuniarum ac divitiarum ſuperabundantia? niſi ut immenſus hominum otioſorum numerus ſuſtentetur, eorumque luxui fomes ſuppeditetur, quæ ſi pro bono Reipublicæ impenderentur, haberent Principes nervum rerum gerendarum, quo numeroſum & duplo majorem alere exercitum, multorum millium paupertati, & neceſſitatibus publicis tam præſentibus, quam futuris proſpicere poſſent, quin ab exteris negotiari pecunias cum incredibili ærarii publici detrimento neceſſe foret. Et quis hæc & ſimilia argumenta non eſſe validiſſima exiſtimet ad perſuadendam Principibus ſæculi bonorum eccleſiaſticorum *ſæculariſationem?*

En!

(s) Man ſolle auch die geiſtliche Güter wohl angreifen, und veräuſſern, wenn das geiſtliche Gut zu hoch anwachſet. Denn zu was aboutiret endlich der gar zu groſſe Reichthum der Kirche, und des Cleri?

(t) Es wird gemißbraucht zum Staat, zur Schwelgerey, zur Sättigung des clericaliſchen Geitzes, und Müßiggangs. Solle man denn von ſolchen Exceſſen nicht die Quelle verſtopfen, und das überflüßige Blut abzapfen?

(u) Ich ſetze hinzu, daß ſolcher groſſe Reichthum auch dem Staat ſchädlich ſeye. Denn er ſtärket die dem Staat ſo ſchädliche Hierarchiam eccleſiaſticam, und benimmet den Imperantibus wenigſtens den linken Arm. Er entkräſtet auch den Staat ꝛc. pag. 505. & 506.

(x) Loc. cit. pag. 506. & 7.

Digitized by Google

En duplicis generis argumenta! *Theologica*, & *Politica*, quibus Pſaffius ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum tuetur. Prioris generis argumenta ſunt deprompta ex ruinoſis Religionis Proteſtanticæ principiis nondum demonſtratis, & a Catholicis pridem exploſis, & nituntur fundamentis ex ratione & prudentia naturali ſine ulteriori reflexione ad ſublimiora ſupernaturalis prudentiæ principia petitis, quibus author ſuo acerbitatis & leporis pleno dicendi modo ingens addere pondus novit, in id totus quantus intentus, ut Religionem Catholicam ſuæ Religionis conſortibus ridiculam & odioſam efficiat, & Catholicorum doctrinas tanquam inanes fabulas, figmenta & commenta explodat, & elidat. Neque id aliquis magnæ eſſe artis exiſtimet: nam ſi ego toto vellem confidere in ratione naturali & argumentis prudentiæ naturali innixis, nihil ſane mihi facilius eſſet, quam omnia Religionis chriſtianæ dogmata etiam fundamentalia ridicula facere, atque id efficere, ut Chriſtus crucifixus, quem Paulus prædicavit *Judæis ſcandalum, gentibus vero ſtultitiam* (y), ipſis Chriſtianis ſimul foret ſcandalo & ſtultitiæ. Quodſi tamen ſimilia argumenta ad ſublimiorem vocentur trutinam, ea eſſe inania, ridicula, & nullius ponderis, facile compe-rietur.

Argumenta Pſaffii innituntur falſis Religionis principiis, & rationi naturali.

Secundi generis argumenta, id eſt *Politica*, ſunt communia, ferme omnibus Politicis propria, illis nempe, qui bona eccleſiaſtica invidioſo ſuſpiciunt oculo, ſuis Principibus adulari conſueverunt, rerum ſuarum augendarum ſunt cupidi, Religionem habent in ultimis curis, unice Reipublicæ bono velificantur, quibus pridem fuit ſatisfactum.

Priusquam ergo argumenta argumentis opponamus, Pſaffii principiis & argumentis ſatisfaciamus. Atque illud inprimis ſat mirari nequeo, quod Author hic tanquam cauſam principaliter moventem Principes Proteſtanticos ad ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum ponat ipſam Religionem Proteſtanticam, illiusque veritatem, cujus amore allecti Principes vitam, & ſanguinem ponere, & omnia ſua bona, terras ac poſſeſſiones extremo periculo exponere non dubitarunt. Anne ergo Religio, quam quis veram eſſe exiſtimat, Principi dat jus invadendi terras alienas, occupandi bona aliorum, ſibique appropriandi terras, poſſeſſiones ac bona ſuorum ſubditorum a ſua Religione deficientium, eaque in ſuos uſus pro ſuo arbitrio convertendi, confiſcandi, rapiendi? Inde quid ſequitur? niſi bellum Principum omnium in omnes, qui in Religionis principiis non conveniunt, ſe invicem in diffundenda ſua

Cauſa ſæculariſandi non fuit zelus Religionis.

(y) 1. Cor. 1. v. 25.

Digitized by Google

Sæculariſatio propter Religionem eſt contra principia Proteſtantica.

ſua Religione impediunt. Quomodo hoc concordat cum principiis Proteſtanticorum? qui pro libertate conſcientiæ tanquam pro aris & focis juxta monitum ſui Magiſtri ſemper dimicarunt, omnem vim & violentiam in negotio Religionis abeſſe debere usque nunc tradiderunt, Catholicis in hodiernam usque diem nihil magis quam ſua principia de compellendis ad fidem hæreticis exprobrarunt, *Cruciatas* ita dictas pro recuperanda terra ſancta ſuſceptas veluti injuſtas reprobrarunt, atque bella Religionis dilatandæ cauſa geſta vel gerenda pro injuſtis habuerunt. Num Chriſtus, num Apoſtoli ſimilia docuerunt? ad quorum exempla & doctrinas continuo provocare ſolent, dum Catholicorum ſyſtema *de Statu Eccleſiæ* expugnare, & ab Eccleſia omne imperium eliminare contendunt. Et utique nondum demonſtratum eſt, Religionem Proteſtanticam eſſe veram; contra vero Catholicam falſam. Eſt hoc argumentum primo occupantis.

Religioſi peſſime traducuntur a Proteſtantibus.

Sed nec ille luxus immenſus Clero imputatus Principi præbet jus ſingulare, aut *dominio alto* aperit januam occupandi, invadendi, ſæculariſandi bona eccleſiaſtica, quemadmodum infra demonſtrabimus. Cæterum injuria fit ſumma Clericis, quando malevolis Proteſtanticorum dicteriis tanquam homines inertes, deſidioſi & pigri ad nihilum valentes, publico oneroſi traducuntur, quorum plerique in laboribus ſanctis, in cura animarum, in prædicatione verbi divini, in erudienda juventute, catechizandis parvulis, tradendis artibus & ſcientiis, conſcribendis libris, decantandis diu noctuque laudibus divinis occupantur. Cuinam debet hodierna ætas & reſpublica literaria conſervationem ſcientiarum, antiquorum documentorum, monumentorum, Hiſtoriarum, Diplomatum, niſi antiquis Monachis? qui intra ſepta Monaſteriorum non modo docuerunt bonas literas, artes ac ſcientias, quales ea ferebat ætas, ſed etiam rerum geſtarum hiſtorias ab oblivione vindicarunt, ut parum aut ferme nihil documentorum habitura foret noſtra ætas, niſi ea conſervaſſet induſtria Monachorum. Haud me latent principia hujus ſæculi hominum, qui inter inutilia terræ pondera numerant cæteros homines omnes, qui non inſerviunt Reipublicæ, ac ſi Deus omnes homines in eum duntaxat finem creaverit, ut pro bono publico laborarent, atque omnes & corporis & ingenii ſui vires eidem conſecrarent; nullos vero, qui cultui & ſervitio divino peculiari ratione ſe manciparent, atque in laudibus divinis diu noctuque occuparentur, ſuis precibus molem univerſi apud Deum ſuſtentarent certo certius ruituram in merum chaos, niſi humeros ſupponerent piorum ſuffragia, & Dei miſericordiam exorarent. Quidquid hodie non expenditur in numeroſos

Digitized by Google

meroſos militum exercitus, in luxum ſæculi, & non directe vel indirecte fluit in ærarium Principum, aut marſupium Magnatum, id juxta hodierna principia inaniter expendi exiſtimatur.

Quid nomina hæc: res ſacræ, ſpirituales, patrimonium Chriſti & pauperum ſignificent.

Ipſa etiam nomina, quibus res eccleſiaſticas compellare conſuevimus, dum eas *res ſacras*, *ſpirituales*, *Patrimonium Chriſti*, *Sanctorum & Pauperum vocamus*, graviter offendunt Pfaffium, quamquam his vocabulis quoad rem nihil aliud indigitare intendamus, quam quod ſint res ſingulariter ad Dei cultum ſive directe ſive indirecte deſtinatæ, & propterea ſingularem honorem ac favorem in jure mereantur, ſicque non facile ad uſus profanos expendendæ, quinimo a commercio humano ſint eximendæ, niſi aliud honor Dei, ſalus animarum, bonum Eccleſiæ aut evidens Reipublicæ exigat neceſſitas. Idcirco eas vocare *Pſeudo-ſacras*, variis ineptiſſimis cenſuris perſtringere, & inaniſſimis ac prorſus ridiculis ratiunculis philoſophicis impugnare non dubitat. Sed quid inprimis multum litigamus de *nomine?* dummodo in re conveniamus, & Pfaffius in rebus eccleſiaſticis agnoſcat *qualitatem* aliquam, ſi ita loqui liceat, *moralem*, non *phyſicam*, ob quam ex reſpectu, quem Deo debemus, cujus cultui ſunt dedicatæ & conſecratæ, ab uſibus profanis, & commercio humano eximi, & ſingulari in pretio haberi merentur, ad eum ferme modum, quo ſtatuam honoribus Principis & Regis dedicatam, aut imaginem illius repræſentativam revereri ſolemus, quam ſi quis contumelioſe habuerit, criminis læſæ Majeſtatis ſe reum facit. Vocamus etiam res quasdam eccleſiaſticas (z) *ſpirituales*, illas nempe, quæ per *unctionem* & *conſecrationem* ad cultum divinum deputantur, non quod per hanc deputationem ſpiritualem quamdam *qualitatem phyſicam*, aut, ſi vocabulum *qualitatis phyſicæ* diſpliceat, id quod nec nobis placet, *ſpiritualitatem quamdam* vel *naturalem*, qualem habent animæ immortales, vel *ſupernaturalem*, qualem apud Catholicos recipiunt animæ Juſtorum per inhabitantem Spiritum S., ſed quaſi *moralem* recipiant, quæ id efficit, ne res ſimiles benedictæ & conſecratæ ad uſus profanos applicari poſſint. Adoptavit Eccleſia nomen *Patrimonii*, & bona eccleſiaſtica appellavit *Patrimonium Chriſti*, *Sanctorum*,

Quid ſint res ſpirituales.

Cur bona eccleſiaſtica vocentur patrimonium

(z) Omnes Canoniſtæ diſtinguunt duplicis generis res eccleſiaſticas, quarum aliquæ dicuntur ſacræ & ſpirituales, quæ videlicet per unctionem & conſecrationem ad Dei cultum ſingulariter ſunt dedicatæ, ſicuti vaſa ſacra, templa, calices; aliæ ſimpliciter eccleſiaſticæ ob finem eccleſiaſticum e g. decimæ, oblationes, aliique proventus Clericorum.

Digitized by Google

Chriſti, Sanctorum, & Pauperum.

Quæ mens Eccleſiæ de hoc patrimonio.

Utrum Deo & Sanctis donari, legari, & oblationes fieri poſſint.

rum, & *pauperum*, quia nomen iſtud videbatur ad explicandum conceptum, quem habet de hiſce bonis, perquam accommodum, neque aliud nomen aut magis accommodum, aut magis aptum occurrebat, quemadmodum id ſæpius accidere ſolet, dum ob defectum vocabulorum nomina a pura latinitate remota, metaphorica, & impropria aliquoties aſſumere, aut fingere cogimur (a). Nunquam Eccleſia credidit (ut jam ratiunculis prorſus ridiculis Pfaffii obviemus) nunquam, inquam, Eccleſia credidit, quod *res Sacræ* & *Eccleſiaſticæ* ſint in *patrimonio* Chriſti, Sanctorum & Pauperum, quo modo res noſtræ ſunt in noſtro patrimonio. Nunquam credidit, quod Deo fiant donationes, honoraria & legata, quo modo fiunt hominibus & inter homines. Nunquam credidit, quod ſupremo Dei Dominio illiusque patrimonio immenſo per noſtras donationes & legata aliquid accedat. Sunt hæc figmenta Pfaffii nimis abjecte & humiliter ſentientis, abſurde nimis cogitantis. Usque nunc nos Catholici adoramus Deum tanquam ſupremum rerum Dominum, omnia eſſe in poteſtate & dominio Dei, per noſtras oblationes nihil illius patrimonio accedere, multo minus illum hiſce indigere credimus. Quid ergo credit Eccleſia, fortaſſis quæres?

Quærere liceat etiam mihi, utrum Deus indigeat noſtro cultu, an illius divinitati per cultum hominum quidquam accedat. Eſt ſane Deus abyſſus omnium bonorum, plenitudo omnium perfectionum, quin illius divinitati per cultum hominum vel minimum quid accedat. Et tamen Deus a nobis vult coli, amari, adorari, & in cultu ſibi exhibito complacet. Num Dei ſupremo dominio aliquid acceſſiſſe exiſtimamus ex oblationibus, holocauſtis, victimis, & ſacrificiis antiquorum? & tamen Deum in iis ſibi complacuiſſe, quin ſuum divinum beneplacitum ſignis demonſtraſſe legimus (b). Quid ergo ſunt noſtræ oblationes, legata pia, donationes, niſi ſigna externa ſummæ æſtimabilitatis, quam habemus de Deo, ſigna noſtri cultus interni exuberantiſſimi, quem etiam externe conteſtari volumus, ſigna gratitudinis, qua nos obligatos credimus, aut ſaltem opus gratum nos Deo exhibituros ſperamus, ſi bona, quæ a liberaliſſima manu Dei accepimus, ad eundem tanquam fontem originarium referamus, reſtituamus, ad ipſius cultum & honorem impendi curemus. Quodſi ergo Deus ſibi complaceat noſtro cultu tam in-quam externo, cur non ſibi complaceat in ſimilibus operibus, donatio-

(a) Sic e. g. nomen *Sæculariſatio* eſt nomen a pura latinitate remotum, & tamen ob defectum alterius adoptatum.

(b) Vid. Paralip. 2. cap. 7.

donationibus & oblationibus unice ex cultu interno exuberantiſſimo proficiſcentibus, & ultimato ad Dei cultum, honorem & gloriam collimantibus? Anne Deus indiget cantilenis, pſalmodia, & precibus Proteſtantium? Ad quid ergo canunt, orant, pſallunt? En igitur, quam abſurdum agat Philoſophum Pfaffius, quam abſurda, exotica & ridicula ſint illius argumenta, quibus Religionem Catholicam ſuis ridiculam, exoſam, & abominabilem reddere laborat: ſi, inquam, hæc argumenta ſublimius, & ad ſublimiorem trutinam expendantur, & doctrinæ Catholicorum rite explicentur. Quid ergo mirum, ſi hujuſcemodi ratiunculis plebeji decipiantur, & implacabile odium contra Religionem Catholicam concipiant? Verba captat Pfaffius: ſenſum verborum non intelligit, non penetrat, aut intelligere non vult, aut ſi intelligit, ſtudioſe diſſimulat, & verbis alium ſenſum affingit.

Ab Ethnicis & Gentilibus ac Judæis Catholicos hunc morem faciendi oblationes mutuaſſe ſcribit Pfaffius. Sed quid tum? Ecce! lumen naturale dictavit Gentilibus, Deo deberi cultum ſummum, ad Deum ultimato eſſe referenda omnia bona, quæ accepimus: id ut teſtatum facerent, ſuis Diis immolare victimas, offerre ſacrificia, thus adolere, genua flectere non dubitarunt. Quid igitur ſceleris Catholicis imputari poteſt, ſi in hoc æmulentur Gentiles? In eo peccarunt Gentiles, quod falſos Deos adoraverint, non in eo, quod oblationes & ſacrificia Deum decentia immolaverint.

Bona eccleſiaſtica tantum patrimonium Chriſti an præſcribi poſſint.

Eſto autem, bona eccleſiaſtica ſint & dicantur *patrimonium Chriſti*, & contra Deum nulla detur poſſeſſio, nulla præſcriptio, adhuc tamen hæc bona ſubjacent alienationibus, & præſcriptionibus: cum Deus hominum oblationes aliter non acceptet, niſi in quantum fiunt ſine præjudicio tertii (c). Unde *res* etiam *ſacras* ob bonum Religionis, Eccleſiæ, aut animarum poſſe alienari, docent ipſi Catholici.

Patrimonium Sanctorum.

Æque abſurda ſunt argumenta Pfaffii, quibus *patrimonium Sanctorum* impugnat, quæ omnia ultimato collimant ad expugnandum cultum Sanctorum, quem eſſe *pium, honeſtum, & licitum* in ſcriptura & traditione fundatum pridem Theologi noſtri commonſtrarunt, ad quos proin appellamus, & lectorem remittimus. Demus, nonnunquam cultum Catholicorum in objecto proximo falli, dum e. g. reliquias falſas venerantur, propterea tamen cultus neutiquam eſt ſuperſtitioſus, cum omnis cultus ex principiis Catholicorum etiam Sanctis impenſus ultimato collimet in Deum, & hoc modo in Deo tanquam principaliſſimo

Cultus Sanctorum a convitiis vindicatur.

Ooo 2 cultus

(c) Sic etiam Deus non acceptat vota, quæ vergunt in præjudicium tertii.

Utrum Sanctis recte fiant donationes & oblationes?

cultus objecto terminetur. Habent procul dubio Sancti *theſaurum non deficientem in cœlis*, nulla noſtra re indigent, argentum & aurum non ſitiunt, num propterea noſtrum optimum affectum, quo bona noſtra ad illorum cultum promovendum deſtinamus, atque hoc modo illis & ſupremo Deo gratum exhibere obſequium pie ſperamus, & cupimus, non iis placere quis exiſtimet? Æque parum Sanctis propriam fieri donationem ac ipſi Deo ſponte largimur. Exſtruuntur in honorem B. V. & Sanctorum ſtatuæ argenteæ & aureæ, & quare? niſi ut noſtram æſtimationem, quam habemus de illorum gloria in cœlis, noſtram fiduciam, quam in illorum interceſſione collocamus, noſtram gratitudinem pro beneficiis, quæ illis intercedentibus impetravimus, conteſtemur, ac in nobis igniculos majoris devotionis accendamus. Appenduntur nonnunquam anathemata, offeruntur ad altaria res vilioris pretii, ſed non in alium finem, niſi ut ſint ſigna beneficiorum acceptorum, quæ pii fideles ad interceſſionem Sanctorum ſe accepiſſe pie credunt. Quæſo! quid in his aut Deo indignum, aut honoribus Sanctorum præjudicioſum, aut ſuperſtitioſum reperire eſt? Num Deus aſpernatus eſt victimas & holocauſta Judæorum? Cæterum in cultu Sanctorum fieri exceſſus & abuſus a plebe ſimplici haud inficiamur, quos Eccleſia nunquam approbavit, imo pro iis emendandis, corrigendis & abolendis ſemper laboravit. Itaque tollatur abuſus, & conſervetur bonus uſus. Jam iterum Philoſophum agit Pfaffius, dum aſſertum plurimorum Juriſconſultorum, dominium hominis una cum vita exſpirare exiſtimantium, in vim argumenti aſſumit, cujus etiam nos opinionis ſumus, & ex hoc capite factionem teſtamenti eſſe juris naturalis negamus. Porro autem inanem eſſe hanc arguendi rationem & prorſus futilem ex dictis conſtat, cum quidquid de *patrimonio Chriſti*, de oblationibus, legatis, & donationibus Deo factis diximus, de *patrimonio Sanctorum* intelligi debeat, quibus tam parum donari poteſt, ac ipſi Deo qua ſupremo rerum Domino.

An patrimonium pauperum ſint bona eccleſiaſtica.

Eccleſiæ ſemper fuit cura pauperum.

Clerici in pauperes ſua

Patrimonium pauperum in ſenſu ſano eo majori jure dici poſſunt bona eccleſiaſtica, quo major ſemper fuit cura ac ſolicitudo Eccleſiæ, ut reditus eccleſiaſtici in pauperes diſtribuerentur. Quid ævo Chriſti & Apoſtolico factum fuerit, Scripturæ tradunt & Hiſtoriæ. Vix Epiſcopi habendi cupidine abrepti proventus eccleſiaſticos in ſuos uſus convertere incœperunt, mox Eccleſia *quadripartitam* invexit diviſionem, cujus meminit Pfaffius, ut avaritiam Clericorum coerceret, & patrimonio pauperum conſuleret. Et quis in numerum coget Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, doctrinas, monita, & adhortationes æque saluberrimas

berrimas ac ſeveriſſimas Patrum, quibus Clerici ſuos reditus ſuperfluos, in quibus illa *quarta* pauperibus debita abſcondita eſſe probabilius creditur, in pauperes erogare monentur, jubentur? Quid memorem noviores Theologos, qui, ſi illos, quos *Probabiliſtas* vocamus, excipiam, ferme omnes, Clericos ſub reatu conſcientiæ graviſſimo ex titulo Juſtitiæ ad eroganda ſuperflua in pauperes obligant. Quodſi qui ſint Clerici, qui contra faciunt, & ſuos reditus in alios uſus convertunt, in luxum impendunt, dilapidant, præter & contra Eccleſiæ intentionem facere cenſentur, ſibique maledictionem, & damnationem acquirunt (d). *bona erogentur.*

In eo verum dicit Pfaffius, dum ſcribit, Principis eſſe modis quibuscunque indigentiis pauperum proſpicere. Neque hodie deſunt Principes tam eccleſiaſtici quam ſæculares, qui ſaluberrimis ordinationibus Rempublicam a fæce hominum otioſorum, ac mendicabulorum purgare, & ſingulorum neceſſitatibus per Xenodochia & collectionem eleemoſynarum ſubvenire laborant. Sed inprimis quotusquisque Principum eſt, qui hæc curæ, ac cordi habet? Aut ſi qui ſint, qui pro ſuis viribus huic malo medentur, an non adhuc numerus quaſi innumerus pauperum ſupereſt, qui de penu communi non participant, aut ita parce communicant, ut ſe ſuamque familiam decenter ſuſtentare minime valeant? Quot millia pauperum quotidie ſuſtentantur in Monaſteriis, & de eadem quaſi menſa participant? quot millia quotidie eleemoſynas emendicant ad januas & portas eorum? Anne credimus, quodſi reditus Clericorum fluerent in æraria Principum, aut marſupia Magnatum, illos in erectionem hoſpitalium, fundationem noſocomiorum, in eleemoſynam pauperum fore expendendos? *Cura pauperum pertinet ad Imperantes.* *Pauperum curam habent Monaſteria.*

In quo ſenſu res quædam *ſacræ* dicantur *ſpirituales*, ex ſupra dictis conſtat. Videlicet dicuntur *ſpirituales*, non quod in ſe ac *intrinſece* ſint *ſpirituales*, quemadmodum dona *ſpiritualia*, aut ex unctione & conſecratione qualitatem quamdam *phyſico-ſpiritualem* per modum *formæ intrinſecæ*, quemadmodum olim Scholaſticis loqui placuit, ſed potius formam quamdam *moralem* ſuum eſſe a communi prudentum æſtimatione habentis in ſe recipiant, quatenus hujusmodi res per cœremoniam ſacram e. g. per unctionem ad cultum divinum deſtinatæ, quam Eccleſiæ ad ſignificandos evidentius effectus deputationi huic annexos aſſumere placuit, ſingulari reverentia dignæ ſunt, & æſtimantur, ut a *Res quædam ſacræ in quo ſenſu dicantur ſpirituales.*

Ooo 3 commercio

(d) Vid. Theologi Dogmatici & Canoniſtæ, ubi agunt de bonis Clericorum ſuperfluis, Juveninus præcipue, Tournelius, Genettus, Fagnanus, aliique.

Digitized by Google

commercio humano eximantur, & poſthac ad uſus profanos amplius non applicentur. Itaque hiſce rebus quamdam *ſpiritualem* formam ineſſe concipimus ad eum ferme modum, quo modo Regibus & Imperatoribus characterem regium ex unctione relictum inhærere exiſtimamus non per modum *qualitatis phyſicæ*, ſed eatenus, quatenus taliter unctus jam Rex, regio charactere inſignitus, regiisque honoribus dignus eſſe cenſetur, ita, ut qui Regiam perſonam violare, Majeſtatem illius lædere auſus fuerit, crimen læſæ Majeſtatis committat, & gravioris pœnæ ſe reum faciat. Illud diſcrimen, quod Pfaffius inter legem antiquam & novam adſtruit, quaſivero Deus in lege antiqua ſe viſibiliter manifeſtare, & ita ſacrificiis externis delectari & Tabernaculum inungi voluerit, eſt prorſus gratis excogitatum, ac inane. Complacuit ſibi Deus in ſacrificiis, voluitque, ut tabernaculum, & templum per unctionem conſecretur, quatenus per eam ſanctitas loci indicetur. Hæc ratio utique militat etiam pro lege nova.

Cæterum etiam nos Catholici cum Apoſtolo Paulo bona illa, quæ Miniſtris Eccleſiæ pro ſua ſuſtentatione ſubminiſtrantur, fatemur non eſſe *ſpiritualia*, ſed potius *temporalia*, ita tamen ut *temporalia* ſimpliciter dici non debeant, eoquod ad uſum eccleſiaſticum nempe ad ſuſtentandos Eccleſiæ Miniſtros, ad fabricam Eccleſiæ reparandam, ad alia ſubſidia pro cultu Dei decenter peragendo neceſſaria comparanda ſint deſtinata. Atque hæc bona eccleſiaſtica venire in commercium humanum, poſſe permutari, alienari ſub certis tamen conditionibus a jure præſcriptis, nemo Catholicorum unquam negavit.

Pfaffius aſtutum agit Philoſophum. *Peſſimum Interpretem.*

Ex his jam colligitur, quam egregium agat Philoſophum Pfaffius; quam injurioſus ſit in Religionem Catholicam; quam turpiter ſuæ Religionis aſſeclis imponat, quibus doctrinas Catholicorum ridiculis & conquiſitis ratiunculis ridicule, aut omnino doctrinas falſas proponere non veretur; quam longe alia ſint Catholicorum dogmata, ac ipſis a Proteſtantibus affinguntur. Atque hac ratione argumentis theologicis Pfaffii ſatisfactum eſſe opinamur.

Argumenta politica pro ſæculariſatione examinantur & diluuntur.

Argumentis ex intima *Ratione Status* Politici, & connexo cum ea decantato illo *Dominio alto* depromptis ex noſtris demonſtrationibus ſatisfiet, quæ ex armamentario Catholicis & Proteſtantibus communi depromemus, neutiquam allaturi argumenta, quæ, licet apud Catholicos ſummi, apud Proteſtantes vero exigui aut nullius ſunt momenti. Itaque non provocabimus ad Canones Conciliorum, ad decreta Pontificum, ad doctrinas SS. Patrum & Scriptorum eccleſiaſticorum, ad conſtitutiones pientiſſimorum Imperatorum, ad pientiſſimos Fundatores, ad

Digitized by Google

ad communem fidelium ſenſum, qui omnes bona eccleſiaſtica tanquam *patrimonium Chriſti* & *Pauperum* tractanda habendaque exiſtimarunt, ea veluti res a commercio humano exemptas ſuſpexerunt, variis privilegiis communierunt, contra violatores, eorum invaſores & raptores graviſſimas pœnas ſanxerunt, eorum invaſionem, & læſionem inſtar graviſſimi ſacrilegii habuerunt, ac ſub interminatione divini judicii prohibuerunt. Hæc enim omnia a Doctoribus Proteſtanticis tanquam aniles hiſtorias, & fabulas, tanquam bruta fulmina, commenta & figmenta in ſuperſtitioſa pietate ac ſimplicitate fundata paſſim explodi, rideri, ac vilipendi optime perſpectum habemus. Sed quo jure, quo fundamento? Id ipſis expendendum relinquimus. *Bona eccleſiaſtica ſemper fuere habita tanquam patrimonium Chriſti.*

Itaque ad ſcripturam provocamus, in qua tria notamus, quorum primum eſt, quod Deus ſemper ſancta, id eſt ea, quæ ad cultum divinum ſive directe ſive indirecte ſunt ordinata, ab omni violatione immunia haberi, ſancte tractari, Deo, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, reddi voluerit. Alterum eſt, quod Deus ſeveriſſimis pœnis animadverterit contra violatores rerum ſacrarum & ſanctorum. Tertium, quod Deus nonniſi in urgentiſſimo caſu neceſſitatis remedio ſæculariſationis uti conceſſerit. *Sæculariſatio eſt contra ſacram Scripturam.*

Primo aſſerti membro non eſt quod multum immoremur, quod abunde dilucidabitur, ſi ad ea, quæ de pœnis a Deo in violatores rerum ſacrarum directis dicimus, reflectamus. Nunquid Deus expreſſe dicit, quod decimæ omnes *Domini ſint, & illi ſanctificentur* (e); neque *aliter redimi poſſint, niſi quis addat quintam partem* (f)? Et iterum: *animam, quæ comedit de carnibus hoſtiæ pacificorum, aut de adipe, qui offerri debet in incenſum Domini, jubet interire, & perire de populo* (g). Quam abominabilis ſit coram oculis Dei omnis profanatio eorum, quæ ſemel Deo ſunt dicata & conſecrata, horribiles ſane pœnæ, quas Deus in violatores hujuscemodi rerum ſtatuit, palam faciunt. Juſſerat Dominus in expugnatione Jericho, *ut quidquid auri & argenti ſuerit & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur.* Huic mandato dum contraveniret Achan, & furatus eſſet *pallium coccineum, & ducentos ſiclos argenti regulamque auream* 50. *ſiclorum*, nonne mandato Domini lapidatus eſt (h)? Nunquid ambo filii Heli, Ophni & Phinees mortui ſunt uno die, eo quod de primitiis omnis ſacrificii comederint (i)? Quid contigerit Achab, Jezabel, Athaliæ, eo quod bona eccleſiaſtica ad cultum Baal *Bonorum eccleſiaſticorum profanatio a Deo graviſſime punitur.*

(e) Levit. 27. v. 30. (f) Ibid. v. 31. (g) Levit. 7. v. 20.
(h) Joſ. 7. (i) 1. Reg. 2. v. 29.

Baal impenderint, ſcriptura loquitur (k). Quid memorem Hiſtoriam ſacram Nabuchodonoſoris, & filii Balthaſaris? quorum primus ſucceſſo templo theſauros ſecum Babylonem abſtulit, alter vaſa ſacra in convivio publico profanavit. An non ignota manus Balthaſari mortem minabatur, quæ eadem nocte fuerat ſubſecuta (l)? Quam immaniter vindicavit Deus ſacrilegam rapinam vaſorum aureorum templi in Antiocho Epiphane (m)? Nonne Ananias & Sapphira propter fraudatum agri pretium morte repentina puniti ſunt (n)?

Quam ſæpe, quam immaniter Deus vindicaverit profanationes templorum, bonorumque ſuo cultui, quin etiam falſorum Deorum cultui dedicatorum, loquuntur Hiſtoriæ (o). Nunquid Deus ipſa etiam altaria & ſtatuas idolorum, omniaque pretioſa de auro, argento, & margaritis ipſis oblata aut comminui, & penitus deſtrui, aut aliquoties ad theſaurum ſui templi impendi voluit? tantum ne ad uſus profanos impenderentur. Ita juſſit Deus, *vitulum aureum comburi & ad pulverem uſque conteri* (p); & iterum idola, ſtatuas, & altaria in Hain ſuccendi, deſtrui, ſterni (q); econtra quidquid auri & argenti in Jericho fuerat, jubetur Domino conſecrari & reponi in theſaurum (r). Idem factum eſſe a Judicibus & Regibus Iſrael, ſcripturæ teſtantur (s). Idem fecit Judas Machabæus, cujus factum ſcriptura recenſet (t).

Proteſtantes multi reprobant ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum.

Nunquid hæc & his ſimilia exempla ſunt mirabilia, ſunt horribilia, ſunt horrenda? Ipſe Pfaffius hæc exempla recenſet, & quod mirum, ad ea nec verbulo reſpondet (u). Idcirco mirum non eſt, quod plures ex Theologis & Juriſconſultis Proteſtanticis contra ſæculariſationem ſtylo admodum acri ſcripſerint, eamque reprobaverint, quales ſunt Voetius, Oſiander, Rhetius, Carpzovius, Mauritius, & plures alii, quorum ingentem Catalogum recenſet Author *Defenſionis Jurium* (x). Oro atque obteſtor, ut lector conſulat Boehmerum (y), & Binghamium (z) ubi inveniet, quomodo Deus ipſe, Judæi, & Gentiles vindicaverint

(k) Vid. 3. & 4. Reg. in variis locis.
(l) Vid. Daniel. 5. (m) 1. Machab. 6. (n) Act. 5.
(o) Qualia facta teſte Pfaffio referunt probati Scriptores. Vid. pag. 478.
(p) Exod. 32. v. 20. (q) Joſue 7. (r) Joſue 6. v. 19.
(s) Vid. Jud. 6. v. 25. 2. Reg. 10. v. 26. (t) 1. Machab. 1. & 4.
(u) Vid. Academ. Reden pag. 477. & ſeq.
(x) Part. Poſter. Sect. 1. §. 2. pag. 16.
(y) J. Eccl. lib. 5. tit. 17. §. 7. & ſeq.
(z) Orig. Eccleſ. vol. 3. pag. 339. & ſeq.

Digitized by Google

caverint ſacrilegia in res ſacras commiſſa, profanationem & ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum, atque rem hanc innumeris Scripturæ, aliarumque hiſtoriarum exemplis & documentis mire illuſtratam leget. Ipſe etiam Pfaffius ut legatur, ſi cui id licet, author ego ſim, in quo multa & mirabilia leget, quæ ſæculariſationi bonorum eccleſiaſticorum vehementiſſime obſtant; quin Author vel verbulo ad ea reſpondeat, in eo totus quantus occupatus, ut bona eccleſiaſtica ſuis qualitatibus exuat, & ſpoliet.

Sæculariſatio bonorum eccleſiaſticorum quandonam licita?

Cæterum ſæculariſatio bonorum eccleſiaſticorum non eſt de genere eorum, quæ in nullis circumſtantiis coloneſtari, a Deo permitti, & ab hominibus licite fieri poſſunt, ſi nempe evidens Religionis, Eccleſiæ, aut Reipublicæ neceſſitas exigat. Profecto licuit Davidi in neceſſitate comedere *panes propoſitionis, quos non licebat ei comedere, neque his, qui cum eo erant, ſed ſolis ſacerdotibus* (a). Sic Haſaeli portarum Hieroſolymæ clauſtris incubanti magnam vim auri ex templi Gazophylacio ſublati miſiſſe Joas legitur (b). Ezechias quoque Aſſyriorum Regi Sennacherib propitiando confringens ipſas templi valvas, nec temperans ſibi a laminis propriæ devotionis ardore ſuffixis, & omne argentum, quod repertum erat in domo Domini, ut conflaret ſummam trecentorum argenti, & triginta talentorum auri, cum propriis theſauris obtulit (c). Jam ſupra monitum, quod antiquitus ſanctiſſimi Epiſcopi ſacros calices, aliaque vaſa aurea & argentea confregerint, ut indigentiis captivorum & pauperum ſubvenirent. Ita nempe Deus de ſuo etiam aliquid remittit, ſi ſalus publica id exigat.

An Proteſtantes recte ſæculariſaverint bona eccleſiaſtica.

Ut jam ad argumenta politica veniamus, ad id devolvitur quæſtio, an revera tempore Lutheri, ante, & poſt Pacem Religioſam caſus ille neceſſitatis publicæ extiterit, in quo illud decantatiſſimum *dominium altum & eminens* ſubintrare, & Status Imperii ad occupanda, ſæculárizandaque bona eccleſiaſtica habiles effici potuerunt, & an hi hoc ſuo jure alto recte fuerint uſi.

Origo dominii alti incerta & nova.

Atque hic inprimis nolumus multum litigare de origine, nomine, & ipſa re hujus *dominii eminentis* ita dicti. Originem ſi inquiramus, ad ſæculum elapſum revertendum eſt, cujus eſſe partum defendunt Scriptores

(a) Ad hoc exemplum Chriſtus ipſe provocat Matth. 12. v. 4.
(b) 2. Reg. cap. 12. v. 17. & 18.
(c) 4. Reg. cap. 18. v. 14.

ptores graves: *nam*, ut inquit *Author Diſquiſitionis* (d), *ignorarunt illud aut reſpuerunt Doctores & Politici antiquiores, & hodiedum nonniſi adulantium ea vox eſt, ſi credimus celebri Gallo D. Joanni de la Bruyere. Si ſuperadditur*, inquit, *Imperantem eſſe Dominum illimitatum omnium bonorum ſuorum ſubditorum, vox ea adulationis, vel opinio favoritæ cujusdam, quam tamen in lecto mortuali revocabit.* Sed neque ipſum *nomen dominii alti* antiquiorem ætatem numerat. Et ſi inquiramus, quid *rei* nomine *dominii alti ac ſupereminentis* veniat, reſponderi nobis audimus, nihil aliud eſſe, quam *jus diſponendi de rebus civium pro neceſſitatis publicæ caſu.* At vero jus iſtud quid eſt aliud quam pars imperii? cum utique ad jura imperii pertineat facultas pro exigentia neceſſitatis publicæ de rebus civium diſponendi: ut adeo juniores Politici nomine *dominii alti* idem videantur indigitare, quod veteres nomine *imperii* intellexerunt. Interim tamen maluerint juniores nomen *dominii* potius, quam *imperii* aſſumere, quia id magis aptum eſſe videbatur ad exprimendam ſupremam illam poteſtatem, quam hodierni Politici Imperantibus vindicant, ferme deſpoticam. Cæterum ex alio capite nomen *dominii alti ac ſupereminentis* jure merito criſi ſubjacet. Nam quia Princeps de rebus civium in caſu neceſſitatis diſponit non tanquam de rebus *ſuis*, ſed *communitatis* ad jus communitatis in ſimili caſu traductis, eo ferme modo, quo res alienæ fiunt *quaſi nullius* reſpectu illius, qui extrema laborat neceſſitate, & quidem in ordine non ad bonum Principis, ſed ad bonum communitatis, adeoque ipſius etiam civis, cujus res extiterat, manifeſtum eſt, *Dominium* proprie tale ab Imperante in tali caſu exerceri non poſſe (e).

Quid ſit Dominium altum?

Dominium altum idem, quod olim imperium.

An recte dicatur Dominium altum?

Quandonam Dominium altum licite exerceatur.

Quidquid ſit de hac criſi prorſus non inepta, demus Imperantibus competere *Dominium altum* ac *ſupereminens*, in eo tamen paſſim conveniunt chriſtiani Politici, illud nonniſi ab Imperantibus in caſu raro, in caſu graviſſimæ neceſſitatis non privatæ ſed publicæ, ex motivo graviſſimo, in bonum Reipublicæ & ipſorum ſubditorum eſſe exercendum, eoque caute eſſe utendum, & ultra caſum neceſſitatis publicæ non eſſe extendendum. Jam ergo videamus, quinam illi fuerint, *qui* ex titulo *dominii alti* bona eccleſiaſtica ſæculariſarunt; *in quos* ſuum jus exercuerint, *quænam* illa fuerit *neceſſitas*, *quodnam motivum* ſæculariſationis, & *quomodo* hoc jure uſi fuerint.

Inprimis

(d) In ſuo opere, quod inſcribit: *Commonitorium ad civilis & publici Juris Conſultos Catholicos* §. 9.

(e) Idem Author loc. cit.

Digitized by Google

Quinam fuerint, qui jus ſæculariſandi exercuerunt.

Inprimis ergo quærere licebit, quinam fuerint illi, qui ſibi jus *ſæculariſandi* arrogarunt, & cum ingenti exceſſu illud exercuerunt. Equidem fuere inter illos non pauci Principes & Status immediati: ſed fuere etiam alii nulla ſuperioritate territoriali præditi, fuere Comites, fuere Barones, fuere Equites & Civitates Imperii, qui bona eccleſiaſtica libere invaſerunt, ſibi appropriarunt, ſæculariſarunt, rapaces manus injecerunt totis, quoties occaſio ſuis votis velificaverat. Quo ergo titulo, quo jure hi *Dominium altum* & una cum *jure alto jus ſæculariſationis* exercuerunt? Num fortaſſis Religio noviter aſſumpta, num libertas conſcientiæ, pro qua vindicanda dimicarunt, id juris ipſis conceſſit? Sed quæſo! quæ rerum monſtra, quæ ſequelæ abſurdiſſimæ & utrique Reipublicæ ſumme nocivæ inde ſequuntur, ſi titulus Religionis & libertatis conſcientiæ non Imperantibus duntaxat, ſed etiam privatis jus tribuit alterius bona invadendi, rapiendi, appropriandi? Nunquid hoc jure uti poterunt cujuscunque Religionis aſſeclæ? & quid inde ſequetur, niſi *bellum omnium in omnes?* ſed de hoc infra.

An hi dominii alti fuerint capaces.

Eſto autem, Principes immediatos jus ſæculariſandi vi *dominii alti* in ſuis territoriis habuiſſe: quis illis poteſtatem dedit ſæculariſandi Archi- & Epiſcopatus imperio immediate ſubjectos? Et tamen illos invaſerunt, ſuppreſſerunt, uſurparunt (f).

Motivum ſæculariſandi expenditur.

Age jam! & cauſam neceſſitatis publicæ, quæ ſola dominio alto, ut ſubintrare poſſit, januam aperit, ac motivum *ſæculariſandi* perſcrutemur. Profecto illud non fuit aliud, quam Religio Lutherana, & libertas conſcientiæ, de qua actum fuiſſe prætendunt, niſi Clerum omnino ſuppreſſiſſent. Boni Superi! quid eſt hoc? Inprimis hæc cauſa non fuit cauſa publica Religionis totius Germaniæ, in qua adhuc dominabatur Religio Catholica. Et quis unquam legit, audivit, docuit aut ſomniavit, quod cauſa Religionis ſuppeditet titulum alterius bona invadendi, rapiendi, omnia ſusque deque vertendi? Recolantur ea, quæ mox ſupra contra Pfaffium attulimus. Eſt dogma apud Proteſtantes inconcuſſum, *ad Religionem neminem eſſe cogendum*, ab Eccleſia exulare omne imperium: eſt gravamen perpetuum contra Catholicos, quod ſubditos e ſuis territoriis propter Religionem ejiciant, & nequidem emigrationem *neceſſariam* contra literam Pacis Religioſæ admittere velint. Et quomodo dicere poſſunt, fuiſſe agitatum de neceſſitate publica Reipublicæ, aut ſaltem ſui territorii? cum in multorum Principum territoriis plures fuerint Catholici, quam Lutherani, quos miſere habuerunt, ſuis

Religio non tribuit ſæculariſationis titulum.

(f) E. g. Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, Epiſcopatum Bremenſem &c.

Digitized by Google

ſuis bonis ſpoliarunt, & una cum Clericis & Religioſis territoriis proſcripſerunt, etſi jus antiquiſſimum Religionis exercendæ habuerint. Num ſolus Princeps cum paucis, vel demus pluribus adhærentibus, & Religionem Principis amplectentibus territorium & Rempublicam conſtituit? Quorſum res deveniet, ſi Principi ſub prætextu Religionis noviter a ſe adoptatæ, & titulo *ſupereminentis dominii* liceat bona ſubditorum invadere & ipſos ſubditos e ſua poſſeſſione dejicere, deturbare, e Republica eliminare?

Uſus dominii alti in caſu raro. Ad hæc uſus *dominii alti* nonniſi in caſu raro & ſupremæ neceſſitatis, deficientibus aliis mediis mitioribus, locum habere debet. Porro autem quæ neceſſitas impulit Lutheranos, ut cum tanto ac tam enormi exceſſu *opus Reformationis & ſæculariſationis* auſpicarentur, &, uti dicere ſolemus, Proceſſum ab executione inchoarent? An nulla alia ſuperfuerunt remedia mitiora? ſed nempe monita, edicta, & decreta Imperatorum contempſerunt, Concilium declinarunt, amicabilem compoſitionem inire detrectarunt, & initam iterum violarunt. *Genuinæ cauſæ, cur Proteſtantes ſæculariſaverint bona eccleſiaſtica.* Itaque non tam neceſſitas publica, aut bonum Reipublicæ, quam cupido habendi, invidia & odium implacabile erga Clerum, opportuna occaſio ſuos dilatandi fines, ampliandi territorium, corradendi divitias haud paucos ad opus ſæculariſandi cum enormi exceſſu inchoandum, proſequendum, ac terminandum impuliſſe veroſimile eſt.

Jus ſæculariſandi cum ingenti exceſſu a Proteſtantibus exercitum. Denique quam caute, circumſpecte, ac moderate *jure ſuo ſupereminentis dominii* fuerint uſi Reformatores, videamus. Admetiri liceat verba Authoris Anonymi, cujus opellæ jam plurimorum tenentur manibus: *Demum, ut omnia complectar*, inquit, *modus privandi ſtatum Catholico-eccleſiaſticum ſuis bonis fuit univerſim violentus, & libertati conſcientiæ ſuæ conſulendi graviſſime contrarius. Nam, ut taceam torturas, carceres, necem, devaſtationem, expilationem, concremationem, expulſionem, circumventionem, & ſimilia alia malorum genera, quibus eccleſiaſtici exagitati ſunt a Proteſtantibus, illud plane generale fuit, ut iidem eccleſiaſtici ſuis bonis exuerentur vere inviti, repugnantes, ſuosque Patronos inclamantes, & ad tribunalia ſuprema provocantes. Si enim concuſſio ſeu incuſſio metus agnoſcitur eſſe violentia conditionata, quanto major erit violentia, res & jura ipſo facto ſubtrahere, inſontibus igne & aqua in eadem regione interdicere, vel ad ſummum in flebile ſolatium precariam ſpondere penſionem, eamque adeo arctam, ut ne a longe quidem annuæ ſuſtentationi ſufficeret. Quid eſt cogere ad fidem amplectendam? Eſt vel perſonæ vel rebus violentas injicere aut oſtentare manus, niſi in propoſitum dogma præſtetur conſenſus. Nam & gentiles Principes non*

ſolum

Digitized by Google

ſolum tormentis, *ſed & deportatione aut privatione bonorum vel minis adorti ſunt Chriſtianos* (g).

Moderatum *ſupereminentis dominii* uſum loquuntur tot Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Monaſteria ferme innumera, Eccleſiæ, Capitula, Parochiæ aliæque poſſeſſiones eccleſiaſticæ a Reformatoribus occupatæ, & ſæculariſatæ. Tantæ molis erat Religionem novam & *libertatem conſcientiæ* in tuto collocare! Hicne ergo ille moderatus & innocuus *ſupereminentis dominii* uſus? Neſcio profecto, an unquam ſubditi tale jus in Imperantes transferre voluerint, aut in Rempublicam coituri fuiſſent, ſi ſuos Imperantes tale imperium in ſe, & dominium in ſua bona exercituros prævidiſſent. Idcirco mirum non eſt, quod ipſe Lutherus, illius Diſcipuli, & plures Doctores proteſtantici hanc exceſſivam ſæculariſationem improbaverint, & reprobaverint, quorum ingentem catalogum una cum teſtimoniis exhibet laudatus Author Anonymus. Unum Lutheri textum ex illo attuliſſe ſufficiat: *Sathan*, ait Lutherus (h), *vehementer urget per impios Magiſtratus & Regentes urbium & nobiles thraſones extra illas, qui bona eccleſiaſtica, quibus ſuſtentare oporteret verbi Miniſtros, ſibi rapiunt, & eo applicant, quo non pertinent. At tantum illis proderunt, quantum cani gramen.* Et iterum: *Nobilitas diripit bona eccleſiaſtica non ſolum in Monaſteriis, ſed etiam in Parochiis, a quibus merito abſtinere deberent.* Item: *Principes & Magnates rapiunt ſibi bona eccleſiaſtica, & abutuntur eisdem ad pompoſa ædificia, aliasque res profanas, quis dubitet eos regi a diabolo? quoniam amplificandi ejus imperii gratia id fit, Parochiæque vel omnino deſolatæ jacent, vel a talibus hominibus reguntur, qui nec proprium officium intelligunt* (i). Neſcio ſane, quid ad abuſum in ſæculariſatione bonorum eccleſiaſticorum ex jure *ſupereminentis dominii* commiſſum demonſtrandum efficacius dici poſſit. Atque hoc Lutheri teſtimonium tanto majoris ponderis apud Proteſtantes eſſe debet, quanto plus apud ipſos Lutheri valet authoritas.

Lutherus ipſe, illius diſcipuli & Doctores Proteſtantici reprobarunt exceſſivam ſæculariſationem.

Eo autem nunc progrediuntur Doctores Proteſtantici, ut jam juri ſæculariſandi ex *dominio ſupereminenti* prognato januam aperiant non pro caſu neceſſitatis publicæ duntaxat, ſed etiam, ſi bona eccleſiaſtica nimia eſſe videantur, aut in meliores uſus applicari poſſint. Huc collimant ea omnia, quæ ſupra ex Pfaffio adduximus, ubi dente canino arro-

Dominium altum exceſſive extenditur ad bona eccleſiaſtica, ſi videantur nimia.

 dit

(g) Defenſ. Jur. Sect. 2. cap. 1. pag. 189. ubi hanc rem fuſe perſequitur, quem proin pro ſedula lectione efficaciſſime commendamus.

(h) Tom. 1. Edit. Wittenb. fol. 323.

(i) Loca Lutheri vid. in citato Authore Anonymo pag. 210.

Digitized by Google

dit reditus Clericorum immenſos, illorum abuſum perſtringit, & ut eos magis odioſos reddat, ſummam redituum eccleſiaſticorum ad calculos reducit accuratiſſimos (k). Cum Pfaffio conſentit Joan. Ernſt. Floercke inquiens: *In bona eccleſiaſtica Principi naturaliter idem jus competit, quod in alia bona, quæ in territorio Reipublicæ deprehenduntur. Habet in ea dominium eminens, imo ſi nimia ſunt, aliis uſibus dicari, vel ſæculariſari poſſunt* (l).

Evertitur principium, quo docent, quod dominium altum ſe extendat ad bona eccleſiaſtica exceſſiva.

Jam nolim ego hic Apologiam ſcribere pro Religioſis, illorum famam ab avaritia, a luxu, aliisque vitiis vindicare, abuſus bonorum eccleſiaſticorum ipſis impactos excuſare, opes illorum magis prodeſſe, quam obeſſe Reipublicæ oſtendere: id enim ſupra præſtiti, & alii ibidem citati fuſiori calamo præſtiterunt. Quocirca in eo unice mihi laborandum, ut principium illud, quo dicunt, *dominium eminens* ſe extendere ad bona eccleſiaſtica etiam extra caſum neceſſitatis, ita, ut ſi nimia ſint, aliis uſibus applicari & ſæculariſari valeant, evertam. Aut enim principium iſtud eſt *univerſale*, & ſe extendit *ad bona cæterorum civium*, aut *particulare* & unice reſtrictum ad *bona Clericorum*? In utraque hypotheſi eſt principium *novum, paradoxum, perverſum* & ſuo modo *Machiavelliſticum*. *Novum* eſt & ante hunc diem inauditum, quia usque nunc ſaniores politici docuerunt, quod *dominium altum* pro ſolo neceſſitatis publicæ caſu locum habeat. *Paradoxum* & *perverſum* eſt, quia eſt contra prima pacta, quæ vel expreſſe vel tacite fiunt inter Imperantes & Cives, dum in Civitatem coeunt. Cives inprimis utique nonniſi ea lege ſe Imperantibus ſubjiciunt, ut vitam degant beatam, & ſuis bonis, quos ipſis vel largior ſubminiſtrat fortuna, aut ipſi ſua induſtria, labore, opera & arte lucrantur, pacifice & tranquille frui liceat. Jam demus eſſe in poteſtate Principum bona ſuperflua exceſſiva & nimia ſub prætextu melioris boni publici adimere, & in meliores uſus impendere, inde quid ſequetur? nempe langueſcet induſtria hominum, ceſſabunt artes & opificia, deſinent commercia, cives captabunt occaſionem ſua bona dilapidandi, in luxum expendendi, & quod deterius eſt, ipſa illorum punietur induſtria, quæ non *bovi trituranti*, ſed ſoli fructificabit Domino. Et quæ hæc civium felicitas? qui ſe ad felicitatem communem & ordinariam, non vero ad ſummam, non ad Reipublicæ aut imperantium duntaxat,

An ſubditi ſe obligaverint ad felicitatem Reipublicæ majorem & majorem procurandam.

(k) Academ. Reden pag. 506. ubi inter alia dicit: So hat der Biſchof von Strasburg 250000. der von Cambray 100000., von Paris 120000., von Narbonne 100000. rc.

(l) Diſſert. de jure Princ. circa ſacra Sect. I. §. 17.

Digitized by Google

taxat, ſed ſuam quoque procurandam obligarunt, ſecus nunquam coituri in civitatem, ſi ferme omnem laborem, induſtriam, & laborem, omnes ſui ingenii nervos, & corporis vires pro majori ac majori Reipublicæ felicitate, quæ ſæpius eſt ſolummodo imaginaria, & non raro magis facit ad oſtentationem, pompam & luxum principis, quam quod bonum Reipublicæ promoveat, deberent impendere. Et quid hoc eſt aliud, quam deſpotiſmum inducere, & ſub prætextu majoris boni publici Principibus occaſionem præbere omnia ſusque deque vertendi, jura Statuum provincialium, vel Parlamentorum in primæva Reipublicæ inſtitutione fundata & ſolemni pacto innixa ſubvertendi, aliam regiminis formam introducendi? Utinam hæc non quotidiana doceret experientia! Peſſime ſane conſultum Reipublicæ, ſi ſimilibus principiis imbuantur Imperantes, illi præcipue, qui aliunde aut ſunt ambitioſi, aut luxui dediti, aut bellicoſi. Eſt iſtud principium certa ratione Machiavelli, qui Imperantibus exteteros populos ſibi ſubjicientibus id conſilii præbet, ut potentes deponant de ſuis ſedibus, eſurientes repleant bonis, & divites dimittant inanes. Quid aliud docent Doctores, qui ſimilia fovent principia?

Aut fortaſſis principium iſtud unice valet in ordine ad bona eccleſiaſtica? quippe quæ ſola Reipublicæ & Imperantibus eſſe nociva Pfaſſius exiſtimat, eoquod & in luxum impendantur, & ad ſuſtentandam *Hierarchiam eccleſiaſticam* deſerviant, & ærarium Principis diminuant. Res mira, quod Clericorum ſolummodo luxus in orbe male audiat, & vapulet! Quid ſi Clerici quoque inirent computum pecuniarum, quæ a ſæcularibus & Magnatibus in luxum, in pompam, in theatra & ſcenas, in luxum veſtium, in convivia expenduntur? Stat, ſtabitque Hierarchia eccleſiaſtica, etiamſi Clerus redigatur ad incitas. Anne ideo Catholici vituperio ſunt digni, & ſuis bonis privandi, quia ſua bona conformiter ſuis principiis impendunt in bonum ſuæ Religionis, & ſuæ Eccleſiæ? Aut non admittendi ſunt Clerici in Rempublicam, aut ſi fuerint admiſſi, ſuis bonis pacifice frui permittantur, haud aliter quam reliqui cives, aut mox ab initio pactis mutuis fiat compoſitio. Exceſſivi illi reditus, quos Pfaſſius tam accurate numeravit, & reduxit ad calculos, utique ultimato fluunt & refluunt ad ærarium Principis fatente ipſo Pfaſſio, & originaliter ideo duntaxat fluunt in ærarium Eccleſiarum, ut in eo, quemadmodum ſupra animadvertimus, eo ſecurius aſſerventur pro neceſſitatibus Reipublicæ.

Clerici eorumque bona a luxu imputato defenduntur.

Sed, inquit Pfaſſius, utique bona eccleſiaſtica Monaſteriorum, Præpoſiturarum, Abbatiarum in longe majus Reipublicæ bonum fuiſſe impenſa,

An Proteſtantes bona ſæculariſata

in melius bonum impenderint. impenſa, rerum experientia docet, videlicet in erectionem ſcholarum publicarum, Seminariorum, hoſpitalium, atque ex illorum reditibus aſſignatæ Doctoribus & Profeſſoribus Præbendæ doctorales, ſtudentibus ſtipendia, aliis egregiis & de Republica bene meritis viris ſua ſalaria, pauperibus largiores eleemoſynæ. Quid juvat ingentem alere Monachorum otioſorum numerum, nec Deo nec homini, nec Reipublicæ utilem?

Ea peſſime impenderunt. Demus, quod quædam bona eccleſiaſtica unius alteriusve Prælaturæ, & Monaſterii in uſus ſacros & pios fuerint converſa, quorſum cætera Epiſcopatuum & Archiepiſcopatuum bona defluxere? Pudet referre, quæ habet ſæpius laudatus Author Anonymus, dum refert, vix centeſimam partem bonorum ſæculariſatorum in uſus pios & ſacros; econtra integra Monaſteria in ſtabula, in domos venaticas, aliosque uſus turpiſſimos, quos nequidem nominare licet, fuiſſe converſa (m). Utrum Monachi Deo & mundo ſint inutiles, viderint illi, qui hoc modo calumniantur. Jam ſupra monui, quod Deus non omnes homines unice in eum finem creaverit, ut mundo & Reipublicæ ſervirent. Quid pro bono Eccleſiæ, ac Reipublicæ tam politicæ quam literariæ Religioſi laboraverint, ſudaverint, loquuntur hiſtoriæ, loquuntur quotidianæ experientiæ.

Bona eccleſiaſtica a Principibus ſæcularibus accepta non eſſe ſæculariſanda docent ipſi Proteſtantes. Cæterum id faſſi ſunt, fatenturque hodiedum ſapientiores Proteſtantes, quod bona eccleſiaſtica a Principibus occupata nullo modo ſint ſæculariſanda, ſed in uſus pios & ſacros impendenda. Ita docent Voetius, Hoornbeckius & plures ſupra citati, & inter hos Hugo Grotius, cujus verba omnino afferre juvat: *Peſſime officium implent Principes, qui ea, quæ olim Deo, id eſt, piis uſibus data ſunt, ad ſuos & quidem profaniſſimos uſus vertunt hoc obtentu, quod nimis multa poſſideant Epiſcopi. Si nimium multa habent Epiſcopi, detur, quod ſupereſt, Presbyteris & Diaconis, detur Eccleſiis ædificandis aut inſtaurandis, detur pauperibus popularibus, ſi ei deſint, externis, ſicut olim ex Achaia & Macedonia miſſæ ſunt in Judæam pecuniæ, redimantur, qui apud barbaros ſunt, captivi. Miror, non terreri eos, qui vetus teſtamentum legunt, Achanis, qui novum, Ananiæ exemplo. Et hæc præcipua cauſa eſt, cur tamdiu bella durent, non tantum, quia*

(m) Defenſ. Jur. Part. poſter. pag. 285. & ſeq. notanter pag. 291. ubi facit calculum bonorum eccleſiaſticorum, quæ in Saxonia ad uſus pios ſunt deſtinata.

quia propter iſta utrinque bellatur, verum etiam quia Deus contemptum ſui ſic ulciſcitur (n).

Hæc conſcientiam Pfaffii in tantum commoverunt, ut ſcribere non dubitaverit, ſuam opinionem ſæculariſationi bonorum eccleſiaſticorum admodum patrocinantem eſſe intelligendam *de nimietate bonorum eccleſiaſticorum Eccleſiæ & Reipublicæ nociva:* quin ea inneceſſitates Reipublicæ impendi valeant, niſi antea Eccleſiæ, illiusque Miniſtris, nec non pauperibus meliorem in modum fuerit conſultum. Illius verba, quia aliam ſalubrem doctrinam continent, eum in finem in ſermone tam latino quam germanico apponere placuit, ut inde diſcant illi, qui ſuis humeris portant orbem, illorumque conſiliarii, quanti interſit Eccleſiæ ac Reipublicæ, ut Miniſtris Eccleſiæ, nec non artium ac ſcientiarum Magiſtris abunde & largius provideatur. Itaque, ait, *Bona eccleſiaſtica citius in bonum Reipublicæ non impendantur, priusquam Eccleſiæ & pauperibus proviſum, quorſum pertinent exſtructio & conſervatio Eccleſiarum ac ſcholarum, conſtitutio ſalariorum pro Eccleſiarum Miniſtris, & ſcientiarum Magiſtris, quibus niſi abunde proſpiciatur, ſane parum conſulitur bono Reipublicæ: inde enim fit, quod hi tales aut cum dedecore ſui ſtatus ſordide vivere, aut ſordida commercia exercere cogantur. Huc ergo pertinet illud, quod in Cap. 5. Clement. de elect. & elec. poteſt. ad excuſandam Epiſcoporum opum abundantiam ſcriptum legitur: ne mendicitatis opprobrium ſerenitatem Pontificalis obnubilet dignitatis. Sane hujuscemodi ſalariorum neceſſitatem confirmant loca plura Scripturæ utriusque teſtamenti* (o) *atque pro illis potenter perorat Thomaſius ipſe in ſpeciali Diſſertatione, quam de augendis Eccleſiæ miniſtrorum ſalariis ſcripſit, eſto cæteroquin Sacerdotibus aliisque miniſtris Eccleſiarum parum faverit. Quocirca hujusmodi bona eroganda ſunt primo in erectionem hoſpitalium, Xenodochiorum, Noſocomiorum, officinas parandarum mercium, ut inde ſuſtententur pauperes, viduæ, pupilli, ægroti, infantes expoſiti, milites ad militiam inepti, mendicabula &c. ſecundo in ſuſtentationem Proſelytorum, aut eorum, qui Religionis cauſa exules vivere debent; tertio in redemptionem eorum, qui ex eadem Religionis cauſa in captivitate miſere degunt; quarto in fundationem Seminariorum, ut in iis Theologiæ ſtudioſi nutriantur, ad ſervitia Eccleſiæ præparentur & decenter erudiantur. Atque his demum ſic conſtitutis prohibitum non eſt bona eccleſiaſtica in neceſſitates Reipublicæ expendere. Econtra bona eccleſiaſtica in luxum qualemcunque*

Doctrina Pfaffii in hac materia.

(n) In Annotatis ad Caſſandri conſultat. Art. 16.
(o) Loca Scripturæ in ſequenti nota citabimus.

cunque quaſi profundere, id ſane peccatum eſt graviſſimum, quod Deus ipſe vindicare, & graviſſime punire ſolet. Atque hoc modo omnes Proteſtantes ſentire, tradere & docere aſſolent, & debent, cum dubium non ſit, quod hujusmodi bona eccleſiaſtica meliorem in modum adminiſtrari, impendi, quin etiam augeri, multiplicarique, quantum fieri poteſt, exemplo Aſſæ, Joæ, & Joſiæ debeant. Hucusque Pfaffius (p). Aurea ſane doctrina non pro Imperan-

(p) Verba Pfaffii ſunt ſequentia: Ich habe geſagt, daß die Kirchen-Güter zu den gemeinen Lands-Nothwendigkeiten nicht verwendet werden ſollen, es ſeye dann zuvor die Kirche, ich ſetze noch hinzu, auch die Armuth wohl verſorget, als wohin gehöret: 1. die Erbauung und Erhaltung der Kirch-und Schul-Gebäude. 2. Die genugſame Beſtellung und Salarirung der Kirchen-und Schul-Diener, ſowol in hohen als niedern Schulen, da es in der That ſehr übel gethan, wenn man dieſelbe darben läſſet, oder ihnen das Brod ſo kurz zuſchneidet, daß ſie in Sorgen der Nahrung leben, auf das Commerce ſich legen, oder verächtlich ſich aufführen müſſen. Hier gilts, was ſonſt das jus Canonicum cap. 5. Clement. de elect. zu Excuſirung des Biſchöflichen Reichthums ſagt, er ſeye denſelben deswegen gegeben, ne mendicitatis opprobrium ſerenitatem Pontificalis obnubilet dignitatis. Und die Billigkeit ſolcher zulänglichen Salariorum bekräftiget das Exempel der im A. T. ſo wohl verſorgten Prieſter und Leviten, ſo daß auch die Juden zu ſagen pflegen, wo kein Mehl oder Brod iſt, da iſt kein Geſetz, und auch das Wort des N. T. Luc. 10, 7. 8. Röm. 15, 27. 1. Cor. 9, 4. 1. Timoth. 5. v. 18. Thomaſius, der ſonſt eben kein Freund von Prieſtern war, hat doch zu ihrem Favor eine Diſp. de augendis Eccleſiæ miniſtrorum ſalariis geſchrieben. Doch auch hier heißt es: ne quid nimium. 3. Sollen derley Güter angewendet werden zu genugſamer Verſorgung der Armen, Wittwen, Wayſen, Pilgrime, Invaliden, Kranken, Armen, und Bettler mit genugſamen Armen-Wayſen-Pilger-Invaliden-Fündel-und Bettelhäuſern, und Hoſpitälern, und einfolglicher Abſchaffung des ſchändlichen Gaſſen-Bettels durch Zucht-und Arbeitshäuſer und Fabriquen. Und 4. zur Verſorgung der um der Religion oder Unſchuld willen vertriebenen Exulanten, und zu dem Evangelio ſich kehrenden Proſelyten, mit Anrichtung einer ergiebigen Exulanten-und Proſelyten-Caſſa. 5. Zur Löſung und Erquickung der um der Religion willen Gefangenen und Verfolgten, auch 6. zu milder Handreichung gegen die ſo an fremden Orten in Eccleſia preſſa leben, und ihre Prieſter, wie ſich ſelbſt, nicht verſorgen können. 7. Zur Stiftung gewiſſer Seminarien, da arme Theologiæ Studioſi zum Dienſt der Kirche präparirt, und informirt werden ſollen. Sind dieſe Stücke wohl beſorgt, ſo kan das Ueberley wohl ad neceſſitates publicas, es ſeyen dann dieſelbe ſehr dringend, verwendet werden. Aber ohne jene das Kirchen-Gut zum Staat, zu weltlichen Depénſen und unnützen Händeln anzuwenden iſt groſſe Sünde.

Imperantibus ſolummodo Proteſtanticis, ſed etiam Catholicis, ut inde Miniſtris Eccleſiarum, Clericis & Magiſtris artium ac ſcientiarum egregia conſtituere ſalaria, eaque non tam diminuere, ſubtrahere, & ita reducere, ut vix aut ne vix quidem, unde vivere poſſint, habeant, ſed potius augere, ut & decenter vivere valeant, ac in certo ſenſu abunde habeant, unde vivant, unaque bona eccleſiaſtica, quæ a Clero extorquent, in bonos uſus impendere diſcant.

§. XII.

Imperatorum Auſtriacorum Religio & pietas ſumma.

Ut iterum revertamur ad ea, quæ tempore intermedio inter Pacem Religioſam & Weſtphalicam acta fuere, videamus, quo loco Religio Catholica ſe habuerit in terris Auſtriacis. Ea fuit ſemper pietas Imperatorum Auſtriacorum, ut nihil ferme antiquius habuerint, quam Religionem Catholicam ſartam tectamque conſervare. Quid Carolus V. pro Religione Catholica conſervanda, & Proteſtantica ſupprimenda egerit, loquuntur hiſtoriæ. Ferdinandum I. cum lacrymis Paci Religioſæ ſubſcripſiſſe primum antea diximus. Eundem publice declaraſſe, ſe potius omnes Pacis tractatus abrupturum, quam poſtulationi Proteſtanticorum *libertatem Religionis* poſtulantium conſenſurum, teſtis eſt Burgkardus in ſua Autonomia, quidquid quidam Proteſtantes ſcribant, qui illum Lutheraniſmo immortuum fuiſſe ſcribere non verentur, ſed contra apertam veritatem, quam ne ipſi quidem ſinceriores Lutherani negare audent (q). Equidem ſcribit Paulus Sarpius (r), quod Ferdinandus I. in Auſtria communionem ſub utraque ſpecie toleraverit, & decretum Concilii Tridentini deſuper conditum reprobraverit,

Sünde. Das ſind Mißbräuche, die GOtt ſuchet, findet, und rächet. So raiſonnirt jeder rechtſchaffene Proteſtante. Dem kein Zweifel obwaltet, daß man die zum Gottesdienſt und Erhaltung der Kirchen, Schulen, Wayſen, Wittwen, Armen ꝛc. gewidmete Stiſtungen wohl adminiſtriren, ja auch ſolche vermehren, und bereichen ſolle, wie Aſſa, Joas, Hiskia, und Joſia gethan 1. König 15, 15. 2. Kön. 22, 4. 2. Chron. 31, 34, 18. Nov. 3. C. 3. Vid. etiam Bingham. Orig. Eccleſ. Vol. 3. pag. 341. & Vitriar. Illuſt. Tom. 1. l. 1. T. 15. §. 14. pag. 1272. & ſeq. Plures authores citat præfatus Pfaffius pag. 528. 529. & 30. ubi hanc materiam fuſe tractat.

(q) Es wollen zwar einige gar behaupten, daß er Lutheriſch geſtorben: Allein die Gründe und Spuren, ſo man davon in Geſchichten findet, beweiſen ſolches noch lange nicht. Glafeys Hiſtor. German. 3. Buch, 3. Cap. pag. 641.

(r) Lib 5. Hiſtor. Concil. Trident.

Digitized by Google

rit, quin pro ſe ipſo illam a Pontifice poſtulaverit, ſed non ſufficienter probat. Extat quidem apud Goldaſtum epiſtola Ferdinandi ad Pium IV. data, in qua Pontifici pro communione ſub utraque ſpecie, nec non tollendo cælibatu ſupplicat (s). At vero hanc epiſtolam eſſe ſubleſtæ fidei, haud immerito dubitatur. Et demus eam eſſe veram, omnino excuſandus foret Ferdinandus, quod optima fide crediderit, hoc temperamento, præſertim vero ſi communio ſub utraque ſpecie concederetur, partes litigantes facile componendas, id quod plures alii exiſtimarunt, ea potiſſimum ex ratione, quod in terris Auſtriacis ſecta Wicleſitarum, & Huſſitarum altas jam egerit radices, qui inter præcipua ſuæ Religionis capita communionem ſub utraque ſpecie habuerunt. Quocirca Maximilianus II. quoque tolerantiam religionis Lutheranæ Statibus Provincialibus Auſtriæ concedere coactus fuerat, ea tamen lege, ut *Agenda rerum eccleſiaſticarum* conſcriberent, & Imperatori exhiberent: quod & factum, ſi Sleidano (t) fides adhibenda eſt. Unde Religio Proteſtantica mirum in modum ſeſe diffundere per terras Auſtriacas cœpit. At vero tolerantiam hanc ſequentes Imperatores, & quidem mox Rudolphus II. ſuſtulit, & publicum Religionis exercitium in ſuis terris interdixit, quidquid ſtatus Auſtriaci in ſuis gravaminibus Anno 1589. oblatis contradixerint. Novum Religionis bellum in Auſtria exortum fuit, quando rebus inter Rudolphum & Mathiam fratrem Anno 1608. ea lege compoſitis, ut Rudolphus Mathiæ fratri Ungariam, Moraviam & Auſtriam renuntiaret, hic a ſtatibus Auſtriæ homagium ſibi præſtandum, illi vero liberum Religionis Proteſtanticæ exercitium exegerant. Id dum negaverat Mathias, eorumque templa claudi imperaverat, ſtatus Auſtriaci homagium recuſare, ſeſe unire, viros circiter 12900. conducere atque libertatem Religionis effuſo etiam ſanguine defendere aggreſſi ſunt. Neque aliter hæc lis componi poterat, donec ſub certis conditionibus, quæ in *Inſtrumento aſſecurationis* deſuper erecto legi poſſunt, fuerit tranſactum, & ſtatibus Auſtriacis exercitium Religionis decretum (u).

Nos

(s) Ita ſcribit Goldaſtus Conſtit. Imper. Tom. 2. pag. 379. Vid. etiam Schilter de libert. Eccleſ. Germ. pag. 1043.

(t) Continuat. P. 2. l. 4. pag. 125. lib. 6. pag. 186. Vid. etiam Gundling gründlicher Diſcours über den Weſtphäliſchen Frieden pag. 44.

(u) Sleidanus P. 3. l. 30. & 34. paſſim. Item Lunigs. R. A. P. Gener. Contin. 2.

Religio Proteſtantica in terris Auſtriacis invaluit.

Non in Auſtria ſolummodo, ſed in aliis etiam terris poteſtati Archi-Ducum Auſtriæ ſubjectis, in quibus jam ante ſectæ Huſſitarum & Wicleſitarum invaluerant, Religio Lutherana firmas egerat radices, ut inde difficillime extirpari potuerit. Juvat factum Ferdinandi I., quo Proteſtantes e Styria expulit, referre. Quidquid huic expulſioni cauſam præbuerit, emanavit 1598. 13. Sept. *mandatum Cæſareum* ad ſtatus provinciales Styriæ datum, quo intra ſpatium 14. dierum omne Religionis exercitium ſuſpendi, omnesque Paſtores e provincia exeſſe jubentur. Contradicentibus ſtatibus provincialibus 23. Sept. aliud ſimilis formæ decretum ſubſequebatur, quo ſub pœna capitis claudi ſcholas, exercitium Religionis omnino tolli, & omnes Proteſtantes intra ſpatium 8. dierum alio migrare jubet Imperator, quibus nondum elapſis emanavit decretum tertium, atque Proteſtantibus injungitur, ut ante ſolis occaſum urbem Græcenſem, intra 8. dies totam purgent provinciam. Equidem Proteſtantes ſua gravamina in Comitiis provinciæ propoſuere, ſed nihil impetrarunt reſcribente Cæſare, ſe malle vitam & ſanguinem cum omnibus provinciis perdere, quam a cœpto Reformationis opere deſiſtere, quapropter paulo poſt templa Proteſtanticorum fuere everſa, libri illorum combuſti, & in templorum locum patibula erecta, omnesque Proteſtantes eliminati ſub interminatione pœnæ mortis, ſi qui poſtliminio reverti præſumpſerint (x).

Expellitur e Styria.

In Bohemia invaluit.

In Bohemia præcipue Religio proteſtantica invaluerat, in qua Proteſtantes jam ſub Ferdinando I. communionem ſub utraque ſpecie ſe obtinuiſſe ſcribunt. Unde factum eſt, ut ſtatus Proteſtantici paſſim dicti fuerint *ſtatus ſub utraque*. Hi ergo Imperatori ſupplicabant, quatenus conformiter edicto Maximiliani II. Anno 1575. edito Proteſtantibus liberum Religionis exercitium concedere, conſiſtorium una cum Academia Pragenſi reſtituere velit. Ad hæc reſcripſit Cæſar, præter *communionem ſub utraque* nihil fuiſſe conceſſum, nec poſthac fore concedendum, adeoque *ſtatus ſub utraque* quoad cætera omnia eſſe obligatos, ut ſe Catholicis conforment. Exinde ingens in urbe tumultus, & parum abfuit, quin ad ſeditionem fuerit ventum (y). Poſt multas altercationes, lites & diſſidia, intervenientibus etiam Electoris Saxonici precibus, ipſis vero Proteſtanticis Bohemis jamjam arma parantibus, demum a Cæſare impetrarunt *literas*, ut vocant, *Majeſtatis*, quibus li-

(x) Idem Sleidanus, & ex eo Gundling loc. cit. pag. 76.

(y) Vid. Sleidanus l. 35. variis locis, Londorp. Act. Tom. 1. 13. c. 21. Gundling. loc. cit. §. 43. pag. 91.

Digitized by Google

berum Religionis exercitium non ſolum, ſed etiam Academiam una cum Conſiſtorio proprio obtinuerunt, & quidem ita, ut tam Academiæ, quam Conſiſtorio per ſuæ confeſſioni addictos ſine ulteriori Cæſarea confirmatione in futura etiam tempora providere valeant (z). Similes *literas Majeſtatis* a Rudolpho II. obtinuerunt Sileſii, apud quos res Catholicæ haud multo meliori loco erant poſitæ (a). Quo loco res Religionis ſe poſthac in terris Auſtriacis habuerint, commodius infra referemus, ubi de Ferdinando II. illiusque edicto Reſtitutorio agemus.

§. XIII.

De bello tricennali. Jam paulatim ad *bellum tricennale* delabimur, cui ipſa Pax Religionis anſam præbuit. Nam Proteſtantes libertate ſibi conceſſa abutentes omnia ſusque deque vertebant, ex prætenſo *jure Reformandi* ſubditos Catholicos opprimebant, Eccleſias & Monaſteria ejectis Epiſcopis & Prælatis occupabant, quin remedium tot malis medendis opportunum occurreret. *Cauſæ belli.* Concilio Tridentino ſe ſubmittere renuebant, privata colloquia ex condicto inſtituta mox iterum reſpuebant, ſupremis Imperii Dicaſteriis obtemperare nolebant, donec tandem diviſo in factiones imperio Proteſtantes in unionem Halæ Suevorum; Catholici vero in ligam Herbipoli Anno 1610. coierint, quorum Dux erat Maximilianus I. Bavariæ Dux. Accedunt varii tumultus Argentinienſes, Aquisgranenſes, Comitia publica Ratisbonæ 1613. celebrata, in quibus Proteſtantes & Catholici ſua Religionis propoſuerunt gravamina, quibus medendis Imperator auxiliatrices manus offerebat, id unum monendo, ne ſuis gravaminibus rebus communibus majoris momenti tractandis & conſultandis obicem ponerent, ſed fruſtraneo conatu. Supervenit Bannum Imperii contra civitatem Aquisgranenſem, electio Ferdinandi II. in Regem Bohemiæ, quæ ſtatibus Bohemicis *ſub utraque* dictis ſummopere diſplicebat, utpote quem ſacris Catholicis apprime addictum optime perſpiciebant (b). Tandem mortuo Imperatore & invitis Bohemis Ferdinando II. in Imperatorem electo accedunt motus Bohemici, dum Bohemi a Ferdinando deficientes Fridericum V. Palatinum in Regem ſibi elegerunt. Cumulum addidit fœdus Proteſtanticum cum Suecis, Gallis, Batavis. Solus ferme Imperator & Maximilianus

(z) *Literas Majeſtatis* præter alios exhibet Gundling. loc. cit. pag. 92.
(a) Vid. Gundling. loc. cit. §. 45. pag. 102.
(b) Theat. Europ. Tom. 1. pag. 169. Londorp. Tom. 1. l. 4. cap. 61. Khevenhüller Tom. 9. pag. 404. Gundling. cap. 3. §. 1. & 2.

Digitized by Google

milianus I. Dux Bavariæ fuere, qui ſe armis Proteſtanticorum oppoſuere. Itaque eodem adhuc anno 1618. ventum ad arma, & bello tricennali datum fuit initium. Varia fortuna intra ſpatium 30. annorum fuit pugnatum uſque ad Pacem Weſtphalicam Anno 1648. promulgatam. Immenſus eſſe deberem, ſi, quæ durante hoc bello acciderunt, recenſere vellem. Memoriæ juvandæ cauſa juvat quatuor ſtatuere periodos hujus belli, quarum *prima* ab exordio belli uſque ad adventum Guſtavi Adolphi Regis Suecorum, *altera* uſque ad illius obitum, *tertia* uſque ad Pacem Pragenſem, *quarta* uſque ad tractatus præliminares Pacis Weſtphalicæ pertingit. *Quatuor periodi belli tricennalis ſtatuendæ.*

In prima periodo notari merentur prælium inter Cæſarianos & Bohemos 1620. ſub duce Maximiliano I. in Albo monte ad Pragam commiſſum cæſo Friderico V. illiuſque exercitu, proſcriptio Friderici Palatini 1621. cujus formulam exhibet Londorpius (c). Translatio Electoratus Palatini in Maximilianum I. Ducem Bavariæ 1623., venditio Palatinatus ſuperioris ab eodem Ferdinando novo Electori facta, cujus cauſam modumque declarat *Manifeſtum Palatini* Anno 1642. editum (d), & denique *Edictum reſtitutorium* Anno 1629. promulgatum, de quo infra. *Notabilia primæ Periodi.*

In *ſecunda* Periodo præter varia prælia cædeſque inter diverſas fortunæ viciſſitudines alia ſingulari animadverſione digna vix occurrunt: quo pertinet expugnatio Magdeburgi per Joannem Tillium Anno 1631.; item anno eodem 17. Sept. pugna ad pagum Podelwiz Lipſiam inter, & Delitium, & Anno 1632. apud Lützenam, in qua ipſe Guſtavus Adolphus occubuit. His addamus cædem Suecorum, quam paſſi ſunt 1634. prope Nördlingam. Cætera quæ intra iſtud temporis ſpatium agitata ſunt, in obviis legantur Scriptoribus. *Secunda.*

In *tertia* Periodo ſcena quodammodo fuit mutata: nam cæſo Guſtavo Adolpho diverſimode, quid agendum ſit, tam inter Cæſarianos, quam Proteſtanticos fuit conſultatum. Galli quoque fluctuare cœperunt, & quid ſibi agendum, deliberarunt. Rebus ſerio expenſis placuit inſiſtere fœderi cum Suecis inito. Immenſus eſſe deberem, ſi quæ hoc tempore intermedio geſta ſunt, recenſere vellem. Cæſis prope Nördlingam Suecis res Proteſtanticorum peſſimo loco erant conſtitutæ: hinc novum fœdus cum Gallis inire, eorumque opem implorare coacti ſunt. Occaſionem vero directe aggrediendi Cæſarem Gallis præbuit Electoris *Tertia.*

(c) Tom. 2. Act. publ. l. 6. c. 1.
(d) Tom. V. Act. publ. lib. 2. c. 32.

Digitized by Google

ris Moguntini Philippi Chriſtophori captivitas, quibuscum infelici Marte pugnavit Carolus Dux Lotharingiæ. Interea Cæſar eo ſua direxit conſilia, ut per ſpeciales tractatus potentiores quosdam ſtatus Imperii, & inter hos vel maxime Electores Saxonicum & Brandenburgicum ſibi conciliaret. Neque conatus iſti ſine omni fuere effectu, quibus id effecit, ut Elector Saxoniæ cum Imperatore Anno 1634. Pacem iniret Pragenſem Catholicis valde favorabilem, de qua infra.

Quarta.

Pax Pragenſis recepta.

Quarta Periodus multa memoratu digna continet. Quamquam Pax Pragenſis plerisque ſtatibus Imperii haud adeo placeret, nihilominus ſingulari Electoris Saxonici ſtudio factum eſt, ut plures eorum, inter quos Elector Brandenburgicus, Dux Wilhelmus Weimarienſis, & Principes Anhaltini, illam reciperent. Inde factum eſt, ut res Suecorum plurimum collaberentur, qui proin nihil non egerunt, ut rebus ſuis melius conſulerent. Longum nimis foret hæc omnia accuratiori calamo recenſere. Mortuo anno 1637. Ferdinando II. in Imperatorem electus fuit Ferdinandus III. quem nec Galli nec Sueci agnoſcere voluerunt, qui proin novum fœdus reſpective duplex inierunt, unum Wiſmari 1636. alterum Hamburgi 1638. (e). Ab hoc tempore rurſus dubio & vario Marte potiſſimum ex parte Cæſarianorum infelici pugnatum fuit. Interea iterum de ineunda pace & finiendo tandem bello cogitabatur. Principes Lauenburgenſes ferme primi fuere, qui Pacem inter Imperatorem & Suecos reſtituere totis viribus contendebant. Accedebat Rex Daniæ, qui Cæſareos & Suecicos invitavit, ut Lubecum convenirent. Priusquam tamen convenerint, diverſæ lites ſuper quibusdam punctis præliminaribus exortæ ſunt, de quibus §. ult. quædam obiter dicemus (f).

§. XIV.

Edictum reſtitutorium.

Inter memoratu digna in prima belli tricennalis periodo primum ferme locum meretur *Edictum reſtitutorium* a Ferdinando II. 1629. promulgatum. Poſtquam Ferdinandus cæſo Friderico & banno imperiali e finibus Imperii proſcripto, ejectis quoque e Bohemia Proteſtantibus victricia arma longius circumtulerat, hinc inde Religionem reformaverat, in diſtrictu Baadenſi Religionem Catholicam reſtituerat, Reformatos ac Proteſtanticos Paſtores e Palatinatu proſcripſerat, Ratisbonæ publicas Proceſſiones iterum introduxerat, demum Anno 1629. die

Ferdinandus II. reformat hinc inde Religionem.

(e) Utriusque inſtrumentum refert Gundling. loc. cit. cap. 7. §. 38.

(f) De his vid. idem Author pag. 459. & ſeq.

Digitized by Google

die 6. Martii *Edictum ſuum reſtitutorium* ringentibus Proteſtanticis promulgari fecerat, vi cujus Proteſtantes 14. Archi, & Epiſcopatus, & plura Monaſteria, paucis, omnia poſt transactionem Paſſavienſem occupata bona eccleſiaſtica immediata & mediata reſtituere jubentur, Reformati Pacis Religioſæ inhabiles declarantur, nec non omnibus & ſingulis, qui ſe Edicto opponere præſumerent, bannus imperialis intentatur. Edictum iſtud legitur apud Struven (g) ſub finem compoſitionis Pacis Dillingenſis, & apud Gundlingium (h). Equidem Elector Saxonicus ſua aliorumque gravamina contra exhibebat, ſed fruſtraneo conatu, dum Imperator, quantum in illis rerum circumſtantiis licuit, *Edictum* omnino executioni dari voluit. Hæc res procul dubio novam cauſam præbuit tam Guſtavo Adolpho, ut ſe partibus Proteſtanticis jungeret, quam Electori Saxonico, ut ſe contra Cæſarem declararet, quamquam paulo poſt cum illo Pacem Pragenſem inierit.

Edictum reſtitutorium quid contineat?

Poſt promulgatum *Edictum* orta fuit quæſtio, cuinam bona eccleſiaſtica ſint reſtituenda, an poſſeſſoribus antiquis, an aliis Religioſis, an Epiſcopis quaſi in compenſationem damnorum, an aliis piis cauſis ſint applicanda, an Principibus ſæcularibus, an ipſi Cæſari pariter in compenſationem damnorum ſint reſtituenda. Hac ſuper re varia & quam plurima emanarunt ſcripta, maxime ubi inter diverſorum ordinum Religioſos fuit acriter diſputatum, dum plures ex ſuo jure antiquo reſtitutionem bonorum ſuorum prætendebant, alii bona eccleſiaſtica ex novo titulo, quaſi vero longe melius forent impendenda, ſi ſibi ceſſura eſſent, apud Ferdinandum II. quem ſibi ſumme faventem haud ignorabant, eblandiri contendebant. Hac ſuper re agitatum Romæ, Viennæ, & in ſupremis Imperii Dicaſteriis. Urbanus VIII. favebat novis Prætendentibus: ſupremum judicium Imperii aulicum in favorem antiquorum poſſeſſorum pronuntiabat. Ex utraque parte Romæ & Viennæ fiebant conteſtationes agente rem in Aula Viennenſi Paulo Savello; in Romana Cardinale Joan. Baptiſta Pallota, inter quos mediatorem agebat Cardin. Richelieu. Poſtea calamis certatum. Prodiere varia ſcripta, quæ ſuo modo ſcandalum cauſabant in populo, & hodie difficulter amplius haberi poſſunt, ac veluti inter cimelia numerantur. Quorſum pertinent *Diſceptatio placida ſuper ſamoſa quæſtione &c.* & huic contraria

Cuinam ex Edicto reſtitutorio bona eccleſiaſtica reſtituenda?

Lites deſuper ortæ & ſcripta edita.

(g) Hiſtorie der Reichs-Beſchwerden P. 1. C. 3. pag. 684.
(h) Diſcours über den Weſtphäl. Frieden cap. 3. §. 47.

traria *Diſceptatio ſeu quæſtio utrum bona eccleſiaſtica, &c.* & hujus refutatoria *Amica reſponſio &c.* ac huic oppoſita: *judicium duorum Theologorum.* Notiora ſunt ſcripta Romani Hay *Aſtrum inextinctum*, *Aula eccleſiaſtica*, *Hortus Cruſianus*, & Caſpari Scioppii opellæ ſub diverſis nominibus fictis editæ. Porro autem præſtat de his ſilere in hodiernis præcipue rerum circumſtantiis, quam antiquam crambem recoquere (i). Huic liti finem impoſuit Pax Weſtphalica, quæ ſua finali ſententia partibus litigantibus jus denegavit, & ademit, atque bona eccleſiaſtica in annis *decretoriis* non modo poſſeſſa, ſed etiam quam plurima alia in compenſationem ſumptuum bellicorum belligerantibus adjudicavit (k).

§. XV.

Pax Pragenſis.

Ex dictis poſt *Edictum reſtitutorium* promulgatum præter Guſtavum Adolphum Elector Saxonicus Proteſtantium partibus contra Cæſarem adhæſit. Sed paulo poſt, nempe poſt cæſos prope Nördlingam Suecos cogitationes pacis cogitavit. Jamque de certis Pacis ineundæ conditionibus & punctis Anno 1634. Pirnæ conventum fuit, quæ Elector Saxonicus ſuis ſtatibus exhibuerat. Quidquid hi, ſicut etiam Elector Brandenburgicus in contrarium obmoverant, fixum ratumque erat Electori pacem inire, quæ etiam Anno 1635. die 20. Maji Pragæ feliciter ad finem fuit perducta. Conſtat hæc Pax 80. §§. quæ videri poſſunt in ſupra citatis Authoribus. Haud paucis Imperii ſtatibus Proteſtanticis Pax iſta valde diſplicuit, eorumque deſuper opiniones erant diverſæ, quibusdam illam approbantibus, haud paucis reprobantibus, quam tamen diverſi Imperii ſtatus tandem receperunt (l).

§. XVI.

De tractatibus præliminaribus P. W. Mediatores P. W.

Ut jam revertamur iterum ad *tractatus præliminares*, pro conciliandа inter partes belligerantes pace ſua officia, & mediationes offerebant Elector Saxoniæ, Adolphus Frid. Dux Megapoleos, Sigismundus Brandenb. & præcipue Rex Daniæ & Angliæ, & ipſe Urbanus VIII., illi

(i) Vid. Salig. in hiſtor. Aug. Confeſſ. Tom. 1. pag. 810. & ſeq. Hoornbeck in Diſput. ad Bullam Innocentii X. Hoffmann. in Biblioth. Jur. pub. pag. 338.

(k) P. W. art. 5. §. 26.

(l) Vid. Gundling. loc. cit. cap. V. §. 43. ubi formulam illius per extenſum exhibet, & §. 44. ubi diverſa ſtatum judicia, nec non diverſas *Apologias*, & alia ſcripta, quæ deſuper emanarunt, commemorat.

Digitized by Google

Impedimenta P. W.

Locus pacis ineundæ.

Gallorum obmotæ difficultates.

illi inter Cæſareos & Suecos, hic inter Cæſarem, Reges, Magnates & Proceres Catholicos. Tria autem potiſſimum erant, quæ rebus ſerio agendis moram injiciebant, *literæ ſalvi conductus*, *locus*, in quo conveniendum, & *tempus*, quo tractatibus ſolemne dandum foret initium. Offerebat quidem Legatus Cæſareus literas *ſalvi conductus*, & *commeatus* pro Suecis & Gallis, illis quidem Hamburgi, his vero Coloniæ extradendis. Sed neſcio quæ contra obmovebant Galli (m). Quoad locum diverſa erant Potentiarum ſtudia: Galli Francofurtum, Wormatiam vel Ulmam; Cæſar Conſtantiam, Tridentum, Auguſtam, vel demum Agrippinam, quæ nec Pontifici diſplicuit, proponebant: pro Suecicis vero tractatibus opportuna videbantur loca Hamburgum aut Lübeca. Poſt multas altercationes denique in id conventum, ut tractatus præliminares Hamburgi concludantur, poſtea *literæ ſalvi conductus* intra ſpatium duorum menſium expediantur, & invicem extradantur, atque poſt lapſum unius menſis congreſſibus initium daretur. Quatuor vel omnino 5. anni effluxere, usquedum tractatus præliminares terminarentur, quibus variæ diſceptationes potiſſimum a Gallis excitatæ ratione *tituli cæſarei*, quem Legatus Galliæ Ferdinando denegabat; ratione *præcedentiæ*, quam idem Legatus pro ſuo Rege ante omnes cæteros Reges prætendebat, moram injecerunt (n). Itaque Anno 1641. tandem finis tractatibus præliminaribus fuit impoſitus, & in his pro congreſſibus Pacis inſtituendis duo conſtituta ſunt loca, nempe Weſtphalo-Monaſterium, ut ibidem Galli tractarent cum Cæſareanis; & Oſnabruga, ut ibi ſuos congreſſus haberent Cæſareani & Sueci cum cæteris Proteſtantibus. Dies autem congreſſibus inſtituendis deſignata fuit 25. Martii Anni 1642. Tractatus hi Præliminares legi poſſunt apud Adamum Adami (o), & Gundlingium (p). At vero variæ partium diſceptationes inchoandis tractatibus moram injecerunt, uti mox dicemus.

Comitia Ratisbonenſia.

Quid in iis actum.

Quo tempore autem in perficiendis tractatibus præliminaribus Legati occupati erant, Ratisbonæ Imperator Anno 1640. & 41. celebravit *Comitia*, in quibus de conciliandis inter ſe partibus belligerantibus, & ineunda Pace agebatur. Sunt hæc Comitia valde ſpectabilia, in quibus de *literis ſalvi conductus* expediendis, loco pro *tractatibus* Pacis eligendo,

Rrr 2

(m) De his vid. Adamus Adami Relat. Hiſt. pag. m. 14. & ſeq.
(n) Idem pag. 15. & Gundling. loc. cit. cap. 6. §. 115. & ſeq.
(o) Loc. cit. pag. 27.
(p) Loc. cit. §. 119.

Digitized by Google

gendo, ſtatuenda *Amneſtia*, de modo ſatisfaciendi Suecis, ac potiſſimum tollendis Religionis gravaminibus fuit actum. In his igitur Proteſtantes haud ſecus, quam Catholici ſua Religionis & Eccleſiæ proponebant *gravamina* & plurima & graviſſima, quæ per extenſum recenſet Gundlingius (q).

Quæ vero tempore illo intermedio a tractatibus Præliminaribus usque ad ipſos Tractatus Pacis Weſtphalicæ contigerunt, nolo multis recenſere. Adeo ſcrupuloſe res tractabantur, ut *literæ Ratificationis* tractatuum præliminarium a Cæſare primum ad initium Anni 1643. fuerint expeditæ, ipſa vera reciproca communicatio & extraditio Inſtrumentorum & tractatuum præliminarium fuerit dilata ad diem usque 28. Aprilis, ubi ſimul terminus pro inchoandis conferentiis fuit decretus dies primus Julii ejusdem anni (r). Itaque eodem anno Pars legationis Cæſareæ Hamburgo Oſnabrugum, Pars Colonia Monaſterium abiit, ibique præparatoria, quæ videbantur neceſſaria, fecit, neutiquam tamen ad diem decretum convenere. Die 30. Julii advenit Monaſterii Legatus Cæſareus Principalis. Secuti ſunt Legati, Hiſpanus, Venetus, Danus & Suecus. Anno 1644. demum Plenipotentiarii Gallici eo pervenerunt, qui præter omnium expectationem omnes Imperii ſtatus ad hos tractatus invitandos eſſe exiſtimabant. Multum deſuper inter Cæſareos, & Gallos litigabatur, utrum ſtatus Imperii ſint vocandi, & exſpectandi, utriusque argumenta paſſim Scriptores exhibent (s). Sed cedendum fuit Gallis & Suecis. Hinc etiam Deputati Imperii, qui tunc temporis Francofurti agebant, Anno 1645. in Weſtphaliam deſcenderunt. Denique Plenipotentiarii & Legati præſentes obtinuerunt ſua *Mandata* emendatiora, de quibus anno præterito multæ fuere obortæ lites, eaque exhibuerunt & invicem communicarunt. Tantæ molis erat neceſſarias facere diſpoſitiones, ut denique ad ipſas conferentias & tractatus deſcendi poſſet. Itaque mirum videri non debet, tantum effluxiſſe temporis a tempore Præliminarium concluſorum usque

Præparatoria ad tractatus.

An ſtatus Imperii ad tractatus Pacis admittendi?

(q) Loc. cit. cap. 6. §. 128. & ſeq.

(r) Has idem Gundlingius exhibet loc. cit. pag. 675. Ratificationem vero Gallicam lege ſis in Lunigs Reichs-Archiv. P. Spec. pag. 401.

(s) Vid. Adamus Adami Relat. Hiſt. Edit. Francof. pag. 43. 47. 48. 53. Item Gundling loc. cit. §. 56. ubi etiam inſeruit ſcriptum quoddam typis impreſſum ſub titulo: ob des H. R. R. Stände bey den allgemeinen Friedens-Handlungen zuzulaſſen.

Digitized by Google

que ad initium ipſorum tractatuum (t). Jam ad ipſam Pacem Weſtphalicam.

CAPUT VI.
De Pace Weſtphalica.

§. I. *Hiſtoria P. W. ab anno* 1645. *usque ad an.* 1648. II. *Quid ſit Pax Weſtphalica?* III. *Quæ ſummatim in ea contineantur?* IV. *Quæ præcipua illius capita & controverſiæ in ea agitatæ, & poſtea inde natæ?* V. *De annis regulativis.* VI. *An licite & valide fuerit inita?* VII. *De Proteſtatione Pontificis contra eam.* VIII. *De illius effectu.* IX. *Et interpretatione.* X. *De juribus Imperatoris in rebus Religionem & Eccleſiam proteſtanticam præcipue ſpectantibus.* XI. *De Comitiis & tribunalibus Imperii in iisdem.* XII. *De æqualitate Religionum toleratarum.* XIII. *De controverſiis & gravaminibus Religionis poſthac abolendis.* XIV. *De Scriptoribus, commentatoribus & verſionibus P. W.*

§. I.

Bellum continuatur. Tres effluxere anni atempore, quo belligerantibus placuit in conferentiis de pace concludenda ſerio agere. Interea ab armis non fuit ceſſatum. *Armiſtitium inter Bavaros & Suecos.* Galli & Sueci conjunctis viribus invadunt Bavariam, obſident Auguſtam, depopulantur ditiones Bavaricas, & demum faciunt hyemalia, donec inter Electorem Bavariæ, & Suecos armiſtitium fuerit concluſum (u). *Gallorum irruptio.* Interea Galli irrumpunt in ditiones Moguntinas, & ab Electore *Neutralitatem*, necnon pro avertendis hyemalibus 50000, florenos extorquent. Haud feliciorem fortunam experiebantur ditiones Darmſtadienſes, a quibus haud ſecus ingentem pecuniarum ſummam Galli extundebant, & pro complenda earum ſumma campanas Eccleſiarum vendebant. *Sueci Bohemiam invadunt.* Poſt initam pacem aut potius armiſtitium cum Electore Bavariæ Sueci opportuna occaſione utendum

 rati

(t) Plura vid. in Actis P. W. Meyerianis, in Relat. Hiſt. Adami, in Gundlingio, in Pufendorffio, aliisque.

(u) Vid. Theat. Europ. Tom. 5. pag. 1246. Londorp. Tom. 6. pag. 182. Pufendorff. l. 19. §. 2. 7. 26.

Digitized by Google

rati iterum Bohemiam invadunt, Egram obſident: Imperator ipſe in ſummum vitæ diſcrimen adducitur, Elector Bavariæ novum init fœdus cum Imperatore, quo audito Sueci purgant Bohemiam, redeunt in Bavariam, Cæſarianos cædunt, & Bavariam mirum in modum depopulantur. Hæc dum in Bavaria aguntur, notabilis pars Suecici exercitus iterum Bohemiam inopinato aggreditur, Pragam obſidet, & feliciter expugnat, dum interea, priusquam nuntius de expugnatione Pragæ adveniebat, Pax Weſtphalica ſuum finem exoptatiſſimum obtinuit, illum certe non obtentura, ſi idem nuntius citius adveniſſet.

Bavariam.

Praga a Suecis expugnatur.

Propoſitiones Pacis ineundæ Gallorum & Suecorum. Status Imperii admittuntur.

Tandem poſt multas altercationes Propoſitiones Pacis ineundæ a Suecis non minus, quam Gallis 1. die Jan. 1645. Cæſareanis communicantur (x). Quo facto de modo negotium Pacis tractandi & de eo principaliter conſultabatur, an & quomodo ſtatus Imperii ad tractatus Pacis ſint admittendi. Placuit omnes admittere & diem 23. Auguſti pro ſolenni conventuum auſpicio præfigere, ita quidem, ut conſultationes fierent ſecundum ordinem trium Collegiorum, id eſt Electorum, Principum, & Statuum, & ex omnibus tribus Collegiis quidam Oſnabrugam, quidam alii Weſtphalo-Monaſterium deputarentur (y).

Utrum Legati Epiſcoporum evangelicorum admittendi, dubitatur.

Hiſce ita compoſitis mox aliæ lites & controverſiæ oboriuntur, an videlicet Legati Epiſcoporum Evangelicorum, item Magdeburgenſis, Caſſelanus, Darmſtadienſis, Durlacenſis, Argentinus ſint admittendi. Singulis ferme ſingulares opponebantur exceptiones, inter quas illa præcipua & notabiliſſima, quæ Epiſcopis, aut Principibus Evangelicis evangelicos Epiſcopatus poſſidentibus facta fuit, quod hi vigore *Reſervati eccleſiaſtici* a Comitiis Imperii omnino fuerint excluſi. Atque hæc exceptio fuit ſummi momenti, & multum in Pace Weſtphalica agitata, usquedum lis compoſita, & in id fuerit conventum, ut Epiſcopi in ſcamno transverſali ſedentes Comitiis intereſſent, de quo ſuo loco (z).

Reſponſa Cæſarea ad propoſitiones

Interea expediebantur *Reſponſa Cæſarea* ad *propoſitiones* Galloru & Suecorum, & Legatis ſtatuum in unum convocatis 15. Sept. eju de

(x) Gundling. loc. cit. cap. 8. §. 1. & 2.

(y) Emanavit eo tempore ſcriptum, in quo agitabatur quæſtio, utrum ſtatus I perii ad votum & ſuffragium in tractatibus Pacis ſint admittendi, quod in l gua vernacula per extenſum exhibet Gundling. loc. cit. cap. 7. §. 57.

(z) Vid. Meyern. Acta P. W. lib. 6. §. 11. & ſeq. lib. 7. §. 1. lib. 9. §. 15. P ner. lib. 11. §. 22. & 26.

Digitized by Google

dem anni communicabantur (a). Sequebatur *Replica* Suecorum ad reſponſum Cæſaris, quam Legati viva voce in domo Plenipotentiarii cæſarei 28. Decemb. faciebant, ſed nec Galli erant ſegniores in conficienda ſua *Replica*, quam proin eodem tempore & die Nuncio apoſtolico offerebant. Ad hanc ſequebatur *Duplica* ex parte Cæſaris, quæ tamen, ne principale negotium pacis componendæ longiores traheret moras, brevibus expediebatur (b). *Gallorum & Suecorum.*

Jam dicendum foret de conventibus, congreſſibus, conſerentiis, & gravaminibus ex omni parte propoſitis, & oblatis. Sua proponebant gravamina diverſi ſtatus Imperii (c), ſua Proteſtantes (d), ſua Catholici (e), de quibus videri poſſunt, & debent Scriptores ex profeſſo hanc materiam tractantes, inter quos celebriores ſunt Meyrn, Londorpius, Adamus Adami, Pfannerus, Gundlingius. De gravaminibus quibusdam gravioribus recurret mentio in ſeq. §. III. & IV. *De Congreſſibus & Conferentiis.*

Negotiationes Pacis ingenti cum fervore Oſnabrugæ & Monaſterii continuabantur, hinc inde tamen per ſtrepitum armorum, & bellum, ingenti cum fervore continuatum, nec non per infelicia cæſareanorum prælia plurimum impediebantur. In materiis tractandis placuit alternatio: nunc enim negotia belli, nunc Religionis, nunc ſtatus politici tractabantur. Tandem poſt immenſos labores, conſultationes, tractatus, & conferentias Pax eminus proſpexit, dum 20. Jan. 1648. Hiſpani ſe eo declarant, quod poſthac fœderatum Belgium Reipublicæ liberæ inſtar habere, & de cætero ſuis quibuscunque prætenſionibus abſtinere velint. Lætiora pacis auſpicia attulit dies 22. Julii ejusdem anni, qua inter Imperatorem, & Sueciam pax fuit concluſa, & 27. ejusdem in ædibus Plenipotentiariorum Suecicorum publice præſentibus omnibus ſtatuum Imperii Legatis promulgata, etſi ſubſcriptio fuerit dilata, donec cum Rege Gallorum foret conventum, ita tamen, ut ea, de quibus inter Cæſarem & Sueciam convenire placuit, vim haberent perpetuam. Tandem cum Gallis quoque negotium Pacificationis Oſnabrugæ optatum finem obtinuit. Sed quoniam multa adhuc erant Monaſterii expedienda, plerique Legati eo abierunt, Inſtrumentum vero Pacificationis *Negotiationes pacis per ſtrepitum armorum impeditæ. Pax ſucceſſive inita. Ultimato concluſa.*

(a) Hæc reſponſa per extenſum lege ſis apud Gundling. loc. cit. cap. 8. §. 6.
(b) Idem ibid. §. 11.
(c) Vid. Meyern. lib. 9. §. 4. & lib. 10. §. 17. Londorp. Tom. 5. lib. 2. cap. 116.
(d) Meyern. lib. 15. §. 2. Pfanner. lib. 2. §. 69. Gundling. loc. cit. cap. 8. §. 10. Adamus Adami pag. 105. Edit. Francof.
(e) Adamus Adami pag. 113. Gundling. loc. cit. §. 19.

Digitized by Google

cationis ſigillis munitum Cancellariæ Moguntinæ cuſtodiendum, & al ſervandum tradiderunt. Rebus denique ibidem ex integro compoſiti 14. Octob. hora prima pomeridiana Legati Paciſcentium in ædibus Ple nipotentiariorum cæſareorum convenientes Inſtrumento duplici Paci ſubſcripſerunt. Hora 9. veſpertina ſequebatur ſubſcriptio ſtatuum Im perii, & mox per exploſionem tormentorum hora integra continuatar Pax omni populo annuntiabatur (f). Atque hæc eſt illa Pax, de qu nobis jam agendum.

Publice promulgata.

§. II.

Quid ſit Pax Weſtphalica.

Itaque ante omnia quæritur, quid ſit hæc *Pax Weſtphalica.* E dictis conſtat, quod de loco Pacis ineundæ diu fuerit diſputatum, dc nec Oſnabrugæ & Weſtphalo-Monaſterii convenire placuerit. Oſn brugæ ergo convenere Cæſareani cum Suecis & Proteſtantibus, Weſ phalo-Monaſterii cum Gallis, ita tamen, ut licet duplex fuerit editur inſtrumentum Pacis, Pax nihilominus foret communis. Ideo auter pacem binis locis concluſam eſſe exiſtimat Struvius (g), partim ut ev tarentur colliſiones inter Reges paciſcentes, partim quod Sueci & Pro teſtantes Nuntium papalem admittere noluerint. Ambo quidem In ſtrumenta Pacis noviſſimo Receſſu ſunt confirmata: ad Oſnabrugen tamen in Actis publicis præcipue ſolet provocari, tum quod nos Ge manos propius attingat, tum quod ea, quæ Religionis ſunt, in e præcipue fuerint regulata. Eſt igitur Pax Weſtphalica *Conventio tu inter Imperatorem & ſtatus inter ſe, tum inter eos, Regesque Galliæ & Su ciæ anno* 1648. *inita, qua tranquillitas Germaniæ reſtituta, negotia Religi nis, & ad ſtatum publicum pertinentia, aliaque definiuntur.* Eſt hæc d finitio Pacis ſecundum ſuam primævam originem & ſubſtantiam ſpect tæ. Quod ſi jam ſecundum ſuum effectum ſpectetur, procul dubio h bet vim *Sanctionis pragmaticæ* & *legis fundamentalis*, cui in German aſſurgendum etiam in rebus Religionem ſpectantibus, in quantum ſubſtantiæ Religionis & conſcientiæ non repugnat.

Illius duplex Inſtrumentum.

Oſnabrugenſe prævalet, & quare?

P. W. habet vim legis fundamentalis.

§. III.

Quot Articulis utraque Pax conſtet.

Conſtat utrumque Inſtrumentum prooemio, tractatione, & co cluſione. *Cæſareo-Gallicum* ſeu *Monaſterienſe* abſolvitur 13. articuli Cæſ

(f) Vid. Gundling. loc. cit. cap. 8. §. 38. ubi etiam §. mox ſequenti recenſet P nipotentiarios, Mediatores & Legatos, qui præſentes fuerunt.

(g) S. J. P. cap. 6. §. 58.

Digitized by Google

Cæſareo-Suecicum ſeu Oſnabrugenſe continet 17. articulos. Prioris articulos juvandæ memoriæ cauſa in totidem, id eſt, tredecim verſiculos Rachelius (h); poſterioris in ſeptendecim contraxit Burgoldenſis, quos refert Franciſ. Ludov. Habermann, Profeſſor Jurium Herbipolenſis (i). Sunt autem ſequentes, & quidem Pacis Monaſterienſis:

Articulis quatuor minor eſt Pax Gallica Sueca, *Pax Monaſterienſis.*
Non nihil in rebus varians, & in ordine rerum,
In *quatuor primis* (niſi quod removetur Iberus)
Vix eſt diſparitas in re, neque diſcrepat ordo:
Quintus ineſt *quinto*, Gallorum & ſeptimus uni,
In *ſexto* ſociis Gallus dat præmia Cattis.
Helvetiis quod *ſextus* ibi, dat *ſeptimus* iſthic,
Nonus & *octavus* ſimiles ſunt prorſus utrisque:
At *decimus* Gallo loca, quæ cedenda, recenſet:
Undecimo in partes Galli pax Itala tranſit:
Ultimus his illisque fere & *penultimus* idem eſt.

Summam horum articulorum ſub 29. numeris tradit Pfeffingerus (k), quæ tamen commode ad octo numeros reduci poteſt. Itaque in hiſce 12. articulis continetur 1. publica Amneſtia: 2. Controverſia Lotharingica amiçe componenda. 3. Reſtitutio Palatina. 4. Reſtitutio Wirtenbergica. 5. Reſtitutio Badenſis. 6. Satisfactio Gallica. 7. Reſtitutio Auſtriaca. 8. Reſtitutio Sabaudo-Mantuana componenda.

Porro autem miſſo Inſtrumento Pacis Monaſterienſis, quod paſſim apud Scriptores legi poteſt (l), Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis, utpote longe majoris momenti, & quod præcipuum in Germania habet uſum, nonnihil accuratius luſtremus, & primitus verſiculos, in quibus illius articuli continentur, audiamus, quamquam hoſce verſiculos eſſe &

(h) In otio Noviomagenſi pag. 58.

(i) Quem citat. Vitriarius cap. 1. Tit. 2. pag. 286.

(k) Lib. 1. Tit. 2. pag. 284.

(l) Apud Londorpium Tom. 6. Act. public. lib. 4. cap. 2. Item Tom. 1. *Theatri Pacis* pag. 206. Gundlingium loc. cit. cap. 8. in Corp. J. P. apud Schmauſium.

Digitized by Google

& barbaros, & minus accuratos, & exiguæ utilitatis ultro largiamur:

Oſnabrugenſis.

Articulis *ſeptem* & *denis* pax Suecica conſtat.
Primus amicitiæ conjungit fœdere partes.
Præteriti immemores læſos vult eſſe *ſecundus.*
Priſtina reſtituit *ternus* ſua jura cuique,
Enumerat *quartus* ſpeciales reſtituendos,
In ſacris *quintus* conflata gravamina ſolvit.
Helvetiis *ſextus* dat libertatis honorem,
Septimus in fœdus Calvinum pacis adoptat,
Jura politiæ ſtatibus *bis quartus* adumbrat,
Flori reſtituit veteri commercia *nonus*,
Bellorum *decimus* partitur præmia Suecis.
Brandenburgiaco *undecimus* Pomerana reſarcit.
Mecklenburgiacis *bis ſenus* adempta rependit,
Brunſwigum *decimi* demulcent munera *terni.*
Dat Confeſſori *decimus* ſolatia *quartus*,
Haſſum *ter quino* placant & Clerus & Haſſus.
Arma *bis octonus* ſiſtit, pacemque reducit,
Septimus hanc firmat *decimus*, redditque perennem.

Summa horum articulorum.

Nimis longum foret breviſſimam etiam ſummam eorum, quæ in hiſce 17. articulis continentur, tradere. Hujuſmodi ſummam ſub 29. numeris contentam præbet citatus Pfeffingerus (m). Continent autem hi articuli potiſſimum ſequentia. 1. Generalem Pacem inter Imperatorem & Imperium, Regem Galliæ, Regem Hiſpaniæ, & Regnum Sueciæ, 2. Amneſtiam generalem, 3. Reſtitutionem in genere, 4. Reſtitutionem generalem. 5. Religionis ſecuritatem, Pacem & negotia inter Catholicos & Proteſtantes, 6. Helvetiorum immunitatem, & libertatem, 7. Reformatorum receptionem in communionem Religioſæ Pacis, 8. confirmationem jurium & privilegiorum ordinum Imperii, 9. abolitionem teloniorum recens impoſitorum, 10. Satisfactionem Suecicam pro impenſis bellicis, 11. Satisfactionem Brandenburgicam pro conceſſa Suecis Pomerania, 12. Reſtitutionem & ſatisfactionem Megapolitanam pro ceſſa

(m) Loc. cit. pag. 286.

Digitized by Google

ceſſa Suecis Wiſmaria, 13. compenſationem, ſatisfactionem, & reſtitutionem domus Brunſwicenſis & Lüneburgenſis, 14. ſatisfactionem Chriſtiani Wilhelmi Marchionis Brandenburgici pro ceſſione ſummæ 12000. imperialium ex Archiepiſcopatu Magdeburgenſi ſolvendorum, 15. ſatisfactionem Haſſo-Caſſelanam, 16. Executionem pacificationis hujus, 17. ejusdem ratihabitionem, validitatem, pœnalemque munitionem. Ipſum Inſtrumentum videatur in citatis Authoribus (n).

§. IV.

Præcipua tamen Pacis Weſtphalicæ capita, de quibus in ipſis tractatibus vehementiſſime fuit diſputatum, & ex quibus plures aliæ controverſiæ, de quibus hodie acerrime diſputatur, ſunt prognatæ, ſunt ſequentia: 1mo *Tranſactio Paſſavienſis* & *Pax Religioſa* fuit confirmata (o). 2do *tres Religiones* in Imperio Romano Germanico *toleratæ*, & *æquiparatæ*, nempe Catholicorum, Proteſtantium & Reformatorum (p), cum antea nonniſi duæ Catholicorum & Proteſtanticorum tolerantiam *qualificatam* habuerint (q), 3tio anni quidam *normales*, *regulativi*, *decretorii*, & uti vocantur, *critici* ſeu *termini* pro reſtitutione tam ex capite *Amneſtiæ* (r), quam ex capite *gravaminum* (s), necnon pro *exercitio Religionis* poſiti (t). 4to *Jus reformandi* ſtatibus confirmatum (u). 5to *Reſervatum eccleſiaſticum* etiam ad Proteſtanticos extenſum (x). 6to *Jus emigrandi* cum certis limitibus conceſſum & reſtrictum (y). *Concordata Germaniæ* reſpectu Proteſtanticorum ſublata (z). 7timo de menſibus *Papalibus* in Capitulis mixtis diſpoſitum (a). 8vo *Jurisdictio* Epiſcoporum unacum *lege Diœceſana* in terris Proteſtantium ſuſpenſa, ac Dominis territorialibus aſſerta (b). 9no Imperatori jus primarum precum aſſertum (c). *Præcipua P. W. capita.*

Atque hæc ſunt illa puncta principaliora (quamvis non deſint plura alia) ſuper quibus in Pace Weſtphalica adeo vehementer fuit diſputatum, & adhuc diſputatur. Immenſus eſſe deberem, ſi de his ſecundum *Controverſiæ principaliores P. W. obiter inſinuantur.*

(n) Vid. Schmauſii Corp. J. P.
(o) Art. 5. §. 1. (p) Ibid. (q) Vid. dicta art. præced.
(r) Art. 3. P. W. §. 1. (s) Art. 5. §. 2.
(t) Eod. Art. §. 31 (u) Eod. Art. §. 29.
(x) Eod. Art. §. 15. (y) Eod. art. §. 36. & 37.
(z) Eod. §. 19. (a) Eod. §. 20. (b) Eod. §. 48.
(c) Eod. §. 18.

Digitized by Google

dum ſua merita agere vellem. Ut tamen difficultates, & controverſias non niſi obiter attingam, ipſi Proteſtantes ægerrime Reformatos in conſor tium ſuorum jurium admiſerunt, & in hodiernum usque diem litigatu in quo illa *æqualitas* Religionum toleratarum conſiſtat, & quæ ab hac re gula ſint exceptiones. Integris ſex annis teſte Pfannero (d) diſput tum fuit de termino reſtitutionis ex *parte gravaminum* determinando dum Proteſtantes annum 1618.; Cæſareani annum 1630. præfigeban De *Jure reformandi*, de exercitio Religionis proteſtanticæ determinar do quantopere fuerit concertatum, quis ſatis edicere valeat? Agemu de hoc puncto in duobus ſequentibus articulis. Quid dicam de *Reſe vato eccleſiaſtico?* quod ſane ægerrime ad Proteſtanticæ Religioni add ctos extendi patiebantur Catholici. Illa *menſium Papalium* reſtricti *Concordatorum* ſublatio, *ſuſpenſa juriſdictio* epiſcopalis quamplurimi quæſtionibus, & controverſiis campum aperuit ampliſſimum. Nem adeo rerum ignarus eſt, ut ignoret controverſias, lites, & difficultate ſuper *jure primarum precum* usque nunc motas, quibus in hodiernar usque diem nondum ſatisfactum. Atque hæ quæſtiones & controve ſiæ ſunt quaſi *extrinſecæ*, quæ non tam ipſam Pacem, illius conſtituti nem, obligationem, ac robur, quam ipſa puncta in Pace Weſtphalic deciſa concernunt, quæ interea obiter ſolummodo indigitare placui Pleniorem harum quæſtionum diſcuſſionem ad art. ultimum differimus.

Sunt aliæ quæſtiones & difficultates veluti *intrinſecæ*, ipſam Pace attingentes, in quibus agitur de illius obligatione, effectu, interpr tatione, & mediis illam conſervandis, ſine quarum elucidatione P firma & ſolida nequit conſiſtere. Atque de his agemus in ſequentib §. §. ſit ergo.

§. V.

Primaria intentio P. W. & paciſcentium quæ fuerit.

Cum primaria paciſcentium intentio fuerit, Pacem ſolidam, firma ac perpetuam conſtituere, & Religionis non minus, quam ſtatus publ tam eccleſiaſtici, quam politici ob res mirum in modum turbatas & fer collapſas interfuerit, pacem accelerare, & bello finem imponere, id connitendum fuit, ut controverſiæ, lites & diſſidia cito expediant & ita ſopiantur & terminentur, ne poſtliminio reviviſcant, & novam multum bellorumque cauſam præbeant. Duo autem fuere præcip quæ Pacem reddebant longe difficillimam, videlicet *gravamina Reſti tion*

Pacem difficillimam reddiderunt

(d) In hiſt. P. W. Vid. Gundling. loc. cit. über den Oſnabrücker Friedens-Schl Art. 5. §. 2. pag. 144.

gravamina Reſtitutionis, & Religionis.

Anni regulativi ſeu normales fuere decreti.

tionis, & *gravamina Religionis.* Idcirco cogitandum erat de remediis quibus controverſiæ præſentes cito expedirentur, & futuris omnis via præcluderetur. In hunc finem placuit conſtituere quosdam *terminos temporis*, ſecundum quos tum reſtitutio facienda, tum regulandum foret Religionis exercitium, quos terminos communius ſolent vocare annos *normales*, *directivos*, *regulativos*, *Criticos*. Erant enim plures, qui vel ante bellum tricennale, vel illo durante poſſeſſiones ſuorum bonorum amiſerunt, & in eas ſe reſtitui cupiebant, quod eam injuſte amiſiſſe conquererentur. Quoniam vero hujusmodi lites ſecundum omnes juris apices diſcuti, definiri & terminari non poterant, placuit paciſcentibus pro acceleranda pace, abbreviandis, & præcavendis litibus etiam in futurum certos temporis *terminos* ſeligere, ita, ut qui hoc vel illo anno, & die fuerit in poſſeſſione, eam vel retineat, aut, ſi eam amiſerit, in eam reſtituatur, quin contra eam poſthac amplius in *poſſeſſorio*, ſi ex capite *Amneſtiæ*, aut etiam in *petitorio*, ſi ex capite *gravaminum* fiat reſtitutio, agi poſſit (e).

Haud ſecus Proteſtantes valde erant ſoliciti pro ſuæ Religionis exercitio tum reſtituendo, tum dilatando. Cum enim a tempore reformationis etiam poſt Pacem Religioſam tam ante bellum tricennale, quam illo durante illud in locis pluribus a ſe violenter occupatis aut ex declaratione Ferdinandea, aut ex pactis, privilegiis, aut longævo uſu obtinuiſſent (f), in quibusdam vero amiſiſſent, tota contentione in eo laborarunt, ut ſuæ Religioni meliorem in modum proſpicerent, illiusque exercitium ſalvum & integrum conſervarent, quin etiam dilatarent. In hunc finem varia propoſuerunt media e.g. ut exercitium Religionis Proteſtanticæ illis ſaltem concedatur, qui illud ex declaratione Ferdinandi, aut ex pacto, privilegio, & uſu obtinuerunt (g). Poſtquam autem conveniri non poterat, in id demum fuit conventum, ut

(e) Nam id eſſe diſcriminis inter reſtitutionem ex capite *Amneſtiæ*, & ex capite *Gravaminum*, quod illa locum relinquat *petitorio*, non vero iſta, infra dicemus.

(f) Hæc eum in finem addimus, quia ex mente Excelſi Authoris ſupra ſæpius citati, & infra citandi, Proteſtantes exercitium Religionis obtinuerunt ſecundum annum normalem regulandum non pro tota Germania & omnibus Proteſtanticis, qui in anno normali illud habuerunt, ſed pro illis ſolummodo, qui illud ex declaratione Ferdinandea, vel pacto, privilegio aut uſu habuerunt. Vid. Compend. Hiſtor. Gravam. Sect. 4. cap. 1.

(g) Idem Excel. Author. loc. cit.

exercitium Religionis Proteſtanticæ ad annum 1624. alligaretur, ita ut, qui in quacunque parte illud in terris Principum Catholicorum habui illud poſthac habeat & retineat. Utrum vero hoc ſit intelligendum niverſaliter & pro tota Germania, vel ſolummodo pro locis, in quibu Proteſtantes ex *declaratione Ferdinandea*, pactis, privilegiis, & longo vo uſu exercitium habuerunt, prout vult Excelſus Author ſupra ſæpi citatus, infra dicemus.

Tres anni regulativi. Tres præcipue annos *regulativos*, ſeu *normales* & *criticos* Paciſcen bus placuiſſe ſtatuere in Pace Weſtphalica, ferme communis eſt Doct rum ſaltem Proteſtanticorum doctrina, videlicet, annum 1618. pro lis, qui reſtituendi erant ex capite *Amneſtiæ* tam in ſacris, quam prof nis (h); annum 1624. in quo ſit reſtitutio ex capite gravaminum in e cleſiaſticis (i) unaque exercitium Religionis determinatur (k); annu 1648. ſeu initæ pacis pro Reformatis (l), & Proteſtantibus in ordi ad Epiſcopatus ſæculariſatos (m).

Utrum reſtituendi ex capite Amneſtiæ habeant annum regulativum. Quantum ad illos, qui reſtituendi ſunt *ex capite Amneſtiæ*, ſunt A thores graviſſimi, qui equidem reſtitutionem ex *capite Amneſtiæ* ha inficiantur, attamen annum quemdam *decretorium*, nominatim anni 1618. pro his eſſe ſtatutum ex fundamentis ſat gravibus negant (Inprimis enim in art. 3. §. 1. qui eſt ſedes hujus materiæ, nulla pror ſit mentio hujus anni *decretorii*, ſed ſolummodo dicitur: *quibus ante tus Bohemicos gaviſi ſunt.* At vero utique non ſunt termini convertibi *annus* 1618. &: *ante motus Bohemicos.* Incœpere quidem motus B

Quomodo intelligenda ſint verba: ANTE MOTUS BOHEMIÆ. hemici anno 1618. Sed verba iſta *ante motus Bohemicos* involvunt t minum longe ampliorem, quam annum 1618., nempe totum il tempus, quod a tempore Pacis Religioſæ usque ad initia motuum Bo micorum effluxit. 2do. In aliis locis, in quibus de anno *regulativo* cernendo agitur, annus hic verbis expreſſis nominatur (o), quare etiam hic, ſi intentio paciſcentium fuit reſtringere reſtitutionem ex *pite Amneſtiæ* præciſe ad annum 1618.? 3tio termini illi: *occaſione fœde* ex confeſſione Proteſtanticorum ampliative ſunt ſumendi & extende ad fœdera non illa duntaxat, quæ *occaſione motuum*, ſed illa eti quæ longe præceſſerunt prædictos motus, adeoque usque ad fœd *unioniſta*

(h) Art. 3. §. 1. (i) Art. 5. §. 2. (k) Art. 5. §. 31.
(l) Art. 8. §. 2. (m) Art. 11. §. 11.
(n) Inter hos eſt celeberrimus Rittmeyerus in ſuis *vindiciis juris reforn* anno 1703. editis. Vid. Henninges Medit. art. 4. §. 6. pag. 39.
(o) E. g. Art. 5. §. 2. & §. 31. Item cit. art. 8. §. 2.

Digitized by Google

unioniſtarum, & *ligiſtarum*, quare non etiam illa verba: *occaſione motuum*? 4to Catholici, dum agebatur de reſtitutione *ex parte gravaminum*, ſemper proteſtati ſunt contra annum 1618., neque perſuaderi potuerunt, ut illum tanquam annum *regulativum* acceptarent, quemadmodum infra dicemus. Quis ergo ſibi perſuadeat, quod illum pro reſtitutione ex *capite Amneſtiæ* admittere voluerint? cum etiam ex hoc capite facienda foret reſtitutio non in politicis tantum, ſed etiam *in ſacris* adeoque reſpectu Religionis. 5to Ex Actis publicis conſtat, quod dum in prima propoſitione Suecica *Amneſtia generalis* ad annum 1618. fuerat redacta, Cæſar autem illam reduxerat ad annum 1630. juxta publicatam in Comitiis Ratisbonenſibus anno 1641. *amneſtiam*, utrique parti pro maturanda pace placuerit abſtrahere a temporibus hiſce definitis, & tempus aliquod indefinitum, videlicet *ante motus Bohemicos*, vel *ante deſtitutionem* decernere, & hoc ipſo annum 1618. neuter eorum voluerit pro anno *decretorio* ſtatuere, ſicuti refert ipſe Henninges parti adverſæ addictus (p). 6to optimam Pacis Interpretem eſſe praxin & quidem eam, quæ immediate ſequebatur pacem, nemo negaverit. Jam vero conſtat, quod immediate poſt P. W. Imperator Carolum Ludovicum in Palatinatu inferiori & in omnibus ditionibus, ac appertinentiis non prout Fridericus V. Pater anno 1618. eas poſſederat, ſed prout deceſſores ejus, Electores, & Comites *ante motus Bohemicos* habuerant, inveſtiverit, argumento manifeſtiſſimo, terminos hos *ante motus Bohemicos* non poſſe reſtringi ad annum 1618., ſed potius ad duo ad minimum ſæcula ſeſe extendere. 7mo equidem hinc inde fieri mentionem anni 1618., negari non poteſt. Verumenimvero id cum grano ſalis accipiendum, non in eo ſenſu, quod reſtitutio ad illum annum tanquam ad *terminum*, a quo ſolo reſtitutio menſuranda foret, ſit reſtringenda; ſed quod eo anno motus Bohemici incœperint, & hic annus ſit terminus eo ipſo valde notabilis, non in ordine ad menſurandum tempus reſtitutionis faciendæ, ſed in ordine ad menſurandum tempus, quo *motus Bohemici* incœperunt. 8vo & ſi termini iſti, *occaſione motuum* determinate ſignificent annum 1618. tanquam *annum regulativum*, quare Paciſcentes nullibi, niſi in art. 4. §. 50., in quo eſt caſus ſpecialis de renovatione feudorum intermiſſa, mentionem faciunt anni 1618. & tempus renovandæ inveſtituræ a die factæ pacis cedere ſtatuunt (q)? & nunc dicunt:

(p) Medit. ad P. W. art. 4. §. 6. pag. 39. & ſeq.

(q) Scimus aliunde, quod feuda multa habeant ſingularia, & hujusmodi actus, quales ſunt renovatio feudi, petitio Inveſtituræ tempore belli facile intermitti ſoleant.

Digitized by Google

cunt: *ante exortos Bohemiæ motus*, ſicut art. 4. §. 26. nunc: *tempore hujus belli* art. 4. §. 41. nunc: *ante dictos motus* art. 4. §. 51. nunc: *ante bellum* art. 5. §. 38. imo alibi ſolummodo: *quidquid juris antehac habuit* art. 4. §. 21.

Argumenta pro anno regulativo reſtitutionis ex capite Amneſtiæ.

Hiſce opponunt Proteſtantes ſequentia: 1mo non eſt veroſimile, quod Reſtituendi terminum adeo vagum ac indeterminatum petere; Paciſcentes vero illum decernere voluerint. 2do verba: *ante motus Bohemicos* idem ſignificant hoc loco, quod alio: *ante deſtitutionem.* Sed verba: *ante deſtitutionem* ſignificant tempus immediate præcedens: cum itaque deſtitutio Friderici V. poſt annum 1618. immediate contigerit, hunc ipſum annum non poteſt non pro deſiguatione & ſtatu haberi illius temporis, quo reſtitutio eſt metienda. 3tio ex alio capite non eſt veroſimile, quod terminum adeo vagum reſtitutionis ſtatuere voluerint: cum enim ſtatum rerum intra tantum temporis ſpatium ſæpius mutari contingat e. g. ſtatum Religionis, nemo ſane abſolute aut ſaltem nonniſi difficillime ſcire poſſet, quem in ſtatum reſtitutio facienda foret, niſi ad terminum ultimum *ante motus Bohemicos*, *ante mutationem*, *ante deſtitutionem* reſpiciatur. 4to ex art. 3. §. 1. etiam ipſi ſubditi ſunt reſtituendi: at vero reſpectu horum annum 1618. eſſe *decretorium* ipſe Elector Palatinus agnovit, quippe qui Catholicis ſuas Eccleſias reſtituit, ſi modo anno 1618. eas poſſediſſe, & Religionis Catholicæ exercitium habuiſſe probare poſſent. 5to nemo melius ſenſum Pacis Weſtphalicæ, & intentionem paciſcentium ſcire poterat, quam Volmarus Cæſaris ad P. W. legatus, quem hujus opinionis fuiſſe, atque Pacem Weſtphalicam ad annum 1618. reſtrinxiſſe, patet ex reſponſo, quod, cum Legatum ageret in aula Palatina, Ludovico Carolo dediſſe refert Henninges (r). Cæterum multum intereſſe, quid in hac re dicatur, facile quisque intelliget. Nam ponamus, quod Fridericus V. jus quoddam anno 1618. non exercuerit, eoque exciderit, quod tamen legitime exercuere Prædeceſſores: fane ſi pro anno *normali* annus ille 18. adoptetur, Electores Palatini reſtitutionem illius juris prætendere non potuerunt; ſecus vero, ſi verba

(r) Loc. cit. pag. 42. ubi refert, quod, cum Elector Palatinus quereretur, ſibi nondum in reſtitutione Palatinatus ſuiſſe ſatisfactum, & quosdam ſubditos e Diœceſi Spirenſi ſibi reſtitui vellet, Volmarus in reſponſis dederit, Electori incumbere, ut ſpecifice probet & determinet, quæ & quot mancipia ex Diœceſi Spirenſi anno 1618. ad initium motuum Bohemicorum ad domum ſereniſſimam Palatinam pertinuerint.

Digitized by Google

verba illa *ante motus* ampliative ſumantur, & ad tempora anteriora extendantur.

Quidquid jam de hac quæſtione ſit, explicemus nonnihil cit. §. 1. art. 1. Et quidem, quantum ad reſtituendos *ex capite Amneſtiæ*, ex hoc capite reſtituendi erant *univerſi & ſinguli S. R. J. Electores* (verba ſunt Pacis) *Principes, ſtatus (comprehenſa Imperii nobilitate) eorumque Vaſalli, Subditi, Cives & Incolæ, quibus occaſione Bohemiæ Germaniæve motuum vel fœderum hinc inde contractorum ab una vel altera parte aliquid præjudicii aut damni quocunque modo vel prætextu illatum eſt tam quoad ditiones & bona feudalia, ſubfeudalia & allodialia, quam quoad dignitates, immunitates, jura & privilegia tam in ſacris quam profanis, & quidem in eum ſtatum, quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, non obſtantibus ſed annullatis quibuscunque interim in contrarium factis mutationibus* (s). *Quinam ex capite Amneſtiæ reſtituendi?*

Fundat ſe hæc reſtitutio in *Amneſtia* univerſali: nam ait §. 1. *juxta hoc univerſalis Amneſtiæ fundamentum*. At vero cum ſola *Amneſtia* reſtitutionem non importet, opus fuit ſingulari lege in ordine ad obtinendam reſtitutionem occaſione Amneſtiæ. Cæterum ipſam etiam *Amneſtiam* univerſalem ægre admodum conceſſit Imperator, a qua voluit excludere Palatinatum, Ducatum Würtenbergicum, aliosque ſtatus Imperii, eoquod in iis Proteſtantes multa occupaſſent Monaſteria, quorum reſtitutionem Imperator urgebat. Verum alternante belli fortuna, imo armis Cæſaris multum inimica demum in *Amneſtiam* univerſalem Imperator conſentire debuit (t). *Reſtitutio ex capite Amneſtiæ fundatur in Amneſtia univerſali.*

Itaque beneficium Reſtitutionis fuit indultum omnibus, qui *occaſione motuum*, aut *fœderum* aliquid damni paſſi ſunt, ubi pulchre animadvertit Henninges (u), *occaſionem* non pro *cauſa* ſolummodo, ſed *quacunque opportunitate* eſſe accipiendam, atque hujus rei haud parum intereſſe: nam ſi pro *cauſa* ſumatur, tunc ii ſolummodo reſtituendi erant, qui mox ab initio motuum Bohemicorum bello fuere implicati, a quacunque belligerantium parte ſteterunt: ſi vero pro *occaſione*, tunc illi etiam beneficio reſtitutionis gaudent, qui, eſto belli non fuerint participes, nihilominus in ſuis bonis & terris fuere a belligerantibus læſi, & damnifi- *Verba: OCCASIONE MOTUUM quomodo accipienda?*

(s) Loc. cit. art. 3. §. 1.
(t) Gundling. ad Inſtrum. Pac. Oſnabrug. §. 1. Art. 3. ubi id ex Adamo Adami probat.
(u) Medit. art. 3. §. 1. pag. 20.

Digitized by Google

Verba: OCCASIONE FOEDERUM quomodo ſumenda?

damnificati, aut ſuis ditionibus exciderunt. Illud quoque, quod dicitur: *occaſione fœderum*, intelligendum eſt de fœderibus non illis duntaxat, quæ *occaſione motuum Bohemiæ*, ſed etiam illis omnibus, quæ initio ſæculi ſuperioris usque ad prædictos motus fuere inita, ad quæ præcipue ſpectant illæ confœderationes, unde *unioniſtarum* & *ligiſtarum* factio nomen traxit (x). Inſuper damnum debet eſſe datum ab una vel altera parte belligerantium & fœderatorum, ut adeo duo requirantur ad decernendam reſtitutionem ex *capite Amneſtiæ*, nempe 1mo ut damnum ſit datum *occaſione motuum* Bohemiæ Germaniæve, aut *fœderum*, 2do ab una vel altera parte fœderatorum, ſicut mox dictum.

Quinam hoc beneficio reſtitutionis non gaudeant.

Præterea *univerſi* & *ſinguli* præfati ſunt reſtituendi, prout ſonant verba, id quod intelligendum eſt, *niſi qui ſint excepti*: ſic enim apud multos reſtituendos nullius temporis ſit mentio (y); aut aliud reſtitutionis beneficium habeant, quale habent e. g. Vaſalli Auſtriaci, qui contra Cæſarem arma arripuerunt, quibus ſua bona reſtituenda erant, prout fuere *tempore pacis initæ* ſine refuſione fructuum & expenſarum (z). Sic etiam domus Solms jubetur reſtitui in bona & jura ſibi anno 1637. adempta (a). Quidam etiam in profanis pro anno regulativo acceperunt annum 1624. uti domus Waldeck.

Reſtitutio ex capite Gravaminum eſt pinguior altera ex capite Amneſtiæ.

Et quidem reſtitutio decernitur *plenaria* nulla ſui parte defectuoſa & manca: dicitur enim *plenarie*, tam in *ſacris* quam *profanis*, aliter quam in reſtitutione, quæ facta fuit ex *capite Gravaminum*, utpote quæ ſe ſolummodo extendit ad ſacra, & ea, quæ occaſione ſacrorum in politicis mutata. Cæterum in eo pinguior eſt reſtitutio ex *capite Gravaminum*, quam illa *ex capite Amneſtiæ*, quod illa poſſeſſorem reddat ſecurum tam in *poſſeſſorio* quam *petitorio*, & nullam amplius admittat probationem, vel exceptionem juris; hæc vero ſolum reſpiciat *poſſeſſorium* ſalvo manente *petitorio*, prout §. mox ſequenti fuit declaratum per verba: *quemadmodum vero tales reſtitutiones omnes & ſingulæ intelligendæ ſunt ſalvis juribus*

(x) Idem author loc. cit. pag. 21. ubi ſic habet: *Hoc quod de fœderibus dicitur, retrotrahendum eſt ad illa etiam tempora, quæ motus Bohemiæ & Germaniæ præceſſere, neque enim fœdera tantum iſtorum motuum occaſione hinc inde contracta comprehendit, ſed etiam illa omnia, quæ initio ſæculi ſuperioris usque ad prædictos motus init a ſunt, ad quæ inprimis ſpectant illæ confœderationes, unde unioniſtarum, & ligiſtarum factio nomen traxit.*

(y) Vid. art. 4. §. 27. §. 28. §. 30. 31. &c.

(z) Art. 4. §. 53. & 54.

(a) Art. 4. §. 38.

bus quibuſcunque tam directi quam utilis dominii &c. (b). Alias differentias inter utramque reſtitutionem mox infra dabimus.

Alter annus regulativus continetur in Art. V. §. 1. & 31, præcipue, in quibus continetur beneficium reſtitutionis in eccleſiaſticis ex *capite Gravaminum* tam reſpectu ſtatuum imperii immediatorum a §. 1. usque ad §. 30. incluſive, quam reſpectu Landſaſſiorum ac ſubditorum proteſtanticorum ſub Principe Catholico degentium a §. 31. usque ad §. 44. etiam incluſive. In §. 1. ita legitur: *terminus a quo reſtitutionis in eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt, ſit dies prima Januarii 1624. Fiat itaque reſtitutio omnium Electorum, Principum & Statuum utriusque Religionis, comprehenſa libera imperii nobilitate, ut & communitatibus & pagis immediatis plenarie, & pure, caſſatis omnibus interim in ejusmodi cauſis latis, publicatis, & inſtitutis ſententiis, decretis, transactionibus, pactis ſeu dedititiis, ſeu aliis executionibus, reductione ad ſtatum dicti anni dieique in omnibus facta* (c).

Alter annus regulativus & reſtitutio ex capite gravaminum.

Alter §. 31. ita habet: *Hoc tamen non obſtante ſtatuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi cujuscunque generis, qui ſive publicum ſive privatum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium anno 1624. quacunque anni parte ſive certo pacto aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam inpoſterum una cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt aut exercita fuiſſe probare poterunt. Cujusmodi annexa habentur inſtitutio conſiſtoriorum, Miniſteriorum tam ſcholaſticorum quam eccleſiaſticorum, Jus patronatus, aliaque ſimilia jura: nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum, templorum, fundationum, Monaſteriorum, hoſpitalium cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus, & hæc omnia ſemper & ubique obſerventur eousque, donec de Religione chriſtiana vel univerſaliter, vel inter ſtatus immediatos eorumque ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum, ne quisquam a quocunque ulla ratione, aut via turbetur* (d).

Hoc igitur beneficio gaudent illi, qui neque *occaſione motuum* Bohemiæ & Germaniæ, neque *fœderum* fuerunt læſi, adeoque *ex capite Amneſtiæ* reſtitui non poterant, ſed ſua gravamina aliunde menſurarunt, & reſtitutionem urgebant. Cum enim æque Catholici ac Proteſtantes ſua gravamina proponerent maxime circa occupationem & ſæculariſationem bonorum eccleſiaſticorum, & turbationem exercitii Religionis, dum Proteſtantes a tempore Pacis Religioſæ quamplurima bona

Quinam hoc beneficio gaudeant.

Et quare adinventum.

Ttt 2

(b) Cit. Art. 3. §. 1. (c) Art. 5. §. 1.
(d) Cit. §. 31.

na eccleſiaſtica invaſerunt, occuparunt, & ſæculariſarunt, & Principes tam Catholici quam Proteſtantici jure reformandi utentes exercitium Religionis ſuorum ſubditorum plurimum turbarunt, reſtrinxerunt, reformarunt, & Proteſtantes hinc inde in ditiones Catholicorum Principum aut clanculo irrepſerunt, aut tumultuarie ſe inſinuarunt, atque horum ſubditos antea Catholicos in partes ſuæ Religionis traxerunt, quos Principes Catholici emigrare juſſerunt, his quoque gravaminibus obviandum & medela ferenda fuit. Itaque poſt plurimas altercationes (e) ad ſopiendas omnes lites tam pro præſenti, quam pro futuro placuit ſeligere terminum medium, & decernere annum *regulativum*, ſecundum quem facienda foret reſtitutio bonorum eccleſiaſticorum, & regulandum exercitium Religionis ſubditorum Proteſtanticorum in Catholicorum Principum terris viventium. Ne tamen doctrinam Excelſi Authoris offendere videamur, hæc interea præcipue intelligi volumus de anno *regulativo* reſpective ad reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum, & in ordine ad exercitium Religionis ſubditorum Proteſtanticorum, non omnium & ſingulorum pro tota Germania, ſed illorum duntaxat, qui illud vel ex *declaratione Ferdinandea*, vel ex *privilegio*, *uſu* & *obſervantia* habuerunt (f).

Annus regulativus pro reſtitutione bonorum 1624. dies 1. Jan.

Quare non alius annus?

Quapropter pro termino reſtitutionis bonorum eccleſiaſticorum decretus fuit annus 1624. & quidem *prima dies Januarii.* Plures ſe hic difficultates inſinuant, quarum prima eſt, cur annus 24., & non potius annus 18., aut quiscunque alius e. g. annus 30., quem Catholici decerni volebant, fuerit electus. Integris ſex annis deſuper fuiſſe diſputatum, jam ſupra ex Pfannero inſinuavimus. Urgebant Proteſtantes annum 18. Catholici annum 1627. in eccleſiaſticis, & annum 30. in Politicis: quilibet *Cicero pro domo.* Annum 18. urgebant Proteſtantes, & haud aliter reſtitutionem ex *capite Gravaminum*, quam reſtitutionem *ex capite Amneſtiæ* juxta annum 18. regulari volebant, quia ante motus Bohemicos adhuc fuere in poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum a ſe ſæculariſatorum, & in exercitio ſuæ Religionis, adeoque annus 18. ipſis mirum in modum favebat. Annum econtra 1630. ſibi elegerunt Catholici, eoquod eo anno ſecundo Marte Cæſarei pugnaverint, quamplurima bona eccleſiaſtica poſtliminio recuperaverint, jamque in proximo fuerit, ut *Edictum Reſtitutorium* a Ferdinando II. promulgaretur. Quoniam

(e) Has lites refert Excel. Author. Compend. Gravam. Sect. 4. de an. norm. cap. 1. & ſeq.

(f) Vid. Hiſt. Gravam. loc. cit.

niam vero hoc modo conveniri non poterat inter Cæſareos & Proteſtantes, Imperator annum 1627., econtra Proteſtantes ipſum principium Sæculi XVII. in vim *anni regulativi* proponebant. At fruſtraneo conatu. Tandem media via inter annum 18. & 30. electa eſt, anno 1624. pro termino reſtitutionis aſſumpto, id quod evicit Legatus Saxonicus, qui prope ad finem initæ pacis Oſnabrugam contendit, & cum Imperatore tranſegit (g). Quare autem reſtituendi ex *capite Amneſtiæ* pro termino faciendæ reſtitutionis annum 1618., reſtituendi *ex capite Gravaminum* annum 1624. obtinuerint, ratio diſpar hæc eſſe videtur, quod ſi priores ſecundum ſtatum anni 1624. reſtitui debuiſſent, ferme omnes beneficio reſtitutionis excidiſſent, eoquod poſt annum 1618. ſuis poſſeſſionibus exciderint, iisque fuerint deſtituti, quas anno 1618. adhuc retinuerant, poſtquam cæſo in Bohemia Friderici V. exercitu Cæſariani ſua victricia arma per omnem ferme Germaniam circumtulerunt: poſterioribus vero annum 18., aut terminum anteriorem nempe *ante deſtitutionem* indulgere noluit Imperator, quod alias omnes prorſus *Gravati*, adeoque etiam ſubditi Auſtriaci in ſuis Eccleſiis, templis, poſſeſſionibus eccleſiaſticis, & exercitio Religionis, quod in terris habuere Auſtriacis, & poſtea amiſerunt, reſtitui debuiſſent (h).

Quare alius terminus pro reſtituendis ex capite Amneſtiæ, & alius pro reſtituendis ex capite Gravaminum decretus?

Et quidem terminus reſtitutionis fuit *prima dies Januarii* (i), ita, ut quiscunque ſtatuum Catholicorum aut Proteſtanticorum ea die fuerit in poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum, templorum, hoſpitalium, aliorumque, in eam reſtitui debuerit, aliter, quam in reſtitutione ſubditorum diverſæ Religionis, quos *ex qualibet anni parte* reſtituere placuit, ita quidem, ut ſi vel unica hora, & die quacunque exercitium ſuæ Religionis habuerint, illud retinere, aut in illud reſtitui debeant, ſicut mox dicemus. Atque hoc diſcriminis inter ſtatus immediatos, & ſubditos diverſæ Religionis indigitat Pax Weſtphalica in diverſis locis, quoad

Terminus reſtitutionis bonorum prima dies Januarii.

Reſtitutionis vero exercitii Religionis in terris Catholicorum quælibet pars anni.

(g) Vid. Henninges loc. cit. pag. 130. & Gundling Diſcours über das Inſtrum. Pac. Oſnab. pag. 144. ubi ſic: Kurz vorher, ehe der Frieden geſchloſſen wurde, ſchickte der Churfürſt von Sachſen den Johann Ernſt Piſtorium nach Oſnabrüg, welcher in der Stille eingezogen. Und da ſie kaum die erſte Audienz gehabt hatten, ſchlugen ſie das Jahr 1624. als ein Temperament vor, welches ohnfehlbar vorhin ſchon mit dem Kayſer abgeredet war. Bey dieſem Termin blieben auch die Catholiſchen.

(h) Pfaffius Academiſche Reden pag. 341.

(i) Intelligenda eſt hæc dies ſecundum computum Calendarii Gregoriani, non Juliani teſte Henninges loc. cit. pag. 132.

Aliter de ſtatibus immediatis, & aliter de ſubditis diſpoſitum.

quoad *ſtatus* quidem loco citato a §. 1. usque ad 31. quoad *ſubditos* a §. 31. usque ad 44. Sic enim in §. 3. cit. art. jubetur, ut Auguſta Vindelicorum, Dünckelſpühla, Biberacum, & Ravenſpurgum retineant bona, jura, & exercitium Religionis dicti anni, dieique. Sic circa bonorum eccleſiaſticorum immediatorum poſſeſſionem ad diem primam Januarii provocatur §. 15. Sic etiam numerus Capitularium & Canonicorum in Epiſcopatibus mixtæ Religionis ad Kalendas Januarii definitur §. 23. Atque id de poſſeſſione bonorum immediatorum non tantum, ſed etiam mediatorum intelligendum eſſe, videtur probare §. 25. (k).

Cur alius terminus pro reſtitutione ſtatuum & bonorum, & alius pro ſubditorum eorumque exercitio Religionis.

Cur autem in reſtitutione ſtatuum & bonorum eccleſiaſticorum pro termino ſolam diem primam Januarii, econtra pro reſtitutione ſubditorum diverſæ Religionis, & determinando exercitio Religionis integrum annum & ſingulas illius partes decernere placuerit, facile datur ratio, quod cum poſſeſſio rerum ac bonorum ſit facile amiſſibilis, & intra unius anni ſpatium ſæpius mutari poſſit, res hæc multis litibus occaſionem ſuppeditatura foret, quibus difficillime contraveniri poſſet, ſive dein fiat diviſio bonorum, ſive pluribus adjudicetur poſſeſſio in ſolidum: dum econtra in exercitio Religionis tales aut ſaltem tot, & adeo periculoſæ lites pertimeſcendæ non ſunt, ſi diſtinctis horis & temporibus, caſu quo in exercitio Religionis alternarunt, aut concurrerunt, ſuum Religionis exercitium habeant. Hanc inter reſtitutionem bonorum, & exercitii Religionis diſtinctionem luculenter inſinuat §. 23. art. 5. ubi poſtquam circa numerum Canonicorum ſuit diſpoſitum, quod iſte ſit redintegrandus, qui die primo Januarii 1624. fuit, mox additur: *exercitium vero Religionis in mixtis Epiſcopatibus ita reſtituatur, & permaneat, ubi & quatenus id 1624. palam receptum permiſſumque fuit.*

Annus hic regulativus fatalis Religioni Catholicæ.

Atque hic eſt ille annus & terminus rebus Catholicis adeo fatalis, ex quo factum eſt, ut Eccleſia Catholica tot Epiſcopatus, Monaſteria, Eccleſias, Beneficia eccleſiaſtica, templa aliaque loca pia & religioſa perderet, quorum ruinam in hanc usque diem deploramus. Quantum Religio amiſerit ex tolerantia Religionis proteſtanticæ in terris Catholicis, mox infra dilucidabimus.

Quinam hoc beneficio reſtitutionis gaudeant?

Porro autem quinam hoc beneficio reſtitutionis gaudeant, ipſe paragraphus verbis claris ſupra citatis edicit, in quo *ſtatuum* ſolummodo *immediatorum, comprehenſa libera Imperii nobilitate,* fit mentio, ut adeo ſtatus

(k) Nam expreſſe dicitur: *quæcunque Monaſteria, Ballivas, Collegia, commendas, templa, fundationes, ſcholas aliave bona eccleſiaſtica mediata &c. Electores, Principes, Status 1624. die 1. Januarii poſſederunt.*

ſtatus *mediati* jure optimo excluſi videantur, utpote de quibus nec jota legitur, & de quibus aliter diſpoſitum legitur in §. 31., & pro quibus non militat tantus favor, quantus pro *ſtatibus immediatis*, qui, cum ſint domini territoriales, majori quoque favore beandi videntur (l).

Hæc reſtitutio facienda in eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum mutata in Politicis.

Eſt autem facienda reſtitutio juxta verba clariſſima *in eccleſiaſticis* (m), *& quæ intuitu eorum in Politicis mutata ſunt.* Nomine autem *Eccleſiaſticorum* non modo venit ipſa Religio, ejusque exercitium, quæ ad annum normalem regulanda, ſed etiam bona eccleſiaſtica, eorum poſſeſſiones, jura eccleſiaſtica e. g. jurisdictio eccleſiaſtica, jus Patronatus &c. Illa vero *eorum intuitu* cenſentur in Politicis mutata, quæ *intuitu Religionis*, uti §. 29. habetur (n) *in politicis mutata ſunt* e. g. ſi in locum Magiſtratus proteſtantici Catholicus ſubſtitutus, ſcholis fuere præfecti Magiſtri Catholici.

Diſcrimina inter reſtionem ex capite Amneſtiæ & Gravaminum.

Additur in fine §. citati: *Caſſatis omnibus interim &c.* Atque in hoc potiſſimum ſe prodit principaliſſimum diſcrimen inter *reſtitutionem ex parte Amneſtiæ*, & *ex parte Gravaminum*, de quo jam ſupra, quod reſtitutio ex parte gravaminum omnem ulteriorem quæſtionem, contrariam probationem, exceptionem etiam in *petitorio* movendam, litis pendentiam, ſententiam excludat, adeoque ad nudum poſſeſſionis factum ſine ulteriori inquiſitione attendatur, & ita omnis quæſtio terminetur, ſecus quam in reſtitutione *ex parte Amneſtiæ*. Cæterum ſunt adhuc plures aliæ differentiæ inter utramque reſtitutionem, inter quas illa etiam valde notabilis, quod reſtitutio *ex capite Amneſtiæ* ſolum tempus *præteritum* & læſionem in bello, id eſt *occaſione motuum* factam; econtra reſtitutio *ex capite Gravaminum* tempus etiam *futurum*, & læſiones poſthac faciendas reſpiciat. Hinc ſi quis *ex capite Amneſtiæ* reſtitutus in rebus & juribus ſuis poſthac lædatur, amplius ex capite Amneſtiæ, & formula pacis art. 3. §. 1. agere, & reſtitutionem contra lædentem, dejicientem & turbantem petere nequit, bene vero ille, qui in *eccleſiaſticis*, vel etiam *politicis intuitu eccleſiaſticorum* fuerit quomodocunque turbatus, ad formulam pacis art. 5. §. 2. provocare poteſt, quin alio remedio juris opus habeat. Inde ſequitur alia differentia, quod ille, qui agit ex *capite Amneſtiæ*, læſionem occaſione belli factam, alter vero ex *capite Gravaminum* ſolam poſſeſſionem vel potius ipſum poſſeſſionis factum probare debeat.

(l) Argumenta contraria refert Henninges loc. cit. pag. 134

(m) Aliter quam in reſtitutione *ex capite Amneſtiæ*, ubi etiam fit reſtitutio in politicis.

(n) *Vel alias intuitu Religionis in politicis*, dicitur in cit. §. 29.

Digitized by Google

debeat. Item in *Amneſtia* probanda fuit læſio ab una belligerantium parte illata: in *Gravamine* ſufficit probare dejectionem a poſſeſſione, quisquis dejecerit, dummodo ſit diverſæ Religionis. In *Amneſtia* fit reſpectus ad ſtatum, quo quis fuit ante deſtitutionem; in *Gravamine* ad annum 1624., & primam diem Januarii. Alias differentias collegit Henninges, quæ tamen facile ex dictis colliguntur (o).

Dilucidatur §. 31. art. 5. Jam §. 31. art. 5., in quo agitur de ſtatibus *mediatis* Landſaſſiis, Vaſallis & ſubditis proteſtanticis in terris Principum Catholicorum degentibus, eorumque Religionis exercitio dirigendo nonnihil dilucidemus. Atque hic ipſe Paragraphus eſt illud ſeminarium litium, & controverſiarum, quæ usque nunc ingenti animorum contentione inter Catholicos & Proteſtantes e. g. de *jure Simultanei*, & nuperrime inter Authorem Anonymum, quem ſemper *Excelſum* appellare placuit, & cæteros Doctores fuere agitatæ. Viſum fuit haſtenus tam Proteſtanticis, quam Catholicis in hoc §. contineri normam & regulam *univerſalem* pro dirigendo exercitio Religionis Proteſtanticæ in terris Principum Catholicorum in anno normali introductæ cum ordine & reſpectu ad totam Germaniam. *Opinio Authoris Excelſi.* Exiſtimavit econtra Excelſus Author contineri ſolummodo, regulam *particularem* ad preces Proteſtanticorum liberaliter conceſſam in favorem illorum, qui ſe exercitium Religionis vel ex privilegio, pacto, & contractu, vel uſu & obſervantia obtinuiſſe, & in anno *regulativo* poſſediſſe probare poſſent (p). Quidquid de hoc ſit, nobis interea liceat paragraphum ipſum, verba, & ſenſum verborum, nec non mentem paciſcentium exponere, & dilucidare.

Ad quos hic §. ſpectet. Ad quos hic *annus regulativus* pertineat, mox ab initio hujus §. exponitur: *Statuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi* (q). His enim vel maxime conſulere voluerunt Proteſtantes, quippe quorum conditio apud Catholicos valde fuit dura, cum illis nequidem privatum Religionis exercitium, ſeu Autonomia & libertas conſcientiæ fuiſſet indulta, adeoque præter flebile emigrationis beneficium nihil ſupereſſet, quinimo emigrare debuerint, ſi ita placuit Dominis territorialibus, utpote quo in caſu emigratio non modo fuit *voluntatis*, ſed *neceſſitatis*. Ut igitur *jus reformandi* in §. 30. ſtabilitum intra certos limites reſtringeretur, & ſubditis meliorem in modum conſuleretur, placuit illud alligare ad certum terminum, & notabilem facere exceptionem a regula.

Mox

(o) Medit. ad art. 5. §. 2. pag. 136. & ſeq.
(p) Compend. Hiſt. Gravam. Sect. 4. vid. art. ſeq.
(q) Author Excelſus iterum intelligit de quibusdam ſolummodo.

Digitized by Google

Quibusnam in hoc §. Religionis exercitium conceſſum.

Mox autem explicatur, *quinam ſint illi Vaſalli*, in quorum favorem hæc diſpoſitio & exceptio facta fuit, nempe *qui ſive certo pacto aut privilegio ſive longo uſu, ſive denique ſola obſervantia anni* 1624. *exercitium Religionis habuerunt.* Aliquoties enim ex *pacto* inito tolerabant Domini territoriales exercitium ſubditorum proteſtanticorum, aliquoties indulgebant ipſis *privilegium* quale indulſiſſe legitur Rudolphus II. Sileſiis, aliisque ſuarum ditionum ſubditis (r). Erant præterea eo ævo, quibus ob rerum circumſtantias a Principibus territorialibus connivendum erat in exercitio proteſtanticæ Religionis, quales fuere ſubditi quorumdam Principum eccleſiaſticorum, qui olim *Declarationem Ferdinandeam* continuo a Catholicis rejectam pro ſe allegabant, & quibuscum Principes Catholici rigidius agere nolebant, quod ſperarent, eos remediis mitioribus facilius longe ad Religionem antiquam fore trahendos: atque hi pro ſe habent *longum uſum.* Denique quibusdam patrocinabatur ſola *obſervantia* prædicti anni, ſi nempe eo anno in poſſeſſione exercitii ſuæ Religionis fuere, id quod Excelſus Author iterum non vult univerſaliter pro tota Germania, ſed ſolummodo pro illis intelligi, qui exercitium ſuæ Religionis ex *pacto*, *privilegio* & *longo uſu* habuerunt, atque inſuper in illius poſſeſſione *quacunque anni parte* ſteterunt.

Terminus reſtitutionis in ordine ad exercitium Religionis eſt integer annus ſeu quælibet pars anni.

Terminus igitur quoad reſtitutionem exercitii Religionis proteſtanticæ in ordine ad ſubditos proteſtanticos Principum Catholicorum non eſt ſola dies 1. Januarii, quemadmodum in reſtitutione ſtatuum immediatorum, & bonorum eccleſiaſticorum, ſed integer annus, ſeu quælibet anni pars: *quacunque enim parte*, ait Inſtrumentum P. W. quin ad certum temporis ſpatium attendatur, dummodo quis probare poſſit, ſe poſſediſſe, etiamſi breviſſimo tempore poſſederit, & iterum a ſua poſſeſſione dejectus fuerit. Id quod certe in favorem Proteſtanticorum ſtatutum fuit.

Et quare?

Nam quia eo tempore belli fortuna mirum in modum alternante omnia fuere turbida, fieri non potuit, quo minus nunc Catholici, nunc Proteſtantes ſua poſſeſſione exciderent.

Sufficit ſolum factum poſſeſſionis.

Ut ergo Proteſtantibus meliorem in modum conſulerent, in tantum ipſis favere voluerunt, ut ſolum *factum* poſſeſſionis, & quidem breviſſime continuatum ad obtinendum ſuæ Religionis exercitium ſufficeret. Atque inde proculdubio eſt, quod in tot urbibus, oppidis & pagis, templis & capellis Catholici, Proteſtantes, & Reformati publicum ſuæ Religionis exercitium cumulative habeant e. g. Norimbergæ in domo teutonica, Heidelbergæ

(r) Nempe conceſſit ipſis *literas Majeſtatis*, de quibus vid. § 12. art. præced.

Heidelbergæ in Eccleſia ad S. Spiritum (s) Wezlariæ, Sulzbaci, & in locis aliis ſane innumeris, ubi ſtatis horis nunc hi, nunc illi ſua ſacra peragunt. Et quoniam poſſeſſio omnium in anno normali non fuit æqualis, dum e. g. Catholici 8. vel 9., Proteſtantes 3. vel 4. menſibus, aut econtra in poſſeſſione exercitii Religionis fuere, & hæc *cumulativa* aliunde multis difficultatibus, incommodis & litibus eſt obnoxia & Mater litium, communius ad præcavendas lites pactis & transactionibus fit compoſitio (t).

Quid ſit publicum & privatum Religionis exercitium.

Præterea in Inſtrumento Pacis dicitur: *qui ſive publicum ſive privatum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium habuerint.* Sed quid eſt *publicum*, & quid eſt *privatum Religionis exercitium*? quod ultimum *libertatem conſcientiæ* vel *Autonomiam* appellare conſueverunt, pro qua veluti pro aris & focis dimicabant, dum publicum Religionis exercitium a Catholicis eblandiri, aut violenter extorquere non potuerunt (u). Rem totam expediamus paucis, dicamusque, *publicum Religionis exercitium* eſſe illud, quod vel authoritati publicæ legis, vel Principis, vel etiam pactis innixum publice cum publicis ceremoniis e.g. pulſu campanarum, ſtatis horis, cantu ſolemni, ſonantibus organis, apertis templorum foribus, concionibus ex ſuggeſtu publice dictis, ſolemni Sacramentorum adminiſtratione, proceſſionibus publicis, ſolemnibus funerum deductionibus, & ſi qui ſint alii publici actus Religionis exercendæ cauſa inſtituti, quos una Religio plures & pauciores præ alia habet, peragitur, ac reliquos tolerantiæ publicæ effectus habet, eſto fortaſſis ſeu lege, ſeu pacto, ſeu conſuetudine ad pauciores actus ſit reſtrictum, dummodo reliqui maneant, in quibus forma publici exercitii retineri poteſt (x). *Privatum* econtra *exercitium* eſt illud, quod nonniſi intra privatas ædes ſine publicis ceremoniis exercere licet, & quaſi in occulto & clam, dum domi privatæ devotioni vacare licet, peragitur. Interim hoc privatum Religionis exercitium aliquoties ſuſcipit majus & minus, aliquoties conceditur

(s) Notiſſima eſt controverſia de templo *S. Spiritus* dicto Heidelbergæ a Reformatis an. 1719. purgando, de qua vid. Gothelf. Struvius in Corp. Hiſt. Germ. Tom. 2. Periodo X. Sect. 13. de Carolo VI. pag. 4099.

(t) Henning. Medit. Art. 5. §. 31. pag. 444.

(u) Vid. Boehmer. J. E. Tom. 2. Differt. Prælim. de jure circa libert. conſcient. & Author Excell. Hiſt. Gravam. per totum.

(x) Sic etiam publicum exercitium ſuſcipit majus & minus, & manebit publicum, eſto fortaſſis Catholicis non liceat publice ſacrum viaticum portare ad ægrotos, dummodo reliquos actus publicos exercere liceat.

Digitized by Google

ceditur pulſus campanarum, pulſus organorum, cantus, ita tamen, ut omnia ad exercitium Religionis pertinentia intra privatos parietes, ædes, ſacella peragi debeant (y).

Quæ dicantur annexa.

Additur demum *cum annexis*. Quænam autem ſint illa connexa, mox in ſequentibus explicatur, nam ſequitur: *cujusmodi annexa habentur inſtitutio conſiſtoriorum, Miniſteriorum tam ſcholaſticorum, quam eccleſiaſticorum, jus Patronatus, aliaque ſimilia jura nec minus maneant &c.* En exempla hujusmodi *connexorum!* quæ tamen nec ſunt omnia, nec ſola. Hinc ſtudioſe additur: *aliaque ſimilia jura.* Quænam autem iterum ſint illa *jura ſimilia*, non conſtat, & deſuper graviſſime usquenunc diſputatum, & in dies diſputatur. Nobis non vacat hiſce inhærere (z).

In ultimis denique verbis jubentur *manere in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorum conſtitutorum &c. templorum, fundationum &c. cum omnibus pertinentiis, & acceſſionibus &c.* Hæc procul dubio involuta ſunt innumeris, iisque graviſſimis difficultatibus, quorum dilucidationem relinquimus Publiciſtis (a).

Ex hoc §. lites innumeræ.

Jam vero quis enarrare ſufficiat illas lites, & controverſias, quæ ex utroque paragrapho citato, nempe §. 1. & 31. art. V. enatæ ſunt, & ingenti animorum contentione usque nunc agitantur? Ad hos Paragraphos velut ad aſylum in quotidianis concurrentiis confugiunt Proteſtantes: in his proram puppimque collocant: in his anchoram ſalutis ponunt. Quælibet offenſa minima, quæ nequidem offenſa dici meretur, quælibet mutatio, quæ ne hili quidem eſt æſtimanda, eſt crimen enorme, & offenſa graviſſima, propter quam ad ſuprema Imperii tribunalia, & ad ipſa comitia provocatur. Referam hic caſum ridiculum, ſed certum, quem mihi retulit Vir ſummæ dignitatis, authoritatis & fidei. Habent in certo quodam pago Parochus Catholicus, & Paſtor

(y) Tale exercitium hinc inde conceditur legatis publicis, illorumque domeſticis. Hinc inde tamen exercitium iſtud nimium extenditur non ſine luctu Catholicorum.

(z) Vid. Henninges loc. cit. ad Art. 5. §. 31. pag. 459. ubi ad verba: *Aliaque ſimilia jura*, ſic ait: *mallem hæc numerata etiam fuiſſe: nunc enim ſæpe controvertitur, quænam ſint illa jura ſimilia.*

(a) Vid. idem Author loc. cit. pag. 479. ubi id ſingulariter animadvertit, hoc loco non de jure poſſeſſionis, ſed de nudo facto agi, adeoque ſi duo etiam agant, in utroque nudum inſpicitur factum.

Paſtor Proteſtanticus exercitium cumulativum in una eademque Eccleſia parochiali, nec non ſacriſtiam communem. Contigit, ut Parochus menſulam parvam pro majori commoditate adminiſtrandi Sacramentum baptiſmi in ea fieri curaret, quatenus in ea infantes baptizandi poni poſſent. Proteſtatur contra vehementer Paſtor zeloſiſſimus, eoquod talis menſula in anno normali non fuerit ibidem poſita, unaque minatur provocationem ad ſuperius tribunal pro gravamine tollendo. Tandem res medio quodam prorſus opportuniſſimo fuit compoſita. Nam promiſit Parochus, quod velit ponere menſulam ex muro pendulam, quæ toties poſſet demitti ex muro, quoties id neceſſitas exigeret. Et hoc modo tranſactum fuit.

Referuntur quædam controverſiæ ex Actis publicis. Hujusmodi controverſiis & caſibus plena ſunt *Acta publica*, ab illo potiſſimum tempore, quo diſputatum fuit, an terminus iſte ſolam Religionem atque bona eccleſiaſtica concernat, quæ in eo ſtatu remanere debent, prout in dicto termino fuerunt; an vero circa externa etiam valeat (b). Quorſum facit controverſia Auguſtana de SS. imaginibus Udalrici & Afræ reſtaurato ab Evangelicis templo iterum adpingendis (c), controverſia Nördlingenſis de ſtatua B. V. Mariæ domui ordinis Teutonici in eadem Urbe noviter auguſtiori forma impoſita, *dum inſtrumentum Pacis præſcribit*, ait Struvius (d), *ne quis alterius Religionis aſſeclas de ceremoniis & ritibus ſuis deturbet* (e). Eo proceſſerat Magiſtratus Nördlingenſis, ut authoritate propria ſtatuam illam deponeret, quam nihilominus ex mandato Judicii aulici reſtituere debuerat ſalvo cæteroquin petitorio. Decreta poſtea fuit commiſſio Cæſarea, & inter utramque partem ita convenit, ut ſtatua B. Virginis minori forma nubibus inſidens, Ordinis inſignibus ſuper porta Domus poſitis insereretur (f).

Annum normalem nimis ſtricte interpretantur Proteſtantes. Hujusmodi controverſiæ haud pauciores in dies oriuntur circa exercitium Religionis, illiusque ritus, & ceremonias, dum Proteſtantes annum normalem quoad omnes prorſus apices, de quibus nemo paciſcentium ſomniaverat, obſervari volunt, e. g. dum quæritur, an in locis mixtæ Religionis cuilibet parti liceat quædam in ordine ad exercitium ſuæ Religionis conſervandum, promovendum, decentiusque peragendum,

(b) Ita ſtatum Quæſtionis movet Gotthelf. Struvius in Corp. Jur. Publ. cap. 6. §. 68.
(c) Electt. J. P. Tom. 4. pag. 525. Fabri Staats-Cantzeley. Tom. 31. cap. 7.
(d) Loc. cit.
(e) Art. 10. §. 29.
(f) Electt. J. P. Tom. XI. pag. 213. 434. 5103.

Digitized by Google

dum, ſive ea in erectione ſcholarum, & fundatione templorum ſive conſtitutione & mutatione Miniſtrorum eccleſiaſticorum conſiſtant; propriis ſumptibus introducere, eſto talia in anno normali in uſu aut rerum natura non fuerint (g), e. g. ſi Catholici in civitate mixta degentes velint recipere Religioſorum ordinem, qui in anno normali domicilium non habuit. Diſputata hæc res acerrime fuit Kaufburæ, dum de recipiendis Patribus S. J. agebatur (h). Aut ponamus quod Catholici proceſſionem publicam inſtituere quot annis velint, qualem in anno normali non inſtituerunt. Aliter in ſimilibus controverſiis ſentiunt Proteſtantes, & aliter Catholici: Illi enim in ceremoniis, ritibus atque exercitio Religionis omnia volunt exigere ad ſtatum, habitumque anni normalis, prout tum in unoquoque loco cum ſingulis re ipſa comparatum erat. Hi vero in ſuæ Religionis exercitio, uti & in ritibus & ceremoniis Eccleſiæ præſcribi ſibi quid ab altera parte, modumque dictari poſſe negant, modo per id Proteſtantibus nullum præjudicium, nullumve onus aut moleſtia creetur. Noſtrum non eſt has controverſias definire, ſed ſufficiat eas inſinuaſſe, ut, quis Proteſtanticorum ſit ſenſus, quam delicatus eorum genius, quantus Religionis ſuæ zelus, quantum econtra Catholicæ Religionis odium, eo luculentius conſtet, quo pluris iſta ſcire intereſt. Atque hæc de anno regulativo & reſtitutione *ex parte Gravaminum*, prætermiſſis aliis quæſtionibus innumeris, dicta ſufficiant.

Tertius annus *regulativus* habetur in art. 7. §. 1., & hic concernit Proteſtantes, in quantum conſtituunt *duas partes* (i), ſeu concernit *Proteſtantes* & *Reformatos* inter ſe, quorum *jus reformandi* reſtrictum eſt ad annum

Annus regulativus inter Proteſtantes.

(g) Status quæſtionis in Comitiis ſic fuit poſitus, wo in einer Reichs-Stadt die ganze Gemeinde, den Magiſtrat mit eingeſchloſſen, getheilter Religion iſt, und jeder Theil einen öffentlichen Kirchgang, und Uebung ſeiner Religion von dem 1624. Jahr hergebracht, und deſſen zu dieſer Zeit in poſſeſſione vel quaſi geweſen iſt, ob in ſolchem Stande dem einen oder andern Theil frey ſeyn ſolle, was zu Beziehrung, Vermehrung und Erhaltung, Troſt, Wohlſtand und Nothdurſt ſeiner Religions-Uebung dienlich ſeyn kan, es beſtehe nun ſolches in Aufrichtung neuer Stiftung, Schulen, Kirchen, Klöſter ꝛc. ohngeacht dergleichen anno 1624. nichts vorhanden geweſen, auf ſeine eigene Köſten, ohne Schmählerung des gemeinen Guts, einzuführen, und vorzunehmen?

(h) Vid. cit. Struvius.

(i) Supra art. præced. explicavimus *de tolerantia*, quandonam Proteſtantes & Reformati *unum corpus*, & quando *duas partes* conſtituant. *Unum corpus*, ſi contra Catholicos, *duas partes*, ſi inter ſe agant, conficiunt.

annum 1648. ſeu ad tempus *factæ pacis*, ita ut Proteſtantes reformatæ Religionis exercitium impedire nequeant, dummodo illam *tempore pacis* exercuiſſe conſtet, aut probari poſſit: id enim ex communi interpretatione verba Pacis loco citato: *de præſenti*, probant, ubi eſt caſus, quo Princeps Proteſtanticus ad alia caſtra tranſit, cui quemadmodum habet textus, nihil licet immutare quoad alterius partis ſacra, ſi *de præſenti*, id eſt tempore, quo hæc lex fuit condita, vigent: nam, ut inquit Boehmerus (k), *De Proteſtantibus vero, quatenus duas partes conſtituunt, alia proviſio facta eſt in J. P. art. 7. §. 1. ut ſacra publica ibi vigerint de PRÆSENTI, id eſt tempore factæ pacis.* Addit tamen notanter: *proinde in quibus locis reformatæ Religionis aſſeclæ ILLO TEMPORE ſacra publica haud habuerunt, eorum exercitium hactenus jure perfecto ſibi vindicare nequeunt, quamvis æquum utique eſſet, ut Proteſtantes, qui communibus armis contra Pontificios pugnarunt, jure hoc rigido inter ſe minime uterentur.* Idem diſpoſitum legitur de Auguſtanæ Confeſſioni addictis in art. 11. §. 11., qui, ſi *tempore pacis* in Epiſcopatibus ſæculariſatis exercitium ſuæ Religionis habuerunt, in eo ſunt relinquendi, prout inſinuant verba: *in his vero Archi- & Epiſcopatibus de cætero ſalva maneant ordinibus & ſubditis competentia eorum jura & privilegia, cumprimis invariatæ Auguſtanæ Confeſſionis exercitium, quale nunc ibi viget.* Hactenus de *annis regulativis*, quorum prævia diſcuſſio tanto magis nobis videbatur neceſſaria, quanto majorem lucem affundet iis, quæ per decurſum dicemus.

Item in Epiſcopatibus ſæculariſatis.

§. VI.

Antequam ulterius progrediamur, & controverſiis locum demus, diſcutienda eſt quæſtio veluti Præliminaris de valore Pacis Weſtphalicæ: hoc enim corruente, corruit tota Pax Weſtphalica. Pacem hanc rebus Catholicis eſſe valde exitialem nemo dubitat, cum per eam Religio Proteſtantica & Reformatorum, quam Catholici ex ſuis principiis neceſſario pro falſa habent, per univerſam Germaniam cum immenſo Religionis Catholicæ præjudicio fuerit invecta, Archi- & Epiſcopatus plures, Monaſteria plurima, Eccleſiæ innumeræ, bona eccleſiaſtica immenſa ſæculariſata, Epiſcoporum jurisdictio ſuſpenſa, eorumque ac cæterorum Catholicorum jura quamplurima fuerint ſuppreſſa, ut adeo mirum non ſit, quod Innocentius X. Pontifex, illiusque Succeſſores contra

Pax Weſtph. eſt exitialis rebus Catholicis.

(k) J. E. P. Tom. 1. Tit. 1. §. 79.

contra illam ſemper fuerint proteſtati, & in hodiernam usque diem proteſtentur.

Unde conſurgit quæſtio inter Catholicos, utrum hæc Pax, quod idem de Religioſa dicendum, licite & valide fuerit inita, ex quibus non pauci eam tanquam illicitam & invalidam rejiciunt; alii tanquam validam, ſed nonniſi ex *Juſtitia legali* eatenus obligantem propugnant, quatenus illius obſervantiam bonum Eccleſiæ exigit. Quapropter in hac opinione Catholicis licitum foret huic Paci contravenire, ſi adeo favorabiles circumſtantiæ ſe proderent, in quibus bona ſua eccleſiaſtica a Proteſtantibus uſurpata, occupata & ſæculariſata poſſent vindicare (l). Demum alii valorem P. W. illiusque obligationem in linea *Juſtitiæ commutativæ* pro aris & focis tuentur, inter quos ex novioribus Catholicis ſunt Viri illuſtres Barthelius (m), Ickſtadius (n) & Banniza (o). In hac igitur doctrina Pax habet obligationem perpetuam, quin eidem contravenire liceat, qualescunque & qualitercunque favorabiles ſint Catholicorum circumſtantiæ, ita ut facili negotio rem totam proteſtanticam peſſumdare, Religionem proteſtanticam eliminare, & omnia ſua bona eccleſiaſtica vindicare poſſint, niſi Proteſtantes ipſi fierent fœdifragi. In priori enim caſu valet illud ex S. Auguſtino (p): *fides, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur*. In poſteriori: *frangenti fidem fides frangatur eidem* (q).

Utrum licite & valide fuerit inita.

Huic doctrinæ etiam nos usquenunc calculum noſtrum adjecimus, & pacem Weſtphalicam tanquam validam propugnavimus, ex longe aliis tamen principiis, quam Proteſtantes, qui valorem P. W., ſicuti etiam Religioſæ, aliorumque ſimilium pactorum publicorum ex eo defendunt, quod putent, aut ſaltem prætendant, ſe juſtam habuiſſe belligerandi cauſam, quod pro libertate ſuæ conſcientiæ, pro Religione vera pugnaverint, adeoque juſte obtinuiſſe & poſſidere, quidquid pace publica obtinuerunt, & in hodiernam usque diem poſſident. Nos Catholici longe majorem ſentimus difficultatem in defendendo valore P. W., quippe quibus perſuaſum eſt, quod Proteſtantes nullum belligerandi

Aliter Catholici, & aliter Proteſtantes defendunt valorem P. W.

(l) Hujus opinionis videtur eſſe P. Placidus Böckn. Jur. Can. ad Tit. 2. lib. 2. Decret.

(m) Opuſc. I. Hiſt. gener. Pacif. Imper. art. 2.

(n) Opuſc. 6. de juſt. & effic. ſum. Pontif. Proteſt.

(o) De tolerant. diverſ. Relig. cap. 2. §. 4. & ſeq.

(p) Refertur in Can. Noli. c. 23. q. 1.

(q) Reg. 75. in 6.

Digitized by Google

gerandi jus habuerint, omnes ditiones Catholicorum injuſte invaſerint, nobisque contra omne jus violenter extorſerint, atque per hanc pacem tolerantia Religionis Proteſtanticæ ex principiis Catholico-Theologicis aperte falſæ introducta, unaque Eccleſiæ noſtræ quamplurimi reſpective Epiſcopatus, Archi-epiſcopatus, beneficia, Eccleſiæ ac bona eccleſiaſtica fuerint extorta.

Quæſtio hæc de valore P. W. jam ante Pacem fuit mota, & eſt antiqua.

Neque hæc quæſtio de valore Pacis Weſtphalicæ heſterna, aut heri nata, aut nova eſt, aut incognita. Jam ante Pacem Weſtphalicam, dum vix deliberationibus initium fuit datum, ſcrupulus conſcientiæ ſane fundatus mirum in modum turbavit Ferdinandum III. Imperatorem pientiſſimum, nec non Anſelmum Caſimirum Archi-epiſcopum Moguntinum, utrum cum Proteſtantibus inire pacem, tolerantiam Religionis Proteſtanticæ permittere, & bona eccleſiaſtica a Proteſtantibus occupata & poſſeſſa in illorum manibus relinquere liceat. Idcirco præfatus Imperator Theologos Viennenſes præcipuos anno 1646. Presburgum vocavit, ut ſuper hac re conſultarent, & ſententiam edicerent.

Ferdinandus III. anxius in conſcientia conſulit deſuper Theologos.

Duo ſuper hac quæſtione emanarunt ſcripta celebriora, unum ſub ementito nomine Erneſti de Euſebiis civis Romani ſub titulo: *Judicium theologicum ſuper quæſtione, an Pax, qualem deſiderant Proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita, Eccleſiopoli ad inſigne pietatis* anno 1647. Alterum Joan. Caramuelis, qui ad mandatum præfati Archiepiſcopi ſuam doctrinam fecit publicam, & in duobus ſcriptis Erneſtum confutavit, quorum primum ſub titulo: *S. R. J. Pax licite demonſtrata* 1648. *Francofurti.* Alterum: *S. R. J. pacis licitæ demonſtratæ, variis conſiliis agitatæ, nunc demum meditullitus diſcuſſæ, & ad binas hypotheſes reductæ prodromus & ſyndromus, ſive additamentum. Scribebat Caramuel Francof.* 1648. Utrumque Caramuel inſcripſit Ferdinando III.

Conſilia theologica Erneſti de Euſebiis, & Joan. Caramuelis.

Scriptores contra Erneſtum de Euſebiis.

Quisnam ille fuerit Erneſtus de Euſebiis, in hanc usque diem ignoratur, & varia deſuper ſunt Scriptorum judicia (r). Præter Caramuelem contra ipſum ſcripſerunt duo Theologi Proteſtantici, & duo Politici. Illi fuere Tobias Wagner antea Parochus & poſtea Cancellarius Univerſitatis Eſslingenſis, & Joan. Georg. Dorſche, Theologus Argentinenſis. Prior edidit librum cum inſcriptione: *Iniquitates Judicii theologici*

(r) Quidam exiſtimant illum fuiſſe P. Biber Confeſſarium Archiepiſcopi Moguntini; Alii P. Wagnereck Dilinganum; Alii P. Mülmannum; Alii Fabium Chigi Nuntium apoſtolicum, poſtea Romanum Pontificem ſub nomine Alexandri VII; Alii ipſum Caramuelem, quaſi vero hic animo imponendi hominibus talia ſcripſerit.

logici ab Erneſt. de Euſebiis ſuper pace a Proteſtantibus deſiderata lati demonſtratæ per Ireuæum Philadolphum cum gratia & privilegio liberæ linguæ in libera civitate anno 1648. Poſterior libellum ſub titulo: die nothwendige Entdeckung des blutdurſtigen Urtheils, welches der vermummte Ernſt von Euſebiis Römiſcher Burger über die Frage: ob der Friede in Teutſchland, wie ihn die Proteſtirende begehren, für ſich ſelbſt unrecht, und unerlaubt ſeye. Et poſtquam idem Euſebius edidit *vehiculum*, *ſeu prodromum Antichreſeos theologiæ*, *ſeu invectivam in vehiculum judicii theologici*, idem Dorſchæus ſcripſit *Anticriſin theologicam oppoſitam judicio theologico Ern. de Euſebiis.* Duo vero illi Politici fuere Hermannus Conringius, & Benedictus Carpzovius. Conringius ſub nomine Irenæi Eubuli Auſtriaci typis mandavit *Conſultationem theologicam de pace perpetua Proteſtantibus danda Frideburgi.* Carpzovius compoſuit *Diſcuſſionem brevem judicii theologici, nec non vehiculi Ern. de Euſebiis.*

Joan. Caramuel quis fuerit.

Longe notiſſimus econtra eſt celeberrimus Joan. Caramuel, cujus ortum, vitam, ſcripta, genium, varia officia, dignitates, & mira prorſus fata fuſiori calamo depingit Pfaffius, cujus verba hæc ſunt: Caramuel war ein ganz beſonderer Mann. Er war ein eruditus præcox, ein Grammaticus univerſalis, und Steganographus, ein Kenner vieler Occid- und Orientaliſchen, ja gar der Chineſiſchen Sprache, ein Philologus, ein Orator, ein ungemein fertiger Poete, ein Hiſtoricus, ein Philoſophus univerſalis, und Scholaſticus conſummatus, beſonders ein Mathematicus, ein berühmter Theologus, ja Doctor Theologiæ, ein ſtarker Controverſiſte, der ſchärfeſte Anti-Janſeniſte, ein gewaltiger Ketzer-Bekehrer, der berüchtigſten Caſuiſten einer, und ein exceſſiver Probabiliſte, ein ungemein beredter Prediger, ein Politicus und Hofmann, ein Soldat von experimentirter bravoure, und in ſpecie ein Artilleriſte, ein Ciſtercienſer-Mönch, ein Author von einer entſetzlichen Menge Schriften, ein Abbt von einer Irrländiſchen, Pfälziſchen, Böhmiſchen und Wieneriſchen Abbten, ein deſignirter, reſignirter Weyh- auch wirklicher Biſchof von einem Böhmiſchen, Ungariſchen, zwey Neapolitaniſchen, und einem Mayländiſchen Biſtthum, ein formaler Avanturier, der nirgend lang bleiben konnte, ein Candidatus der Cardinal-Würde, die er aber durch ſein Maul, und Schriften verſcherzet, ein Mann der unter ſo vielen Unruhen, Schreiben, und Reiſen dannoch ſein Alter auf 76. Jahre gebracht hat (s).

In

(s) Vid. Pfaff. Academ. Reden pag. 292.

In quem finem tantum ſibi laboris & operæ dederit Pfaffius, ut vitam Caramuelis tam accurate ſcripſerit, divinare non licet. Ut autem iterum ad Caramuelis ſcripta revertamur, defendit Caramuel, pacem cum Proteſtantibus eſſe licitam, dummodo ad eam non moraliter ſed phyſice & ſolummodo permiſſive, & quidem in caſu neceſſitatis, majoris mali evitandi gratia cooperemur, id quod etiam hodierni ſapientiores Catholici defendere non verentur. Edidit Caramuel ſecundo ſuam *Pacem licitam* multo auctiorem Viennæ 1649. Plures contra Caramuelem ſcripſerunt Viri docti, ex quibus notiores ſunt duo libri, qui ſub nomine Anti-Caramuelis lucem aſpexerunt publicam, ſed quid Caramuel ad nos? Huc ſpectat etiam opus Theologorum quorumdam Catholico-Dillingenſium *de compoſitione Pacis*, nec non *Autonomia Burgkardi*, & alia aliorum Authorum opera in hanc rem edita.

Valor P.W. oſtenditur. Jam doctrinam de valore P. W. argumentis ex jure naturæ, publico, & saniore Theologia depromptis ſtabiliamus. Et inprimis quidem loquimur hic de pacto publico, de pace publica eum in finem inita, ut tandem belli eſſet finis, & alia majora mala inferius recenſenda evitarentur. *Pacta publica metu injuſto extorta valent.* Jam vero eſt doctrina graviſſimorum virorum a Grotio (t) aliisque magni nominis Doctoribus & Theologis tanquam certa quaſi agnita, quod talia pacta publica etſi metu etiam graviſſimo injuſte incuſſo ſint extorta, & bellum injuſtum ex parte metum inferentis ſupponant, ſint valida, & omnino a parte innocente etiam cum graviſſimo ſuo detrimento ſervanda: quidquid cæteroquin de pactis privatis metu gravi extortis, quorum nullitatem ex ipſo jure naturæ reſultantem quamplurimi cum Puſendorffio defendunt, dici poteſt. Et quare? quia id ſalus Reipublicæ, ratio belli, finis pacis exigit: cum alias nullus foret bellorum finis, nulla pax firma & ſtabilis, nulla ſalus non tantum belli, ſed ne pacis quidem, imo pax omnis ferme foret incentivum novorum bellorum. Demus enim talia pacta ex jure naturæ non eſſe ſervanda, vel eſſe quidem ſervanda, ſed tamdiu, quamdiu uni parti, fortaſſis innocenti, & juſtam belligerandi cauſam habenti viſum fuerit, an quis amplius inibit pacem? an non parti Marte infeliciſſimo belligeranti neceſſario erit pereundum? an non pax erit nova cauſa & fomes novorum, ac graviorum bellorum? an non omnia ſusque deque vertentur, cum utique quilibet dicere poſſit, ſibi inique eſſe bellum illatum, adeoque fœdus eſſe vel nullum vel certe reſcindibile? quocirca ratio boni publici, & evitatio majorum malorum omnino exigit, talia pacta publica licita & valida

(t) L. 3. cap. 25. §. 7.

Digitized by Google

valida dicere, ut adeo per pacem ſuper puncto injuſtitiæ belli, aliorumque graviſſimorum malorum, quæ quis paſſus eſt ex bello, tranſactum eſſe videatur, quin talis metum injuſte ſibi illatum, & amiſſionem ac direptionem ſuarum ditionum, bonorum, provinciarum ac regnorum cauſari juſte poſſit, quia quilibet conſultis ſanioribus juris naturæ principiis debet eſſe ita conſtitutus, ut ſuum bonum privatum bono publico præferat, neque curet graviſſima damna ſibi illata, tantum ut majora mala evitentur.

Ex alio quoque capite metus injuſte illatus valori non obſtat in noſtro caſu. Demus etiam, quod omnia pacta metu inita jure naturæ ſint valida, quia ſimilia pacta unice nulla ſunt in favorem metum paſſi: jam vero in noſtro caſu ipſe ſane favor Catholicorum exigere videtur, ut potius dicamus pacem valere, quam non valere. Quid enim, quod Deus clementiſſime avertat, quid, inquam, ſi Deo permittente in extremas anguſtias Catholicorum res collabi contingeret, jamque ſpes alia conſervandi Religionem & Eccleſiam nulla ſupereſſet, quam pax etiam ſub duriſſimis conditionibus ineunda, ſi tamen Religionem adhuc in tuto collocare, & non potius peſſumdare vellemus: an Religionis noſtræ inimicos nobiſcum pacem inituros exiſtimamus, ſi ſciant, quod Catholici in ſimilibus pactis nullam obligationem agnoſcant? Atque hæc ipſa eſt ratio, cur credamus, quod Theologi illi peſſima, & rei Catholicæ ſumme nociva habeant principia, qui docent, quod talia pacta cum Proteſtantibus inita non obligent. An enim hoc non eſt illis præbere occaſionem fugillandi principia noſtræ Religionis, & pacta nobiſcum inita libere transgrediendi? quippe quod jure retorſionis uti, nobisque reponere poſſint: *quod quis juris in alterum ſtatuit, eo etiam ipſe utatur, neceſſe eſt* (u).

Sed neque ex parte paciſcentium defectus quidam ſubſtantialis irrepſiſſe, aut Principes Catholici uſurpatores poteſtatis ſibi non competentis dici poſſunt, eoquod conſenſum eccleſiaſticum in alienatione bonorum eccleſiaſticorum mediante pace facta non requiſiverint. Inprimis enim

Principes ſæculares licite & valide in P. W. diſpoſuerunt de bonis eccleſiaſticis.

(u) Pulcherrime in hanc rem diſcurrit Perill. Ickſtattius de Juſt. & effic. ſumm. Pontif. proteſt. contra P. W. §. 13. *improbamus igitur, atque abhorremus quorundam peſſimi genii hominum doctrinas, qui cum cives & ſubditi imperii ſunt, clandeſtinis artibus, fraude & dolo aut ſub obtentu mutatarum circumſtantiarum articulos Pacis Weſtph. infringendi plenam facultatem ſibi relictam eſſe autumant, hoc ipſo enim parti adverſæ eodem prorſus modo cum Catholicis agendi anſam ſubminiſtrant, turbarum inde oriturarum autores, aut fautores.*

Digitized by Google

enim in iis circumſtantiis, aut, quod verius eſt, in ſummo peſſumdandi Religionem diſcrimine res Catholicorum erant poſitæ, in quo urgente neceſſitate quaſi extrema, conſenſus eccleſiaſticus aut non peti debuit, aut denegari non potuit (x). Dein in Pace tam Religioſa, quam Weſtphalica Imperator bona eccleſiaſtica non tam alienavit, quam ea in manibus Proteſtantium eatenus permanere permiſit, quatenus ob fatalem neceſſitatem *jure Advocatiæ* ſibi competente in ipſum Religionis & Eccleſiæ majus bonum, vel potius majoris mali evitandi gratia uti non potuit, ſatiusque duxit eorum partem notabiliſſimam veluti peſſumdare, quam Religionis & Eccleſiæ univerſæ peſſumdandæ extremum periculum ſubire, & rem totam ancipiti Martis aleæ decidendam committere, atque fortunam armorum toties adverſam obſtinate urgere (y). Et quid ſi dicamus, Principes ſæculares in illo caſu ab ipſo jure naturæ habiles fuiſſe effectos ad paciſcendum de tolerantia Religionis & bonis eccleſiaſticis in manibus Proteſtantium relinquendis propter extremam neceſſitatem, cui Religio non minus, quam Eccleſia fuere expoſitæ? tum quod nonniſi de ſimplici Religionis tolerantia fuerint ſtipulati, tum quod bona eccleſiaſtica in iis circumſtantiis quodammodo fuerint alterata, aliamque induerint naturam, haud ſecus, quam res hominum privatæ, quæ fiunt quaſi communes reſpectu hominis in neceſſitate extrema conſtituti.

Nec non de tolerantia Religionis. Tandem in Religionem non peccarunt Principes Catholici, multo minus negotio Religionis ſuas manus immiſcuere. Præterquam enim, quod de veritate hujus vel illius Religionis nihil fuerit actum, id quod procul dubio ad Eccleſiam pertinet, ſed unice de illius tolerantia, & quidem in concurſu majoris mali, haud inficiamur, quod Religio falſa ſit ab intrinſeco mala, & quidem talem habeat malitiam intrinſecam, quæ ab ipſa auferri nequit. At vero ſubintravit hic aliud principium longe ſublimius in ipſo jure naturæ fundatum, quod dictat, *inter duo mala minus eſſe eligendum.* Jam vero in iis rerum circumſtantiis Catholici erant conſtituti, ut quaſi inter duo hærerent mala, quorum unum erat tolerantia Lutheraniſmi, & Calviniſmi, alterum peſſumdatio totius rei Catholicæ, aut certe propagatio ac diffuſio utriusque ſectæ per plura Regna & provincias propter incertam belli aleam magis in partes

(x) Sic docent Theologi, quod in caſu hoſtilis invaſionis bona eccleſiaſtica ſine ſolemnitatibus alienari poſſint.

(y) Fatales extremæ neceſſitatis circumſtantias & anguſtias pulcherrime enarrat Illuſt. Bannizade diverſ. Relig. tolerant. cap. 2. §. 3. & ſeq.

Digitized by Google

tes Proteſtantium, quam Catholicorum inclinantem. Pacem hanc fuiſſe, & eſſe ſumme nocivam Eccleſiæ Catholicæ nemo eſt, qui ibit inficias. Unde ad id cardo difficultatis devolvitur, an non majora mala eventura fuiſſent Religiôni Catholicæ, ſi abruptis pacis tractatibus Catholici ſua jura ulterius proſequi armis, ſeque & res ſuas Marti dubio & adverſo committere voluiſſent. Nobis omnibus rite expenſis revera videtur ſubfuiſſe periculum majorum longe malorum, quam ex fatali pace ſumus perpeſſi (z). Sed quid dicendum de proteſtatione, ac contradictione Innocentii X. & reliquorum Pontificum, qui contra pacem Weſtphalicam ſemper proteſtati ſunt, & in hanc usque diem proteſtantur, eamque tanquam nullam, & invalidam pronuntiant? Meretur hæc res ſingularem diſcuſſionem, pro qua ſit

§. VII.

De Proteſtatione Rom. P. contra Pacem Weſtphalicam.

Ita plerumque fieri conſuevit, ut, quando majori vi cedendum, jura noſtra ſalva & integra, ſarta & tecta, quantum licet, per ſolemniſſimas & efficaciſſimas proteſtationes conſervare nitamur, eo effectu, ut data quandocunque occaſione poſtliminio ea vindicare valeamus. Ita juribus ſuis & Eccleſiæ Catholicæ univerſalis poſt Pacem Weſtphalicam conſuluere Romani Pontifices Innocentius X. & illius Succeſſores (a), quæ cum ſine illorum conſenſu, imo ipſis contradicentibus fuiſſet inita, ipſi vero tantarum virium non eſſent, ut eam efficaciter & cum effectu impedire poſſent, ſaltem per Proteſtationes ſuis juribus quandocunque vindicandis meliorem in modum proſpexerunt.

Duæ Proteſtationes Nuntii apoſtolici contra P. W.

Idcirco mox poſt initam Pacem Weſtphalicam duas Proteſtationes, unam 14. & alteram 26. Octob. anno 1648. interpoſuit Fabius Chigius Nuntius apoſtolicus ad præfatam pacem Legatus, qui poſteà ſub nomine Alexandri VII. Pontificis inclaruit. Has ſequebatur Bulla Ponti-

(z) Unde Imp. Ferdinandus III. in literis inſtructoriis die 11. Jan. 1646. Legatis cæſareis ad pacis negotium delegatis dixiſſe ſertur: daß in keinen Catholiſchen Schriften dem Römiſchen Kayſer die Macht abgeſprochen wäre, in caſu neceſſitatis vel utilitatis publicæ, und ob ſalutem publicam einige diſpoſition de bonis eccleſiaſticis pro pace publica zu machen, dummodo pro virili intendat avertere majus periculum. Ubi in hanc rem allegat plures authoritates Theologorum & Juriſconſultorum.

(a) Utrum contra Pacem Religioſam ſolemnis proteſtatio a Paulo IV. fuerit interpoſita, in dubium vocat Ickſtattius loc. cit. §. 25. qui omnino videri meretur.

Bulla Innocentii X. contra P.W. ficia Innocentii X., quæ incipit: *zelo domus Dei*, Romæ 3. Jan. an. 1651. promulgata, in qua irritum declaratur, quidquid contra jura & prærogativas S. Sedis in tractatibus Pacis concluſum, concordatum, aut executioni mandatum fuerit. Contra has Bullas & Proteſtationes calamum acuerunt easque confutare contenderunt duo Viri politici Conringius & Carpzovius, & duo Theologi Reformati Blondellus & Hoornbeckius. Scripſit Conringius. *animadverſiones in Bullam Innocentianam*, quæ modo extant T. 2. opuſc. 6. Carpzovius edidit opus ſub titulo: *Ludovici de Monteſperato vindiciæ Pacis Oſnabrugenſis & Monaſterienſis a declaratione nullitatis articulorum arrogantiæ Pontificum temerariæ præjudicialium imprudenter ſatis & audacter attentata ab Innocentio X. Londini* 1653. Blondelli opus proſtat ſub titulo: *Amandi Flaviani pacis Auguſtæ municipis de fulmine nuper ex Eſquiliis vibrato ad Reges, Ordines, Principes, populos Chriſtianos commonitorium. Eleutheropoli typis Gratiani Veneti*, anno 1651. Tandem ſcripſit Joan. Hoornbeck *Examen Bullæ papalis, qua Innocentius X. abrogare nititur Pacem Germaniæ* zu Utrecht anno 1652.

Scriptores contra Bullam.

Bulla & Proteſtationes a conviciis vindicantur. Paucis abhinc annis Perill. Ickſtattius Vir notæ eruditionis & ab orbe literario longe meritiſſimus Bullam Innocentianam a convitiis & injuriis egregie, ac perquam erudite vindicavit in opuſculo, quod inſcripſit: *de juſta & efficaci ſummi Pontificis proteſtatione contra Pacem Religioſam, & Weſtphalicam, obligationem ejusdem intrinſecam & pactitiam inter compaciſcentes haud infringente* (b). Ex hoc igitur opuſculo quædam delibare, quædam de penu noſtra quoque addere liceat. Tria autem potiſſimum examinabimus: 1mo, An Pontifex juſtam proteſtandi cauſam habuerit; 2do, an & qualem effectum hæc proteſtatio habuerit & habeat reſpectu Pontificis; & qualem 3tio reſpectu Paciſcentium.

Jura Pontificis ſunt triplicis generis. Non eſt nobis animus hic jura Pontificis qua ſupremi in terris Chriſti Vicarii ac Primatis univerſalis Eccleſiæ prorſus ampliſſima per ambages recenſere, & accuratiori decempeda emetiri, quæ triplicis generis eſſe, *eſſentialia* ſeu *primigenia*, *ſecundaria* ſeu *accidentalia*, & *ſpecialiſſima* oſtendit Perill. Author (c). Atque his immenſam prorſus ſtragem ex

(b) Legitur opuſculum iſtud olim ſeparatim editum Tom. 2. opuſc. juridic. pag. 320. Ipſæ vero *Proteſtationes* Legati apoſtolici, nec non Bulla Innocentiana leguntur ad calcem hujus opuſculi. Item apud. Illuſ. Barthelium opuſ. de Pacificat. Imperii.

(c) *Ad primi generis jura referas*, inquit, *omnia illa, ſine quibus unitas in Eccleſia conſervari non poteſt, ex quo certum eſt ſummo Pontifici competere univerſim generalem*

Digitized by Google

ex Pace Weſtphalica fuiſſe illatam nemo ibit inficias. Eccur ergo Pontifici ſua jura ſaltem per ſolemnem proteſtationem & contradictionem, dum aliter non potuit, ſarta tectaque conſervare non licuerit? ea potiſſimum ex ratione, quod Proteſtantici ſe violenter ipſius poteſtati ſubtraxerint, jugum excuſſerint, ipſum de throno ſuo inique deturbaverint, & omnia ipſius jura conculcaverint. Si dicant, Pontificem fuiſſe uſurpatorem horum jurium, petunt principium, faciunt quæſtionem, cujus deciſio ad ipſos non pertinet. Aut permittamus fuiſſe uſurpatorem, anne ad ipſos pertinuit ipſum ſpoliare juribus, quæ ab univerſa habuit Eccleſia? Res ſane inaudita eſt in jure, quod cuilibet fas, ſit uſurpatorem rerum alienarum violenter ſuis juribus ad ſe non pertinentibus dejicere. Neque dicant, Pontificem juſte & prudenter proteſtari *Proteſtatio Pontificis contra P. W. eſt juſta.*

&

generalem inſpectionem, ſuperintendentiam, & juriſdictionem in omnes Eccleſias. Ad unitatem fidei ſervandam pertinet, ut iidem ritus ſubſtantiales in ſacramentis adhibeantur, ut unam omnes moralem doctrinam profiteantur. Hanc ob cauſam eſt Judex controverſiarum fidei, ad ipſum ſpectat convocare Concilia, iis præſidere, ordinationes & ſtatuta in rebus moralibus & fidei facere, pœnas ſtatuere, interdicere, excommunicare, ligare & ſolvere &c. Ad jura ſecundaria & accidentalia referimus ſic dictas cauſas Majores, diſpenſare ſuper certa vota, Matrimonii impedimenta, approbare ordines religioſos, canonizare Sanctos, transferre Epiſcopos, Coadjutores perpetuos dare, Metropolitanos erigere, dividere, coadunare Eccleſias, jura Pallii concedere, inſpectio ſuprema circa bona eccleſiaſtica, ne peſſumeant, & ad fines a fundatoribus præfixos impendantur, quod Epiſcopi in ſua ordinatione jurare ſoleant, quod poſſeſſiones ad menſam eorum pertinentes non velint vendere, donare &c. inconſulto Romano Pontifice &c. Dantur præter recenſita alia jura ſpecialiſſima, quæ ſummo Pontifici per pacta ſolemnia, Concordata, uſu etiam & obſervantia in epiſcopatibus & Eccleſiis Germaniæ competunt, quorſum referas jus invigilandi, ut liberæ fiant electiones a Capitulis Germaniæ vi Concordati inter Callixtum II. & Henricum V. initi, jus confirmandi canonice electos vigore Concordatorum anno 1448. inter Nicolaum V. & Frider III., ex uſu & obſervantia jus recipiendi ab iis juramentum fidelitatis ſpeciale a tempore Gregorii VII. Competit Pontifici vi Concordatorum collatio dignitatum, & beneficiorum Eccleſ. per obitum Cardinal. in Curia, & aliis quibusdam modis vacantium; proviſio in Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus in caſibus §. ITEM IN ECCLESIIS; alternativa menſium cum collatoribus ordinariis; jus Annatarum &c. Ut taceam, quæ hinc inde in Eccleſiis particularibus ſive pactis expreſſis, ſive longo uſu & obſervantia S. ſedi reſervata, & *concordata eſſe dignoſcuntur.* Hucusque Perill. Author loc. cit. §. 15. & ſeq.

& contradicere nequiviſſe, quod ipſi Catholici ſponte ſua fateantur, pacem Weſtphalicam fuiſſe medium neceſſario amplectendum ad evitanda majora mala. Quid enim? ſi Pontifici id luminis non fuit affuſum, ut hanc pacis neceſſitatem agnoſceret: quid ſi equidem neceſſitatem pacis agnovit, ex alio tamen capite juſtam proteſtandi, contradicendique cauſam habuit, fortaſſis quod non fuerit par paciſcentium conditio, quod a cæteris compaciſcentibus proteſtanticis in ſuis juribus enormiter fuerit læſus, prout revera omnes vires & nervos impendiſſe Proteſtantes conſtat, tantum ut Pontificis jura omnino ſupprimerentur: quid ſi ſapientiſſime providit Pontifex, hunc ipſum ſuum diſſenſum hic & nunc paci, & inde majori Religionis & Eccleſiæ bono reſultanti non modo non fore præjudicioſum, ſed inſuper per ſuam proteſtationem rebus & ſuis & univerſæ Eccleſiæ, non quidem pro præſenti, ſed pro futuro optime conſultum iri, ſicut infra demonſtrabimus? quodſi Proteſtantes Pontificem qua partem compaciſcentem *ſeparatam* reſpicere nolunt, ſaltem qua compartem *paciſcentium Catholicorum* agnoſcant, neceſſe eſt.

Cauſæ proteſtationis Pontificiæ.

Et quia agebatur de jure ſingulorum, illius proteſtatio & contradictio, quamquam pacem infringere non potuerit, hunc ſaltem operabitur effectum, ut illius jura certo modo in ſalvo maneant (d). Pulchre ſane in hanc rem ſcribit Banniza: *quod autem nihilominus*, ait, *Pontifex per ſuam Bullam contra utramque Pacem promulgari fecerit, quæ ſummum antiquæ Religionis Pontificem decet, proteſtationem, haud dubie eo ſine factum eſt, ne quæ dictis transactionibus in præjudicium poteſtatis & Eccleſiæ apoſtolicæ, nec non Catholicæ Religionis geſta, pacta, atque Cæſaris & Catholicorum Statuum coacto conſenſu, firmata aut potius vulnerata erant, aliquando ex eo capite in conſequentiam trahi poſſent, quaſi hæc præſente Apoſtolicæ ſedis Legato adſtitata probataque fuiſſent, ſed ut eatenus tanquam res inter alios acta pro nullis haberentur* (e).

Proteſtationis pontificiæ effectus.

Interim ea animi moderatione uſus fuit Pontifex, ut, licet per ſuam Bullam contra concluſa pacis Oſnabrugenſis & Monaſterienſis ſub decreto irritante editam proteſtatus fuerit, neutiquam tamen aut Ferdinandum Imperatorem, aut Epiſcoporum, Principum ſæcularium,

Proteſtatio hæc valde moderata fuit.

(d) *Exempla ſimilia inter populos & gentes liberas quotidiana ſunt, quin in ipſis Imp. R. G. Comitiis ſtatuum Imp. Collegia jura ſua controverſa haud aliter defendunt, & in Capitulationibus Cæſareis plura inter Imp. & Electores compactata leguntur, quæ Principes & Civitates Imperii improbant, ſuisque juribus præjudicare credunt, nec tamen propterea mutuis inter ſe odiis animantur, aut jurium ſuorum conſervationem pars una alteri male vertit.* Idem loc. cit. §. 24.

(e) Diſſert. de tolerant. diverſ. Relig. cap. 2. §. 5. in fine.

Digitized by Google

larium, Legatorum, vel Miniſtrorum quempiam, qui dictis tractatibus manum applicarunt, cenſura eccleſiaſtica perſtrinxerit, quod haud dubio factum fuiſſet, ſi quem horum in re peccaminoſa, quæ per liberum conſenſum duntaxat conſtituitur, verſatum fuiſſe judicaſſet. Itaque ex una parte Pontifex paciſcentes a reatu peccati eatenus abſolvit, quatenus in tanto rerum motu & convulſione imperii urgente extrema quaſi neceſſitate tranſegerunt, & alienationem bonorum eccleſiaſticorum, atque tolerantiam Religionis Proteſtanticæ non tam approbarunt, quam permiſerunt, ex altera autem parte ſuis & Apoſtolicæ ſedis, nec non univerſæ Eccleſiæ juribus, quantum licuit, & potuit, meliorem in modum conſuluit.

Proteſtatio Pontificis fuit juſta & habuit ſuos effectus.

Neque quis exiſtimet, hæc duo prorſus eſſe incompatibilia & incombinabilia, dicere nempe, Pacem Weſtphalicam a ſtatibus imperii omni jure eſſe conditam, licitam & validam, ex altera vero parte Proteſtationem, contradictionem & declarationem nullitatis a Pontifice pari jure fuiſſe interpoſitam: quid enim prohibet dicere, quod & Paciſcentes, & Pontifices ſuo jure uſi fuerint? quid frequentius in pactis publicis, in concluſis collegialibus, ubi communius major pars prævalet, quin unius alteriusve contradictio ſæpiſſime juſta quidquam contra efficere poſſit, quam interpoſitio Proteſtationis eum in finem facta, ut pars minor ſua jura hoc modo in ſalvo conſervet? Voluere & debuere Paciſcentes tranquillitati & ſecuritati publicæ, bono Religionis & Eccleſiæ extrema neceſſitate laboranti per Pacem conſulere. Voluit, potuit, & debuit Pontifex ſuis & univerſæ Eccleſiæ juribus per ſolemnem proteſtationem conſulere, in quantum id e re ſua, Religionis & Eccleſiæ Catholicæ eſſe exiſtimavit. Itaque habet & Pax ſuam firmitatem, ſuum robur, ſuum effectum inviolabilem ex parte paciſcentium. Habet etiam proteſtatio Pontificis ſuum effectum, eumque non alium, quam ſimiles proteſtationes habere conſueverunt (f). Quo jure, quæro, Proteſtantes toties contra facta Pontificum optimo ſane juri innixa proteſtati ſunt, eaque tanquam uſurpationes, auſus temerarios, & facta

(f) Rem illuſtrat exemplo Perill. Author, dicens: *Collegium Principum & Civitatenſe, dum contra plures capitulationum Cæſarearum articulos Imperatorem inter & Electores conventos proteſtantur, nunquid hoc ipſo hos articulos Capitulationum pro nullis & irritis habent? Ecquid inde mali, ſi hoc ipſum, prout factum, in interpoſitis proteſtationibus verbis declarent? loc. cit. §. 28. in Nota.*

Digitized by Google

facta impia deteſtati ſunt? Sane eodem, & longe majori jure Pontifices contra Pacem Weſtphalicam ſuas interpoſuerunt proteſtationes, in quantum ſaltem hæc pax aliquod robur habet a Proteſtantibus qua compaciſcentibus: nam eſto Catholici in condenda pace urgente neceſſitate publica licite & valide egerint, nemo tamen Catholicorum usque nunc dixit, quod etiam Proteſtantes hanc pacem ſine reatu conſcientiæ inverint, quippe qui hanc pacem a Catholicis ſuis armis potius extorſerunt, quam libere impetrarunt. Neque Catholicorum quisquam unquam docuit, Pacem Weſtphalicam ex eo capite eſſe validam, quod æque Proteſtantes ac Catholici in condenda pace ea, quæ juris naturalis ſunt, obſervaverint, ſed quod *ratio boni publici*, & ipſe etiam *favor metum paſſi* exigat, ut pacta publica etiam injuſte extorta firmitatem habeant perpetuam. *Ratio boni publici* quidem, ne Pax ſit fomes novorum bellorum; *favor metum paſſi*, ne ipſi neceſſario pereundum ſit, quippe quod alias non haberet medium ſeſe vel pro præſenti, vel pro futuro liberandi a metu ſibi injuſte illato, ſi metum incutiens ſciret, pactum hoc modo initum nullius eſſe roboris ac firmitatis (g).

Pax Weſtphalica valida in favorem Catholicorum.

Sed neque ex his male quis inferat, hac ratione aut infringi Pacem Weſtphalicam, quam tamen ſancte ſervare promiſerunt Catholici, & ſancte eſſe ſervandam ipſi docemus, aut hanc proteſtationem eſſe inanem & ridiculam. Verumenimvero manet vinculum Pacis inter Principes Catholicos & Proteſtantes nunquam rumpendum, quin Catholicis contra agere, aut Pontificem mutua ope & mutuis conſiliis juvare liceat.

Quis effectus Proteſtationis ex parte Pontificis?

Nemo tamen propterea has Pontificum Proteſtationes prorſus *inanes*, *fruſtraneas*, ac *irritas* eſſe dixerit. Itaque de illarum effectibus tam ex parte Pontificum, quam Catholicorum breviter diſpiciamus. Ex parte Pontificis inprimis operantur effectus communes, quos quælibet proteſtatio in negotiis tam publicis, quam privatis producere ſolet, nempe conſervationem jurium, in quantum in futura etiam tempora conſervari poſſunt, ita ut ſi pacta, concordata, concluſa, in quibus jura noſtra eſſe læſa querimur, reſolvi contingat, noſtra jura poſtliminio reviviſcant, & a nobis vindicari queant. Nemo autem falſo ſibi perſuadeat, caſum eſſe prorſus Chymæricum, in quo Pax Weſtphalica infringi & reſolvi, adeoque Proteſtationes Pontificiæ effectum ſortiri valeant. Ad quid

(g) Unde tales contractus ſolent paſſim vocari *Claudicantes* eatenus, quatenus unice valent in favorem metum paſſi. Quia igitur favor metum paſſi exigit, ut hæc pacta inviolabilem habeant firmitatem, inviolabiliter obligabunt.

Digitized by Google

Pax Weſtphalica in quibus caſibus ceſſet.

quid enim tam provide, tam circumſpecte, & prorſus ſolicite egerunt Catholici, in id maxime intenti, ne quid ultra, quam præſens exigebat rerum neceſſitas, Proteſtantibus ſtipularentur? ad quid in omnibus articulis & §.§. ubi de poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum, ſuppreſſione jurium Pontificiorum, Epiſcopalium, & Clericalium agitur, ſalutarem apponi voluere clauſulam: *donec per Dei gratiam de Religione ipſa convenerit: usquedum de Religionis diſſidiis per Dei gratiam conventum fuerit: donec Religionis controverſiæ compoſitæ fuerint: usque ad amicabilem Religionis compoſitionem: eousque, donec de Religione chriſtiana vel univerſaliter, vel inter ſtatus immediatos & ſubditos mutuo conſenſu aliter erit conventum?* Quare terminos ſtudioſe excogitatos, prorſus accuratos & ſtrictiſſimos, & tales in ſuis declarationibus adhibuerunt, quibus inpoſterum etiam ſuis juribus proviſum foret? Inde eſt, ut ait Author citatus (h), *quod ſtatibus Imperii JUS REFORMANDI tribuatur non ex JURE TERRITORIALI INTRINSECO, ſed CUM JURE TERRITORII EX COMMUNI HACTENUS USITATA PRAXI, ET OBSERVANTIA.* Et Art. V. §. 48. *Juriſdictio Diœceſana & eccleſiaſtica in A. C. ſtatus & ſubditos non TOLLATUR, ſed SUSPENDATUR tantum, Religio Proteſtantica dicatur potius TOLERATA, quam APPROBATA.*

Quis effectus Proteſtationis Pontificiæ, ſi de Religionis diſſidiis fuerit conventum.

Demus igitur per Dei gratiam, cui nihil eſt impoſſibile, aliquando inter partem utramque de Religionis diſſidiis conveniri, ſed ita conveniri, ut ſtatus Proteſtantici cum ſuis ſubditis ad fidem Catholicam & unitatem Eccleſiæ redeant, nunquid jura Pontificum, quæ interea ſunt ſuſpenſa & quaſi dormiunt, reſoluta conditione poſtliminio reviviſcent, & priſtinum valorem recuperabunt? Dixi notanter: *ſed ita conveniri*: aliter enim ſi fuerit conventum, novo ſtandum erit pacto. Sed utique de novo foret audiendus Pontifex ſaltem a Catholicis, ſi de novo ineundo pacto, alteranda, & mutanda pace, præcipue vero de novo Pontificis ageretur præjudicio. Aliunde enim jura pontificia graviſſime fuere læſa & ferme ſuppreſſa, neque aliter Principes ſæculares ad paciſcendum, poſthabito Pontificis diſſenſu, fuere habiles effecti, niſi in quantum id neceſſitas publica in illis rerum circumſtantiis exegerat. Itaque nova foret demonſtranda neceſſitas publica, ſi Principes ſæculares cum novo ſedis pontificiæ præjudicio novum inire pactum, pacem alterare, aut mutare contenderent. Et aliunde Pax illa Weſtphalica quoad ſuum valorem eſt ſtrictæ interpretationis, & ultra caſum neceſſita-

Utrum ſine conſenſu Pontificis Pax Weſtph. poſſit alterari, & mutari.

(h) Loc. cit. §. 31.

neceſſitatis tunc exiſtentem neutiquam extendenda, non in eo ſenſu, quod non habeat firmitatem perpetuam, & Catholicis ceſſante caſu neceſſitatis tunc exiſtentis pacem infringere liceat, ſed in eo ſenſu, quod ex nova cauſa poteſtatem eam alterandi, mutandique pro ſuo libitu irrequiſito Pontifice, & cum illius præjudicio non habeant. Qua vero ratione, quomodo, & in quantum pro caſu ſupra poſito, ſi de Religionis diſſidiis aliter fuerit conventum, jura Pontificum, Epiſcoporum, Monaſteriorum & Eccleſiarum poſtliminio reviviſcant, fuſe exponit laudatus Author.

Utrum dicta proteſtatio habeat effectum reſpectu paciſcentium tam Catholicorum, quam Proteſtanticorum.

Verumenimvero longe difficilioris quæſtionis eſt, an hæc Pontificis proteſtatio etiam reſpectu paciſcentium tam Catholicorum quam Proteſtantium ſuum habeat effectum. Iterum dicimus, non obſtante hac proteſtatione pacem etiam a Catholicis inviolabiliter eſſe ſervandam, contra turbatores quoscunque manutenendam, neque Catholicos contra fidelitatem, reverentiam aut obedientiam Romano Pontifici debitam peccaturos, ſi Paci inviolabiliter inhæreant, & Pontifici in recuperandis ſuis juribus occupato mutuam opem & auxilia denegent; eoquod fortiori pacti publici ex cauſa publica initi vinculo ligentur, imo ne quidem poſſe ſuppeditare auxilia, niſi velint fieri fœdifragi.

Effectus hi recenſentur.

Nihilominus hæc proteſtatio operatur reſpectu tam Catholicorum quam Proteſtanticorum ſuos effectus tam *pro nunc*, quam *pro tunc*, ſi, quod Superi dent, de diſſidiis Religionis tollendis conveniri contingeret: *pro nunc* quidem, quod extra caſum neceſſitatis publicæ de novo paciſci, convenire, tranſigere, pacem alterare, & mutare, & Pontificis cauſam duriorem ac difficiliorem reddere nequeant: *pro tunc* vero, quod paciſcentes aliquam poſſeſſionem aut præſcriptionem contra jura Pontificia prætendere, aut tacitam eorum renuntiationem, ex taciturnitate & ſilentio arguere & commune illud: *jura vigilantibus ſcripta*, opponere nequeant, multo minus juribus pontificiis remoto obice antiquo poſtliminio ſubintrantibus novum obicem ponere valeant. Plura videantur in laudatiſſimo Authore, ubi & Conringii argumentis ſatisfacit, & ea, quæ a nobis allata, fuſiori calamo deducit, atque aliorum argumentorum pondere corroborat.

§. VIII.

Quinam ex Pac. Weſtph. obligentur.

Cum ea ſit pactorum, conventionum, & tranſactionum conditio, ut paciſcentes mutuo inter ſe nexu & vinculo perfectæ obligationis jungantur, indubitati juris eſt, tam Imperatorem & ſtatus Catholicos, quam Proteſtantes Pace Religioſa & Weſtphalica perfecte obligari. Porro cum

Digitized by Google

cum expeditum ſit, conditores Pacis non pro ſe tantum ſed nomine Principatuum, territoriorum & ſubditorum ſuorum in has pacis leges conſenſiſſe, uti ex ipſis inſtrumentorum Pacis verbis eluceſcit, & ex ipſa ſummi Imperii & Superioritatis natura facile colligitur, liquet omnino, obligationem hanc non ad Paciſcentes tantum reſtringendam, ſed maxime etiam ad ſubditos eorumdem, cujuscunque ordinis, eosque omnes, qui ſub protectione civili vitam agunt, quales ſunt Clerici, & ordines eccleſiaſtici, extendendam, & de his pari ratione eſſe intelligendam (i).

Non tamen æqualis omnium eſt obligatio. Imperantes ſummi, quales ſunt Imperator, Rex Galliarum & Sueciæ, nec non ipſa Germania in corpore ſpectata obligantur Pace tanquam *pacto publico*; ſtatus Imperii Catholici non minus, quam Proteſtantici, horumque ſubditi tanquam *lege publica & fundamentali* in Receſſibus Imperii, Comitiis publicis, aliisque ſanctionibus corroborata, eo prorſus modo, quo de Concordatis Germaniæ diximus. Nam quia ſummi Imperantes ſuperiorem in terris non agnoſcunt, nullo quoque legis vinculo ligari poſſunt, niſi fortaſſis in Germania regimen quoddam ex regimine Ariſtocratico & Monarchico conflatum adſtruere velimus, quo in caſu ipſum Imperatorem in certo ſenſu legibus ligatum dicere neceſſe foret. Status vero Imperii, eſto in ſuis territoriis ſint imperantes immediati, nihilominus ſubjiciuntur legibus Imperii ac Imperatoris, inter quas omni jure computantur utraque Pax Religioſa & Weſtphalica. ***Non æqualis omnium obligatio.***

Neque paradoxum alicui videatur, ſi ipſos etiam Clericos, Religioſos, imo & Epiſcopos pace Weſtphalica obligari contendamus. Cum enim etiam ipſi ſub nexu civili Imperii Romano-Germanici contineantur, & Pax hæc in bonum non Reipublicæ duntaxat politicæ; ſed etiam eccleſiaſticæ, imo & Religionis licite & valide majoris mali evitandi gratia, & quidni dicere etiam liceat cum conſenſu ipſius Eccleſiæ ac Pontificis non quidem *ſpeciali* ſed *generali* & quaſi *præſumpto* (k)? inita, cæterum vero nihil, quod ſubſtantiæ Religionis contrarium, & conſcientiæ Catholicorum foret præjudicioſum, ipſis injungatur, profecto conditionibus pacis ſe ſubmittere jure naturali publico jubentur, ſuas- ***Etiam Clerici obligantur.***

Yyy 3 que

(i) Art. 17. P. W. §. 2. *obligans non minus abſentes, quam præſentes, eccleſiaſticos æque atque politicos, ſive ſtatus Imperii ſint, ſive non.*

(k) Poteſt ſtare cum diſſenſu ſpeciali conſenſus generalis e. g. ſi populus victori invitus ſe ſubjicere debeat. Quidni dicamus adeſſe conſenſum Pontificis præſumptum, generalem?

Digitized by Google

que cauſas etiam eccleſiaſticas potius ſecundum normam, regulas & leges Pacis Weſtphalicæ, quam Juris Pontifici dijudicari, ac decidi ſuſtinere debent.

Obligatio eſt perpetua. Et quoniam totius humani generis intereſt fidem pactitiam inter homines ſanctam & inviolabilem ſervari, ſane hanc quoque obligationem ex pace Weſtphalica in Paciſcentes reſultantem omnino perpetuam, conſtantem & inviolabilem eſſe oportet, etiam quoad diſſidia & controverſias Religionis, quæ, quemadmodum inter partes paciſcentes amicabili compoſitione fuerunt ſopita, ita etiam poſthac juxta præſcriptum pacis aliter, quam amicabili compoſitionis via concordari, componi, ac terminari nequeunt.

Amicabilem hanc compoſitionis viam in diſſidiis Religionis, & duraturam interea ac inviolabiliter obſervandam fidem pactitiam mirum in modum inculcat Pax Weſtphalica, & toties clauſulam hanc, vel huic ſimilem: *donec per Dei gratiam aliter de Religionis diſſidiis fuerit conventum &c.* repetit, quoties fert occaſio, ſane non in alium finem, niſi ut pax firma, integra & inviolata perſiſtat, & modus tollendi diſſidia Religionis, componendi lites, & decidendi controverſias perquam accommodus, opportunus, legibus naturæ & divinis maxime conformis ſuggeratur (l).

§. IX.

Quid & quotuplex ſit interpretatio. Inſtituti noſtri ratio non eſt, materiam *Interpretationis* legum in toto, eoque ſane ampliſſimo ambitu inquirere. Quæ Doctores paſſim de Interpretatione in genere, illius diviſione in *Authenticam*, *judicialem*, *Magiſtralem* ſeu *doctrinalem* & *privatam* (m) ac regulis Interpretationis tradunt.

(l) Clauſula hæc occurrit in variis locis Art. 5. §. 1. *quæ vero de non nullis in ea articulis controverſis hac tranſactione communi partium placito ſtatuta ſunt, ea pro perpetua dictæ pacis declaratione tam in judiciis quam alibi obſervanda habebuntur, donec per Dei gratiam de Religione ipſa convenerit.* Et §. 14. *bona eccleſiaſtica immediata, quod attinet, qui dicto tempore in poſſeſſione fuerunt, usquedum de Religionis diſſidiis per Dei gratiam conventum* [illegible] *it, tranquille poſſideant.* Et loc. cit. ſub finem: *ſi vero, quod Deus prohibeat, de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit, & pax ſemper duratura.*

(m) Tres interpretationis gradus recenſet Chriſt. Hoffmannus in Diſſert. *de ratione interpretandi leges Imperii* Cap. 1. §. 5. infimus eſt, quando quis privatus ſenſum

tradunt, miſſa facimus, pauca tradituri de *interpretatione legum publicarum* Germaniæ, & præcipue Pacis Weſtphalicæ. Nihil ſane facilius, quam in hac materia turpiter halluciari, niſi quis optime ſibi habeat perſpectum Imperii Romano-Germanici ſtatum, quem *ſyſtemati Civitatum* haud omnino eſſe diſſimilem, quinimo admodum ſimilem ſuo loco diximus. Nam poſſumus Germaniam noſtram duplici modo conſiderare, vel ut *integrum Corpus*, quod omnes Imperii ſtatus complectitur, & uno verbo *Imperium* dicitur; vel prout ex diverſis & minoribus corporibus, quæ quidem inſeparabili nexu imperio adhærent, in multis tamen negotiis ſingulares quaſi ſocietates conſtituunt, eſt *compoſitum*. Ita in non paucis cauſis inter *Corpus Catholicorum* & *Evangelicorum* (n), inter Electorum, Principum & Civitatum collegia diſtingui ſolet, cujus diſtinctionis fundamentum in cujusvis collegii & corporis ſingulari inſtitutione & diverſa ſæpius ratione ſtatus deprehenditur. Habent etiam Circuli in Germania privata ac propria inſtituta & peculiares leges, quæ in Jurisprudentia publica non ultimum habent locum.

Quis ſit ſtatus Germaniæ.

Eſt diverſus prorſus.

Exinde liquet, duplicis generis dari leges *publicas* Germaniæ, *univerſales*, ſeu *mere publicas*, quæ imperium & negotia imperii, & ſtatuum imperii *publica qua talia* & ipſam regiminis eſſentiam ingrediuntur; & *quaſi mixtas*, quæ actiones civium ac ſubditorum ſpectant, & in publicis conventibus & comitiis feruntur. Ipſæ *leges publicæ* non ſunt æquales inter ſe, ſed earum quædam præſtantiores ac eminentiores, titulo *fundamentalium* ornatæ; quædam equidem *publicæ*, authoritate magna præditæ, gradu tamen inferiores, in numerum *fundamentalium* haud relatæ. *Fundamentales* ergo dicuntur illæ leges publicæ, quæ cum forma Imperii neceſſario conjunctæ, & veluti cardines ſunt, ſuper quibus volvitur tota moles Imperii, & lædi non poſſunt, quin integrum Reipublicæ ædificium periculoſe concutiatur. Cæteræ leges ferme omnes *publicæ* quidem audiunt, & ad conſervandam Rempublicam quamplurimum facere videntur, adeo tamen nobile atque perpetuum ſalutis publicæ argumentum non tractant, quam illuſtres illæ leges imperii *fundamentales*, quibus compago totius Reipublicæ ſuſtentatur. Inter leges Imperii *fundamentales* præcipuæ ſunt triplex Pacificatio *Profana* de anno 1445. *Religioſa* de anno 1555. *Weſtphalica* de anno 1648., quarum in

Duplicis generis ſunt leges Germaniæ, univerſales & mixtæ.

Quædam ſunt fundamentales.

Quænam præcipuæ ex his?

ſenſum verborum exponit. Alter, quando Cives actiones ſuas ad præſcriptum legis accommodant. Supremus, quando obſcuritas legis aliter tolli non poteſt, quam ab ipſo legislatore.

(n) Uti in P. W.

Digitized by Google

in Actis publicis plerumque cum elogio fit mentio. Atque de harum, Pacis præcipue Weſtphalicæ, Interpretatione hic agitur.

De interpretatione legum eccleſiaſticarum in P. W. contentarum. Quoniam vero in hac Pace potiſſimum de ordinanda Religione, rebus & juribus eccleſiaſticis fuit actum, neceſſario conſequitur, quamplurimas leges in Pace Weſtphalica contentas eſſe *eccleſiaſticas*, de quarum interpretatione ſingulariter diſpiciendum. Quamquam lex eccleſiaſtica diverſimode poſſit accipi & dividi, triplicis tamen generis leges *Sunt triplici generis.* eccleſiaſticæ ad noſtrum ſcopum facere, & ad Germaniam noſtram pertinere videntur. Primo enim leges quædam *eccleſiaſticæ* meras Religionis continent materias, & circa *credenda* verſantur. Hic in diverſas *Ad quem earum pertineat interpretatio?* ſententias abeunt Germaniæ proceres diverſis ſacris hodie addicti. Catholici in rebus *credendis* legislatorem ſolum Deum, judicem vero & Interpretem reverentur ſuam Eccleſiam. Proteſtantes hunc interpretem in ſe ipſis reperiunt, & talem agnoſcunt ſuum intellectum neceſſario ſcientiarum ac diſciplinarum apparatu inſtructum. Secundi generis ſunt illæ, quæ circa regimen eccleſiaſticum, perſonas, & res eccleſiaſticas diſponunt. Harum ferendarum poteſtas haud ſecus, quam Interpretatio primario apud Catholicos procul dubio ad Eccleſiæ Præſules pertinet, ob nexum tamen individuum Sacerdotii cum imperio uſuveniſſe ſcimus, ut in participium hujus poteſtatis etiam Imperantes ſæculares veniant in cauſis, in quibus iſte nexus deprehenditur, & ratio Eccleſiæ cum ratione Imperii colliditur, vel connectitur. Atque de his legibus, earumque interpretatione in Synodis, in conventibus & comitiis publicis ſæpius fuiſſe deliberatum, imo leges hujuscemodi ſæpe & ſpeciatim in Pace Weſtphalica fuiſſe latas, acta imperii noſtri loquuntur. Sunt denique tertii generis leges eccleſiaſticæ quaſi *mediæ & mixtæ*, quales dici merentur *Concordata Germaniæ*, non in eo ſenſu quod ſint ſanctiones, quæ res mere civiles & politicas attingunt (o), ſed quod de cauſis diſponant revera mixtis, quæ non minus ad ſtatum politicum quam eccleſiaſticum & ferme æque principaliter pertinent (p).

Tres gradus Interpretationis. Jam cum tres præcipue ſint Interpretationis gradus circa leges tam privatas, quam publicas S. R. J. primus *hominum* etiam *privatorum*, alter *Doctorum*, tertius *legislatorum*: de ſingulis nonniſi pauca videamus. Quod in legibus privatis, idem in legibus publicis eſſe licitum, nemo dubitaverit, niſi quis ſanctionem prohibentem oſtenderit. Quemadmodum ergo circa legum privatarum, ita etiam circa legum publicarum

(o) Quemadmodum vult Hoffmannus Diſſert. de ratione Interpret. leg. Imp.
(p) Vid. dicta de Concord. Germ.

Digitized by Google

carum interpretationem civium & Doctorum induſtria verſari poteſt, dummodo regulas rectæ interpretationis calleant, & in ſuis interpretationibus cavillationes ſolicite caveant. Huc pertinet, quod Art. 5. §. 50. P. W. cautum legitur: *utriusque Religionis Magiſtratus ſevere & rigoroſe prohibeat, ne quisquam publice privatimque concionando, docendo, diſputando, ſcribendo, conſulendo Tranſactionem Paſſavienſem, Pacem Religioſam, vel hanc inprimis ſive declarationem ſive tranſactionem uspiam impugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde ducere conetur.* Atque in hac re plures, eosque non leves fieri exceſſus a Proteſtantibus non ſolum, ſed etiam Catholicis nemo facile inficias ibit, cum hoc tamen diſcrimine, quod apud Proteſtantes ferme omnia verba in ore aut calamo Catholicorum graves blaſphemiæ ſint, & injuriæ intolerabiles; econtra injuriæ ab ipſis ore pleno effuſæ ſint mera oracula æternæ veritatis. Huc pertinent diverſi receſſus Imperii, Erfurtenſis de an. 1529. §. 9. Auguſtanus de anno 1530. Spirenſis de anno 1570. Ratisbonenſis de an. 1541. §. 40. aliæque circa rem librariam conſtitutiones, quibus ſcripta diffamatoria, aliaque ſcripta maledica, virulenta, aut male ſonantia interdicuntur; item Gravamina Religionis apud Londorpium (q) ſæpius in Comitiis etiam publicis eum in finem propoſita, ut huic malo medela afferatur (r).

In interpretatione legum abſtinendum a cavillationibus.

Quid leges publicæ in hoc puncto ſtatuerint.

Alter interpretationis gradus eſt quaſi *doctrinalis*, & conſiſtit in prudenti, eaque publica applicatione legis ad facta. Atque hæc facultas interpretandi leges Imperii publicas competit inprimis Juriſconſultorum collegiis eum in finem inſtitutis, ut quærentibus de jure reſpondeant, dummodo hanc facultatem reſpondendi de legibus publicis expreſſe privilegio, ſtatuto aut lege obtinuerint. 2do hanc facultatem principaliter exercent ſumma in Imperio Tribunalia eum in finem principaliter erecta, ut leges Imperii cuſtodiant, illarumque executionem urgeant, atque ad emergentes caſus factaque applicent. Nihilominus hæc applicatio ulterius progredi nequit, quam de mente legis conſtat. Ubi enim leges nihil diſponunt, aut ſaltem percipi non poſſunt, ſileat judex, & interpretationem ab authore legis exſpectet. Ita expreſſe jubet Pax Weſtphalica art. 5. §. 56., & in art. 8. §. 2. facultas interpretandi celeberrimum illum §. *gaudeant*: clare reſervata eſt Comitiis Imperii. Neque

Interpretatio doctrinalis ad quem pertineat?

(q) Tom. 5. Act. publ. lib. 1. cap. 107.
(r) Vid. Adamus Adami Relat. Hiſtor. de Pacificat.

Digitized by Google

que deſunt exempla, quod judicia imperii in cauſis dubiis a ſententia abſtinuerint, & declarationem legis a Comitiis petierint. Sed quid hæc ad nos (s)?

Interpretatio authentica legum Imperii pertinet ad Comitia.

Ultimus & ſupremus Interpretationis gradus eſt ille, qui ipſis legislatoribus competit, & vocatur Authenticus. In imperio autem noſtro clariſſime diſpoſitum eſt, leges in comitiis ſerendas, & interpretandas. *Gaudeant*, inquit Art. 8. §. *gaudeant, ſine contradictione jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis imperii, præſertim ubi leges ferendæ, vel interpretandæ*: adeoque non ſolus Imperator, non ſtatus Imperii, ſed ambo ſimul poteſtate interpretandi leges pollent. Ita etiam proviſum in Capitulationibus Cæſareis, ex quibus ſufficiat Capitulatio Caroli VI. art. 2. ubi ſic legitur: **Keineswegs aber ohne Churfürſten, Fürſten, und Ständen auf Reichstägige gleichmäßig vorgehende Bewilligung änderen, vielweniger neue Ordnungen und Geſetze im Reich machen, noch allein die Interpretation der Reichs-Satzung und Friedens-Schluſſes vornehmen, ſondern mit geſammter Stände Rath und Vergleichung auf Reichstägen damit verfahren, zuvor aber darinn nichts verfügen, noch ergehen laſſen.** Non eſt hic prætereundum monitum Legati Palatini, quod ad articulum II. Capitulationis Leopoldinæ dediſſe fertur: **Jhro Churfürſtl. Durchläucht hätten hiebey auch Erinnerung thun wollen ꝛc. daß in Einrichtung der Capitulation unter andern verſehen werden, daß Eligendus der Interpretation Inſtrumenti Pacis ſich nicht allein nicht anmaſſen ſollen, ſondern da ein dubium ſich ereignete, mit Zuziehung Churfürſten, und Stände, auch der paciſcirenden Cronen ſich vergleichen, darinnen nichts verfügen, oder da was vorgegangen, caſſiren wollen ꝛc.**

Modus interpretandi leges in Comitiis eſt duplex.

De modo jam interpretandi leges in Comitiis videndum, qui duplex eſt, vel *per numerum ſuffragiorum*, vel per *transactionem & amicabilem compoſitionem. Vota majora* obtinent in legibus *imperium in corpore* ſpectantibus. *Amicabilis compoſitio vel transactio* locum habet in legibus & juribus ſingula collegia aut ſingulos attingentibus e. g. ſi quæratur de quodam jure Imperatoris, Collegii electoralis, vel Principum vel Civitatum. Cum enim ſtatus æquali ſuffragii jure gaudeant, & nulli collegio in alterum poteſtas competat, profecto vota majora obtinere, aut ſtatus ſuis conſtatibus jura quæſita auferre non poſſunt. Hinc aliud opportunius & aptius remedium pro interpretandis legibus & juribus non occurrit, quam amicabilis compoſitio. Unde illud frequenter in Comitiis

(s) Vid. Hoffmannus loc. cit. cap. 4.

Comitiis auditum fuit: man würde ſich ſein Recht nicht abvotiren laſſen. Atque ita etiam moribus obſervari teſtantur Acta publica.

Alius adhuc datur caſus, in quo vota majora non obtinent, ſed potius amicabilis compoſitio. Notum eſt, quod diverſitas Religionis quoque Imperium in duas diviſerit partes, Catholicorum, & Proteſtanticorum. Et quoniam unio inter hos & illos aptiori medio haud poſſe conſervari videbatur, quam æqualitatis vinculo in negotiis Religionis, aut *in aliis quoque negotiis, in quibus Catholici, & A. Confeſſ. addicti in duas partes abeunt, non attenta votorum pluralitate* amicabilem compoſitionem in vim remedii pro dirimendis litibus, componendis juribus, ac interpretandis legibus aſſumere placuit. Evidens hujus eſt diſpoſitio Art. 5. §. 50. (t). Concordat §. 2. ejusdem articuli. Tres igitur conſtituuntur caſus, in quibus majora vota non numerantur, nempe 1mo in cauſis Religionis; 2do in omnibus aliis negotiis, ubi ſtatus ut unum corpus conſiderari nequeunt; 3tio in negotiis, in quibus Catholici & A. Confeſſ. ſtatus in duas partes eunt. Super hac materia *de cauſis a jure Majorum exceptis, & in quibus in Partes itur*, cum ſingulari eruditione ſcripſit Perill. Ickſtatt per plura opuſcula, quæ continentur Tom. II. Opuſ. Jurid. Sed de hoc infra.

Hactenus dicta ſpectant ad Pacem Weſtphalicam illiusque Interpretationem, in quantum reſpicit Imperium Germanicum. Porro autem, quia Pax Weſtphalica plures continet articulos, qui jura extraneorum compaciſcentium e. g. Gallorum, Suecorum concernunt, hi vero Comitiorum concluſis ſeſe ſubjicere jure optimo recuſant, non ideo duntaxat, quod ſtatibus imperii non ſubjiciantur, ſed quod par debeat eſſe paciſcentium conditio, idcirco horum quoque conſenſus neceſſarius eſt ad faciendam interpretationem authenticam Pacis Weſtphalicæ, ne iniqua per ſiniſtram interpretationem ipſis inferatur conditio, cum nihil ſit facilius, quam legem & pacta in favorem proprium, & odium tertii interpretari. Ex hac ratione alibi docuimus, poteſtatem interpretandi Concordata Germaniæ nec ad ſolum Pontificem, nec ad ſolum Imperatorem, ſed ad utrumque & inclytam Nationem germanicam pertinere.

Quomodo leges P. W. ad exteros pertinentes ſint interpretandæ.

Utrum Deputati, qui alias integrum Reipublicæ Romano-Germanicæ corpus repræſentare ſolent, legum publicarum facultate gaudeant, aliis diſcutiendum relinquimus.

 §. X.

(t) Vid. infra dicenda de amicabili compoſitione.

§. X.

Pax W. eſt lex quaſi ſuprema Imperii.

Ex dictis facile colligitur, ſupremam veluti, primariam, ac præcipuam legem Imperii Romano-Germanici *fundamentalem* eſſe Pacem Weſtphalicam apud Proteſtantes præcipue, qui eidem in omnibus primas deferunt: quam proin ſalvam & integram, ſartam tectamque ſervari, manuteneri, contra turbantes quoscunque defendi intereſt totius Imperii, & Religionis tam Catholicæ, quam Proteſtanticæ; jubent Receſſus Imperii, imperant Capitulationes Cæſareæ omnes & ſingulæ. Incumbit hæc cura præcipue Imperatori ex triplici titulo, qua *ſummo Paciſcenti*, qua *ſupremo Advocato Eccleſiæ*, qua *Executori principali* Pacis Weſtphalicæ. Etenim Imperatorem eſſe *Advocatum Eccleſiæ* non Catholicæ duntaxat, ſed etiam Proteſtanticæ, nec non Executorem Pacis Weſtphalicæ ſupremum, clare edicunt Capitulationes Cæſareæ, & inter has clariſſime Capitulatio Caroli VI. in cujus Articulo I. poſtquam Imperator promittere jubetur, die Chriſtenheit, den Stuhl zu Rom, Päbſtliche Heiligkeit, und Chriſtliche Kirche als derſelben Advocat in guten treulichen Schutz und Schirm zu halten, mox ſubjungitur: ſo viel aber in dieſem Artikel den Stuhl zu Rom und Päbſtliche Heiligkeit betrift, wollen die der Augſpurgiſchen Confeſſion zugethane Churfürſten, vor ſich und ihre Religions-Verwandte ꝛc. uns damit nicht verbunden haben, geſtalten dann auch gedachte Advocatia dem Religion- und Profan- auch dem Münſter- und Oſnabrügiſchen Friedens-Schluß nicht zum Nachtheil angezogen, noch gebraucht, ſondern denen obgedachten Churfürſten, und ſämmtlichen ihren Religions-Verwandten, auch ſolches Kraft dieſes Verſprechen und uns hiermit dazu verbinden. In quo vero hæc Advocatia conſiſtat, in ſequenti Articulo II. explicatur, daß nemlich Kayſerl. Majeſtät den Religions- und Oſnabrügiſchen Frieden unverbrüchlich halten, und handhaben, darüber niemand beſchweren noch durch andere beſchweren laſſen, auch nicht geſtatten wollen, daß in Religions-Sachen jemand dem Inſtrumento Pacis, dem Nürnbergiſchen Executions-Receſs, und denen mit andern habenden pactis entgegen, vergwaltiget, graviret, oder turbiret werde, wie auch, daß an einigen Orten, von welchen das Inſtrumentum pacis diſponiret, in eccleſiaſticis & politicis ſub quocunque prætextu oder ungleichen Auslegung deſſelben, dargegen, oder wider die in Reichs-Abſchied de anno 1555. einverleibte Executions-Ordnung directe vel indirecte gehandelt werde. Eadem repetuntur art. 4. §. abſonderlich. art. 14. doch ſo viel. & art. 16. §. auch wieder.

Eſt integra conſervanda præcipue ab Imperatore ex triplici titulo.

Imperator eſt Advocatus etiam Eccleſiæ Proteſtanticæ.

Cæterum

Digitized by Google

Cæterum difficultas hic latet longe maxima, cui diſſolvendæ nemo facile par erit. Nam, edicito! qua conſcientia Imperator Catholicus Eccleſiæ Proteſtanticæ Advocatum agere, illius patrocinium aſſumere, eidemque fidem jurare poteſt, quod illam defendere, tueri, illiusque jura ſarta tectaque conſervare, quin & illius bonum promovere velit, quam tamen eſſe falſam, erroneam, & hæreticam, & coram Deo abominabilem agnoſcit? qua conſcientia Imperator, qui ante coronationem Romano Pontifici fidelitatem, & obedientiam, & quidem olim per *Legatum obedientiæ* (u) promittit, ſimul etiam Eccleſiæ Proteſtanticæ jurato promittere poteſt, quod Pacem Weſtphalicam manutenere, jura illius contra Pontificem vindicare, & conſervare, & obſervantiam prædictæ pacis quoad omnes ferme apices etiam cum præjudicio maximo Romanæ ſedis & totius rei eccleſiaſticæ, quantum in ſe eſt, procurare velit? Sunt hæc certe paradoxa, inaudita, mira, & inſolita, ac ſibi invicem contraria, nec explicari poſſunt, niſi ſubliniora principia ex intimis Jurisprudentiæ univerſalis publicæ receſſibus deprompta in ſubſidium vocentur. *Utrum Imperator poſſit agere Advocatum Eccleſiæ Proteſtanticæ.*

Et inprimis quidem pro hac difficultate diſſolvenda huc optime quadrat doctrina, quam ex Moshemio mutuatam alibi propoſuimus (x), de obligatione Principis procurandi ac promovendi bonum Religionis, & ſocietatum ſacrarum in ſuo territorio exiſtentium, an nempe Princeps bonum ſacrarum magis, quam aliarum ſocietatum, fortaſſis civilium; & unius potius ſocietatis ſacræ, illus nempe, cui ipſe eſt addictus, quam alterius teneatur promovere. Diſtinquunt videlicet Doctores inter Principem qua *Principem in abſtracto*, & inter Principem *qua Chriſtianum*, vel *Catholicum*, vel *Proteſtanticum*. Jam Princeps qua *Princeps* æqualiter obligatur tueri, & defendere omnes Societates, & ſuam advocatiam, aſſiſtentiam, protectionem æqualiter impendere ſocietatibus ſacris & politicis ex quocunque fine in civitatem receptis, neque plus favoris & juris indulgere uni, quam alteri. Aliter dicendum, ſi Principem qua *Chriſtianum* conſideremus: tunc enim qua *Chriſtianus* ex titulo *Chriſtianitatis* omnibus Chriſtanis communi, & ſpecialiter Principibus chriſtianis proprio chriſtianam Religionem fovere, illiusque bonum meliorem in modum promovere tenetur. Qua doctrina ſuppoſita, quamneutiquam ex omni parte certam exiſtimamus, jam difficultas ſupra poſita facile *Princeps ſumitur vel ut Princeps in abſtracto, vel ut Princeps chriſtianus.* *Imperator jurat & obligatur in perio qua Imperator.*

(u) De Legatis obedientiæ *vid.* hoc Tom. III. quæſt. 4. cap. 2. §. XII. Item Gottlieb Buderus de leg. obed.

(x) Tom. 1. q. 1. cap. 7. §. 3.

facile enervatur. Jurat itaque Imperator qua Imperator Imperio, quod utriusque Eccleſiæ Catholicæ & Proteſtanticæ jura ex Pace Weſtphalica licite & valide inita, jamque inviolabiliter obligante competentia ſarta tectaque conſervare æqualiter velit. Jurat Pontifici qua Imperator Catholicus tanquam ſupremo capiti Religionis, quod eidem fidelitatem & obedientiam præſtare & exhibere velit, neque aliter jurat, niſi in quantum id ſalva conſcientia, & ſalvo jure tertii poteſt. Et aliunde omne juramentum habet imbibitam clauſulam, quod valeat, in quantum non vergit in præjudicium tertii, quemadmodum nos alibi dixiſſe meminimus, ubi de juramento Principum eccleſiaſticorum ex præſcripto Pontificalis Romano Pontifici ante conſecrationem præſtando, quod ſcandalo eſſe ſolet Proteſtantibus, egimus (y). Itaque ſub diverſa ratione utrique & Imperio, & Pontifici ex ſuo juramento obligatur, *Imperio*, qua *Imperator*, *Pontifici*, qua *Catholicus*: & quia utriusque jura etiam ſunt diverſa, ac ipſum juramenti objectum eſt diverſum, ambo juramenta ſine contrarietate ſervari poſſunt. Et quidni Imperator jurare poſſit, quod Pacem Weſtphalicam obſervare, & jura inde promanantia utriusque Eccleſiæ tam Catholicæ quam Proteſtanticæ ſarta tectaque conſervare velit? cum ad id aliunde ex pacto, conventione & jure naturæ ex dictis obligetur, & revera e re Catholicorum, e bono Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ, nec non ipſius ſedis Pontificiæ ſit, ut Pax Weſtphalica obſervetur, ad quam ſervandam obligatur. Quemadmodum ergo Imperator in pace ineunda egit licite, ita neque ſi jurat de pace obſervanda, & Advocatia Eccleſiæ Proteſtanticæ impendenda agit contra conſcientiam. Habet iſtud juramentum objectum licitum, videlicet obſervantiam Pacis Weſtphalicæ, quam obſervari intereſt boni publici tam eccleſiaſtici, quam Politici, æque Catholici, ac Proteſtantici, ut adeo juramentum iſtud, quod in favorem Eccleſiæ Proteſtanticæ eſt introductum, primario in ipſum Eccleſiæ Catholicæ bonum redundare, atque hic ſubintrare videatur illud juris naturalis principium: *ſalus publica Eccleſiæ & Reipublicæ ſuprema lex eſto.*

Pontifici qua Imperator Catholicus.

An princeps Catholicus indiſcriminatim poſſit in ſe ſuſcipere Advocatiam Eccleſiæ.

Cæterum doctrinam hactenus propoſitam neutiquam ex omni parte acceptamus, ſed notabiliter limitamus ad hypotheſin *ſalutis & neceſſitatis publicæ*. Idcirco extra talem hypotheſin illicitum, abſonum, & paradoxum eſſe exiſtimamus, ut Princeps Advocatiam, protectionem, & patrocinium Religionis & Eccleſiæ, quam in ſua conſcientia falſam & erroneam agnoſcit, & defenſionem jurium eidem competentium cum præju-

(y) Tom. 3. q. 1. cap. 3. §. 11.

præjudicio Religionis propriæ & ſocietatis ſacræ, quam pro vera habet, aſſumat. Id enim quid aliud foret, quam cooperari doctrinæ erroneæ, hæreſi, & ſectæ falſæ? Et quoniam Eccleſia Proteſtantica Eccleſiæ Catholicæ, illiusque juribus inimica eſſe aperte dignoſcitur, ſane non video, qua conſcientia Princeps Catholicus extra poſitam hypotheſin eidem ſuam Advocatiam, protectionem & patrocinium in præjudicium Religionis Catholicæ impendere valeat. Sola igitur neceſſitas, ſola ſalus publica, ſola hypotheſis Principem in conſcientia ſecurum reddit. Illa abſtractio *a ſe ipſo*, a *Religione* cordi & conſcientiæ intime impreſſa non tantum eſt prorſus violenta, ſed ſerme impoſſibilis in concurſu Religionis veræ & falſæ, quia conſcientia ſemper reclamat, & Principem prohibet, ne in conſortium Religionis veræ admittat Religionem falſam, illius juribus adverſam, inimicam, & præjudicioſam, hujusque defenſionem in ſe ſuſcipiat, niſi id ſine præjudicio fieri poſſit, aut ex neceſſitate legis præcipientis fieri debeat. Id facile largimur, poſſe Principem æqualiter eſſe affectum erga diverſas Religiones & ſocietates ſacras ſecundum dictamen ſuæ rationis falſas, eisdemque æqualem Advocatiam & protectionem adhibere extra concurſum Religionis veræ, & quando id fieri poteſt ſine hujus præjudicio. At vero in ſimili concurſu id fieri poſſe, & æqualem induere affectum erga Religionem in ſuo dictamine veram, & alteram falſam, nemo unus mihi perſuaſerit. Itaque agit talis Princeps Advocatum Religionis ſuo conſcientiæ dictamini, adverſæ, non ex affectu animi, ſed ex neceſſitate, quia lex ita jubet & hinc valet illud: *lex equidem lex dura eſt, ſed ita ſcripta eſt.* Conſulamus nos ipſos, & quomodo interne affecti ſimus erga Religionem quamcunque noſtris principiis adverſam, ſerio nobiſcum expendamus. *quam putat eſſe falſam.*

Quinimo ſi loquamur de Advocatia mere politica & civili conſiſtente in eo, ut quis juribus & privilegiis Civitatis quiete uti & frui permittatur, ac in ſuis juribus quæſitis defendatur, pariter non dubitamus, quod Princeps diverſis ſocietatibus ſacris, dummodo nihil, quod Reipublicæ nocivum foret, in Religionis ſuæ principiis doceant, æqualem Advocatiam impendere, æqualia jura concedere, paria privilegia indulgere valeat. Et in hoc ſenſu Auguſtiſſimus Advocatum Eccleſiæ tam Proteſtanticæ, quam Catholicæ agere videtur, atque adeo omnino verum dicit Pfaſſius, dum ait: Demnach bleibt es dabey, Auguſtiſſimus können ſalva conſcientia beydes zugleich thun, und gleichen Schutz der Römiſchen, und proteſtirenden Kirche leiſten. Es iſt dies ja nur eine Advocatia civilis & politica, da man von dem Punct der Religion abſtrahiret, und die Societates eccleſiaſticas qua tales, und die vermeynte hæreticos nur qua cives betrachtet. *Princeps Advocatiam politicam poteſt impendere diverſis ſocietatibus ſacris etiam falſis.*

Digitized by Google

betrachtet. Hier hat die Abſtractio groſſen Nutzen, und macht die Sache auf einmal ganz deutlich und helle. Soll dann z. E. ein proteſtierender Fürſt beneficio abſtractionis die von ihm in der Religion diſſentirende Unterthanen nicht mit gleicher Treue meynen, als die ſeines Glaubens ſind? thut nicht der türkiſche Sultan löblich, wenn er die Chriſten gleiche Civil-Rechte, und Freyheiten mit den ſogenannten Muſelmännern genieſſen läßt? thut denn GOtt wider ſeine Weisheit, Heiligkeit, und Gerechtigkeit, daß er ſeine Sonne aufgehen läſſet über Böſe und Gute, ich ſage weiter, daß er ſo viele Religionen in der Welt gleich dultet, und ſeiner gütigen Vorſehung gleich genieſſen läſſet? das iſt ſeine providentia, und conſervatio generalis, von welcher niemand als Menſch ausgeſchloſſen iſt (z). Hoc ultimum exemplum de providentia Dei non eſſe ex omni parte ad rem, ipſe Pfaffius negare non poteſt, cum hic ſit ſermo de Advocatia non mere generali, ſed ex pacto & juramento debita.

Imperator habet varia jura reſpectu Eccleſiæ Proteſtanticæ.

Præter jus *ſupremæ Advocatiæ* alia adhuc jura eidem vel annexa, vel aliunde advenientia Imperatori Proteſtantes reſpectu ſuæ Eccleſiæ concedere non verentur, præcipue autem *Jus inveſtiendi in Superioritate territoriali* & huic annexo *jure reformandi* juxta normam P. W. jus fundatum; tollendi abuſus in eccleſiaſticis irrepentes, eliminandi Religiones exteras, ſi quæ præter tres receptas publicum exercitium introducere attentent, inveſtiendi Epiſcopos Evangelicos juxta normam in Art. 5. §. 21. P. W. præſcriptam, conferendi Epiſcopatus jure devolutionis ad ſe pertinentes, exercendi primas preces, & dandi literas Panis, Panis-Briefe (a), contraveniendi abuſibus papalibus, ut ajunt. Prætereo alia jura eccleſiaſtica, quæ Proteſtantes quam liberaliſſime in Imperatores, ſed nonniſi in odium Pontificis diſpenſant (b). De aliis juribus Imperatoris capite ultimo agemus.

§. XI.

Jura Comitiorum in diſſidiis Religionis quæ.

Ab Imperatore, & juribus illius ad jura Comitiorum in cauſis, negotiis, controverſiis, & diſſidiis Religionis competentibus explicanda progredimur. Ex dictis §. IX. pertinet ad Comitia jus authentice interpre-

(z) Academiſche Reden zweyter Abſchnitt, 2. cap. §. 5.
(a) Pfaff. loc. cit. §. 8.
(b) E. g. jus convocandi Concilia, mittendi Commiſſarios ad electiones Epiſcoporum, dandi *Excluſivam*, tollendi, ut loquitur Pfaffius, abuſus papales, conſtitutiones gravantes, diſpenſationes ſcandaloſas, excommunicationes, contraventiones contra Concordata Germaniæ.

Digitized by Google

interpretandi Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ. Inde conſequitur, ad illa pertinere quoque jus tractandi negotia, cauſas, controverſias, & diſſidia Religionis, eaque pacifice componendi, quin etiam tales ordinationes faciendi, quibus futuris quoque diſſidiis in puncto Religionis præcaveatur, ſalva tamen libertate conſcientiæ, ſalvis juribus utriusque partis diſſidentium, ſine vi, ſine violentia per ſolam viam amicabilis compoſitionis, extra quam nulla fieri poteſt deciſio, niſi cauſa clare quaſi in terminis terminantibus in inſtrumento Pacis ſit deciſa, aut ex verbis & mente paciſcentium aperte ſequatur, adeoque amicabilis compoſitio amplius locum habere nequeat, & præter executionem nihil amplius ſuperſit.

Porro quia modus tractandi negotia Religionis, & componendi diſſidia multa habet ſpecialia e. g. quod in cauſis Religionis jam non amplius poſſit & debeat conſiderari quaſi *unum corpus*; quod in cauſis Religionis non obtineant vota majora; quod jus eundi in partes locum habeat, quæ rite intelligi non poſſunt, niſi ſyſtema Imperii, & Comitia illius perſpecta habeamus, utraque breviter dilucidabimus.

Syſtema Imperii exponitur. Eſt Imperium noſtrum *Corpus quoddam politicum*, *morale* & *myſticum*, quod alii *Corpus Imperii*, alii *Corpus Germanicum*, alii *Corpus ſtatuum*, aut omnino *ſtatu*: vocant, *quatenus tanquam unum corpus conſiderari poſſunt* (c). *Corpus Imperii dividitur in varia corpora particularia.* Jam *corpus iſtud univerſum* abit in tot *corpora particularia*, quot complectitur collegia, & hinc a tribus Comitiorum collegiis aliud vocatur *corpus Electorum*, aliud *Principum*, & aliud *liberarum civitatum* (d); a diverſitate circulorum aliud Suevicum, Bavaricum, Rhenanum, Franconicum, Saxonicum (e); a diverſitate Religionum aliud *Catholicorum*, & aliud *Proteſtanticorum* (f); quidquid hiſce diviſionibus occaſionem præbuit, ſive dum quidam ſtatus Imperii ab antiquiſſimis temporibus ſibi ſpecialia jura vindicarunt (g), ſive dum alii antiquam conſuetudinem & libertatem ſeſe invicem conſociandi, confœderandi, & toties conveniendi ac deliberandi, quoties neceſſitas, vel utilitas *Unde veniat diviſio in tot corpora, & collegia.*

(c) Vid. Joan. Steph. Pütterus nova Epitome J. P. G. cap. 3.
(d) Idem loc. cit. §. 66. & ſeq.
(e) Dividitur in 10. circulos, ſi terram ſpectes. De his idem author. loc. cit. cap. 8.
(f) Incœpit hæc diſtinctio a tempore Reformationis, quam Catholici quidam impugnant.
(g) Quemadmodum Electores.

Digitized by Google

utilitas Nationis, vel provinciæ exegerit, reſervarunt (h), ſive dum diverſitas Religionis a tempore Reformationis diſſociationem in plura corpora pro diverſitate Religionis diverſa perſuaſit (i), ſive dum ipſe commodior pro vaſta imperii amplitudine rerum agendarum ordo diviſionem vaſtiſſimi corporis in corpora particularia eaque minora fieri præcepit (k).

Quid ſint Comitia, & quotuplicis generis. Omnia vero hæc corpora habent ſuos conventus, quos ſolent vocare *Comitia*, & in quibus de rebus agendis tractant, conſultant, & decidunt. Sunt enim *Comitia* nihil aliud, quam *conventus Procerum vel populi ad deliberandum de negotiis publicis*. Sunt vel *univerſalia*, quæ totum Imperium; vel *particularia*, quæ vel circulos, vel certas claſſes, atque Collegia ſtatuum concernunt.

Comitia univerſalia ſunt vel antiqua, vel nova. Comitia *univerſalia* aut ſunt *antiqua*, aut *nova*: illa ſeu *antiqua* ſunt ea, quæ a primis Germanorum temporibus usque ad tempora, ſub quibus Comitia Imperii univerſalia ſecundum hodiernam formam vocatis nonniſi Electoribus & Principibus, & ſucceſſive etiam liberis civitatibus, quæ proin potius conventus Principum dici merentur, celebrari cœperunt, ac ſub Regibus & Imperatoribus Carolingicis non tantum, ſed etiam Saxonicis, Franconicis, Suevicis & Auſtriacis fuere celebrata. *Nova* ſunt ea, ad quæ hodie vocantur ſtatus Imperii. *Antiqua* tempore Caroli M. diſtinquebantur in Comitia *Majorum*, & *Seniorum*: Illa appellabantur *Conventus populi* & *Curiæ generales*, erant *univerſalia*, & ad ea vocabantur omnes, qui Rempublicam procurabant, prout patet ex Diplomate Ludovici Pii, quod inſcribitur: *omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, vel Vice-Dominis, Vicariis, Centenariis, Telonariis, Actionariis, & omnibus Rempublicam procurantibus* (l). Quo tempore, quo modo hæc comitia fuerint celebrata, egregie exponit Struvius (m). *Comitia minora* cum Senioribus tantum & præcipuis Conſiliariis habebantur, & dicebantur *Senatus Francorum*, vel *Conventus majorum natu Francorum*, atque conſtabant ex Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus atque Comitibus. Quodſi tamen ad tempora propiora accedamus, Comitiorum antiquorum formam multum immutatam reperimus. Erant enim Comitia vel *univerſalia*, vel *Principum*. Quinam univer-

Comitia alia Majorum, alia Seniorum.

(h) Uti ſtatus unius Provinciæ, vel Regni.
(i) Uti quando invaluit Religio Proteſtantica.
(k) Inde venit diviſio Imperii in Circulos.
(l) Annal. Eginhardi ad an. 770.
(m) Corp. J. P. cap. 23. §. 4. & ſeq.

Digitized by Google

univerſalibus Comitiis interfuerint docet Struvius ex Dodechino (n), qui dum de Lotharii Comitiis an. 1131. celebratis agit, ita habet: *Rex autem Lotharius Leodium cum Principibus totius Regni, Archiepiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Palatinis, Comitibus, & cum cæteris Nobilibus ad Curiam condictam venit.* Quin etiam aliquoties conveniſſe Civitates & populum, patet ex proœmio Aureæ Bullæ: *Aſſidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus eccleſiaſticis & ſæcularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum univerſa multitudine.* Aliquoties Reges, eorumque Legatos interveniſſe Comitiis, teſtes ſunt hiſtoriæ (o). Inſtituebantur tales conventus univerſales potiſſimum in electionibus Imperatorum, quæ fiebant cuncto acclamante populo. Succeſſive excluſo populo poſt Henricorum tempora ſoli Principes, ac demum ſoli Electores jus eligendi Imperatores ſibi vindicabant, atque ab hoc tempore in reliquis ſaltem negotiis ſoli Principum conventus inſtituebantur, Nobilibus immediatis, & Civitatibus ſaltem tunc admiſſis, ubi vel de Imperii ratione agebatur, vel leges publicæ erant ferendæ. Itaque remanſerunt ſoli *Conventus Principum*, ad quos tamen poſtmodum ſub certis conditionibus æque Comites & Civitates fuere admiſſæ. Iſti Principum conventus olim circa præcipuas anni feſtivitates in urbibus Palatinis & Imperialibus celebrabantur (p), & vocabantur ſolemnes Curiæ.

Quinam interfuerint Comitiis antiquis.

Inſtituebantur in electionibus Imperatorum.

Jam ad hodierna Comitia progrediamur, quæ licet ex conventu Principum ſint ordinata, cœpit tamen recentiori ævo nova diſtinctio in Comitia *univerſalia*, & *particularia*, prout ſupra explicavimus, dum vel totum & *univerſale Corpus Germaniæ* indicente Imperatore, vel *corpora ſeparata & particularia* ſuos celebrant conventus. Noſtri inſtituti non eſt, hanc Comitiorum materiam pro ſuis examinare meritis, & de modo ea celebrandi, ſtatibus ad ea vocandis, antecedentibus, deliberationibus inſtituendis, Directorio, collectione votorum in tribus Collegiis, Re- & Correlationibus, Placito Imperii formando & offerendo, Decreto Imperii inde formato, modo ſubſcribendi, ſigillandi, aliisque ad Comitia pertinentibus fuſius agere. Hæc fuſius pertractata paſſim leguntur in Publiciſtis, ad quos Lectorem remittimus. Inter hos legi poſſunt Pfeſſingerus ad Vitriarium lib. I. & IV. Gotthelff Struvius Corp.

Comitia hodierna alia univerſalia, alia particularia.

Aa aa 2

(n) Vid. Struv. loc. cit. §. 6.
(o) Tales aſſert. cit. Author loc. cit. §. 7. & in ſuo *Corpore Hiſtor. German.* Periodo 7. S. 2. §. 27.
(p) Albert. Stadenſis ad an. 1163. Otto Friſing. lib. 1. cap. 8.

Digitized by Google

Corp. Jur. Pub. cap. 23. Joan. Chriſtoph Wagenſeilius de Comit. univerſ. S. R. J. Lipſiæ 1734. Igitur, poſtquam jam ſupra demonſtravimus, negotia Religionis præcipue in Comitiis eſſe tractanda & amicabiliter componenda, in id unice nobis inquirendum, quis ordo, quæ forma, quæ ratio ex diſpoſitione Pacis Weſtphalicæ quaſi præter communem ordinem, & formam in diſſidiis Religionis componendis a Comitiis & ſupremis Imperii tribunalibus obſervari debeat?

Ad tempora usque Reformationis nonniſi unum *Corpus Germaniæ* in tria diviſum collegia *Electorum*, *Principum* & *liberarum Civitatum* notum erat. Hæc tria Collegia una cum Imperatore conſtituebant *Comitia*. Utriusque conſenſus Imperatoris & Statuum efficiebant *Concluſum Imperii*: ille, id eſt Statuum, dicitur *Placitum Ordinum Imperii*, ſeu *concluſum trium Collegiorum*; hic *Ratificatio* aut *Approbatio Cæſarea* (q). Ut autem Cæſaris Ratificatio poſſit accedere, omnia tria, aut ſaltem duo Collegia in eandem debent conſpirare ſententiam. Unde *concluſa Collegiorum* alia dicuntur *efficacia*, & alia *inefficacia*: illa dicimus, quæ accedente approbatione Cæſarea *concluſum Imperii* conſtituere ſunt apta; hæc, quibus approbatio Cæſarea cum effectu accedere nequit. Hæc qua ratione fiant, videatur in authoribus mox antea citatis, quibus addatur Perill. Ickſtattius in Opuſ. I. de eo, quod circa deciſ. negot. Comit. &c. Cap. II. Ad noſtrum ſcopum ſufficit ſcire, quod omne *Concluſum Imperii* debeant præcedere *concluſa Collegialia*, hæc autem ex *majori* in idem conſentientium numero conſtituantur, atque adeo *vota majora concluſum collegiale* efficiant. Atque jus hocce *majorum* in negotiis Imperii publicis ab antiquiſſimo retro tempore viguiſſe, leges Imperii publicæ, & fundamentales indubium relinquunt (r), quin illud ſtatus Proteſtantici ab initio Reformationis in dubium vocare auſi fuerint, prout infra dicetur. Et quid mirum? Cum enim inter gentes tum legibus, tum moribus receptum ſit, ut ferme in omnibus Civitatum, collegiorum ac ſocietatum concluſis ita ſuadente ſumma æquitate ac neceſſitate vota majora obtineant, prout invictis argumentis demonſtrat laudatus Ickſtattius (s), niſi aliter lege vel conſuetudine cautum ſit, eccur in Imperio Romano, quod formam ex Monarchia & Ariſtocratia mixtam præferre videtur, aliud obtinere debeat? Cætera quoque huc pertinentia

(q) Vid. Struvii Corp. J. P. cap. 23. §. 16. & ſeq. Pütteri Nova Epit. J. P. G. cap. 4.

(r) Ickſtattius loc. cit. §. 18. & ſeq.

(s) Loc. cit. cap. I.

Digitized by Google

nentia de formando ex votis Collegialibus placito Imperii Reichs-Gutachten, mutua concluſorum expoſitione, re- & correlatione, Placito Ordinum Imperii a Directorio Moguntino concipiendo, ipſo concluſo Imperii, & quibusdam controverſiis e.g. an votum ſeu concluſum civitatum Imperii liberarum deciſivum ſit, an conſultivum, videre eſt in prælaudatis Authoribus.

Reformatio & diverſitas Religionis introduxit novam formam in Comitiis quoad cauſas Religionis.

Quemadmodum vero Reformatio & diverſitas Religionis quamplurimas alias in Imperio Romano-Germanico invexit novitates & mutationes, ita etiam novæ in Comitiis generalibus introducendæ formæ in diſſidiis Religionis componendis occaſionem præbuit. Ex quo enim ſtatus Imperii in duas abierunt Religiones, in duo quoque *corpora* ſeparata *Corpus Germaniæ univerſale* fuit diviſum, nempe *Corpus Catholicorum*, & *Corpus Proteſtanticorum*, ſeu, ut malunt, *Evangelicorum*. Videtur hæc diviſio fundari tum in lege expreſſa Pacis Weſtphalicæ, dum dicitur: *in cauſis Religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, ut etiam Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis ſtatibus in duas partes euntibus* (t); tum, uti loquitur Pütterus (u), in ipſa natura rei; tum in libertate ſtatuum coeundi in corpora ſpecialia; tum in obſervantia, cum multifariam fuerit agnita. At vero hac ſuper re ſaltem quoad nomen multum a non longo tempore fuit diſceptatum, & dubitatum, utrum ſtatus Proteſtantici *ſingulare corpus* dici poſſint, & revera conſtituant, cum nomen iſtud facile occaſionem ad ſchiſmata, ſciſſiones, & diſſidia præbere poſſit, & quaſi Rempublicam in Republica conſtituat. Ut, quid nobis videatur, dicamus, exiſtimamus cum Catholicis, hoc *corpus Evangelicorum* quoad ipſum *nomen* nullum habere fundamentum in lege Imperii publica, cum nullibi legatur; habere tamen quoad ipſam rem tum in Pace Weſtphalica & verbis ſupra citatis; tum in art. 5. §. 1. in verbis: *quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque juſtum ſit.* Et art. 5. §. 50. *ſi dubii quid incidat, aut ex cauſis pacem Religioſam aut hanc transactionem tangentibus reſultet, de eo in Comitiis vel aliis Imperii Conventibus inter utriusque Religionis Proceres nonniſi amicabili ratione tranſigatur*; tum in Capitulat. Caroli VI. art. 13. §. 10. in qua ſtatibus Imperii libera conceditur facultas toties *circulariter* aut *collegialiter* conveniendi, quoties ipſis e re ſui Collegii aut circuli eſſe viſum fuerit (x). Cum autem

(t) Art. 5. § 52. (u) Loc. cit. lib. 5. §. 532. & ſeq.
(x) Deſuper vid. Corp. Evangel. allerunterthänigſtes Vorſtellungs-Schre iben 1720 in Fabri Staats-Canzley. Tom. 37. Struvens Hiſtorie der Religions-Beſchwerden p. 396. Hoffmanns Diſſ. de voto Evangelicorum communi.

Huic diviſioni contradixerunt Catholici, & quare?

tem conſtet, quod non raro ex nomine ſolo etiam de ſe innocuo neſcio quæ jura deducantur, & ne ipſa forma Imperii videatur eſſe biceps, aut ſtatus Imperii Proteſtantici diſtinctum prorſus *corpus* conſtituere, & ſuo tempore ſeparatum quoque *caput* ſibi eligere præſumant, optima ſane ratione Catholici contra novitatem nominis fuere proteſtati. Huic novitati procul dubio occaſionem præbuerunt diſſidia Religionis inter Catholicos & Proteſtanticos continuo enata, conventus plurimi a Proteſtanticis ſeparatim inſtituti, quales ſunt Spirenſis, Norimbergenſis, Schwabacenſis, Schweinfurtenſis, Smalcaldicus, Brunſuicenſis, Arnſtadenſis, Eyſenacenſis, Naumburgenſis, Francofortenſis, Hallenſis in Suevia, Heilbronnenſis, Lipſienſis &c. & ipſa libertas conſcientiæ a Reformatoribus prætenſa, cui haud ſatis conſultum exiſtimabant, ſi diſſidia Religionis ſuffragiis univerſi Corporis Germanici potiſſimum ex Catholicis ſuarum partium ſtudioſis conflati ſubjicerentur.

Origo hujus diviſionis quæ.

Atque inde apparet, primariam hujus *Corporis Evangelici* originem eſſe reducendam ad diſſidia & gravamina Religionis, inter quæ illud ferme erat præcipuum, quo contra *majoritatem votorum* in comitiis proteſtabantur, indignum, injuſtum, & omni ſanæ rationi adverſum eſſe reputantes, ut diſſidia Religionis per majorem ſuffragiorum numerum componerentur, & hoc modo quidpiam ſtatueretur, quod libertati conſcientiæ eſſet adverſum, & hominibus invitis Religionis vinculum obtruderetur. Quamquam enim jus decidendi & concluſa ex majori ſuffragiorum numero formandi in vim regulæ valeat, & hæc regula ſumma nitatur æquitate, & in rebuspublicis polyarchicis ex morali quadam neceſſitate conſenſu fere gentium unanimi tanquam medium efficaciſſimum publica civitatis negotia ad exitum perducendi introducta fuerit: tum quod unanimis communitatis conſenſus propter naturalem hominibus inſitam contradicendi vim, & diverſos animorum diverſe ſentientium conceptus haberi raro poſſit, tum quod pro majori numero ſuffragantium major quoque militet veritatis præſumptio, nihilominus etiam hæc regula, quemadmodum quæris alia patitur ſuas exceptiones, prout ex omni jure conſtat; ita ut nonnunquam requirantur *duæ tertiæ* (y); aliquoties unanimis prorſus conſenſus omnium (z); paſſim ſufficiant vota majora abſolute talia, imo etiam reſpective talia (a), tunc nempe quando ſingulares rationes

Suffragia majora valere in cauſis decidendis inſtar regulæ habendum & quare?

Exceptiones ab hac regula.

(y) Uti in electione ſummi Pontificis.
(z) In Compromiſſo.
(a) In negotiis minoris momenti.

Digitized by Google

nes ſuadent receſſum a communi regula, & fortiores longe militant pro ſtatuenda exceptione, quam pro regulæ obſervantia, ſicuti egregie dilucidat Perill. Ickſtattius (b).

Itaque cum libertas conſcientiæ ſummi ſit pretii, & prorſus inæſtimabilis, a regula communi concludendi per vota majora in negotiis Religionis eo ſecurius eſſe recedendum exiſtimarunt, quo major habenda eſt ratio ſalutis animarum, quam periclitante libertate conſcientiæ periclitari neceſſe eſt. Quapropter mirum non eſt, quod, licet ante tempora Caroli V. raræ prorſus circa jus ſuffragiorum majorum controverſiæ viguerint, mox tamen ab initio diſſidiorum in Religione Reformatores majoritatem votorum elidere, & eliminare contenderint. Hinc jamjam Decreto Wormatienſi de an. 1521. & poſthac aliis Comitiorum inſecutorum placitis fortiſſime ſeſe oppoſuiſſe, & præſertim in Comitiis Spirenſibus & Auguſtanis an. 1529. & 1530. contra majoritatem votorum ſua gravamina exhibuiſſe Proteſtantes legimus (c), contrarium nihilominus declarante & decidente Carolo V. in reſponſo Oratoribus Proteſtantium dato, cujus verba ſunt ſequentia: *quia moribus receptum, ut quod major pars Ordinum Imperii ſancivit, ne paucis quibusdam hoc reſcindere liceat, ideo ſe datis literis ad Saxonem, atque ſocios mandaſſe, ut decretum factum habeant ratum, neque contra faciant, ſed obtemperent pro ea fide, qua ſibi devincti ſunt, & imperio* (d). Idem in Comitiis Auguſtanis an. 1530. in ſermone per Truchſeſium ad Proteſtantes habito in hunc modum reſpondit: *Quod autem ex decretis Imperii Concilium petant Proteſtantes, non habere locum, nec ipſis licere, qui poſtremum illud Spirenſe decretum repudiarunt, contraque ſunt proteſtati, & ab eo provocaverunt, quam tamen appellationem habeat pro nulla; nam æquum eſſe, ut minor pars ſeſe accommodet majori; quantula vero ſint ipſi portio, ſi cum Pontifice Maximo, ſi ſecum, ſi cum reliquo Principum cœtu componantur* (e). Integram hiſtoriam *Exceptionum a jure Majorum usque ad compoſitionem Pacis Weſtphalicæ in Conventibus Imperii tam univerſalibus quam particularibus ex indubi-*

Suffragia majora videntur excludenda ob libertatem conſcientiæ.

Proteſtantes contra majoritatem votorum proteſtari incipiunt.

(b) Opuſc. II. de hiſt. except. a jure Maior. cap. 2.

(c) Inter alia petierunt: Demnach es bey dem Articul, oder in beygefügten Erläuterung bewenden laſſen, und ſich die Majora davon nicht abwendig machen zu laſſen, denen ſie, weilen es eine Gewiſſens- und Glaubens-Sache, nicht Statt geben könten. in Mülleri hiſtoria deren Evangel. Ständen Proteſtation. p. 57.

(d) Sleidanus lib. 7. Comment. de ſtat. Relig. pag. 178.

(e) Idem pag. 192.

Digitized by Google

dubitatis Actis, & documentis publicis refert, dilucidat & mirum in modum illuſtrat laudatiſſimus Ickſtattius, ad quem appellamus (f).

Controverſia de majoritate votorum in tract. P. W. agitatur, & deciditur. In tractatibus P. W. præcipue hæc controverſia magna utrinque animorum contentione fuit agitata, uti pluribus docent Protocolla & Acta publica apud Londorpium, Cortreium, & Meierum in act. Pac. Weſtph. noviſſimis, donec tandem Art. 5. §. 52. in id fuerit conventum: *In cauſis Religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, ut etiam Catholicis, & Auguſtanæ Confeſſionis ſtatibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate. Quod vero ad pluralitatem votorum in materia collectarum attinet &c.*

Quid ſint cauſæ Religionis. Tria in hoc deciſo potiſſimum ſunt, quæ obſcura, & dubia, & elucidari merentur, 1mo quid veniat nomine cauſarum Religionis, quæ cauſæ Religionis huc pertineant, & objectum Comitiorum pacifice componendum conſtituant, & quare hæ a majoritate votorum ſint exemptæ; 2do quænam ſint illa negotia, in quibus ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt; 3tio quid de jure eundi in partes ſit tenendum.

Sunt triplicis generis. Ut a cauſis Religionis auſpicemur, hæ potiſſimum triplicis eſſe generis dignoſcuntur: vel enim ſpectant *credenda, revelata, divinitus præcepta,* paucis: *doctrinas fidei & regulas morum* quaſi *fundamentales* ac dogmata; vel regimen & exercitium Religionis externum, jura & officia Antiſtitum, Rectorum, Doctorum atque Miniſtrorum Eccleſiæ; vel denique res Eccleſiæ externas tam ſacras quam eccleſiaſticas, e. g. vaſa ſacra, templa, altaria & reditus eccleſiaſticos, eorumque jura, poſſeſſiones, uſus, exemptiones, immunitates &c.

Quænam cauſæ Religionis ad Comitia pertineant. Jam primitus, quænam *cauſæ Religionis* in genere *objectum Comitiorum* conſtituant, aut potius qualiter debeant eſſe conſtitutæ, ut ad *Comitia* pertineant, & pacificæ compoſitioni ſubjaceant, videamus, & tunc demum principia mox explicanda ad triplicis generis cauſas Religionis applicemus. *Non debent eſſe aliunde deciſæ.* Et inprimis quidem cauſæ Religionis huc pertinentes non debent eſſe aliunde clara lege deciſæ, ſed dubiæ & controverſæ, quia, quod aliunde eſt deciſum, aliunde omnem compoſitionem, omnemque transactionem reſpuit: & hinc dogmata Religionis Catholicæ certa, revelata, ac definita in compoſitionem & transactionem venire nequeunt. *Debent eſſe controverſæ inter Catholicos & Proteſtantes.* 2do cauſæ debent eſſe controverſæ inter duas partes, nempe inter Catholicos & ipſos Proteſtantes: nam ſi inter

(f) Loc. cit. Opuſ. II. cap. 2.

Digitized by Google

ter conſortes ejusdem Religionis ſuboriatur controverſia, ea pro inſtituto & modo cuivis Religioni proprio erit terminanda. Hinc cauſas Religionis Catholicorum definiet authoritas ſummi Pontificis & Conciliorum: Proteſtantium vero fidei controverſias, niſi in cauſas Religionis comitiales incidant, Princeps territorii vi competentis ſibi *juris circa ſacra* conſultis Conſiſtoriis terminabit. Hinc 3tio huc non pertinent cauſæ Religionis inter ipſos A. C. addictos, & Reformatos dubiæ & controverſæ: nam licet Proteſtantes & Reformati inter ſe fuerint æquiparati, & æquales effecti, id tamen unice intelligendum eſt in ordine ad & contra Catholicos in cauſis, in quibus cum, vel contra hos agendum. Idcirco cauſæ Religionis inter ipſos Proteſtantes & Reformatos controverſæ ordinaria ſuffragiorum via potius erunt dirimendæ, quam amicabiliter componendæ. Sed nec 4to cauſæ judiciales legibus jam antea definitæ huc pertinent, quando e. g. inter ſubditos non tam de cauſa Religionis definienda, quam potius lege ad caſum particularem applicanda agitur (g). In his enim pro re nata aut ſuprema Imperii tribunalia, aut Domini territoriales fundatam habent intentionem, & caſu quo talem cauſam vel ad tribunal ſupremum, vel ad ipſa Comitia trahi contingat, obtinebunt vota majora.

Huc non pertinent cauſæ inter Proteſtantes & Reformatos controverſæ.

Neque cauſæ judiciales aliunde definitæ.

Hæc igitur ad triplicis generis cauſas Religionis ſupra recenſitas applicemus. Et quidem quoad cauſas Religionis primi generis, quæ complectuntur *articulos fundamentales*, & alia fidei dogmata, res mira prorſus eſt, quomodo cauſæ Religionis, id eſt fidei *dogmata*, objectum Comitiorum conſtituere, & ſuper his fieri poſſit compoſitio & transactio, cum ſint altioris ordinis & juris divini. Aut enim loquimur de Catholicis? atque apud hos judex cauſarum Religionis eſt ſola Eccleſia Catholica, cui omnino aſſurgendum: aut de Proteſtantibus? atque hi pro judice, ſi de doctrina Religionis interne credenda, ſolum Veritatis Criterium, aut ſi de doctrina publice tradenda agatur, Dominum territorialem reverentur.

An huc pertineant cauſæ quæ reſpiciunt dogmata fidei.

Eſt hoc dubium ſane fundatiſſimum, pro quo diluendo removendoque omnino diſtinquendum inter cauſas Religionis in ordine ad veritatem earum definiendam, & in ordine ad Religionem in Republica tolerandam, recipiendam, poſthac in ſua poſſeſſione defendendam, in ſuis

Cauſæ Religionis & dogmatum dupliciter ſpectari debent.

(g) E. g. in loco, ubi viget Simultaneum, inter Catholicos & Proteſtanticos litigatur, an hoc, vel illud e. g. erectio novæ ſtatuæ, altaris, vel capellæ ſit contra idenditatem Status anni normalis.

Digitized by Google

ſuis juribus manutenendam, & controverſias Religionis inter diverſæ Religionis conſortes ſopiendas terminandasque, ſeu, ut paucis dicam, inter judicium de veritate Religionis, ac inter judicium de tolerantia, receptione, ac manutenentia diverſarum Religionum. De dogmatibus, & cauſis fidei ſive per majoritatem votorum, ſive per amicabilem compoſitionem in ordine *ad veritatem declarandam* judicialiter definiendis nunquam actum fuit in Comitiis, nec poſthac agi poteſt ex principiis utriusque Religionis tam Catholicæ, quam Proteſtanticæ. Id enim judicii apud Catholicos dependet ab Eccleſia, qui quemadmodum ante diſſidia Religionis pro norma fidei, & credendorum regula habuere, quidquid authoritate ſacræ Sedis in ſacroſanctis Conciliis & ſynodis definitum, & tanquam fidei dogma fuit propoſitum nullo poteſtati civili hujus rei examine, aut diſcuſſione relicta, ita hodiedum fidei Catholicæ Cynoſuram a ſummo Pontifice & Conciliis ſine prævio, concomitanti aut ſubſequenti Comitiali conſenſu accipiunt; apud Proteſtantes vero tum a Criterio, quid interne credendum, dictante, tum a Principe doctrinas publice tenendas declarante, ut adeo cauſæ Religionis unice in ordine ad receptionem, tolerantiam, manutenentiam & controverſias ſuper his movendas, & quidem cauſæ Religionis Proteſtanticæ per ſe, Catholicæ vero nonniſi in uno alterove caſu, & prorſus per accidens objectum Comitiorum eſſe poſſint. Age! & hæc accuratius & clarius dilucidemus.

De veritate dogmatum in Comitiis agi nequit.

Cauſæ Religionis in ordine ad tolerantiam & receptionem ſunt objectum Comitiorum.

Et quidem ſi loquamur de Religione Catholica, quia hæc eſt, & paſſim in Actis publicis dicitur Religio *antiqua*, & hæc ſola in Germania fuit & ſtetit in poſſeſſione continua, imperturbata, immemoriali, & de illius tolerantia & receptione nunquam fuit dubitatum, imo ne quidem dubitari propter actualem eamque perpetuam poſſeſſionem potuerit, ſane cauſæ illius nunquam fuerunt objectum Comitiorum nequidem in ordine ad tolerantiam, receptionem, & ideo de illius tolerantia nequidem actum fuiſſe legimus. Econtra quia Religio Proteſtantica erat novitia, de illius receptione neceſſario agendum erat, atque adeo Catholici jure a Proteſtantibus prætendere poterant, ut, cum ſuas formulas fidei, cauſas Religionis, & libros ſymbolicos conciliis Eccleſiæ offerre recuſarent, illos Comitiis, ad quæ ſponte provocarunt, judicandos ſubmitterent, non quidem, ut de doctrinarum veritate, ſed potius de qualitate judicium feratur, & dignoſcatur, an ſint tales, & taliter qualificatæ, ut tolerari, recipi, & jure Civitatis donari poſſint. Et quoniam ulterius Catholici ſemper ſuis antiquis inhæſerunt principiis, & in ſuis doctrinis pro norma infallibili hactenus agnoverunt judi-

judicium Eccleſiæ, poſſunt Catholici libere profiteri omnes doctrinas, quas Eccleſia noviter credendas proponit, quin Proteſtantes illis doctrinæ novitatem objicere poſſint, aut Catholici eas Comitiis noviter examinandas etiam in ordine ad tolerantiam & receptionem offerre teneantur, quod Catholici de ſuis antiquis juribus in hoc puncto nihil remiſerint, aut remittere voluerint. Econtra quia Proteſtantes in vim normæ credendi aſſumpſerunt ſuam *Conſeſſionem Auguſtanam*, profecto ſine conſenſu amicabili Statuum Catholicorum eam ſubſtantialiter mutare, alterare, aut novum fidei articulum intrudere nequeunt, & hinc talis cauſa foret cauſa *Comitiorum* amicabili compoſitioni ſtatuum ſubjicienda, ne jam præter & contra intentionem Pacis Weſtphalicæ quatuor Religiones ſint tolerandæ, id quod neceſſario accideret, quia eadem numero Religio non manet, quæ in fundamentali & eſſentiali doctrinæ capite ab altera diſcedit.

Ex his jam manifeſtum apparet diſcrimen inter cauſas Religionis Catholicæ & Proteſtanticæ in ordine ad Comitia & amicabilem earum compoſitionem ac transactionem in eo conſiſtens, quod Catholici in ſuis principiis, & doctrinis ſemper fuerint conſtantes, & cauſas Religionis ſuæ neque in ordine ad earum veritatem definiendam, neque in ordine ad illarum receptionem decernendam judicio Comitiorum ſubjecerint, & hoc modo Imperium cum ſacerdotio miſcuerint, atque ea, quæ Eccleſiæ ſunt, Reipublicæ tribuerint, ſed in doctrinis fidei definiendis ſeu de præterito & præſenti, ſeu de futuro ſolum Eccleſiæ judicium agnoverint, ſuum jus civitatis, tam in petitorio quam poſſeſſorio titulo ſolius immemorialis poſſeſſionis & veluti præſcriptionis defenderint quin, ut receptionem & poſſeſſionem ſuæ Religionis acquirerent, eam Comitiorum judicio ſubmittere neceſſum habuerint, atque hisce ſuis juribus in omne tempus ita providerint, ut nec in futurum doctrinas fidei, ſi quas noviter ab Eccleſia definiri contingat, Comitiorum amicabili compoſitioni ſubſternere teneantur: dum econtra cauſæ & negotia Religionis Proteſtanticæ ſemper fuere *objectum Comitiorum* Imperii, tunc maxime, quando de illius tolerantia & receptione fuit actum, aut quando ſuam confeſſionem, ſuosque *articulos fundamentales* alterare & mutare, & novam doctrinam fidei introducere vellent.

Diſcrimen inter cauſas Religionis Catholicorum & Proteſtanticorum in ordine ad Comitia quale.

Cauſæ Religionis Catholicorum ordinarie non ſunt objectum Comitiorum.

Bene vero Proteſtanticorum, & quare?

Ex eo autem, quod neceſſitas & utilitas Reipublicæ, ac ipſa ſalus Religionis Catholicæ perſuaſerit, ut Religio Proteſtantica in conſortium Religionis Catholicæ admitteretur, & jus Civitatis obtineret, ac ferme impoſſibile ſit, ut in eadem civitate vigeant duæ Religiones invicem

Nunc aliquoties cauſæ Religionis Catholicorum ſunt objectum Comitiorum, quare, & quando?

Digitized by Google

vicem in doctrinis contrariæ, & in juribus quibusdam invicem participantes, quin inter eas enaſcantur diſſidia, pro quibus componendis neceſſarius foret judex; Proteſtantes vero hæc diſſidia & cauſas Religionis non ad Eccleſiæ, Pontificis, & Conciliorum judicium, ſed potius ad Comitia, non quidem per vota majora, quemadmodum in aliis concluſis Civitatis fieri communiter amat, ſed per amicabilem transactionem componenda deſerrentur, Catholicis amore Pacis, & ſalutis publicæ eatenus condeſcendendum fuit, quatenus cauſas etiam ſuæ Religionis ad Comitia trahi paterentur, aut ipſi traherent, non ut a Comitiis ſeu de earum veritate ſeu tolerantia cognoſceretur, nam Catholici ſuæ regulæ, quod cauſæ Religionis ad judicium Eccleſiæ pertineant, conſtanter inhæſerunt, ſed ut in antiqua jurium & Religionis ſuæ poſſeſſione adverſus Auguſtanæ confeſſioni addictos ſtatus & ſubditos defenderentur, & contra injuſtas turbationes eorum remedium & judicem haberent, quippe quod Proteſtantes præter civilem poteſtatem judicem alium in Imperio non agnoſcerent: ſalvis aliis ſuis juribus & privilegiis, quibus aliter non exciderunt, niſi in quantum quietis & tranquillitatis publicæ amore in Pace Religioſa, & Pace Weſtphalica Auguſtanæ Confeſſioni ceſſerunt, & reliquerunt.

Quæ cauſæ Religionis amicabiliter componi debeant.

Nempe dum agitur de nova Religione introducenda.

Ex his jam facile determinari poteſt, quænam cauſæ ex triplici illa claſſe cauſarum Religionis, ſi eas ad Comitia deſerri contingat, *vota majora* reſpuant, & *amicabiliter componi* debeant. Nempe ex prima claſſe, ad quam pertinent formulæ, articuli, dogmata, & doctrinæ fidei, toties cauſæ fidei non attenta votorum majoritate amicabili compoſitioni ſubjacent, quoties agitur de nova Religione, nova fidei formula recipienda, introducenda, & toleranda, aut antiqua alteranda & mutanda. Ita enim obſervatum fuit & in Pace Religioſa, in qua Religio proteſtantica, & in Weſtphalica, per quam Reformati in Civitatem per legem tolerantiæ fuerunt admiſſi, & ambæ per amicabilem compoſitionem examinatis antea fidei formulis jure Civitatis donatæ. Id ipſum obſervandum foret, ſi Proteſtantes vellent abrogare Confeſſionem Auguſtanam, & novam aſſumere, immutare libros ſymbolicos, & alios adoptare; ſi ſubditi Religionem a tribus in Germania toleratis diverſam intenderent amplecti; aut ſi exteri venirent, qui ad jus Civitatis admitti vellent, ſeque ſectæ Proteſtanticæ addictos eſſe dicerent, aut fingerent, quemadmodum Herrnhutianos feciſſe novimus, quin de eorum Religione ſufficienter conſtet, Cum enim nonniſi tres Religiones in Germania tolerentur, conſtare debet prius de Religione illorum, qui beneficiis Pacis Weſtphalicæ frui cupiunt.

Hæc

Digitized by Google

Dominis territorialibus aliquoties competit facultas judicandi de cauſis Religionis ſuorum ſubditorum.

Hæc procul dubio intelligenda ſunt de caſu, quo talis cauſa fidei comitialiter tractatur, & de comitiali receptione & tolerantia in Comitiis agitur: nam ipſis etiam Dominis territorialibus competere poteſtatem judicandi in ſimili cauſa e. g. ſi ſubditi diverſam a territorii Domino Religionem amplectantur, eo minus dubitari poteſt, tum quod hæc poteſtas non minima pars Superioritatis territorialis eſſe videatur, tum quod ipſius ſingulariſſime interſit, ut leges Imperii fundamentales intemerate cuſtodiantur, nec novæ contra easdem doctrinæ introducantur, tum quod ſcire debeat, an Religio, quam profitentur ſubditi, ſit una ex tribus in imperio receptis, adeoque ſubditi beneficiis pacis ſint digni, an indigni reputandi, an beneficio emigrationis gaudeant, vel ocyus ſint eliminandi, & proſcribendi.

Amicabiliter componi debent cauſæ, in quibus agitur de jure reformandi, & exercitio Religionis.

Jam quænam cauſæ fidei ex ſecunda claſſe, ad quam potiſſimum pertinent cauſæ Imperii, jurisdictionis, & miniſterii eccleſiaſtici, in Comitiis votis majoribus nön ſubjaceant, ſed potius amicabili compoſitioni, videamus. Res indubia proin eſt, ad cauſas fidei in Comitiis amicabiliter componendas pertinere cauſas, in quibus agitur de *jure reformandi*, & libero exercitio Religionis ſecundum leges Pacis Religioſæ & Weſtphalicæ determinando, ampliando, vel reſtringendo. In id enim vel maxime intenderunt paciſcentes, ut & jus reformandi, & libertatem atque exercitium Religionis intra certos limites reſtringerent. Quotiescunque ergo incidit lis inter Dominum territorialem, & ſubditos a Domini Religione alienos circa *jus reformandi*, dum illud Dominus exceſſive vult protendere, aut circa Religionis exercitium, dum ſubditi illud cum exceſſu prætendunt, dum e. g. dubitatur, an ſubditis competat exercitium Religionis mere privatum in ædibus privatis ſine pulſu campanarum, absque ullis ceremoniis, aut *publicum*, ſonantibus organis cum cantu, cum reliquo inſtrumentorum muſicorum apparatu, cum publicis proceſſionibus, an *ſimultaneum* habeat locum, quando & in quibus circumſtantiis jus emigrationis competat, quid juris habeat Dominus territorialis in transplantatione ſubditorum: item ſi quæſtio incidat de ordinandis ritibus externis, de conſtitutione ſcholarum, erectione templorum, de jurisdictione eccleſiaſtica, an e. g. in hoc vel illo caſu jurisdictio Epiſcopalis ſit ſuſpenſa. Profecto ex hoc capite & claſſe ſunt cauſæ innumeræ, quæ ſi ad Comitia deſerantur, amicabili compoſitione ſunt terminandæ.

Quæ cauſæ Religionis ex tertia claſſe amicabili compoſitioni ſubjaceant.

Haud ſecus ex tertia claſſe cauſarum fidei quamplurimæ ſunt, quæ huc pertinent, & amicabili compoſitioni ſubjiciuntur e. g. ſi de juribus & poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum tam *immediatorum*, quam *media-*

Digitized by Google

Nempe cauſæ, in quibus agitur de juribus bonorum eccleſiaſticorum.

mediatorum inter Dominum territorialem catholicum, & ſubditos Proteſtanticos, aut econtra diſputetur, aut inter ipſos ſubditos Catholicos & Proteſtanticos lis oriatur, quæ fundationes, hoſpitalia, commendæ ad hos vel illos pertineant, id quod ſine dubio intelligendum eſt de caſibus dubiis lege Pacis Weſtphalicæ non deciſis, in qua caſus plurimos antea dubios circa poſſeſſionem bonorum eccleſiaſticorum eſſe deciſos novimus (h).

Cauſæ fidei aliarum ſectarum nondum toleratarum via ordinaria ſunt tractandæ.

Quæ hactenus dicta ſunt de *amicabili compoſitione* cauſarum fidei, caſu quo ad Comitia deferantur, & hoc modo *Comitiales* efficiantur, unice intelligenda ſunt de tribus Religionibus in Germania legaliter toleratis. Quodſi ergo alterius Religionis e. g. Herrnhutianæ, Socinianæ &c. aſſeclæ in Comitiis admiſſionem ſuæ ſectæ ſollicitarent, & deſuper conſultationes comitiales fierent, hæc cauſa non amicabili compoſitione, ſed via ordinaria, id eſt per majora ſuffragantium vota, terminanda foret, ſi quidem hæc P. W. diſpoſitio de amicabili compoſitione eſt odioſa, & ſtricti juris, utpote contra communes juris regulas, ſecundum quas concluſa Civitatum majori ſuffragiorum numero fieri debent, & inſuper in favorem Proteſtantium facta, unice amore boni publici admiſſa, & ita exigente neceſſitate quaſi extorta, & extra caſum neceſſitatis in favorem aliorum Sectariorum non extrahenda.

Cur Catholici in hanc diſpoſitionem ipſis minime favorabilem conſenſerint.

Verum, inquies, quæ ergo genuina ratio, cur Catholici in hanc diſpoſitionem a regulis communibus juris exorbitantem, ſtatibus Catholicis neutiquam patrocinantem, utpote qui propter majorem numerum facile vota majora efficere poſſunt, conſenſerint, & cauſas Religionis majoritati votorum ſubtrahi, & potius *amicabili compoſitioni* ſubiici permiſerint? Rationes, quibus Proteſtantes ducebantur, ut tota contentione contra majoritatem votorum agerent, nec acquieſcerent, usquedum *amicabilem compoſitionem* extorquerent, jam ſupra inſinuavimus. Verebantur nempe, ne communius vota Catholicorum tanquam majora prævalerent. Hac vero ratione libertati conſcientiarum peſſime eſſe conſultum querebantur.

Libertas conſcientiæ non fuit cauſa ſufficiens petendi amicabilem compoſitionem.

Verum hanc rationem eſſe lubricam, periculoſam, ac ruinoſam, eſſe Religioni, & Reipublicæ inimicam, quis non prima fronte conſpiciat? Ecquid enim ſecuturum exiſtimamus, ſi libertati conſcientiæ hominum nimium indulgeamus, maxime in illa Religione, qualis eſt Proteſtantica, in qua quilibet ſibi ipſi eſt judex, ſibi ipſi in ſuo intellectu

(h) Vid. art. 5. §. 14. ubi agitur de bonis immediatis, & eod. art. §. 24. & 26. ubi de mediatis.

Digitized by Google

lectu fingit dogmata, ſibi ipſi cudit ſyſtema Religionis, ſuum intellectum millenis erroribus obnoxium tanquam Ducem cæcum, ac judicem fallibilem, indoctum, imperitum, millenis agitatum paſſionibus ſequitur? Certe nihil aliud, niſi portentoſa opinionum, doctrinarum, & dogmatum monſtra. Et cum aliunde difformitas Religionum in omni Republica etiam bene ordinata ſit Mater litium, libertas conſcientiæ potius reſtringenda erit, quam extendenda: ſecus metuendum, ne compago Reipublicæ, cujus vinculum eſſe Religio dignoſcitur, ſubruatur, unitas Religionis diſſolvatur, cultus Dei purus mire contaminetur, ac vaga ſentiendi, credendique libido dominetur. Datur *libertas conſcientiæ*, ſed quæ eſt ſecundum Deum & ſpiritum, & quæ ducit ad vitam; non quæ ſecundum carnem, hominem & ſpiritum ſuperbiæ, quæ ducit ad interitum. Illa eſt vera libertas, qua credimus Deo, non homini; judicio Eccleſiæ, non proprii intellectus. Idcirco neutiquam ex intrinſeca rei natura venit, quod negotia Religionis a jure majorum ſuffragiorum excipi debeant, cum utique non agatur de doctrinis & dogmatibus fidei per vota majora decidendis: alias certe nequidem pacifica compoſitio & tranſactio locum habere poſſet, quia ſuper rebus credendis tam parum tranſigi, quam parum concluſum legale ſecundum majoritatem votorum in Comitiis formari poteſt. Alia igitur quærenda eſt ratio extrinſeca, ob quam Catholici in hanc diſpoſitionem, & exceptionem a majoritate votorum, ac pacificam compoſitionem conſenſerunt, quæ certe non eſt alia, quam *ratio boni publici*, *ſalus Religionis*, *Eccleſiæ & Reipublicæ*, atque ea ipſa, quæ Catholicis perſuaſit, ut Pacem Weſtphalicam ſuis rebus tantopere pernicioſam inirent. Satius nempe duxerunt inter duo mala minus eligere, & a ſuis juribus notabiliſſimam partem relinquere, quam Religionem ſuam extremo intereundi diſcrimini exponere (i).

Cauſæ Religionis non ab intrinſeco a majoritate votorum excipi exigunt.

Cauſa genuina, cur Catholici eas exemerint.

Alius & novus hic oboritur ſcrupulus, utrum hæc Pacis Weſtphalicæ diſpoſitio etiam de cauſis Religionis Catholicæ ſit intelligenda, adeoque Catholicorum cauſæ Religionis haud ſecus, quam Proteſtanticorum, ſi ad Comitia trahantur, amicabili compoſitioni ſubjaceant. Ratio dubitandi eſt, quod inprimis contranitentibus, & contradicentibus Catholicis poſt multas altercationes hæc lex fuerit condita, adeoque ſubſidio legis ſe omnino indignos reddiderint. Dein cum Catholici ſemper efficiant majora, ſane ad hanc legem ſine maximo ſuo opprobrio

Utrum huc pertineant cauſæ Religionis Catholicæ.

(i) Vid. Ickſtat. opuſ. 3. Expoſ. Propoſ. leg. prim. cap. 2. ubi hoc argumentum fuſe, egregie & erudite pertractat.

Digitized by Google

Rationes Proteſtanticorum ridiculæ exploduntur.

probrio provocare non poſſunt, cum hoc idem foret, ac ſua propria vota reprobare. Verum o miſeram argumentandi rationem! Catholici inviti prorſus, & nonniſi extrema neceſſitate coacti inierunt pacem Weſtphalicam: ergo ad illius ſubſidium provocare nequeunt. Quæ hæc argumentatio? conſenſerunt Catholici in *amicabilem compoſitionem* haud ſecus, quam in ipſam Pacem Weſtphalicam, inviti quidem, ita tamen ut efficaciter voluerint participes fieri omnium jurium, quæ ex Pace Weſtphalica in paciſcentes redundarent: quia qui inter duo mala minus eligit, illud profecto in certo ſenſu efficaciter eligere cenſetur. Longe magis ridicula eſt altera ratio obmota: quam parum dici poteſt, quod Catholici ſua vota majora improbaverint, quando in hanc legis diſpoſitionem inviti conſenſerunt, tam parum improbant, quando ad hanc legem nunc inviti provocant, poſtquam ipſorum vota majora a Proteſtantibus ſunt caſſata. Provocant nempe, quia ad vota majora obſtante exceptione legis provocare non licet. Res ſane indigna, omni ſanæ rationi, & juri contraria, excludere velle Catholicos a beneficio legis pro ipſis parum æſtimabili, poſtquam ipſi unice in favorem Proteſtanticorum, inviti licet, beneficio legis prorſus inæſtimabili & juribus longe majoribus amore pacis ceſſerunt. Et utique lex loquitur generaliter de *cauſis Religionis*, cujus nomine veniunt omnes tres Religiones in Germania toleratæ. Etſi vero Catholicorum cauſæ directe ad Comitia trahi nequeant, cum Religio Catholica ſit *antiqua*, & de illius tolerantia, receptione & formulis fidei nunquam fuerit actum in Comitiis, neque agi poſſit, & illorum doctrinæ unice ſubjaceant judicio Eccleſiæ, & ab illis libere alterari ac mutari haud poſſint, attamen aliquoties indirecte eo trahi valent, quando nempe de juribus defendendis, & poſſeſſione ſuæ Religionis adverſus Proteſtantes agunt, aut contra transgreſſiones legum Pacis Weſtphalicæ, potiſſimum vero contra violationes legum tolerantiæ ſua gravamina proponunt. Et quid prohibet, quo minus Catholici gravamen & cauſam Religionis proponant in Conventu Circulari? Demus jam, quod Proteſtantes majorem numerum efficiant: an non Catholicis, ſi tamen rebus ſuis meliorem in modum velint conſulere, neceſſarium erit ad beneficium amicabilis compoſitionis confugere? aut cur id non liceat? Quo modo autem hæc amicabilis compoſitio ſit inſtituenda, & fieri debeat, tradit laudatus Ickſtat. (k).

Aliquando cauſæ Catholicorum indirecte ad Comitia trahuntur.

Jam

(k) Loc. cit. §. 47. & ſeq.

Digitized by Google

Jam ad alterum genus cauſarum ſeu negotiorum, quæ a votis majoribus in Comitiis ſunt exceptæ, & pacificæ compoſitioni ſubjiciuntur, progredimur. Dicit autem Pax Weſtphalica: *omnibusque aliis negotiis, ubi ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt.* Quænam vero ſint hæc negotia, inter DD. non convenit, quorum diverſas opiniones recenſet Struvius (l). Pro vera rei intelligentia diverſi ſtatuum Imperii reſpectus, ex quibus diverſa jura & obligationes reſultant, conſiderandi veniunt. Primus reſpectus eſt ad ſuum territorium, & ſub hoc reſpectu dicuntur, & ſunt Domini territoriales, ac participant aliquid de Majeſtate, in quantum exercent *jura* quædam alias *Majeſtati* annexa: ſed quoniam hæc ipſa jura habent cum dependentia & ſubordinatione ad Imperatorem & Imperium, hæc Majeſtas eſt mere *analoga*, & communiter vocatur *ſuperioritas territorialis.* Alter reſpectus eſt ad Imperium, in quantum ſunt & dicuntur *ſtatus Imperii*, & veniunt in participium ſupremi regiminis, & unacum Imperatore præcipua Majeſtatis jura in Comitiis aliisque Imperii negotiis exercent. Utrum vero de juribus Majeſtatis vere participent, in illa quodammodo influant, vel nonniſi extrinſece concurrant, nolumus decidere. Atque ſub hac conſideratione habent diverſos titulos & exercent varia officia e. g. ſunt Electores, Principes, Duces, Marchiones, Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, Civitates immediatæ &c.

Alterum genus cauſarum a votis majoribus exceptarum.

Status Imperii habent diverſos reſpectus.

Porro autem, cum hic agatur de negotiis amicabiliter componendis, videndum, quæ illa ſint negotia a votis majoribus exempta, & amicabili compoſitioni obnoxia. In utroque ſtatu, id eſt *qua Domini territoriales*, & *qua ſtatus Imperii*, diverſi generis negotia pertractant ſtatus Imperii, *privata*, *publica*, *comitialia*, cum exteris e. g. Regibus, cum cæteris Conſtatibus, cum ſubditis. Quæcunque jam ſint hæc negotia, & cum quibuscunque exerceantur, ad dignoſcenda negotia amicabiliter tractanda a cæteris negotiis duæ attendendæ ſunt regulæ, quarum prima eſt, quod in omnibus illis negotiis & cauſis, in quibus ſtatus Imperii Judicem ſuperiorem agnoſcere e. g. Auſtregas, ſuprema tribunalia, aut Comitia ipſa, & illorum deciſioni, aut concluſo ex votis majoribus formato ſtare debent, pacifica compoſitio locum non habeat (m). Altera

Quæ negotia Statuum amicabiliter tractanda.

Duæ ad ea dignoſcenda traduntur regulæ.

(l) Corp. J. P. cap. 3. §. 44.

(m) Huc pertinent negotia quaſi domeſtica e. g. contractus, pacta, alienationes ſive cum exteris ſive cum ſubditis, lites inter ſtatus ipſos, vel inter ſtatus & ſubditos in cauſis territorialibus.

tera regula: idem dicendum de negotiis comitialibus *vere publicis* & *comitialibus*, in quibus ſtatus Imperii ut *unum corpus* conſiderantur, quando nempe ſtatus Imperii una cum Imperatore & cæteris Conſtatibus in ordine ad ſalutem Imperii publicam agunt, deliberant, & ſua dant ſuffragia (n), quibus in cauſis vota majora obtinent.

Negotia quædam ſunt MEDIA ex ſpeciali ratione a judiciali cognitione exempta & amicabili compoſitioni ſubjecta.

Verumenimvero dantur negotia quædam quaſi media & tertii generis tam publica, quam privata, quæ, ſi ad Comitia deferantur, a communi regula placuit eximere, & judiciali cognitioni ſubtrahere, ac potius amicabili compoſitioni ſubjicere, illa videlicet, in quibus ſtatus *tanquam unum corpus* conſiderari nequeunt, ſive dein ab illis exerceantur qua *ſtatibus Imperii*, ſive qua *Dominis territorialibus*. Sed quænam illa?

Quandonam ſtatus tanquam unum corpus conſiderentur.

Haud adeo difficile fore, ut hæc negotia dignoſcantur, exiſtimo, dummodo ad duo accuratius attendatur. Et inprimis quidem ad dignoſcendum, an ſtatus Imperii tanquam *unum corpus* ſint conſiderandi, attendendum eſt ad ipſam *cauſam* in Comitiis tractandam: ſi ſit talis, quæ reſpicit ſecuritatem, tranquillitatem & felicitatem Imperii publicam, adeoque in Comitiis agatur de bono publico promovendo, vel malo publico avertendo, tunc ſtatus conſiderandi ſunt tanquam unum corpus, cauſa erit *vere* comitialis, adeoque modo ordinario tractanda, potius concluſo formato, quam compoſitioni pacificæ ſubjecta, e. g. ſi agatur de bello gerendo, de pace ineunda &c. exceptis cauſis Religionis, de quibus jam ſupra actum. Dein videndum, an cauſa ex quocunque capite ad Comitia fortaſſis delata, ſit talis, quæ per ſe dicit nexum, ſubjectionem & ſubordinationem ad Imperatorem, Imperium, & illius tribunalia; vel an ſit talis cauſa, quæ ſimilem nexum non habet, & talis actio, tale negotium, quod, niſi ſpecialiter prohibeatur, libere ex jure naturæ & gentium exercere poſſumus, quin ulli Conſtatui, Judici, Imperatori aut Comitiis deſuper rationem reddere teneamur: e.g. ponamus Principem Imperii in ſuo territorio varia diſponere, de quibus in legibus Imperii fundamentalibus nihil eſt diſpoſitum, adeoque ex jure naturæ

(n) Tales cauſæ comitiales ſunt duplicis generis, vel *ex natura rei*, quando e. g. aperte conſtat, agi de communi & publico e. g. in bello indicendo, pace ineunda, vel ex *lege & obſervantia imperii*, quales cauſæ ſunt e. g. jus nominandi Duces bellicos, jus ſtatus interdicendi adminiſtratione, &c. Cauſæ Comitiales pleræque recenſentur in Pace Weſtphal. Art. 1. §. 3. Art. 2. §. 4. Art. 4. §. 3. Art. 5. §. 4. 9. & 10. & alibi. Vid. Schmauſ. Corp. J. P. pag. 1321. & ſeq.

Digitized by Google

turæ ſtant in arbitrio Domini territorialis e. g. in pactis ſucceſſionis familiarum, in juribus Politiæ territorialis, in commerciis vel inter ſubditos duntaxat, vel etiam inter ſubditos & exteros exercendis. In his jam caſibus vel adeſt legitimus contradictor, vel ſtatus reliqui ex quacunque cauſa, fortaſſis ex intereſſe quodam politico hanc cauſam deliberationibus comitiorum ſubjiciunt? ſi primum: tunc cauſa ordine judiciario coram legitimo judice erit tractanda. Si alterum: tunc ſtatibus obſtat exceptio Pacis Weſtphalicæ, de qua hic agimus, cum hic non agatur de neceſſitate publica Imperii, adeoque ſtatus tanquam *unum corpus* conſiderari nequeant, niſi per accidens talis cauſa evadat publica, & de bono Imperii publico & univerſali agatur. E.g. ponamus Principem Catholicum, quod Deus avertat, aſſumere Religionem Proteſtanticam, quod jure Germaniæ non eſt prohibitum, nunquid poſſunt ſubeſſe rationes ſpeciales ſalutis publicæ, propter quas hæc cauſa trahi ad comitia poteſt, & in his via ordinaria decidi debet?

Quemadmodum jam ſtatus Imperii habent diverſos reſpectus, qua *Domini territoriales* ad ſuum *Territorium*, qua *ſtatus Imperii* tam ad *Imperium*, quam ad *Imperatorem*, qua *ſtatus Collegiales* ad collegium ſpeciale e. g. Electorale, & cætera collegia e. g. Principum, Civitatum, qua ſtatus *diverſæ Religionis* ad diverſum corpus e. g. Catholicum, *qua ſtatus* in hoc vel illo circulo conſtituti ad diverſos circulos e. g. Suevicum, Franconicum, & ſub quovis reſpectu habent diverſa jura diſtincta a juribus, quæ ipſis qua ſtatibus Imperii ad communem finem conſociatis competunt, ita etiam dantur quam plurimæ cauſæ a majoritate votorum exemptæ ad exceptionem, de qua hic agimus, pertinentes.

Qua *Domini territoriales* poſſunt ſtatus Imperii plura ex jure naturæ & Gentium e. g. mittere Legatos, fortalitia erigere, inire fœdera cum exteris, quin, ſi deſuper dubium vel quæſtio & lis moveatur, talis cauſa vel judici cuicunque ſit ſubjecta, vel nexum & ſubjectionem ad Imperium habeat. Quodſi ergo talem cauſam ad Comitia deferri contingat e. g. an Princeps Imperii poſſit mittere Legatum cum charactere præſentatitio, inire fœdus cum Rege Galliarum, ſane talis cauſa a majoritate votorum eſt libera, & eſt pacifice componenda. *Qua Domini territoriales quid ſtatus poſſint.*

Qua *ſtatus Imperii* etiam in diverſis Collegiis exiſtentes habent nexum cum Imperatore. Ponamus, quod vel Collegium aliquod e. g. Electorum ſe in ſuis juribus ab Imperatore, vel econtra Imperator in ſuis juribus ab Electoribus gravatum in Comitiis queratur: nunquid pacificæ compoſitioni locus erit? *Qua ſtatus Imperii.*

Digitized by Google

Qua ſtatus diverſæ Religionis. Qua *ſtatus diverſæ Religionis* pertinent ad *corpus* vel *Catholicorum*, vel *Proteſtanticorum*. Jam etſi cauſæ Religionis directe vel indirecte tales ad hæc corpora ſpectantes aliunde Religionis directe vel per ſe, vel per accidens, ſi nempe *in partes eant*, a majoritate ſuffragiorum immunes, & via amicabili tranſigendæ ſint, dantur tamen caſus, in quibus ad hanc exceptionem eſt recurrendum, id quod contingit, quando e. g. ſtatus Proteſtantici ad ſuum corpus vel ad ſuas conferentias trahunt cauſas dubias, & tales, de quibus jure dubitatur, an non potius ad univerſalia Comitia, quam ad conferentias ſeparatas pertineant, tunc nempe, quando earum ſeparationi Catholici contradicunt (o).

Quæ ſtatus Collegiales. Qua *ſtatus Collegiales* ad diverſa Collegia ſpectant, & quoniam quodlibet collegium habet ſeparata jura, & formam ſibi propriam, quin in ſuis controverſiis ullum judicem agnoſcat, profecto ſi litem oriri contingat inter Collegia ratione jurium cuilibet propriorum, quales non raro oriri ab experientia ſcimus (p), hæc non ſecundum ſuffragia majora erit decidenda, ſed amicabili via tranſigenda.

Qua ſtatus Circulares. Qua *ſtatus Circulares* pertinent ad diverſos circulos. Habent autem haud ſecus Circuli ſpecialia jura, in quibus nullis judiciis, & nec ipſis Comitiis ſunt ſubjecti, quam tria Imperii Collegia. Hinc ſi lis oriatur

(o) Caſum affert Perilluſt. Ickſtattius. Sic quando actum fuit in Comitiis, de eligendo belliduce ſive Catholico ſive Proteſtantico Exercitus imperialis, ex continua obſervantia hæc cauſa ſpectabat ad communes deliberationes Collegiorum. Incœpere jam Proteſtantes hanc electionem, ſi eligendus foret Proteſtanticus, ſibi ſolis propriam facere, contradicentibus, ſeque in antiqua poſſeſſione ac obſervantia fundantibus Catholicis. Jam cum hæc cauſa neque ad primum, neque ad ſecundum caput Pacis Weſtphalicæ, cauſas quasdam, & nominatim Religionis cauſas a majoritate ſuffragiorum eximentis, pertineat, procul dubio ad tertium genus, de quo hic agimus, pertinebit. Huc pertinere videtur illa *itio in Partes*, quam anno elapſo 1761. contradicente Imperatore attentarunt Proteſtantes, contradicente Imperatore, dum in Comitiis agebatur de modo, quo ex parte Imperii delegatio foret facienda ad tractatus Pacis Auguſtæ Vindelicorum inſtituendos.

(p) Huc pertinet e. g. lis de titulo Excellentiæ, quem Legati Electorum prætendunt, viciſſim tamen Legatis Principum dare recuſant; item lis inter Electores Trevirenſem, Colonienſem, & Saxonicum, ac inter Capitulum Moguntinum ſede vacante ratione Directorii in ſcamno Electorali. Plures tales lites recenſet Ickſtattius Opuſ. 5. de Cauſis a Jur. ſuffrag. majorum exemptis pag. 309.

riatur inter unum & alterum Circulum, vel inter ſingula Circulorum membra, haud dubie talis cauſa pacificæ compoſitioni potius quam votis majoribus ſubjacet in Comitiis.

Dantur ultimo plures cauſæ partim certæ partim dubiæ, in quibus ſtatus Imperii tanquam *unum corpus* conſiderari nequeunt, adeoque potius amicabilis compoſitio, quam vota majora obtinent, de quibus legantur Authores (q).

Tertium genus cauſarum, in quibus vota majora locum non habent, ſed potius amicabilis compoſitio, conſtituunt illæ, in quibus ſtatibus tam Catholicis, quam Auguſtanæ Confeſſioni addictis in partes ire licet, dicente Inſtrumento P. W.: *ut etiam Catholicis & Auguſtanæ Confeſſionis ſtatibus in duas partes euntibus ſola amicabilis compoſitio litem dirimat non attenta vocum pluralitate.* *Tertium genus cauſarum a votis majoribus exemptarum.*

Sed quænam illæ? Has antequam recenſeamus, explicandi ſunt termini, & dilucidandum, quid *ſit ire in partes. Ire in partes* in genere, prout hic ſumitur, eſt modus loquendi improprius, metaphoricus, impurus, & aſſumptus ad ſignificandam ſciſſionem voluntatum eorum, quibus in ſtatu Polyarchico, ſive dein forma regiminis ſit Ariſtocratica, ſive Democratica, ſive mixta, regimen Reipublicæ incumbit. Etſi enim omnium de regimine Reipublicæ participantium, quemadmodum idem ſcopus & finis, nempe ſalus Reipublicæ, ita eadem deberet eſſe voluntas, idem ſtudium, nihil tamen frequentius ſolet accidere, quam quod ſtatus ſeu Magnates Reipublicæ in ſuis ſuffragiis inter ſe ſcindantur, & vel in *Factiones*, vel in *ſciſſiones ſimplices* abeant, & caſus ſane rarus ſit, ut omnes in idem conſentiant. Proveniunt hæ ſciſſiones aliquoties ex naturali quaſi & hominum mentibus a natura impreſſo contradicendi ſtudio, non raro ex diverſis, quibus homines pro ſua diverſa ingenii vi diverſimode ducuntur, rationum graviſſimarum momentis, quandoque ex ſtudio partium, ſiniſtro affectu, male affecta paſſione, damno particulari & privato, aut quacunque alia cauſa. Unde communibus hominum moribus in ipſo jure fundatis receptum eſt, ut in ſimilibus voluntatum, animorum, ac ſuffragiorum ſciſſionibus ſuffragia majora prævaleant, & pro his ſtet præſumptio fortiſſima, quod ſint etiam ſaniora, adeoque tamdiu valeant, usquedum hæc præſumptio per præſumptiones, probationes, & argumenta longe fortiora elidatur. *Quid ſit ire in partes.* *Factiones & ſciſſiones inter Magnates in Republica unde.* *Vota majora ordinarie prævalere debent.*

 Quodſi

(q) Præcipue Ickſtattius loc. cit. pag. 314. & ſeq.

Digitized by Google

Quid ſint factiones, & quæ dicantur. Quodſi jam ſuffragiis majoribus ſtatuum *Conſtatus* pauciores ſeſe opponant, & illa elidere conentur, tunc oriuntur vel *factiones*, vel *ſciſſiones ſimplices*, quas communius vocare ſolent *diſceſſiones in partes* (r). *Factiones* habentur, quando ſtatus Reipublicæ pauciores ſuas, quas circa bonum Reipublicæ fovent, ſententias contra cæteros ſtatus plures non attenta ſuffragiorum majorum ratione cum pertinacia defendunt, aut majorum ſaltem ſuffragiorum vim quavis ratione confringere initis ea de re conſiliis attentant, id quod & bono & malo animo fieri poteſt, etſi communius malo animo fieri ſoleat, & quod malo animo fiat, ſit præſumptio per fortiores probationes elidenda, ut adeo parti minori tanquam Actori injungenda ſit probatio, quod legitimam contradicendi, votaque majora tanquam minus ſana, aut omnino Reipublicæ nociva impugnandi cauſam habeat. *Quid in caſu factionum ſit faciendum.* Cauſas expendet Pars Procerum major, quas ſi ponderoſas & ſufficienti juri innixas repererit, a concluſo ſuo recedendum, & parti minori eſſe cedendum ſciat. Sin vero frivolæ & minus habentes fuerint repertæ, concluſum a parte majori factum in ſuo robore perſiſtet, aut via amicabili res erit componenda, cum aliud medium componendi litem non ſuppetat: eoquod Proceres & ſtatus inter ſe ſint æquales, æqualia jura habeant, & inter ſe haud aliter agant, quam gentes liberæ Superiorem non agnoſcentes inter ſe agere conſueverunt, inter quas lites aliter, quam per amicabilem compoſitionem componi nequeunt. *Judex in factione partium eſt pars major.* Neque ex eo, quod Parti majori ſtatuum jus ſit pronuntiandi de pondere rationum a parte minori allatarum, quis inferat, hoc modo partem majorem agere judicem in propria cauſa: nam cum pars major utriusque partis rationum pondera expendere debeat, eaque rite expendiſſe fortiſſimam pro ſe habeat præſumptionem, atque alius judex, qui inter majorem & minorem ſtatuum partem, illorumque pondera rationum haud ſecus quam inter Gentes liberas judicet, non ſit, profecto pars major omni jure ſuo concluſo inhæret, quippe quod ſecundum leges fundamentales Reipublicæ, quæ in regula ſuffragiis majoribus eſſe inhærendum edicunt, formavit. Atque hæ, aliæque rationes ſane tanti ſunt roboris, ut omnem ſiniſtram ſuſpicionem, quæ in vota ſtatuum majora tanquam Judicum in propria cauſa cadere poſſunt, quam longiſſime amoliantur. Ex quibus nemo non videt, hujusmodi factiones eſſe odioſas, inimicas tranquillitati Reipublicæ, contrarias legibus fundamentalibus Reipublicæ, nec non Juri univerſali publico, utpote quod majora vota prævalere vult jubetque,

(r) Ickſtattius Opuſ. 4. de cauſis, in quibus &c. cap. 1.

Digitized by Google

que, adeoque jure optimo reſtringendas, limitandas, præcavendas.

Sciſſiones ſimplices, id eſt, *Diſceſſiones in partes* habentur tunc, quando in ſtatu Polyarchico ſtatus pauciores concluſo ex ſuffragiis majoribus in Comitiis formato ſeſe opponunt, eidemque ſe acquieſcere non poſſe declarant, eoquod exinde grave damnum aut periculum ſuis juribus immineat. Atque hæ ſciſſiones termino technico hodie communi, & in Imperio Romano-Germanico conſuetudine recepto dicuntur *Itiones in partes*; ipſi vero ſtatus prædicto modo concluſo Imperii formato ſe opponentes *in partes ire* ideo dicuntur, quod *corpus politicum*, quale conſtituunt ſtatus Reipublicæ boni publici cauſa coadunati & vinculo ſocialitatis veluti totidem membra unius corporis conjuncti, quaſi in partes diſſolvatur. *Quid ſint Sciſſiones ſimplices aut Diſceſſiones in partes.*

Ex his jam apparet, quid ſit diſcriminis inter *factionem* & *ſimplicem diſceſſionem in partes*. Illa fit & poteſt fieri ex variis cauſis & motivis ſeu bonis ſeu malis, quamquam ſæpius ex motivo malo, ſtudio partium, ambitione, male affecto animo fieri ſoleat. Hæc fit ex unico motivo illati aut ſaltem imminentis damni & præjudicii, quod juſte ſibi ſuisque juribus metuunt Proceres pauciores, contra quos obtinent ſuffragia ſtatuum majora. Quoad cætera, ſi ſecundum jus publicum univerſale diſcurramus, ferme in omnibus conveniunt *factiones*, & *diſceſſiones in partes*, & ferme par earum ratio. Unde haud ſecus *diſcedentibus in partes* quam *factionariis* incumbit probatio ſui gravaminis, & tales diſceſſiones utpote odioſæ, legibus fundamentalibus, quæ ſuffragiis majoribus vim prævalentem tribuunt, contrariæ, tranquillitati publicæ inimicæ non aliter quam factiones ſunt reſtringendæ. *Diſcrimen inter factiones, & diſceſſiones ſeu itiones in partes.* Poſtquam ergo itum fuit in partes, concluſum ab effectu executionis ſuſpenditur, audiuntur probationes gravaminis in partes euntium, quæ ſi ſatis fundatæ, graves & prægnantes fuerint repertæ, a concluſo receditur; ſecus eidem firmiſſime inhæretur, niſi aliter fuerit conventum, aut amore pacis & tranquillitatis amicabiliter fuerit transactum, ſi ita ſtatibus vota majora habentibus placuerit: non enim apparet ratio, cur a jure quæſito recedere, & ſtatibus paucioribus cedere debeant. Sed quid ſi deſuper pacifice conveniri nequeat, parti majori momenta rationum minoris partis tanquam minus habentia viſa fuerint, & tamen pars minor ſuæ opinioni & contradictioni pertinaciter adhæſerit? In hoc caſu ex mox dictis ſecundum Jus publicum univerſale procul dubio pars ſtatuum major ſuum concluſum urgere poteſt, illudque in ſuo robore conſiſtere deberet: ſecus enim longe favorabiliores eſſent partes minoris partis, *Effectus itionum in partes.*

tis, quam majoris, & pars minor ſuffragantium facile poſſet elidere vota majora majoris partis, id quod eſſe videtur contra omnia jura. Interim præſtat aliquoties amore ſalutis & neceſſitatis publicæ de ſuo jure aliquid remittere, & parti minori cedere, eo effectu, ut concluſum in ſuſpenſo maneat, & executioni non mandetur: id ſi fiat, non ad jus publicum univerſale, cui eſt contrarium, ſed particulare erit referendum.

Itio in partes ex jure publico Germaniæ declaratur.

Hactenus dicta intelligenda ſunt de *Itionibus in partes* ex Jure publico univerſali. Inde jam facilis eſt tranſitus ad *Itiones in partes* ex Jure publico particulari Germaniæ, quale in Inſtrumento P. W. fuit introductum, de quo proin videndum. Eſt igitur *Itio in partes* in Inſtrumento P. W. ſtabilita beneficium, quo ſtatibus Imperii in certis Comitiorum cauſis conceditur facultas contra vota ſtatuum majora excipiendi, ſuumque diſſenſum eo effectu declarandi, ut concluſum a Majoribus formatum propter damnum vel præjudicium paucioribus illatum, vel metuendum, executioni mandari nequeat, ſed potius deſuper pacifice ſit conveniendum & tranſigendum, quinimo aliquoties, ſi pacifice conveniri nequeat, ſua vi ac robore penitus careat.

Diſcrimen inter itionem in partes ex jure publico univerſali & particulari.

Ex his facile apparet diſcrimen inter *Itionem in partes* ex jure publico univerſali, & inter *Itionem in partes* ex Jure publico particulari competentem. Nam ex Jure publico univerſali concluſum per majora formatum firmiſſimo robore conſiſtit, ſi euntes in partes ſuum gravamen evidenter non probaverint, & concluſum a majoribus formatum efficaciter non expugnaverint, aut deſuper non fuerit conventum. Ex jure vero particulari *itio in partes* prævalet contra vota majora, & tanti eſt roboris, ut concluſum formatum, niſi amice cum parte majori conveniatur, omni vi, robore, & efficacia careat, jamque effectui dari nequeat. Utrum hoc ipſum etiam ex jure publico particulari Germaniæ obtineat, infra videbimus.

Itioni in partes, & huic diſpoſitioni cauſam præbuit diverſitas Religionis.

Huic diſpoſitioni abſque dubio occaſionem præbuit diverſitas Religionis in Germaniam introducta. Cum enim nihil adeo animos hominum ſcindere ſoleat ac Religio, & odium Religionis idcirco profecto, licet Proceres Reipublicæ integerrimo affectu ad Comitia accedere, & ſolam ſalutem Reipublicæ ante oculos habere præſumantur, nihilominus illorum ſuffragia, ſi diverſæ Religionis ſint addicti, jure ob exuberantiſſimum Religionis zelum hominum animis veluti innatum, quam longe pluris æſtimare ſolemus, ac ipſam Reipublicæ ſalutem, pro ſuſpectis habentur, maxime ſi de cauſa & negotio Religionis, aut etiam politico, dummodo vel a longe Religionem attingat, agatur, prout quotidiana

Digitized by Google

tidiana experientia in Comitiis docemur, in quibus non raro quaſi de hilo Religionis tanquam pro aris & focis dimicatur. Et quoniam ſtatus Catholicos ſemper majora in Comitiis efficere optime perſpectum habebant Proteſtantes, in id tota contentione incubuerunt, ut ſuæ Religioni contra majoritatem votorum meliorem in modum conſulerent. Itaque opportuniori & efficaciori medio ſuæ Religioni vix poſſe conſuli exiſtimarunt, quam ſi majoritatem votorum in Comitiis enervarent, infringerent, ac penitus ferme annihilarent, id quod effecerunt, dum *Itionem in partes* in vim remedii excogitarunt, eamque Paciſcentibus in Pace Weſtphalica perſuaſerunt, aut potius a Catholicis extorſerunt, dum jam antea in Comitiis Ratisbonenſibus de anno 1608. 1613. & 1640. id evincere laborarunt (s). Quamquam vero huic rei remedium aliunde jam fuiſſe allatum videri poſſit, dum aliunde cauſæ Religionis in prima parte citati ſupra articuli V. §. 52. a jure ſuffragiorum majorum fuerunt excluſæ, & pacificæ conventioni ſubjectæ, quia tamen dantur cauſæ Religionis, quæ ad illum locum referri non poſſunt, atque *itio in partes* eſt pinguior, & longius extenditur, & in cauſis etiam politicis ad Religionem nonniſi a longe pertinentibus, uti dicemus, locum habet, de alio adhuc remedio pinguiori, univerſaliori, & faciliori in aliis etiam cauſis uſum præbente ſibi proſpicere voluerunt. Unde mirum non eſt, quod Proteſtantes *jus eundi in partes* ſuum vocare *Palladium* ſoleant, dicente Struvio: *Hoc igitur jus Palladium eſt Evangelicorum, & hoc ipſo in ſuis cauſis contra ſtatus Pontificios votorum numero Evangelicos ſuperantes tuti exiſtunt* (t).

Item majoritas votorum ex parte Catholicorum.

Idcirco jam diſpiciendum, in quibus ergo cauſis *Itio in partes* locum habeat. Triplicis generis cauſas a majoritate votorum hoc loco eſſe exemptas ex dictis conſtat, nempe cauſas Religionis, cauſas, in quibus ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, & cauſas, in quibus *ire in partes* licet. Unde videndum, quomodo hæ triplicis generis cauſæ inter ſe differant. Et ſane! has triplicis generis cauſas inter ſe eſſe diſtinctas vel exinde patet, quod alias Paciſcentes turpi tavtologia fuiſſe uſos dicendum foret. Idem clarius patet ex ipſo loquendi modo: nam utique aliud longe eſt dicere: *cauſæ Religionis*, & aliud: *cauſæ, ubi ſtatus in partes eunt:* cum utique *itio in partes* in cauſis a Religione prorſus diverſis locum habere poſſit. Item aliud eſt dicere: *ſtatibus*

Quomodo triplicis generis cauſæ a majoritate votorum exemptæ inter ſe differant.

(s) Vid. Struvius Corp. J. P. cap. 23. §. 45.
(t) Idem loc. cit. pag. 855.

Digitized by Google

Varia diſcrimina inter cauſas Religionis, & inter cauſas, in quibus ſtatus in partes eunt.

tibus in partes euntibus, & aliud: *ubi tanquam unum corpus conſiderari nequeunt.* Clariſſime vero plura inter has triplicis generis cauſas diſcrimina pateſcunt, ſi ſingularum cauſarum ſingulares notiones explanemus. Et quidem inter primam & tertiam cauſarum claſſem, id eſt inter *cauſas Religionis* & inter cauſas, ubi *ſtatus in partes eunt*, ſunt ſequentia diſcrimina: 1. ad primam claſſem pertinent ſolæ cauſæ Religionis; ad tertiam etiam politicæ: 2. Item ad cauſas Religionis pertinent cauſæ privatæ & etiam ſingulorum, quæ per ſe non ſunt *Comitiales*; ſed potius *judiciales*, & nonniſi per accidens ex ſingulari diſpoſitione legis ad Comitia ſunt referendæ, uti cauſæ Religionis privatorum, cauſæ Religionis, quæ paribus votis in judiciis fuere deciſæ, cauſa Banni imperialis, etiamſi nonniſi unus Imperii ſtatus banno feriatur. Ad cauſas econtra, *ubi ſtatus in partes eunt*, ſpectant nonniſi cauſæ *Comitiales* per ſe tales, & quæ non aliter, niſi in comitiis ſunt tractandæ.

Item inter cauſas, in quibus ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, & in quibus in partes eunt.

Inter *cauſas quoque ſingulorum*, ſeu in quibus *ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt*, & *inter cauſas*, *ubi ſtatus in partes eunt*, non unum, ſed plura intercedunt diſcrimina, atque illud præprimis, quod priores de ſe non ſint comitiales, ſed vel judiciales, vel comitiales, prout ex dictis patet; item quod tales cauſæ ſingulorum per ſe, & ex natura ſupponant ſciſſionem & partes, atque verti poſſint vel inter diverſæ Religionis ſtatus e.g. inter Catholicos & Proteſtantes, vel inter ejusdem Religionis Conſortes e.g. inter Electores Catholicos, & Principes Imperii pariter Catholicos: dum econtra *cauſæ*, *ubi in partes itur*, de ſe ſunt *Comitiales*, neceſſario inter diverſæ Religionis ſtatus aguntur, neque regulariter ſingulos concernunt, aut Imperii partes diſcindunt: id enim ſi fiat, id per accidens fit. Nam demus, in Comitiis deliberari de fœdere cum Rege Galliarum ineundo, ſane per accidens eſt, ſi ſtatus *in partes* ſcindantur, & major pars, nempe Catholici, fœdus ineundum affirmet, & minor pars Proteſtanticorum contradicat.

Hæc igitur *itio in partes* locum habet ex dictis, quando ſtatus Catholici & Proteſtantici in duas ſcinduntur partes, ita, ut pars minor ſeſe concluſo per vota majora formato vel formando opponat, idque ex ratione, quod indirecte ſaltem in præjudicium Religionis vergat, aut in odium & ad diminuendam authoritatem partis minoris quo ad Religionem a parte majore concertetur.

Requiſita juris eundi in partes.

Jam de hujus requiſitis agamus. Primo igitur obtinet *jus eundi in partes* inter Catholicos tantum, atque Auguſtanæ Confeſſioni addictos, atque tunc tantum, quando Catholici omnes unam, atque Auguſtanæ Confeſſioni addicti alteram partem conſtituunt, id quod verba ge-

neralia

neralia indicare videntur: *Catholicis & Auguſtanæ Confeſſioni addictis in duas partes euntibus*, & ex actis publicis conſtat (u). Et quis Catholicos & Proteſtantes *duas* efficere *partes* dicat, ubi neque Catholici omnes, neque Proteſtantici omnes penes ſuæ Religionis conſortes ſtant, ſed Catholici hinc inde cum Catholicis, & Proteſtantes cum Proteſtantibus concertant? Duæ hoc caſu ſunt partes, ſed non tales, quales lex deſiderat. Equidem jam Proteſtantes attentare & actu attentaſſe *itionem in partes* ad vota majora extendere, patet ex Reſcripto Cæſareo, quod 6. Septemb. 1761. ad Con-Commiſſarium Cæſareum Comitem de Seydewiz fuit datum, dum pars major Legatorum Proteſtanticorum *concluſum Imperii* de mittendo Legato Cæſareo ad tractatus Pacis Auguſtæ Vindelicorum celebrandos infringere laboravit (x): at ſane prorſus contra literam Pacis Weſtphalicæ, contra mentem paciſcentium, contra praxin usque nunc continuatam, quidquid jam hodierni Proteſtantes contradicant. Id tamen non obſtare *itioni in partes* exiſtimant, ſi ſtatibus paucioribus unanimiter in partes euntibus unus aut alter ex ſtatibus *concluſum* per majora efficientibus accedat, quia *jus eundi in partes* eſt beneficium pauciorum, cui alius ex ſtatibus majoribus adverſæ Religioni addictis ſuo facto præjudicare non poteſt, ne dolis & fraudibus janua aperiatur ſpatioſiſſima. Quid enim ſi unus aut alter ex majoribus voto minorum accederet, animo impediendi, infringendique *itionem in partes*? Dummodo pauciores maneant concordes, & unanimes, & nemo eorum majoribus accedat, vota jam non manerent *pura*, ſed fierent *promiſcua*, & ita *itio in partes* haud elideretur (y).

An omnes & ſinguli ex utraque parte debeant convenire.

An vota majora ad itionem in partes ſufficiant.

Sed quæres, an beneficium *eundi in partes* ſit ſolis Proteſtantibus proprium, vel an etiam ad Catholicos pertineat. Ratio dubitandi eſt, tum

An Catholici in partes ire poſſint.

(u) Talia allegat Perilluſt. Ickſtattius Opuſ. 4. *de cauſ. in quibus in partes itur.* cap. 2. §. 12.

(x) Reſcriptum Cæſareum inter cœtera ſic habet: da dieſelbe keinen Scheu getragen hinterrucks ein vermeintliches votum commune Evangelicorum zu ſchmiden, per majora Proteſtantium eine ganz unſtathafte Itionem in partes vorzunehmen ꝛc.

(y) Vota *pura* habentur, quando & Catholici omnes, & Proteſtantes omnes conſentiunt. *Promiſcua*, quando quidam Proteſtantes cum Catholicis, & quidam Catholici cum Proteſtantibus ſentiunt. Quando autem ſit acceſſus ſolummodo ex una parte, tunc vota equidem non ſunt *pura*, non tamen *promiſcua*, ſed ad ſummum *mixta*.

Digitized by Google

tum quod Catholici hoc beneficio non indigeant, quippe qui aliunde efficiunt vota majora, tum quod illud non petierint, imo Proteſtantibus, prout ex actis P. W. conſtat, ſe vehementer oppoſuerint, & præter cauſas Religionis nullas alias a majoritate votorum excipere voluerint.

Affirmatur.

Verum quia verba Pacis æqualiter & univerſaliter loquuntur de Catholicis & Proteſtantibus, & caſus plures tum in Comitiis Circularibus, tum aliis conventibus particularibus collegiorum, & Procerum evenire poſſunt, in quibus Catholici numerum pauciorem efficiunt, legis hujus beneficium ad Catholicos quoque pertinere nullo negotio dignoſcitur. Equidem ægerrime Catholici adduci potuerunt, ut in legis hujus beneficium conſentirent. At vero utique plura ſunt Pacis Weſtphalicæ capita, in quæ ægerrime conſenſerunt, quinimo ferme tota Pax Weſtphalica aut potius conſenſus in illam quaſi extorqueri a Catholicis debuit. Quemadmodum ergo cœteris legum beneficiis, ita etiam hoc ſingulari beneficio principaliter in favorem Proteſtanticorum indulto gaudebunt.

Status pauciores, ſi in partes ire velint, cauſam diſceſſus probare debent.

Quod ſi jam ſtatus pauciores *in partes ire velint*, neceſſario cauſam ſui diſceſſus allegare & probare debent, ſiquidem factionariorum notam a ſe amoliri velint: ſecus ſe malam fovere cauſam, jure optimo præſumuntur. Et nunquid, ſi ab onere allegandi & probandi cauſam ipſos immunes pronuntiamus, occaſionem ipſis præbemus ampliſſimam enervandi, elidendi, infringendique pro arbitrio *Concluſa majoris partis*? Aliunde hæc *Itio in partes* eſt odioſiſſima, contraria bonis legibus, principiis in jure publico univerſali fundatis adverſa. Et certe fovet hæc opinio principia perverſiſſima, Imperio noſtro ruinam minitantia. Nam præterquam quod ordo omnis ſubvertatur, jamque ſuffragia majorum ſubjiciantur votis minorum, jure metuendum eſt, ne ſtatus publicus in Anarchiam convertatur.

Proteſtantes in ſuis principiis & doctrinis exorbitare incipiunt.

Unde Proteſtantes ſui diſceſſus rationes reddere anterioribus temporibus non dubitarunt (z), noſtris vero temporibus, quemadmodum in aliis rebus, ita etiam in hac materia incipiunt exorbitare, principia antehac inaudita adoptare, Dictaturam in Comitiis exercere, Pacem W. pro ſuo libitu in perniciem Catholicorum interpretari, jamque diſceſſionis ſuæ rationem reddere recuſant, & hac ratione dominatum in ſtatus Catholicos exercere, votis majoribus pro ſuo libitu omnem vim, & efficaciam adimere, omnemque ſubordinationem in legibus tam jurisprudentiæ publicæ univerſalis, quam fundamentalibus Jurisprudentiæ publicæ particularis Ger-

(z) Videtur Ickſtattius opuſ. 4. cit. §. 6.

Germaniæ, quibus vota minora majoribus cedere jubentur, tollere non verentur.

Ex quibus cauſis in partes ire liceat.

Requiritur igitur juſta & legitima cauſa, ut cuicunque minori parti ſive Catholicorum ſive Proteſtanticorum *in partes ire* liceat. Sed quænam illa? Sunt quidam, qui indiſcriminatim cauſam Religionis requirunt, optima ratione ducti, quod profecto diverſitas Religionis huic exceptioni ſtatuendæ neceſſitatem fecerit. Et ideo hæc exceptio nonniſi inter diverſæ Religionis ſocios, videlicet inter Catholicos & Auguſtanæ Confeſſioni addictos locum habet, quidquid Doctores quidam Proteſtantici contradicant, volentes hanc exceptionem etiam ad alias cauſas Religionem nec directe nec indirecte attingentes extendere, adeoque eidem locum eſſe toties, quoties Catholici & Proteſtantici in quacunque cauſa & caſu inter ſe invicem ſeparantur, ac in diverſa vota abeunt contra apertiſſimam mentem paciſcentium: id enim ſi voluiſſent paciſcentes, & cauſam qualemcunque indifferentem ad *diſceſſionem in partes* pro ſufficienti habere in mente habuiſſent, cur non generaliter *parti minori*, ſed potius *paucioribus ejusdem Religionis* facultatem *eundi in partes* dederunt? Profecto ratio urgendi hanc exceptionem & veluti extorquendi ex parte Proteſtanticorum alia non fuit, quam quod ex majoritate votorum, quæ in Comitiis eſt penes Catholicos, ſuæ Religioni timuerint propter odium Religionis ſingulis innatum, & illum exuberantiſſimum affectum, quo quilibet pro bono ſuæ Religionis fertur. Unde plane conſequitur, quod ſi cauſa ſit prorſus indifferens, & nullo modo nec directe nec indirecte attingat Religionem, atque ſacra, aut perſonas partis minoris *qua huic Religioni adhærentes*, ceſſante cauſa jus eundi in partes aliunde odioſum & exorbitans exulare debeat. Atque hujus opinionis *jus eundi in partes* indiſcriminatim ad cauſas quascunque indifferentes extendentis fuiſſe videntur Legati illi Proteſtantici, qui anno 1761. in Comitiis in cauſa mittendi legationem ad tractatus Pacis *itionem in partes* meditabantur, de quibus ſupra.

An ex ſolis cauſis Religionem concernentibus, id quod affirmatur.

Cauſa politicæ etiam, ſi modo Religionem quomodocunque tangunt, ad itionem in partes ſpectant.

Jam vero, etſi hæc doctrina, quæ pro objecto *diſceſſionis in partes* ſtatuit *cauſas* Religionis, rejici aut contemni non poſſit, ſi recte explicetur, melius tamen dicunt illi, qui tenent, quod cauſæ *Comitiales politicæ* qualescunque ad Religionem, & illius conſortes qua tales reſpectum habentes, ſi ex earum deciſione per ſuffragia majora facta vel Religioni ipſi vel illius conſortibus qua talibus damnum inferatur, aut inferendum juſte metuatur, conſtituant objectum *itionis in partes*. Cum enim ſint duplicis generis cauſæ Religionis, nempe *ex natura ta-*

les,

Cauſæ Religionis ſunt duplicis generis.

les, quales ſunt, in quibus agitur de cultu aut immutando, aut tolerando, abrogando vel introducendo, de legibus eccleſiaſticis, poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum; & *reſpective tales*, quæ Religionem nonniſi per accidens, & ex circumſtantiis peculiaribus attingunt, quales ſunt, ſi e. g. agatur de bello gerendo, pace ineunda, fœdere pangendo, & inde Proteſtantes juſte ſibi metuant, ne ex bello, pace, fœdere &c. ſuæ Religioni ruina, aut certe grave damnum immineat; prioris vero generis cauſæ *ad itionem in partes* non pertineant, utpote de quibus aliunde eſt cautum, quod non ſecundum *ſuffragia majora* ſint decidendæ, ſed *pacifice componendæ*, ſane nomine *cauſarum Religionis* ſimpliciter prolato nondum ſcitur, quænam *cauſæ Religionis*, an prioris, vel poſterioris generis ad hanc exceptionem pertineant. Dein licet hæ cauſæ poſterioris generis quodammodo ſint cauſæ Religionis propter reſpectum, quem ad illam habent, proprie tamen & magis principaliter ſunt *cauſæ politicæ*, adeoque hoc potius nomine, quam nomine *cauſarum Religionis* exprimendæ. Ut autem cauſarum reſpective ad Religionem pertinentium melior habeatur notitia, duplex eſt reſpectus diſtinquendus ad Religionem, *realis & perſonalis*: ille habetur, quando ex cauſa comitiali per majora deciſa e. g. ex bello decreto, pace inita, iſto fœdere imminet ruina, damnum, & grande præjudicium ſacris & Religioni partis minoris: iſte locum habet, quando ex odio Religionis ad partem minorem deprimendam, illiusque authoritatem labefactandam, ac enervandam in negotio politico per majora aliquid fuiſſe concluſum apparet, id quod probandum erit, & aliquoties contingere poſſe negari non poteſt. En igitur objectum ſane ampliſſimum hujus exceptionis & juris eundi in partes!

Quænam ex his ad itionem in partes pertineant.

Reſpectus ad Religionem vel realis, vel perſonalis.

Effectus itionis in partes.

Ex his jam elucet effectus *itionis in partes*, qui non eſt alius, quam quod ſuffragiis majoribus ſuam vim & efficaciam adimat, ita ut concluſum exinde reſultans executioni mandari nequeat, ſed potius deſuper ſit pacifice conveniendum & tranſigendum. Quodſi vero euntes in partes cauſas ſui diſceſſus ſufficientes non attulerint, & alias pacifice convenire non poſſint, procul dubio ex principiis Jurisprudentiæ publicæ univerſalis Pars ſuffragantium major juxta dicta ſuo concluſo inhærere valeret. At vero quoniam ſalus Reipublicæ omnium legum, & concluſorum cynoſura eſſe debet, & inter duo mala minus eſſe eligendum, ſana ratio dictat, bene faciet pars major, ſi de ſuo jure aliquid remittat, ſuum concluſum ab effectu executionis ſuſpendat, & parti minori amore ſalutis publicæ cedat, ſicuti ſupra dictum.

Aliquoties amore ſalutis publicæ pars major cedit minori.

Super-

Digitized by Google

Quis modus & norma eundi in partes.

Supereſt, ut, qua ratione *in partes eatur*, & *eundum ſit*, diſpiciamus. *Comitia* Imperii vel ſunt *univerſalia*, vel *particularia* e. g. Circulorum, Collegiorum, Deputatorum. In his omnibus locum habere *itionem in partes*, ferme certum eſt apud omnes, idque tum acta Pacis Weſtphalicæ, tum gravamina æque Catholicorum ac Proteſtanticorum (a) tum litera P. W. demonſtrant, quippe quæ *jus eundi in partes* ſtatibus Imperii numero paucioribus in genere & univerſaliter tribuit, dummodo ſtatus diverſæ Religionis in conventu concurrant, id quod in collegiis & conventibus particularibus fieri poſſe, imo actu fieri, aliunde in comperto eſt. Nobis hic ſermo erit unice de Comitiis univerſalibus.

Itio in partes obtinet in omnibus conventibus univerſalibus & particularibus.

Modus tractandi negotia in Comitiis univerſalibus & eundi in partes.

Tria eſſe collegia, *Electorum*, *Principum*, & *Civitatum* Imperii liberarum, quæ Comitia conſtituunt, aliunde in comperto eſt. In his collegiis tractantur negotia duplicis generis vel *propria* Collegiis, vel *Comitialia*, ſeu *Communia Imperii*. Illa haud aliter tractantur, ac communius tractari ſolent negotia quorumvis collegiorum. Et de his plura dicere ſupervacaneum foret. Modus autem negotia tractandi, & eundi in partes in *Comitiis univerſalibus* in eo conſiſtit, quod ſtatus Imperii, poſtquam per *Dictaturam* negotium, ſuper quo deliberandum, ad Collegia ſuit delatum, non *in communi*, ſed in ſuis collegiis conveniant, ibidem conſultationes inſtituant, per majora forment concluſa, aut, ſi pauciores ſeſe gravatos exiſtiment, & gravaminis cauſas allegent, in partes ſecedant eo cum effectu, ut interea Concluſum ab executione ſuſpendatur, usquedum in actu Re- & Correlationis ſeceſſio in partes plenius fuerit diſcuſſa. Poſtquam ergo in collegiis ſeparatis deliberatum, & in partes diſceſſum fuit, fiunt Re-& Correlationes inter tria Collegia: id eſt, Collegia invicem ſua concluſa communicant, ex quibus primum apparet, an revera ſeceſſio fuerit legitime facta, id eſt a paucioribus & omnibus ejusdem Religionis & quidem ex cauſa legitima. Atque hic eſt modus legitimus & ordinarius eundi in partes.

Proteſtantes jus eundi in partes minimum in modum extendunt, etiam ad ſuos conventus prævios.

Et quoniam *jus eundi in partes* ſibi eſſe valde favorabile & ſumme proficuum, optime perſpectum habent Proteſtantes, varios modos illud extendendi excogitarunt, inter quos ille facile eſt præcipuus, quod, cum ſtatibus Imperii vigore legum publicarum ac obſervantiæ Imperii integrum eſſe conventus prævios ac deliberationem ſuper negotiis comitialiter & collegialiter tractandis inſtituere, haud ignorent, idem ſibi licere in cauſis *ſeceſſionum in partes*, & prævio accuratiori examine cauſam

(a) Vid. Struve Corp. J. P. cap. 2. 3. & Ickſtattius opuſc. 4. cap. 2. §. 36.

Digitized by Google

Concluſa per majora in vim itionis in partes habent, ſed peſſime.

ſam ſeceſſionis diſcutere, & trutinare haud eſſe prohibitum exiſtimaverint. Et hactenus bene: verum ulterius progreſſi in his *conventibus* concluſa per majora de *ſeceſſione in partes* facienda fecerunt, & talia concluſa in vim ſeceſſionis actualis in partes valere voluerunt. At vero quis juſtus rerum arbiter non prima fronte conſpiciat, hujusmodi *concluſum* eſſe nullius roboris? tum quod in hujusmodi conventibus meræ conſultationes, non vero concluſa fieri ſoleant, & poſſint: aut ſi fiant concluſa, ea vim non habebunt, niſi ſtatus collegialiter dein convenientes ea corroboraverint: tum quod agatur de cauſa communi totius Imperii, non ſolius corporis Proteſtantici, ac proin in communi deliberandum, & in conſeſſu utriusque Religionis ſtatuum concluſum ſit formandum: tum maxime, quod Inſtrumentum Pacis *diſceſſioni in partes* locum aliter reliquum haud faciat, quam ſi ſtatus ejusdem Religionis pauciores numero, *omnes* nullo excepto, partis majoris concluſa impugnent, id quod de ſimili concluſo in conferentiis privatis per majora facto cum veritate dici nequit.

Quomodo ſua concluſa reddere valida laborent per votum in communi.

Ut autem Proteſtantes has rationes elidant, & ſuæ doctrinæ longiſſime a litera, & mente Pacis Weſtphalicæ recedentis, de qua nequidem ſomniarunt Paciſcentes, & in quam nunquam conſenſuri fuiſſent Catholici, colorem aliquem affingant, ulterius requirunt, tale concluſum in conventu prævio ſive per majora ſive per unanimia a ſe formatum, poſtea in conventu collegiali *voto communi*, uti vocant, eſſe proponendum, & tunc primum illud in vim *diſceſſionis in partes* eluctaturum aſſerunt. Iſtud ut intelligatur, ſciendum eſt, quod ſtatus Imperii ſua ſuffragia duplici modo in comitiis aut collegiis, ſi juxta ſeſſionis ordinem a Directoriis evocentur, dare ſoleant, nempe vel *viritim, ſeu ſigillatim*, vel *in communi*. *Viritim* enuntiantur vota, quando ſtatus ipſi ſuum, quod habent, votum enuntiant, ſive illud ſit *virile*, ſive *curiatum*. *In communi* vero, quando unus ſtatus nomine plurium votum ſeu *virile* ſeu *curiatum* habentium ſuffragium ſibi a cœteris commiſſum in publico profert (b). Jam, ajunt Proteſtantes, ut concluſum in cœtu extra-collegiali per majora vel unanimia in vim *diſceſſionis* in

Status Imperii ſua vota dant duplici modo, viritim, vel in communi.

(b) Unde non ſunt confundenda votum *Curiatum*, & votum *commune*. Votum *curiatum* in collegiis habetur pro voto *virili* e. g. in collegio Principum vota Prælatorum & Comitum ſunt curiata, Principum vero *virilia*. Aſt utraque juxta hanc notionem habentur pro *virilibus*, non pro communibus. Vota ecotra *communia* nunquam habentur pro *virilibus*.

Digitized by Google

in partes conſurgat, ſufficit, ſi modo in conventu deinde collegiali, in quo de formando concluſo comitiali agitur, illud ab uno vel pluribus vice omnium ad protocollum detur, & publice declaretur (c). Verumenimvero ludum hic facere Proteſtantes nemo eſt, qui non videat: qua enim, obſecro ratione in *partes eatur*, ubi nullum adhuc *concluſum formatum* extat, nec de Catholicorum ſententia res plana eſt? Aut quis hanc doctrinam menti Paciſcentium congruere, & Catholicos in talem diſpoſitionem rebus ſuis tantopere pernicioſam, libertatis ſuffragiorum everſivam unquam conſenſuros fuiſſe ſibi perſuadeat? *Viritim* itaque, non *voto communi* ſuffragia in partes ire volentium exponenda ſunt. Profecto votum iſtud *commune* in ea latitudine, qua a Proteſtantibus defenditur, in nulla lege fundamentali quoddam habet fundamentum, ſed potius iisdem aperte refragatur.

Additiones in partes Proteſtantibus ſufficit votum in communi, & quomodo? Rejicitur hæc opinio.

En, quonamusque Proteſtantes ſuum *jus eundi in partes*, quod ſuum *Palladium*, ſuam *libertatis Anchoram* appellare conſueverunt, extendant! Eo nempe progrediuntur, ut illud ad cauſas ferme omnes, illas etiam, quæ nullum ad Religionem reſpectum habent, protendant, ad nullam ſuæ diſceſſionis rationem reddendam ſe obligatos dicere non erubeſcant, ex votis etiam ſolummodo propriis majoribus illud conſurgere doceant, & *voto communi* obtineri poſſe, nullo juris fuco prætendant. Atque hæc quorſum collimare exiſtimamus, niſi ad exterminium Religionis Catholicæ, ad excidium libertatis ſuffragantium in Comitiis & collegiis ordinariis, ad perniciem jurium Corpori Catholico competentium? Hæc itaque ſi vera ſint, & revera *jus eundi in partes* adeo amplum, ac irreſtrictum competat Proteſtantibus, habent profecto, quod ſibi, ſuis juribus, ſuis ſacris metuant Catholici, quinimo actum eſſe de libertate ſuffragantium, inſtare exterminium Religionis Catholicæ, imminere excidium ſacrorum & jurium Catholicorum, jam Proteſtantes in Comitiis Dominatum obtenturos, vice Dictatorum pro ſuo arbitrio functuros, adeo clarum eſt, ut negari nequeat. Ecquid enim jam facilius erit Proteſtantibus, quam omnia concluſa aut formata aut formanda prævertere & per diſceſſionem in partes elidere? Id enim, ut efficiant, aliud non requiritur, quam ut conventum præambulum convocent, ſtatus quosdam Proteſtanticos aliun-

Proteſtantes jus eundi in partes mirum in modum extendunt.

Et quare?

In extremam perniciem Religionis Catholicæ.

c) Hujus abſurdæ opinionis eſt Henninges in Medit. ad P. W. §. 52. Art. 5. Struve Corp. J. P. cap. 23. §. 46.

Digitized by Google

aliunde Catholicis inimicos in adſenſum inducant, concluſum per majora forment, illudque *voto communi* in conventibus ordinariis declarent. Quocirca melius *peſtem*, quam *Anchoram libertatis* dixeris *jus eundi in partes* cum tanto exceſſu protenſum, aut, ſi *Anchora libertatis* dici mereatur, recto nomine illam dixeris *Anchoram libertatis* nocivæ, perverſæ, ex qua ruinam veræ libertatis, & excidium Reipublicæ ſequi neceſſum eſt (d).

Exempla itionis in partes. Exempla *diſceſſionis in partes* ſi quis videre cupiat, adeat Struvii *corpus Juris Publici* (e), ubi in exemplum affert circa clauſulam Artic. 4. Pacis Ryſwicenſis cauſam Toggenburgenſem, Colonienſem in materia matricularis moderationis, cauſam *de jure adlegationis* ad tractatus Badenſes, Zwingenbergicam circa revocationem votorum. Quoad has cauſas adnotat Ickſtattius, quod Proteſtantes in his cauſas ſui *diſceſſus in partes*, & quidem legitimas edere non abhorruerint, etſi jam communius ad id ſe non eſſe obligatos paſſim hodierni Doctores Proteſtantici doceant.

Quomodo Corpus Evangelicorum in ſuis conventibus ſua negotia tractare ſoleat. Haſtenus triplicis generis cauſas ad Comitia pertinentes, non quidem via ordinaria, & ordine judiciali, ſed via extraordinaria amicabilis compoſitionis terminandas dilucidavimus. Jam iterum revertendum ad anteriora, ubi de duplici corpore *Catholicorum*, & *Proteſtanticorum* mentionem fecimus, & breviſſime explicandum, qualiter tam *Corpus Catholicorum*, quam *Proteſtanticorum* ſua negotia in ſuis conventibus tractare ſoleant.

Quis ſit Director Corporis tam Catholici quam Proteſtantici. Cum ipſa tractandarum rerum ratio & ordo in quolibet conventu exigat, ut quis Directoris vices ſuſtineat, proponenda proponat, membra collegii circa agenda debite informet, vota exquirat, & colligat, æque Proteſtantibus, ac Catholicis Directorem ſui corporis conſtituere placuit. Catholici has vices demandarunt Electori Moguntino: apud Proteſtantes primitus Elector Saxonicus, aliquoties Elector Palatinus; apud tractatus Pacis Weſtphalicæ corona Suecica hoc munere fungebatur (f), donec munus Directoris anno 1653. ſtatus Proteſtantici in Electorem Saxonicum lege ſtabili transtulerint. Sed poſtquam Fridericus

---

(d) Super hac re meretur legi Perill. Ickſtattius in ſæpius laudato opuſculo, in quo ſequelas peſſimas ex laxiori interpretatione hujus exceptionis natas clariſſime ante oculos ponit. Legi etiam debet opusculum, quod inſcribitur: *ſacræ libertatis Anchora*, & legitur in *Electis Jur Publ.* Tom. 14. p. 518.

(e) Cap. 23. §. 46.

(f) Pfaffius. Acad. Reden pag. 315.

ricus Auguſtus anno 1697. Religionem Catholicam amplexatus fuerat, varie deliberatum, & conſultum fuit, in quem munus Directoris jam transferendum foret. Poſt multas altercationes lis deſiit, dum Elector Saxonicus ſe obtulit, quod poſthac Directorium uni ex linea Weiſſenfeldenſi, nec non uni ex ſuis Miniſtris Evangelicis velit committere. Quæ præcipue, & quo ordine tractentur negotia in conventibus Corporis Evangelici, exhibet præter alios Pfaſſius.

De poteſtate Supremorum Imperii tribunalium in cauſis Eccleſiaſticis & Religionis.

Agendum hic etiam foret de poteſtate Supremorum Imperii tribunalium Judicii aulici & Cameræ in cauſis Eccleſiaſticis & Religionis. Verum adeo abſtruſa, adeo incerta ac ampla eſt hæc materia, ut illius diſcuſſionem aſſumere non attentem. Notiſſima ſunt gravamina Proteſtanticorum tam ante, quam poſt Pacem Religioſam contra deciſiones ſupremorum tribunalium; notiſſimæ etiam proteſtationes contra illorum ſententias; notiſſimæ demum diverſæ Doctorum in hac ipſa materia doctrinæ (g). Habent hæc tribunalia ſuæ poteſtatis fundamentum haud leve in Pace Weſtphalica Art. 5. §. 54. & 55. ubi legitur: *in judicio Camerali & Aulico cauſæ eccleſiaſticæ diſcutiantur, & judicentur*, quod ipſum repetitur in Ordinat. Judicii imperialis Aulici Tit. 1. §. 2. & in Art. 17. §. 5. dum dicitur: *ſi quid eorum* (quæ nempe in Pace Religioſa fuere conſtituta) *a quocunque violari contigerit, cauſa ipſa vel amicabili compoſitioni, vel juris diſceptationi ſubmittenda*. At vero his obſtat, quod ſtatutum legitur in Art. 5. §. 52. *in cauſis Religionis ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate*.

Fundatur in P. W.

Variæ Auctorum opiniones.

In hac ancipiti quæſtione ferme tot ſunt ſententiæ, quot capita. Pfaſſius exiſtimat, eſſe diſtinquendum inter cauſas *Religionis* proprie tales ipſam Religionem concernentes, & inter *cauſas eccleſiaſticas* (h), quarum poſteriores, non priores Dicaſteriis ſupremis ſubjacere judicat. Et ſane habet hæc doctrina fundamentum ſat grave in citatis locis P. W., quæ ubi loquitur de judicio tribunalium ſupremorum, utitur termino *cauſarum eccleſiaſticarum*; ubi vero de Comitiis, termino *cauſarum Religionis*. Ulterius vero diſtinquit inter *cauſas eccleſiaſticas ſimpliciter tales*, & cauſas *conſiſtoriales*, quas Principes ſolent ſubjicere ſuis *Conſiſtoriis* paſſim erectis, & ad quas præcipue pertinent *cauſæ matrimoniales*. Has ſane Principes non admittere ad ſuprema tribunalia, adeoque ſubditis appellationem a Conſiſtoriis intercidere, præjudicia plura & praxis docent, quam corroborat *Concluſum Cameræ* Viſitatorum Proteſtanticorum

(g) Has recenſet Pfaſſius in Acad. Reden pag. 310.
(h) Loc. cit.

Digitized by Google

corum apud Pfeffingerum (i). Ulterius diſtinquit idem Author inter cauſas Religionis in Pace Weſtphalica clare non deciſas, & interpretationis indigas; & inter cauſas per accidens cum cauſa Religionis clare deciſa quodammodo connexas: illas pertinere potius ad Comitia, quam ad tribunalia, aliunde clari eſt juris, quia *Interpretatio Authentica* debet fieri in Comitiis: has devolvi ad tribunalia Imperii, praxis docet: ſic notum eſt, quod in cauſa *ſimultanei* aliquoties Camera Imperii judicaverit (k). Georg. Eſtor indiſtincte ſupremis Imperii Tribunalibus poteſtatem judicandi in cauſis eccleſiaſticis abjudicat, ſeque fundat in ſanctione Cæſarea Caroli V., quæ extat apud Goldaſtum (l), in qua Imperator omnem jurisdictionem Imperii tribunalium in cauſis eccleſiaſticis ſuſpenſam vult. Et quoniam nemo Imperatorum ſubſequentium illam ſanctionem revocaſſe legitur, eidem ſtandum erit. Rationes vero, ob quas Proteſtantes cauſas eccleſiaſticas ad tribunalia Imperii deferri nolint, videri poſſunt apud Pfeffingerum ad Vitriar. ubi utriusque ſententiæ momenta affert (m). Sed vereor, ne hæc ſententia vera haud ſit, tum quod eidem adverſa ſit Pax Weſtphalica ſupra citata, tum quod eidem obſtent plura præjudicia, qualia affert ipſe Eſtor (n). Et quare Proteſtantes plures tantopere abhorrent in cauſis eccleſiaſticis judicium Cameræ? In promptu cauſa eſt: metuunt nempe, ne jurisdictio Epiſcopalis in Proteſtantes in Pace Weſtphalica ſuſpenſa ſenſim reviviſcat, dum Catholici Aſſeſſores, qui ad unum omnes Archi-Epiſcopum Trevirenſem tanquam Ordinarium Wezlariæ reverentur, cauſarum eccleſiaſticarum Proteſtanticarum judices exiſtunt (o). Joan. Frider. Cramer in ſua *Diſſertatione de cauſis Conſiſtorialibus, an & quatenus ad judicium aulicum pertineant &c.* enumerat cauſas ſpeciales, quæ eo devolvi poſſunt, quin alias admittere videatur: & ſequentes recenſet: 1mo ſi de poſſeſſione vel quaſi, 2do ſi de nudo facto agatur: 3tio ſi unus ex litigantibus ſit immediatus, qui alterius judicio non ſubſit: 4to ſi cauſa ipſa non ſit *conſiſtorialis*, ſed ſolummodo connexa e. g. ſoluto matrimonio quæratur de reſtitutione dotis: 5to ſi ſubſit periculum rebellionis ex cauſa Religionis pertimeſcendum: 6to ſi Eccleſiæ immediatæ periclitentur, ne ſua excidant

Proteſtantes nolunt cauſas eccleſiaſticas ad tribunalia Imperii deferri, & quare?

Quas cauſas eccleſiaſticos ad ea deferri permittant.

(i) Lib. 3. Tit. 2. pag. 288.
(k) Pfaffius loc. cit. Nunc cauſa *ſimultanei* teſte eodem eſt objectum comitiale.
(l) Part. 1. der Reichs-Satzungen pag. 275.
(m) Loc. cit. pag. 290.
(n) Delineat. Jur. Pub. eccleſ. Proteſt. cap. 11. pag. 149. & ſeq.
(o) Loc. mox citato pag. 154.

Digitized by Google

excidant immedietate: 7timo ſi agatur de nullitate proceſſus in cauſa eccleſiaſtica agitati. Eſtor huic rei optime conſultum iri exiſtimat, ſi Cæſar & Proteſtantes in id convenirent, ut hæ ipſæ lites in Camera & judicio Aulico deciderentur ab Aſſeſſoribus proteſtanticis, remotis plane Catholicis Conſiliariis, quaſi vero in poteſtate Cæſaris foret Catholicis ſuum jus quæſitum pro libitu adimere. Authores hac de re tractantes citat Pfaffius (p).

Id unicum hic annotare liceat, quod in Pace Weſtphalica Art. 5. §. 55. deciſum legitur, nempe quod, ſi lis ſit in Camera inter diverſæ Religionis conſortes, & utriusque Religionis Aſſeſſores in diverſas abeant ſententias, cauſa ſ tremittenda ad Comitia ceſſante recurſu, ſi unus aut alter alteri parti accedat. Hæc ſatis prolixe dicta ſufficiant in hac difficillima materia.

§. XII.

Opportunus hic locus aliqua dicendi de *æqualitate* inter Catholicos & Proteſtantes per Pacem Weſtphalicam (q) introducta, ad quam paſſim provocant Proteſtantes, & de qua jam ſupra §. X. quædam diximus, ubi examinavimus quæſtionem, an Proteſtantes amplius vocari poſſint *hæretici*, vel *Acatholici*. Pax Weſtphalica æqualitatem inter Catholicos & Proteſtanticos obſervandam his verbis exprimit: *In reliquis omnibus autem inter utriusque Religionis Electores, Principes, ſtatus omnes & ſingulos ſit æqualitas exacta mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, conſtitutionibus Imperii, & præſenti conventioni conformis eſt, ita ut quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum.* Atque, *hæc lex*, ait Boehmer (r), *eſt baſis & fundamentum primarium totius concordiæ & tranquillitatis inter diverſas Religiones in imperio ſervandæ, quæ unica ſi recte obſervaretur, nulla amplius lege, & declaratione opus foret; ſed eo ipſo nullum porro diſcrimen inter diverſitatem Religionis quoad uſum jurium communium in imperio receptorum, ſtatueretur, nemo alium ob diverſitatem Religionis odio haberet, contemneretque, ſed potius concordia & tranquillitas in imperio continuo floreret.*

De æqualitate trium Religionum receptarum.

Regula quoad æqualitatem obſervandam ex P. W.

En! regulam, ex qua Proteſtantes innumeros deducunt effectus, quos in obviis authoribus legere licet. Aliquos in compendio recenſebimus, quales ſunt, quod nemo propter Religionem deſpicatui haberi poſſit: unde deducunt Proteſtantes, quod perperam a Catholicis vocentur

Effectus hujus æqualitatis.

(p) Loc. cit. (q) Art. 5. §. 1.
(r) J. Eccleſ. Proteſt. lib. 5. tit. 7. §. 197.

Digitized by Google

centur vel *hæretici*, vel *Acatholici*, eorumque *tolerantia* male appelletur *tolerantia gratioſa & impunitatis*, ſed ſit eadem cum *tolerantia* Catholicorum. Verum contrarium a nobis demonſtratum eſſe, noverint facile illi, qui anteriora legerunt. Item & Catholicos & Proteſtantes æquali jure Civitatis frui, & hinc Proteſtantes, niſi aliud obſtet, non eſſe excludendos a Magiſtratu aliisque officiis & dignitatibus, non a collegiis Artificum & opificum, Advocatorum, Procuratorum, non eſſe arcendos a teſtimonio ferendo in judiciis, a ſuſceptione graduum Academicorum, non ab hæreditatibus & legatis, non ab hoſpitalibus, xenodochiis, & eleemoſynis publicis, non a jure connubiorum, non a munere tutelæ & curatelæ. Cæterum in his latere graves difficultas nemo eſt, qui ignorat: e. g. acriter diſputatur, an pater poſſit exhæredare filium ob deſertam Religionem paternam; an valeat hæreditas vel Legatum ſub conditione: *ſi in Religione permanſerit*; an Proteſtantes poſſint eſſe tutores Catholicorum; quid dicendum de matrimonio inter Catholicos & Proteſtantes inito, an ſit validum, an licitum; an poſſit contrahi ſub conditione, ut filii ſequantur Religionem patris Catholici, filiæ Religionem matris proteſtanticæ.

Effectus æqualitatis reſpective ad Religionem & Jus Canonicum.

Hactenus dicta de *æqualitate* & exæquatione Religionum & effectibus inde ſequentibus ad vitam civilem pertinent. Sed quid intuitu Religionis & Juris Canonici? cum utraque Religio debeat eſſe libera, & libertas conſcientiæ præcipue apud Proteſtantes ſit ſummi pretii, æquali libertate quoad ea, quæ ſunt Religionis, maxime ſi conſcientiam attingant, gaudere debent Catholici & Proteſtantes: hinc apud Proteſtantes Jus Pontificium non obligat, niſi in quantum illorum ſacris non repugnat, aut uſu receptum eſt. Ex quo ſequitur, quod ea, quæ in odium hæreticorum in jure Pontificio ſtatuta leguntur, ad Proteſtantes & Reformatos non pertineant, quippe qui in *ſenſu juris publici* hæretici non ſunt; item quod contrahere poſſint matrimonium in gradibus a ſolo jure Canonico prohibitis. Multo minus Proteſtantes ad ea obligari poſſunt, quæ illorum Religioni, & conſcientiæ adverſantur; & ideo non poſſunt adigi ad formulam juramenti Catholicis propriam, qua *per Sanctos* jurare ſolent, quibus Proteſtantes venerationem & cultum Religioſum denegant (s), neque ut in genua procumbant, ſi S. Euchariſtiam

(s) In conventu Auguſtano de an. 1555. decretum eſt, ut Catholici & Proteſtantes eadem juramenti formula uterentur: auf GOtt, und auf das heilige Evangelium.

Digitized by Google

ſtiam publice per plateas portari contingat; prohiberi tamen poſſunt, ne quid in contemptum & irriſionem illius faciant.

Jam agendum quoque foret de æqualitate quoad jura, & prærogativas inter Electores, Principes, & cæteros ſtatus Imperii Catholicos & Proteſtanticos, in quantum id Religio, & Religionis principia permittunt. Nam quod ſtatus Proteſtantici in multis longe melioris ſint conditionis, & longe pinguioribus effectibus Pacis Weſtphalicæ fruantur, quam Catholici, aliunde certum eſt. Sic enim ſtatus Proteſtantici in ſuis territoriis habent *jus in Sacra*, exercent *jurisdictionem Epiſcopalem*, & hac mediante ferme omnia negotia Religionis tractant, cauſas eccleſiaſticas judicant, integram diſciplinam eccleſiaſticam externam dirigunt, verbo: Religionis ſunt veri Domini, & de ea pro ſuo diſponunt arbitrio (t). Sed nunquid hæc omnia ex principiis Religionis Catholicæ ſunt interdicta ſtatibus Catholicis?

De effectibus æqualitatis quoad jura & prærogativas ſtatuum Imperii.

Status Proteſtantici ſunt melioris conditionis quam Catholici.

Quantopere pro evincenda hac æqualitate omnimoda laboraverint Proteſtantes, quis ſatis edicere valeat? Ex hoc jure æqualitatis venit, quod Proteſtantes ſingulare *corpus*, quod vocant, *Evangelicorum* ſibi formaverint, pluralitatem votorum in cauſis Religionis abhorruerint, *jus eundi in partes* prætenderint, æqualem numerum Catholicorum & Proteſtanticorum in Deputationibus Imperii ordinariis & extraordinariis extorſerint (u), jam duo belliduces, ſi imperium bello petatur, alter e Catholicis, & alter ex Proteſtantibus eligi, & his conſiliarii ex utraque Religione numero pares adjungi debeant (x), jam par debeat eſſe numerus Aſſeſſorum in Camera (y), in judicio Imperii aulico quoque ſex Conſiliarii locum invenerint (z), & in Camera ſi Catholici & Proteſtantici inter ſe in ferenda ſententia diſſentiant, res in ſuſpenſo manere debeat (a). Denique ex hoc ipſo jure æqualitatis extenſionem Reſervati eccleſiaſtici extorſerunt Proteſtantes. Et quid non hodie agunt, ut

Alii effectus ex æqualitate recenſentur.

(t) De his ampliſſimis favoribus & prærogativis Proteſtanticorum fuſe agit Eſtor Hiſtoriographus Haſſianus in Delineat. J. P. E. Proteſt. cap. 8. & ſeq.

(u) P. W. Art. 5. §. 51.

(x) Vid. Capitulatio Cæſarea Caroli VI. Art. 3. Item Maſcovius Princip. J. P. pag. 324.

(y) Vid. Hortlederus lib. 7. von Urſachen des deutſchen Reichs, in quo leguntur querelæ Proteſtanticorum contra Cameram. Item Eſtor loc. cit. §. 1. & ſeq.

(z) Vid. P. W. Art. 5. §. 53. Item Capitulatio Cæſar. Caroli VI. art. 23. Eſtor, loc. cit.

(a) P. W. art. 5. §. 55.

Digitized by Google

ut omnimodam æqualitatem extorqueant? Atque hæc æqualitas una cum libertate Religionis eſt ferme unica *ara ſalutis*, ad quam toties confugiunt, quoties ſuis juribus vel in minimo detrahi exiſtimant. Inde eſt etiam, quod æquo animo ferre non poſſint, usquenunc JudicemCameræ ſemper fuiſſe Catholicum: & hinc alternativam prætendunt,& Imperatorem habere dicunt jus Aſſeſſoribus Cameræ, qui æquali numero eſſe debent,adjungendi adhucunum vel duos. Similiter conqueruntur, quod Conſiliarii Judicii aulici numero non ſint æquales, & nonniſi ſex Proteſtantici, dum Catholici ſunt in numero duplo majori. Illud autem diriſſime ipſos habet, quod usquenunc in Imperatorem nemo Principum Proteſtanticorum fuerit electus, quos æque Imperatoriæ dignitatis ob introductam æqualitatem capaces exiſtimant, ac Catholicos, & hinc jam dudum *Alternativam* in dignitate Imperatoria impetrare contenderunt.

Exceptiones ab æqualitate veluti regula.

Quasdam adſtruunt ipſi Proteſtantes, ex annis regulativis.

Porro autem quemadmodum aliam quamcunque, ita etiam hanc regulam de æqualitate Religionum pati ſuas exceptiones, quis neſcit? Ipſi Proteſtantes quasdam exceptiones adſtruunt & admittunt e.g. dum dicunt, hanc æqualitatem eſſe regulandam ſecundum annos *regulativos*, & ideo e.g. pro æqualitate inter Catholicos & Proteſtanticos introducenda non licere Principi *jure ſimultanei* uti in ſuo territorio. Ille idem §. 1. Art. 5. qui eſt ſedes hujus materiæ, plures exceptiones inſinuat in verbis: *ſit exacta æqualitas mutuaque, quatenus formæ Reipublicæ, conſtitutionibus Imperii, & præſenti conventioni conformis eſt.* Itaque anteriores Imperii conſtitutiones quoque huic æqualitati ponunt ſuos limites, illiusque regulæ ſunt directivæ. Unde quia in Aurea Bulla de uno tantum Imperatore eſt cautum, non poſſunt Proteſtantes prætendere, ut poſthac duo ſint Imperatores, Catholicus unus, & alter Proteſtanticus, & quia ferme omnia, quæ de Imperatore in ea ſunt diſpoſita e.g. de juramento Imperatoris Pontifici præſtando, de Coronatione, illiusque ritibus, unice de Imperatore Catholico intelligi poſſunt, pro ſervanda æqualitate inepte prætendunt alternativam in electione Imperatoris, ita ut nunc ex Catholicis, poſtea vero eligatur Imperator ex Proteſtanticis.

Proteſtantes inepte prætendunt alternativam in dignitate Imperatoria

An in Imperatorem eligi poſſit Proteſtanticus.

Argumenta Proteſtantiorum.

Quamquam vero quæſtio de eligendo Imperatore Proteſtantico, de qua ingenti animorum æſtu non raro inter Doctores Catholicos, & Proteſtanticos fuit diſceptatum, ſit valde odioſa, nihilominus illam breviter diſquirere placuit. Ajunt Proteſtantes, jam inepte provocari ad Bullam Auream, cum eo tempore, quo fuit condita, nondum Religio proteſtantica invaluerit, adeoque de Imperatore Proteſtantico eligendo cogitari non potuerit. Aliter ſane Carolus IV. diſpoſi-

Digitized by Google

diſpoſiturus fuiſſet, ſi eo tempore æqualitas exacta inter Catholicos & Proteſtanticos fuiſſet introducta, qualis eſt ſtatuta in Pace Weſtphalica. Lex ergo Weſtphalica tanquam poſterior derogat legi anteriori id eſt Bullæ Aureæ. Eadem Aurea Bulla in Imperatore quoad Religionem aliud non requirit, quam ut ſit *Chriſtianus* (b). Sed utique Proteſtantes ſunt veri *Chriſtiani*, haud ſecus quam Catholici? Num forſan Proteſtanticos ad ſuſceptionem dignitatis Cæſareæ inhabiles reddit ſua Religio & conſcientia, quæ non permittit, ut ipſi jurato in ſe ſuſcipiant Advocatiam Eccleſiæ Catholicæ, quam falſam, erroneam, & hæreticam reputant, multo minus protectionem Romani Pontificis, quem velut Antichriſtum habent? Verum ſi Imperator Catholicus Advocatiam Eccleſiæ Proteſtanticæ, cur non Proteſtanticus Eccleſiæ Catholicæ in ſe ſuſcipere queat? Et quidni Imperator Proteſtanticus Pontifici Romano decentem reſpectum civilem *qua Principi Italiæ*, & *Advocato Eccleſiæ* exhibeat? qualem Proteſtantes exhibent Archi-& Epiſcopis Catholicis. Illi ritus, illæ ceremoniæ, quæ vel ante, vel poſt electionem Imperatoris e. g. Miſſa antea dicenda, & potiſſimum in coronatione illius adhiberi debent, ſunt mere accidentales, & poſſunt adeſſe vel abeſſe, adeoque diſpenſari. Sed neque ad obſervantiam Imperii poſſunt provocare Catholici: ſiquidem hæc obſervantia unice fundatur in numero Electorum Catholicorum contra numerum Proteſtanticorum prævalente, contra quam prævalere hactenus non potuere Proteſtantici. En! argumenta Proteſtanticorum pro electione Imperatoris Proteſtantici, quæ ſolicite conquiſivimus in Doctoribus Proteſtanticis (c).

Verum ſtat, ſtabitque Aurea Bulla in ſua poſſeſſione, usquedum eidem expreſſe fuerit derogatum per legem ſpecialem contrariam. Sed ubinam eidem quoad electionem Imperatoris derogatum? num ex eo, quod jam Proteſtantes jure Civitatis fuerint donati, æqualiter cum Catholicis tolerati, imo eisdem æquiparati & exæquati? At vero quis neſcit, quod ſub generali locutione non veniant ea, quæ ſpeciali mentione indigent? Quis ſibi perſuadeat, quod Catholici voluerint Proteſtantes etiam dignitatis Imperatoriæ capaces reddere ex eo, quod illos jure Civitatis donaverint, & æqualitatem *generalem* & *genericam* ſtatui permiſerint? Ad hæc ſtatuerunt æqualitatem *conformem conſtitutionibus* *Argumenta Catholicorum contra Proteſtantes.*

(b) Aurea Bulla cap. 2. de elect. Roman. Regis.

(c) Vid. Moſers deutſches Staats-Recht l. 2. cap. 3. §. 4. Item Scheners deutſches Jus publicum lib. 4. cap. 2. §. 6. pag. 425.

Digitized by Google

tutionibus Imperii: ſed quis electionem Imperatoris Proteſtantici eſſe conformem Aureæ Bullæ aut cum illa combinari poſſe dicere auſus fuerit? Profecto hæc clauſula non fruſtra fuit appoſita, ſed vel maxime in favorem Catholicorum, de quibus præſumi nequit, quod ſua jura ſingularia quaſi jactare voluerint juxta illud: *in dubio nemo cenſetur jus ſuum jactare velle*, ſed potius quod ſua jura ſibi ex legibus fundamentalibus anterioribus competentia conſervare voluerint, in quantum conſervari poſſunt, neque alia jura Proteſtanticis cedere cogitaverint, niſi ea, quæ ex tolerantia & receptione quaſi per ſe fluunt, & juribus Civitatis ſunt quaſi innexa. Quis dicere audeat, quod ſi Princeps collegium aliquod e. g. artificum, quod antea jus Civitatis non habuit, ad Rempublicam admittat, velit admittere in participium omnium jurium non modo communium, ſed etiam ſingulariſſimorum huic vel illi collegio competentium? Jam vero utique jus paſſivum ad dignitatem Imperatoriam non eſt jus juribus Civitatum ita innexum, ut, qui jure Civitatis in Germania gaudet, eo ipſo hoc jure gaudere debeat. Si ergo tanta debet eſſe æqualitas inter Catholicos & Proteſtanticos, quare non prætendunt, aut ſaltem quare ex jure æqualitatis efficaciter prætendere non audent Proteſtantes, ut duo ſint Imperatores, Catholicorum unus, alter Proteſtanticorum? ut idem ſit numerus Electorum Proteſtanticorum, ac Catholicorum? Crediderim ego, quod Catholici in Pace Weſtphalica nequidem per ſomnium cogitaverint de concedendo Proteſtantibus jure paſſivo ad dignitatem Imperatoriam. Aut igitur abrogationem aureæ Bullæ probare debent Proteſtantes, id quod nunquam probabunt, aut aurea Bulla ſtabit in ſua poſſeſſione, quam unice loqui de Imperatore Catholico exinde liquet, quod tempore, quo fuit condita, ipſum nomen, ne dicam Religio Proteſtantica, fuerit prorſum ignotum. Equidem aurea Bulla nec verbulo dicit, quod Imperator debeat eſſe *Catholicus*. Sed quid mirum? Cum enim eo tempore nondum invaluerint Proteſtantes, & in Germania alii Electores & Principes non fuerint, quam Catholici, eo ævo nomine Chriſtianorum paſſim intelligebantur Catholici, quin opus fuerit inter Catholicos & Chriſtianos tam accurate diſtinquere, & hoc ipſo & Carolus IV. de alio rege Germanorum, quam Catholico eligendo intelligi non poteſt. Et profecto auream Bullam unice loqui de Imperatore Catholico eligendo, ex omnibus, quæ de electione & coronatione e. g. de Miſſa dicenda, de ritibus & ceremoniis, de formula Juramenti ſtatuta ſunt, apertiſſime conſtat. Jubet præterea aurea Bulla, ut *populo chriſtiano*

Digitized by Google

ſtiano Caput eligatur, & talis Imperator, *qui ad hoc idoneus exiſtat* (d). Sed quid aliud nomine *populi chriſtiani* intelligitur, quam populus Catholicus? & quis alius erit idoneus ad hoc munus apte gerendum quam Catholicus? Verum eſt: poteſt etiam Imperator Proteſtanticus in ſe ſuſcipere Advocatiam Eccleſiæ Catholicæ haud aliter ac Catholicus Eccleſiæ Proteſtanticæ, ſed non talem, qualem Catholici ex jure avito prætendunt, & omni jure prætendere poſſunt, nempe *Advocatiam ſingularem* ab Advocato ſuæ Religioni addicto, qualem ab Imperatore Proteſtantico tam parum ſperare poſſunt, quam parum ipſi ab Imperatore Catholico: ut adeo contenti eſſe debeant Advocatia, & protectione generali, quali fruuntur cives illi, qui a Religione ſui Principis territorialis ſunt alieni, quippe quod reclamet conſcientia, nec permittat, ut Princeps hujusmodi ſubditorum Religioni ſingularem protectionem impertiatur. Et qualem protectionem, Advocatiam, reſpectum, & fidelitatem ſibi Pontifex, quem Proteſtantes pro Antichriſto habent, & diris omnibus devovent, ab Imperatore Proteſtantico promittere poteſt? Debet Imperator Pontifici jurare Protectionem, & Advocatiam non *qua Principi Italiæ*, ſed qua *ſupremo Capiti orbis chriſtiani* non ſolum, ſed ſingulariter qua *Capiti Eccleſiæ Catholicæ*, & quidem talem, qualem Religio Catholica a ſuo Capite requirit juxta formulam præſcriptam: *ſpondeo, polliceor, atque juro coram Deo & S. Petro, me de cætero Protectorem, & defenſorem fore ſummi Pontificis, & hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ &c.* Illi ritus, illæ ceremoniæ poſſunt quidem diſpenſari communi ſtatuum Imperii ſuffragio: quippe quod abrogatio legum fundamentalium earumque diſpenſatio ad ſola Imperii Comitia pertineat: ſed hic non quæritur, an poſſint diſpenſari, ſed an revera in Pace Weſtphalica fuerint diſpenſatæ? Quapropter quamdiu auream Bullam fuiſſe abrogatam, Proteſtantes probare non poſſunt, tamdiu patiuntur defectum non quidem *intrinſecum*, ſed *extrinſecum* ex lege fundamentali provenientem, imo in certo ſenſu intrinſecum, ſi reſpectus habeatur ad Religionem Catholicam, & Advocatiam eidem ab Imperatore debitam, quo minus in Imperatorem eligi queant. Cæterum Catholici neceſſum non habent, ut ad obſervantiam Imperii provocent, cum aliunde jus quæſitum in lege Imperii fundamentali, id eſt in aurea Bulla, fortiantur: quamquam in majus robur ſui juris ab obſervantia etiam ſubſidium mutuare valeant, cujus authoritati nihil demitur ex eo, quod Proteſtantes contra majorem numerum votorum Catholicorum usque nunc nun-

Juramentum Imperatoris.

Aurea Bulla quoad electionem Imperatoris per P. W. non eſt abrogata.

Ffff 2 quam

(d) Aurea Bulla cap. 2. §. 3. & 4.

quam prævalere potuerint. Saltem ſi quod jus ſe habere exiſtimarunt Proteſtantes, eidem per proteſtationem vel contradictionem conſulere debuiſſent, quod cum eos non feciſſe conſtet, eo ipſo huic obſervantiæ majus robur acceſſit. Superi avertant, ne, quod fieri prohibent leges fundamentales, neceſſitas, quæ legem non habet, fieri jubeat!

§. XIII.

Quantopere Proteſtantes pro ſuis juribus, libertate conſcientiæ, tolerantia & æqualitate ſuæ Religionis laboraverint.

Usque nunc vidimus, quantopere pro libertate conſcientiæ obtinenda, pro tolerantia ſuæ Religionis evincenda, pro æqualitate Religionum extorquenda laboraverint Proteſtantes; quantopere inter Catholicos & Proteſtantes pro reſtituenda pace, unitate Religionis conciliandа, & componendis diſſidiis Religionis fuerit concertatum, ſed fruſtraneo prorſus conatu. A principio Reformationis ad *Concilium* provocabant non Catholici duntaxat, ſed etiam Proteſtantes. Sed mox ſub ſpecioſo prætextu, *Concilium*, quod Catholici offerebant, non eſſe liberum, Proteſtantes recuſarunt, nec, ut in Concilium conſentirent, amplius perſuaderi potuerunt. Poſtea ventum ad *colloquia privata*, qualia fuere habita quamplurima, quorum præcipua ſupra retuli (e), & fuſe refert Smidius in ſua *hiſtoria colloquiorum* aliique, quos citat Moshemius (f). Sed nec iſta componendis Religionum diſſidiis fuiſſe ſat apta compertum fuit. Cum enim rari prorſus ſint viri illi, qui neceſſarias ad opus tam grande perficiendum qualitates, neceſſarium ſcientiarum apparatum, neceſſarias animi dotes, & virtutes ſecum afferunt, & ex his non pauci agantur partium ſtudio, torqueantur Religionis odio, ſuis in perverſum ducantur præjudiciis, ſuperbiæ & ambitionis afflentur vento, ſint rixoſi, in ſuis opinionibus pertinaces, haud miremur, quod pleraque hæc colloquia in rixas inanes, in prolixas diſputationes, in novas majoresque diſcordias abierint. Quare diſſidia Religionis ad Comitia Imperii deferre, eaque ſtatibus Imperii, eorumque Legatis amicabiliter componenda ſubmittere teſte Lehmanno placuit (g). Porro autem qua arte amicabilis compoſitio in diſſidiis Reli-

Provocant ad colloquia privata.

Quæ non ſufficiebant ad componenda diſſidia.

Diſſidia Religionis deferuntur ad Comitia.

Amicabilis compoſitio in materia Re-

(e) Supra quæſt. 2. cap. 2. §. 8.

(f) Inſtit. hiſt. Eccleſ. Sæc. XVI. Sect. 1. cap. 2.

(g) Würden ſich aber die colloquentem nicht vergleichen, ſo ſollen alsdenn die Königl. Majeſtät, die Churfürſten und Stände, geiſtlich und weltlich, oder ihre ſtattliche, und der Sachen verſtändige Räthe von den irrigen Artickeln Chriſtlich und

Religionis majoris momenti fieri queat, haud perſpicio, non ideo tantum, quod ſecundum principia Religionis Catholicæ Imperatores, Reges & Principes ſint judices inhabiles, incompetentes, & prorſus inepti ad quæſtiones fidei decidendas, terminandas, aut quomodocunque componendas, ſed ideo etiam, quod ad negotium tanti momenti rite pertractandum, ſicut infra pluribus demonſtrabimus, requirantur viri in lege divina periti, Theologi exquiſitiſſimæ eruditionis, aliisque qualitatibus animi præditi, quales fruſtra in Principibus eorumque Legatis deſideres. Idcirco quia hactenus omnia remedia ad conciliandam animorum concordiam, reſtituendam pacem, & reſtaurandam Religionum unionem inania fuere & fruſtranea, nihilque profecerunt Concilia, nihil colloquia, nihil Comitia, excogitatum fuit remedium mea opinione prorſus deſperatiſſimum, videlicet amicabilis compoſitio, inter diſſidentes in negotio Religionis, ad quam tanquam ad ultimum refugium multoties appellat Pax Weſtphalica per verba: *donec controverſiæ Religionis amicabili partium compoſitione definiantur* (h), & iterum: *donec per Dei gratiam de Religione ipſa convenerit* (i), &: *usquedum de Religionis diſſidiis per Dei gratiam conventum fuerit* (k), & alibi: *ſi vero, quod Deus prohibeat, de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit &c.* (l).

ligionis per Comitia ferme impoſſibilis.

Amicabilis compoſitio eſt medium deſperatum.

Haud abs re *amicabilem compoſitionem* voco remedium deſperatiſſimum, quippe quæ toties tentata, toties in irritum abiit, & nunquam ad effectum deduci potuit, & de qua conſequenda dudum deſperarunt

De amicabili compoſitione.

 viri

und freundlich ſich unterreden, und ſo viel möglich vergleichen. Denn, nach dem Churfürſten, und Stände geiſtlich und weltlich zugleich in den Tod unſers Herrn und Heylands JEſu Chriſti getaufft, und lebendige Glieder der Chriſtlichen Kirchen ſind, und es auch dieſe Zeit um die weltliche Stände, GOtt hat Lob, dergeſtalt gelegen, daß viel unter denſelben nicht weniger, als die Geiſtlichen der Heil. Schrifft berichtet, und erfahren ſind, ſo iſt zu verhoffen, daß durch dieſe Reichs-Verſammlung der Churfürſten, Fürſten und Stände, bey denen weniger affection und Hinderniß zu vermuthen, der Zwiſpalt der Religion in deutſcher Nation beſſer, und friedlicher, denn auch durch ein General-und National-Concilium, vermittelſt göttlicher Hülffe mögte abgeholffen, und beygelegt werden. De Pac. Relig. lib. 1. cap. 25.

(h) Art. 5. §. 25.
(i) Art. 5. §. 1.
(k) Loc. cit. §. 14.
(l) Loc. cit. ſub fin.

Genuinus illius conceptus explicatur. viri omnigena eruditione ſpectatiſſimi. De hac igitur amicabili compoſitione diſpiciendum, quid ſit, quale habeat fundamentum, qua arte inſtituenda, an ſit medium aptum ad componenda Religionis diſſidia, an ſperari poſſit, & ſit poſſibilis. Ante omnia ergo evolvendus eſt genuinus conceptus *amicabilis compoſitionis*, cujus finis & ſcopus cum alius non ſit, quam diverſas Religiones & Eccleſias, ſingulariter Catholicam & Proteſtanticam, via amicabili ad unitatem reducere, & ita conjungere, ut jam in credendis conveniant, & una fiant Eccleſia, talis procul dubio adornanda erit definitio, & inſtructio amicabilis compoſitionis quam Catholici æque ac Proteſtantes recipiunt, quæque vel maxime ab Indifferentiſmo & Syncretiſmo abhorreat. Cum enim Catholici & Proteſtantes diverſis agitentur principiis, poſteriores quæſtiones fidei ex ſola ſcriptura eſſe terminandas afferant; priores in defectum Scripturæ traditionem aſſumere ſoleant: illi ſanæ rationis Criterio, hi authoritati Eccleſiæ, Conciliorum & Pontificum tanquam legitimo judici aſſurgendum exiſtiment, ſane nemo non videt, *amicabilem compoſitionem* apud Catholicos vix poſſe habere locum, niſi ita inſtituatur, ut Eccleſiæ, Conciliis, & Pontifici ſua maneat authoritas. *Amicabilis compoſitio caute inſtituenda.* Sed & illud ſolicite cavendum, ne *amicabilem compoſitionem* ita inſtituamus, ut vel in *Indifferentiſmum*, vel in *Syncretiſmum* degeneret, quia experientia conſtat, quod plerique *Irenici*, (m) in ſtatuenda amicabili compoſitione ad unum ex his ſcopulis alliſerint, & vel in Indifferentiſmum, vel Syncretiſmum deſierint (n), quemadmodum infra pluribus demonſtrabimus.

Dupliciter ſpectatur generaliter vel ſpecialiter. Poteſt autem mea opinione amicabilis compoſitio dupliciter ſpectari vel *generaliter*, vel *ſpecialiter*. Generaliter ſpectata ſub ſe complectitur conjunctiones, unionesque diſcrepantium Religionum & Eccleſiarum modis quibuscunque factas, & toties contingit, quoties duæ diverſæ Eccleſiæ in unam coaleſcunt, quorſum pertinent converſiones gentilium, Judæorum, & hæreticorum quorumcunque a Religione chriſtiana vera aberrantium, quæ factæ ſunt, aut poſthac fieri poſſunt diverſis modis e. g. per oſtenſionem miraculorum, per ſpecialem Dei gra- *Quid generalis.*

(m) Ita vocantur illi Scriptores, qui ex profeſſo ſcribunt pro unione Religionum & Eccleſiarum, & diſcrepantes Religiones quodammodo inter ſe componere & conjungere laborant.

(n) Vid. infra.

Digitized by Google

gratiam interne operantem, per prædicationem verbi divini (o). Specialiter ſpectata ſupponit conventionem quandam inter diſcrepantes Eccleſias eum in finem initam, ut controverſiæ & diſſidia Religionis oſtenſione veritatis componantur, & demum Eccleſiæ argumentorum pondere ductæ in vinculo fidei inter ſe amicabiliter uniantur. Illa prior recte definitur, quod ſit diſcrepantium Eccleſiarum conjunctio & unio, qua duæ Eccleſiæ ſponte & libere de veritate Religionis quomodocunque convictæ in unam coaleſcunt. Atque de hac compoſitione amicabili videtur loqui Joannes Jacobus Baurius Magiſter legens in ſtipendio Theologico Tubingenſi in ſuo *Schediaſmate Juris publici eccleſiaſtici de compoſitione Religionum amicabili*, in quo compoſitionem amicabilem & in ſcriptura fundatam, & poſſibilem eſſe oſtendere conatur, unaque modum eam recte inſtituendi docere contendit. Specialis optime definitur, quod ſit conventio ſpecialis inter diſcrepantes Eccleſias, vel etiam inter diſſidentes in eadem Eccleſia eum in finem inita, ut communicatis inter ſe vel per mutua colloquia, vel per ſcripturas conſiliis de tollendis Religionis diſſidiis amicabiliter agant, ſoloque argumentorum pondere, ſepoſita omni coactione, vi, violentia ac Imperio ductæ ita uniantur, ut jam in formula fidei ſeu credendorum & agendorum conveniant. Atque hanc amicabilem compoſitionem eſſe ad mentem Pacis Weſtphalicæ, & Paciſcentium, Proteſtanticorum præcipue, mihi perſuaſum habeo, utpote qui inter prima ſuæ Religionis dogmata habent, quod in negotio fidei ſeu Religionis omne Imperium, omnis vis, omnis coactio exulare debeat.

Quid ſpecialis?

Generalis definitur.

Specialis definitur.

Ex his jam facile patet, quomodo amicabiles compoſitiones differant tam a Conciliis, quam definitionibus Eccleſiæ. Nam demus, quemadmodum fieri ſolet & debet, quod colloquia mutua, tractatus, diſputationes, & uniones inſtituantur in conventibus: hi ſane conventus non convocantur a Pontifice ſicuti Concilia, ſed libere inſtituuntur ex communi conſenſu Eccleſiarum: ad eos non vocantur, nec vocari debent Epiſcopi, quemadmodum ad Synodos, ſed alii viri docti, & eruditi & in lege peritiſſimi pro Eccleſiarum arbitrio: illis non præſunt Pontifices eorumque Legati, ſed vel Imperatores, vel alii Principes ſeu eccleſiaſtici ſeu ſæculares ſufficienti authoritate ad compeſcendos tumultus, ſi quos oriri contingat, præditi: in his non fiunt definitiones, quibus neceſſario aſſurgendum, & ſub anathemate aliiſque pœnis

Differt a Synodis ſeu Conciliis.

(o) E. g. tempore Chriſti & Apoſtolorum ævo medio in Germania, ultimis temporibus in America.

Digitized by Google

nis in refractarios ſtatutis acquieſcendum, ſed amicæ concertationes, oſtenſiones veritatis, relicta libertate illas amplectendi, vel repudiandi, ſi ratio & conſcientia aliud dictaverit. Sed de his infra plura.

Amicabilis compoſitio varie dividitur.

Utraque jam amicabilis compoſitio eſt vel *univerſaliſſima*, qualis foret, ſi omnes ſub ſole gentes coaleſcerent in unam Eccleſiam; vel *particularis* plus minusve, ſi nempe plures Eccleſiæ vel ſaltem duæ coirent in unam per amica colloquia, vel per aliud medium e. g. Græca cum Latina, Catholica cum Proteſtantica. Iterum alia *dogmatum*, ſi nempe duæ Eccleſiæ in rebus dogmaticis diſcrepantes; alia rerum *diſciplinarium*, ſi in diſciplina externa differentes amice inter ſe convenirent.

Fundamenta compoſitionis amicabilis generalis in ſacris literis.

Jam de fundamento utriusque amicabilis compoſitionis diſpiciendum. Generalem illam habere graviſſima fundamenta in ſacris literis, dubitare non ſinunt illuſtria illa oracula, in quibus prædicitur, mirifice auctum iri regnum Chriſti, factis agminibus frequentatum iri veram Sionem (p), illuſtria Prophetarum vaticinia feliciſſimos Religionis ſucceſſus promittentia, in quibus vivis coloribus depinguntur aurea illa Eccleſiæ tempora, quæ ex propagata veri Dei cognitione, & amiciſſima animorum conſenſione naſcentur (q). Quid de vaticinio Pauli Apoſtoli dicam, qui nobis ſpem facit ampliſſimam omnique fere exceptione majorem de magna gentis Hebræorum converſione (r)? Etſi Chriſto teſte zizania tritico usque ad tempus meſſis intermixta (s), & in ultima mundi periodo ſint futuri, qui divexent, & perſequantur Eccleſiam (t), nihilominus divina oracula univerſalem quamdam Eccleſiarum omnium in unam veram coalitionem videntur polliceri (u). Et profecto amicabilem compoſitionem potius, quam coactionem, liberam unionem & concordiam magis, quam violentiam & Imperium Deo eſſe gratam, Scripturis conformem, exemplo Chriſti & Apoſtolorum convenientem, demonſtrant ſcripturæ ipſæ, quæ in locis quamplurimis urgent conſenſum, harmoniam, unionem (x). Nonne graviter

(p) Vid. Pſal. 47. ubi aſſeritur, Principes populorum collectum iri in unum populum Deo Abrahami. Addatur Pſal. 67. v. 3. & 6. Pſal. 72. v. 8. Pſal. 110.
(q) Iſa. 2. v. 2. & 3. cap. 11. & 15. item 45. v. 22. Ezech. 37. v. 24. Zach. 8. v. 20. 23. & Joan. 10.
(r) Ad Rom. 11. v. 24. & 26.
(s) Matth. 13.
(t) Apocal. 20.
(u) Fiet unus paſtor, & unum ovile Joan. 11. v. 12.
(x) Joan. 17. v. 22. 23. Rom. 12. v. 16. & cap. 15. v. 5. & 6.

Digitized by Google

viter redarguit Apoſtolus eos, qui variis contentionibus occaſionem daturi erant, cum alii Pauli, Apollinis alii, alii Cephæ, Chriſti alii aſſeclæ vocari præoptarent (y)? Corpus Chriſti myſticum certe totum ſine ulla mutilatione hiatuve debet eſſe condunatum (z). Nunquid Chriſtus omnes & ſingulos in vinculis charitatis, manſuetudinis, & lenitatis, prædicando, non imperando, perſuadendo, non cogendo, ad ſe traxit, ſibi ſuæque Eccleſiæ vinculo fidei univit? Idem fecere Apoſtoli, qui prædicando omnem peragrarunt orbem, & Eccleſiam tam gentilium, quam Synagogam Judæorum Eccleſiæ Chriſti conjunxerunt.

Hæc & his ſimilia loca ſcripturæ procul dubio ſignificant, compoſitionem amicabilem, *generalem* potiſſimum, in converſione gentilium & Judæorum tum factam, tum futuram, unaque commendant unionem, harmoniam, & concordiam in fide, nec non manſuetudinem, lenitatem, & charitatem in converſione, in prædicatione verbi divini adhibendam; inhibent cœteroquin rixas, diſſenſiones, ſectas inter Eccleſias. At vero in his quoque agi de *compoſitione amicabili ſpeciali*, de quali nos agimus, id nemo dixerit. Interim ſufficit, quod ſcriptura ſaltem in genere conjunctionem Eccleſiarum diſcrepantium, compoſitionem diſſidiorum, & rixarum, concordiam inter fideles ac infideles ſecundum leges amicitiæ, charitatis, lenitatis & manſuetudinis potius, quam in virga ferrea, aut ſaltem per imperia & ſeveros juſſus fieri præcipiat.

An compoſito amicabilis ſpecialis fundamentum habeat in S. Scriptura.

Sed quid de *compoſitione amicabili ſpeciali* in inſtrumento Pacis Weſtphalicæ toties commendata? anne etiam hæc habet fundamentum in ſcriptura? Exemplum in ſcriptura ſi quod eſt, tunc certe Act. 15. ubi orto Antiochiæ ſchiſmate, & quæſtione de circumciſione gentium Paulus & Barnabas rem ad Apoſtolos Jeroſolymis commorantes detulerunt, & in conventu Jeroſolymitano, cui utriusque Eccleſiæ & Antiochenæ & Jeroſolymitanæ nomine viri ſelecti interſuere una cum plebe Jeroſolymitana (a), ſolicite caverunt, ne doctrina de neceſſitate circumciſionis in transverſum raperet animos, variasque gigneret ſectas, controverſiam ſuper circumciſione ortam amice compoſuerunt, & gentes noviter converſas ab oneribus legalibus abſolverunt

(y) 1. Cor. 1. v. 10. & 13.
(z) 1. Cor. 12. v. 12.
(a) *Convenerunt que Apoſtoli & Seniores.* v. 6. *tacuit autem omnis multitudo* v. 12.

runt (b). Porro autem quia nos Catholici conventum hunc inſtar Concilii habemus, & in eo normam & inſtitutionem Conciliorum jure divino factam nos inveniſſe credimus, locus hic parum, vel nihil pro *amicabili compoſitione* probare poteſt. At probat tamen eatenus, quatenus in hoc conventu ſeu Concilio a viris ſelectis controverſia tota *amicabiliter* ſine comminatione anathematis aut alterius pœnæ fuit terminata.

Quid de amicabili compoſitione ex principiis Catholicorum ſit dicendum.

Unde quia exemplum clarum amicabilis compoſitionis in rebus fidei in ſcriptura non habetur, haud abs re quæritur, quid de *amicabili compoſitione* ſecundum principia Catholicorum dicendum ſit, an ſalvis Religionis Catholicæ principiis in amicabilem compoſitionem conſentire, & qualem authoritatem ipſi tribuere poſſint. Nam quia Catholici alium Judicem in rebus fidem ſpectantibus non agnoſcunt præter Eccleſiam vel in Conciliis, vel per Pontifices loquentem, profecto ſalva authoritate Eccleſiæ, Conciliorum & Pontificum in hujusmodi conventus conſentire nequeunt, multo minus hujusmodi conventibus, in quibus de diſſidiis Religionis amicabiliter componendis agitur, tantam authoritatem tribuere poſſunt, quanta ad aſſenſum fidei impetrandum ſufficit. Et utique ſuper rebus fidei, cum ſint juris divini, conveniri, & tranſigi non poteſt. Longe aliud dicendum de Proteſtantibus, apud quos prævalet, & vices Judicis in rebus etiam fidei ſuſtinet ſanæ rationis Criterium, qui proin ſolis rationibus earumque pondere ad aſſenſum fidei moveri, allici, flectique poſſunt.

Videtur etiam in his admittenda, non in dogmatibus fidei.

Videntur hæc argumenta eſſe ſummi ponderis, quæ tamen tanti non ſunt, ſi modo *amicabilis compoſitio* rite explicetur. Atque illud inprimis eſt certiſſimum, quod *tranſactio proprie talis*, qualem nobis exhibet & deſcribit Jus Civile Romanum, & docet praxis forenſis, videlicet quæ *dato & retento* unice pro finienda lite fit, in rebus fidei & dogmaticis fieri nequeat: aut enim totum dogma rejiciendum ex eo, quod rebus jam melius inſpectis tanquam falſum agnoſcatur, aut totum retinendum. Quidquid Ariani egerint, qualescunque formulas exprimendi dogma de conſubſtantialitate filii excogitaverint, vox *conſubſtantialis* retineri debuit. Quidquid egerit Honorius Pontifex, Heraclius Imperator per ſuam *Ecthesin*, Conſtans per ſuum *Typum* ad conciliandos Catholicos & Monothelitas, fruſtra fuere: a duplici in Chriſto voluntate abſtrahere non licuit, ſed duplex voluntas exprimenda erat. Dicitur ergo talis *compoſitio amicabilis quaſi tranſactio* eatenus, qua-

(b) *Viſum eſt enim Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris.* v. 28.

Digitized by Google

quatenus jam alterutra pars diſſidentium Eccleſiarum ob prævalentes rationes a ſuo dogmate libere, ſecluſa omni vi & imperio, recedit, & jam dogma alterius Eccleſiæ amplectitur, & cum ea unitur. Aliud dicendum in rebus diſciplinaribus adiaphoris, in quibus alterutra pars amore pacis ſtabiliendæ de ſua doctrina poteſt aliquid remittere. Sic poſſet Eccleſia Latina amore concordiæ cum Eccleſia Græca ineundæ in ſua diſciplina multum remittere e. g. in locum panis azymi aſſumere fermentatum: potuiſſet Eccleſia Catholica in Concilio Tridentino congregata pro reſtauranda pace cum Lutheranis remittere cœlibatum Clericis, uſum Calicis concedere Laicis, non quod illum jure divino eſſe præceptum credat, ſed quod illum amore pacis concedendum eſſe exiſtimet. Sed nec authoritati Eccleſiæ, Conciliorum ac Pontificum ex amicabili compoſitione detractum iri quis exiſtimet. Non enim ſive Proteſtantici, ſive Catholici hujusmodi conventibus & compoſitionibus authoritatem definitivam & judicialem tribuere unquam ſomniarunt: non Proteſtantici, utpote qui Conciliorum definitiones, & Comitiorum concluſa non ex alio fine rejecerunt, & in illorum vim *amicabilem compoſitionem* in conventibus ſelectioribus faciendam adoptarunt, quam ut libertati conſcientiarum conſulerent, & omnem vim, omne imperium, omnem coactionem in negotiis & diſſidiis Religionis ab Eccleſia proſcriberent: & hinc inter prima *amicabilis compoſitionis* requiſita ponunt *libertatem*, atque omne imperium & vim ab ea exulare volunt: *Nam*, ut ait Baurius (c), *coactionem ex hoc negotio & violentiam oportet exeſſe. Non ferro & igni poteſt animus perſuaderi, ſed argumentis, & rationibus. Voluntarium Deus expoſcit ſui cultum* (d), *dominatio exulat in rebus fidei* (e). *Intelligitur autem, ubi compoſitio amicabilis adeſſe debeat, ibi demulcendos & alliciendos animos eſſe gravitate & interna vi prægnantium argumentorum, ibi nonniſi amoris nutuique ſalutis promovendæ deſiderii armis certari oportere. Judicis denique in amicabili iſta compoſitione nullas omnino perſpicere poſſum partes. Nunquam reſignari poteſt in rebus fidei, ubi ſolius conſcientiæ dictamina audienda ſunt, voluntas in voluntatem alterius, ut illius authoritati atque deciſioni parendum eſſet &c.* Non Catholici, qui in *amicabilem compoſitionem* non ex alio fine conſenſerunt, quam ut communicatis inter ſe & Proteſtantes conſiliis veritas eruatur, pars alterutra de veritate Religionis ex argumentorum graviorum pondere convincatur, & præprimis Proteſtantes, quemadmodum de aliis Religionis Catholicæ dogmatibus, ita etiam de dogmate,

Sed in rebus diſciplinaribus.

Non eſt præjudicioſa authoritati Eccleſiæ Conciliorum & Pontificum.

(c) Loc. cit. §. IX. (d) Pſal. 110. (e) 2. Cor. 1. v. 24.

Digitized by Google

gmate, quod Eccleſiæ, illiusque definitionibus authoritatem judicialem ſupremam attribuit, convincantur. Hæc argumentandi ratio ſi quid probet, probabit, quod omnes diſputationes, omnia colloquia privata, qualia non raro viri apoſtolici cum primipilis hæreticorum, Catholici cum Proteſtantibus & Reformatis non ſine omni fructu habuiſſe legimus, interdici debeant, etſi plerumque ſine fructu abiiſſe legamus. Vocatur *hæc compoſitio amicabilis*, non quod eidem haud aliter ſit ſtandum, quam transactioni ſecundum leges civiles initæ, ſed quod cauſa Religionis ſit pacifice tractanda, componenda, terminanda. Mirabile exemplum refert Pfaſſius in Primitiis Tubingenſibus (f) de duobus fratribus, quorum unus Catholicæ, alter Anglicanæ Religioni fidem dederat, qui ſe invicem in eas redegerunt anguſtias, ut invicem Religionem permutaverint, de quibus quidam Poeta in hunc modum cecinit:

Quare vocetur amicabilis compoſitio.

Mirabilis converſio ex colloquio privato.

Bella inter geminos plus quam civilia fratres
 Traxerat ambiguus Religionis apex.
Ille reformatæ fidei pro partibus inſtat,
 Ille reformandam denegat eſſe fidem.
Propoſitis cauſæ rationibus alteruterque
 Concurrere pares, & cecidere pares.
Quod fuit in votis, fratrem capit alteruterque,
 Quod fuit in fatis, perdit uterque fidem.
Captivo gemini ſine captivante fuerunt,
 Et victor victi transfuga caſtra petit.
Quod genus hoc pugnæ eſt, ubi victus gaudet uterque,
 Et tamen alteruter ſe ſuperaſſe dolet.

An amicabilis compoſitio ſit medium aptum ad diſſidia Religionis componenda.

Cæterum cum hæc amicabilis compoſitio ex ſuo fine debeat eſſe remedium quaſi ultimum ad diſſidia Religionis componenda, unaque plenaria relinquenda ſit libertas Religionis & conſcientiæ, omnisque coactio, omne imperium, omnis obligatio quam longiſſime exulare debeat, profecto jure optimo dubitari poteſt, utrum amicabilis compoſitio ſit medium aptum ad componenda Religionis diſſidia; imo ſi res bene inſpiciantur, & tam hiſtorice, quam theologice examinentur, an prudenter ſperari poſſit, aut omnino ſit poſſibilis.

Hiſto-

(f) Part. I. pag. 61.

Digitized by Google

Hiſtoriam ſi conſulamus, quæſo! quoties non via amicabilis compoſitionis in ordine ad componenda Religionis diſſidia, extirpandas hæreſes, ſupprimenda ſchiſmata, concordiamque inter diſſidentes Eccleſias reſtituendam, promovendamque fuit tentata? quot viri omnigena eruditione perſpicui, authoritate etiam præpotentes, ardentiſſimo eoque ſinceriſſimo Religionis promovendæ ſtudio animati, ab omni intereſſe proprio, ab omni ambitione, & ſuperbia quam alieniſſimi, quos *Irenicos* vocamus, nihil non egerunt, ut pacem reſtituerent, concordiam reſtaurarent, diſſidia componerent, diſſidentes unirent? quamquam cæteroquin negari nequeat, quod ex his plures fuerint Indifferentiſtæ, & Syncretiſtæ, qui inciderunt in ſcyllam, dum voluere evitare charybdin. Quot non colloquia fuere inſtituta, quæ omnia & ſingula fuere ſine effectu, & vel in inanes rixas, & rixoſas diſputationes, aut omnino in novos errores deſierunt? Quid memorem Zenonis Imperatoris *Henoticon* in cauſa Eutychianorum, Heraclii *Ectheſin*, & Conſtantis *Typum* in cauſa Monothelitarum, quæ ad componendas pacifice diſſenſiones adinventa acriores rixas pepererunt, & res magis turbarunt, quam compoſuerunt? quid non tentarunt Pontifices Romani & Epiſcopi latini in Conciliis Lugdunenſibus & Florentino, ut cum Græcis in concordiam redirent? ſed conamine prorſus fruſtraneo. Quem & quos effectus habuere tot colloquia a tempore Reformationis ad componendam pacem inter Catholicos, Proteſtantes & Reformatos inſtituta? exiguum ſane aut omnino nullum. Auguſtæ Vindelicorum poſt exhibitam 1530. 15. Junii Proteſtantium Confeſſionem utrinque conſenſu Imperatoris delectos fuiſſe, qui concordiæ rationes inirent, quis ignorat? at quanta cum animorum commotione habitæ, & infelici tandem eventu fuere finitæ? Haud feliciori eventu motus Religionis compeſcuit Conventus Haganoenſis anno 1540. præſente Ferdinando Rege a Theologis inſtitutus, quodque in eo decretum fuit colloquium Wormatienſe ab ipſo Cæſare confirmatum. Optima ſane concordiæ ſpes affulſerat in Colloquio Ratisbonenſi I. anno 1541. itidem authoritate Caroli V. inſtituto, in quo jam collocutores in quibusdam convenerant, & ipſe Imperator pro conciliandis reliquis nihil non agebat. Sed conventum hunc optato eventu caruiſſe, quis noſtrum ignorat? Similia fata habuiſſe colloquium Ratisbonenſe II. anno 1546. habitum, illudque omni ſtatim fructu fuiſſe deſtitutum per literas Imperatoris certas diſputandi leges præſcribentis, pariter conſtat. Idem fere contigit in Wormatienſi II. anno 1557. ex mandato Caroli V. celebrato. Quid memorem colloquium Thorunienſe authoritate Uladislai IV. Poloniæ Regis

Ex hiſtoria illuſtratur.

Colloquia privata plerumque fuere ſine effectu.

Digitized by Google

anno 1645. inter Catholicos, Lutheranos & Reformatos inſtitutum? *Charitativi* quidem nomen id ex optimo Regis conſilio nactum eſt: atquamvis in bona charitate, infecta tamen re, partes pariter a ſe invicem diſceſſerunt. Neque vero rectius paci & concordiæ conſulere potuit ipſum mandatum Imperatorium, quod vocamus *Interimiſticum*, in Comitiis Auguſtanis anno 1548. latum. Quid memorem cætera colloquia vel inter Catholicos, Lutheranos & Reformatos, vel inter hos duos poſteriores habita, Poſſiacenſe 1561., Badenſe 1589., Ratisbonenſe 1602. item ea, in quibus ſpeciatim cum Reformatis actum fuit, Marpurgenſe 1529., Mompelgardenſe Henrici Navarræ Regis authoritate inſtitutum 1583. Saxonicorum Theologorum, atque Brandenburgicorum Haſſianorumque tentamina 1631. celebrata? Hæc ſane omnia & ſingula optato caruiſſe effectu & in irritum abiiſſe usque nunc lugemus. Quid de inanibus tot *Irenicorum* conatibus dicam? quorum ingentem catalogum exhibet Pfaffius in hiſt. theol. liter. (g).

Quare colloquia privata plerumque effectu careant, philoſophice & theologice expenditur.

Undenam ergo irritos hoſce conatus provenire exiſtimamus? Rem *philoſophice* & *theologice* examinemus. Philoſophice & theologice ſi loquamur, nemo ſane eſt, qui ignoret, quid in homine poſſint præjudicia tam philoſophica, quam theologica (h), quibus homines potiſſimum in negotio Religionis agitantur, undecunque illa provenire dicamus ſive ex prima educatione & inſtructione, ſive ex interna ſuperbia, ambitione, & propria, quam homo de ſe ipſo habet, exiſtimatione. Ingentem inprimis authoritatem apud liberos habent parentes, proavi & abavi,

(g) Part. 2. pag. 157. & pag. 181. ex quo præcipuos recenſere libuit. Ex Catholicis noti ſunt Jac. Maſenii S. J. *meditata Concordia Proteſtantium cum Catholicis &c.* Colon. 1661. Auguſtinus Gibbon Monachus Auguſtin. tract. *de Luthero-Calviniſmo ſchiſmatico quidem ſed reconciliabili.* Joan. Dezii Vereinigung der Proteſtierenden zu Straßburg mit der Römiſchen Kirche. Dionyſii Werlenſis Capucini *via pacis inter homines per Germaniam in fide diſſidentes.* Joan. Franc. Hackii S. J. *Regia via omnes diſſentientes in Religione Neo-Evangelicos ad Orthodoxam veritatem &c.* Conterii S. J. *vera ratio terminandi controverſias de Religione.* Item fratres Wallenburgici, Boſſuetus, aliique. Ex Proteſtanticis & Reformatis ſufficiant opera Hug. Grotii *via ad pacem Eccleſ. votum pro pace eccleſiaſtica.* Georg. Caſſandri *de articulis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis.* Georg. Wicelii *via regia de controverſis Religionis capitibus conciliandis.* Joſeph. Hallii *Roma irreconciliabilis.* Plures vid. in cit. Authore.

(h) Vid. Pfaffius *de Præjud. Theolog.*

vi, ac primi Magiſtri, a quorum Religione recedere jam nefas ducimus. Plerumque a primis unguiculis primæ juventuti implantatur odium Religionis adverſæ cujuscunque, quod eſſe ſummum experientia diſcimus. Ipſa principia Religionis adverſæ non raro perperam proponuntur, dogmata illius nigerrimis coloribus depinguntur, aut ridicule explicantur (i). Succeſſu temporis, quando jam docti videri volunt, & Magiſtri eſſe cupiunt homines, vento ſuperbiæ inflantur, ambitione ducuntur, jam dogmata perverſa deponere erubeſcunt, contra ipſam veritatem agnitam recalcitrant, non raro a meliori amplectendo Inſtituto ob commoda vitæ retrahuntur. Aliquoties exceſſivus diſputandi fervor in furorem degenerat, qui agnitionem veritatis aut impedit, aut contra agnitam veritatem hominem inſurgere facit. Deſuper audire lubeat judicium Puſendorffii *de Jure feciali divino* §. 9. ubi ita habet: *ex hiſtoria tam vetere quam recentiori obſervaſſe videmur, controverſiarum conciliationem haud feliciter aut commode ſuſcipi per colloquia inter Theologos inſtituta, non ſolum, quia iſti ubi incaluerint, ſæpe per inconſiderationem aliqua effutiunt, quæ litem alant, ac novæ exacerbationi anſam porrigant, ſed etiam quia ſumma rerum ibi ſere ad eloquentiæ flumen, linguæ volubilitatem, diſputandi calliditatem, promptumque ingenii acumen redit.* Id ſingulariter, ſi rem *theologice* conſideramus, deprehendemus, quod communius Religionum diſcrepantium dogmata ſint extreme, & in ſummo gradu oppoſita, & ita diſtent, ut eorum reconciliatio, eoquod de graviſſimo alterutrius partis præjudicio agatur, videatur impoſſibilis. Ponamus unum alterumve dogma Religionis Catholicæ & Proteſtanticæ e. g. dogma de *Judice in rebus fidei*, item *de jure in ſacra.* Proteſtantes regnum rationis erigunt, Criterium rationis ad thronum elevant, Judicem conſtituunt, & *libertati conſcientiæ* frœna relaxant. Econtra Catholici ſuam Eccleſiam per Concilia & Pontifices loquentem veluti ſupremam Magiſtram, & Judicem reverentur, hanc audiri jubent, huic ſceptrum in manus tradunt, eidemque rationem veluti humilem ancillam ſervire, illius mandata audire & exequi jubent. Item in dogmate de *jure in ſacra* Proteſtantes omnem hierarchiam eccleſiaſticam eliminant, Pontificem ex omni orbe chriſtiano proſcriptum volunt, Eccleſiam ad infima ſubſellia ſimpliciſſimi collegii detrudunt; & econtra *Jus in ſacra* in Imperantes, non illud tantum, quod Majeſtati *innexum* & *intrinſecum* eſſe dicunt, ſed etiam illud, quod *Collegiale* vocant, pleno jure transferunt. Quis jam hæc dogmata extreme oppoſita felici eventu con-

(i) Vid. dicta ſupra de ſæculariſ. bon. Eccleſ.

Digitized by Google

conciliari poſſe exiſtimet? Alterutra pars ſi cedat, eidem cedendum quoque erit juribus innumeris, & pluribus aliis doctrinis renuntiandum. E. g. demus, quod Proteſtantes Catholicorum doctrinæ accedant, & cum Eccleſia Catholica quoad hæc dogmata coaleſcant, quid inde eventurum exiſtimamus? Jam Proteſtantes amplecti debent dogmata a Conciliis definita, quæ hactenus pertinaciter negarunt, Epiſcopis reſtituenda ſua jurisdictio, quam in Pace Weſtphalica voluere ſuſpenſam, Catholicis reſtituenda bona eccleſiaſtica, niſi deſuper aliter amore pacis fuerit conventum, quæ ſæculo addixerunt &c. Actum erit de *Palladio libertatis* Proteſtanticæ, quod vocant Pacem Weſtphalicam. Idem dicendum in caſu inverſo, ſi Religio Catholica cum Proteſtantica in unam coaleſceret: nam etiam Catholicis plura dogmata hactenus pro aris & focis defenſa forent amandanda, Pontificatus, aliique Epiſcopatus ſupprimendi, bona eccleſiaſtica innumera ſæcularizanda, tota quanta Hierarchia eccleſiaſtica ferme ad nihilum redigenda. Quis jam in his & ſimilibus doctrinis, in quibus tanti utriusque Religionis intereſt, Concordiam & *amicabilem compoſitionem* eſſe prudenter ſperandam & poſſibilem exiſtimet? Idem de aliis dogmatibus dici poſſet. Sunt enim quædam dogmata, quorum obſervantia ingentem habet difficultatem, quale eſt apud Catholicos confeſſio auricularis ſpecifica, neceſſitas bonorum operum in ſenſu Catholico expoſita: ſunt alia, quæ neſcio quid paradoxi & abſurdi in ſe continent, quale eſt apud Calviniſtas dogma de Prædeſtinatione. Atque in prioribus ut Lutherani cum Catholicis, in poſteriori Lutherani cum Calviniſtis pacifice conveniant, immenſæ difficultatis rem eſſe quis non prima fronte conſpiciat (k)? Aliquoties in materia fidei, de unica vocula c. g. de voce *conſubſtantialis*, *hypoſtaſis &c.* integris ſæculis dimicatum fuit, quin in unum litigantes convenire potuerint. Quid jam futurum eſſe exiſtimamus, ſi de dogmate quodam, quod ne collabatur, tanti intereſt alterutrius Religionis, agendum foret?

Impedimenta varia conſequendæ a-

Alia impedimenta inſuperabilia & difficultates conſequendæ *amicabilis compoſitionis* ſummas affert Moshemius in ſua *demonſtratione*

(k) Huc pertinet, quod ſcribit Puſendorffius de dogmate Calviniſtico: Ich kan gar nicht begreifen, wie nur die geringſte Eintracht, und Vereinigung zwiſchen der Lutheriſchen und Reformirten Kirche zu hoffen ſeye, ſo lang dieſe ſo heftig auf die Lehre von dem unbedingten Rathſchluß GOttes, und was dazu gehöret, dringet, und ſie zu den ausdrücklichen Glaubens-Artikeln rechnet. De Jure feciali divino §. 67.

tione fundamentali, quam ſcripſit contra Synodum Dordracenſem, ubi demonſtrare contendit, authoritatem hujus Synodi ſummopere obſtare, quo minus inter Proteſtantes & Reformatos unquam poſſit fieri unio & concordia (l). Inter impedimenta unionis inter diſſidentes ineundæ primo loco ponit ſequens, dum ait, impoſſibilem eſſe concordiam inter duas Eccleſias, quarum una alteram damnat, & neſcio quas hæreſes & falſas doctrinas aſſingit; ſua econtra dogmata pro infallibilibus habet (m). Verum abſit, ut hanc doctrinam faciamus noſtram, quæ ſi vera eſt, actum erit de *compoſitione amicabili* inter Eccleſiam Catholicam & Proteſtanticam, & inde ſequetur, quod Pax Weſtphalica propoſuerit medium ad conciliandas Religiones ineptiſſimum, deſperatiſſimum, & omni ſanæ rationi contrarium. Anne ergo Eccleſia impune graſſari permittet errores & hæreſes? num indifferenter ſe habebit in rebus conſcientiam & ſalutem concernentibus? an non hoc eſt patrocinari erroribus & ſectis quibuscunque? Alterum impedimentum collocat in *dogmate Prædeſtinationis* in Synodo Dordracenſi definito, de quo jam ſupra. Tertium impedimentum in eo ponit, ſi nempe formulæ fidei verbis dubiis, æquivocis & obſcuris exprimantur, quæ multiplicem ſenſum & intellectum habere poſſunt. Ecquis enim formulam fidei amplectetur æquivocam pro dogmate? cum utique jure pertimeſcendum ſit, ne alio tempore eadem ipſa formula in hoc ſenſu expoſita, alio tempore in alium ſenſum detorqueatur, & ita novis litibus ac diſcordiis anſa præbeatur (n).

micabilis compoſitionis ex Moshemio.

Idcirco mirum non eſt, quod de pace concilianda & unione inter Catholicos & Proteſtantes reſtituenda multis conclamatum eſſe videatur. Inter hos recenſeri meretur celeberrimus ille Erneſtus de Euſebiis,

An amicabilis compoſitio inter Catholicos & Proteſtantes ſit poſſibilis.

(l) Gründlicher Beweiß, daß die Authorität und Anſehen des Dortrechtiſchen Concilii der geiſtlichen Vereinigung unter den Proteſtierenden das gröſte Hinderniß ſetze.

(m) Verba ita habent: unter ſolchen Gemeinen, da eine der andern öffentlich ſchändliche Irrthümern ſchuld gibt, auch die Acten, und Schlüſſe des Concilii, darinn dergleichen geſchehen, mit der gröſten Heſtigkeit als göttlich vertheidiget, kan der geiſtliche Friede, und Vereinigung auf keine Weiſe erhalten werden. Loc. cit. §. 4.

(n) Die Gemüther ſolcher Gemeinen, davon eine ſich zweydeutiger, und zweifelhafter Lehr-Formuln bedienet, unter welchen man verſchiedene Meynungen verſtecken kan, können unmöglich vereiniget werden. Ibid. pag. 9.

Digitized by Google

biis, qui dum contra Pacem Weſtphalicam ex impoſſibilitate compoſitionis amicabilis argumentabatur, in hunc modum ſe expreſſit: *Non magis poſſibilis aut ſperanda eſt amicabilis compoſitio hæreſis cum fide Catholica, quam Concordia ignis & aquæ, lucis & tenebrarum, Chriſti, & Belial.* Ex Reformatis *Romam irreconciliabilem* ſcripſit Joſephus Hallus Epiſcopus Oxonienſis; econtra *Calviniſmum irreconciliabilem* adornavit Joan. Hulſemannus Witteb. 1706. Longe mitius ſenſerunt alii Scriptores tam Catholici, quam Proteſtantici. Eminet ex Catholicis Joan. Caramuel, qui ſolicite diſtinquens inter impoſſibilitatem *ſubſtantialem* & *accidentalem*, unionem Catholicorum & Lutheranorum non eſſe impoſſibilem, imo nec difficilem aſſerere non dubitat, ſi modo adulationi, & avaritiæ ponatur modus (o). Ex Proteſtantibus Joan. Georg. Dorſcheus Argentoratenſis ſcribere non veretur, compoſitionem amicabilem *valde eſſe poſſibilem*, dummodo in ipſum Religionis fundamentum ſua ſe ſoliditate commendaturum cordate ac cum ſtudio veritatis inquiratur, atque variæ diſputandi technæ & artificia veritati nubem offundentia exeſſe jubeantur.

In quo ſenſu mutua & amicabilia colloquia ſint medium aptum ad tollenda Religionis diſſidia.

Quid ergo in tanto argumentorum conflictu dicendum? Paucis me expedio, & aſſero, mutua & amicabilia colloquia eſſe medium aptum, eo ferme modo, quo motiva credibilitatis, ad perſuadendam Religionem, quin etiam ad amicabilem compoſitionem quodammodo adornandam, dummodo rite, amore & ſtudio veritatis, ſepoſitis præjudiciis, humili & indifferenti animo ſuſcipiantur; ipſam vero compoſitionem amicabilem inter Eccleſias integras eſſe difficillimam, ac moraliter impoſſibilem, per Dei gratiam autem prorſus poſſibilem. Neminem mihi in his contradicturum confido. Nam *ſi fides ex auditu*, ſi intellectus pondere argumentorum, quibus homini veritatem ſincero corde quærenti Religio, quam amplecti cogitat, redditur credibilior, dubia, quæ de veritatibus fidei habet, diſſolvuntur, ac demum ipſæ veritates demonſtrantur, convincendus eſt, profecto ad perſuadendam Religionem nihil aptius, nihil validius, nihil efficacius eſſe poteſt, quam colloquia Virorum undequaque doctiſſimorum, dummodo abſit rixandi libido, exulent præjudicia, dominetur charitas, veritas indifferenti & humili corde, & ſolus Deus quæratur. Alias dicendum erit, inaniter fieri inſtructiones catecheticas, prædicari Evangelium Chriſti, inſtitui colloquia Virorum doctorum, aliquoties adornari concertationes publicas, id quod nemo dicere auſus fuerit. Quod autem talia colloquia plerumque

Cur amicabilia colloquia

(o) S. R. J. *Pax licita demonſtrata.*

plerumque optatum fructum non habuerint, in alias cauſas extrinſecas refundendum eſt, de quibus ſupra. Et undenam converſiones integrarum gentium & populorum, niſi ex prædicatione verbi divini? undenam converſiones Virorum etiam doctiſſimorum ad Religionem Catholicam haud raro transeuntium, niſi ex colloquiis, conferentiis, & conſultationibus, quas cum aliis Viris doctis inſtituerunt?

ſæpe effectu caruerint.

Ipſam vero *amicabilem compoſitionem* inter Eccleſias eſſe difficillimam ac ferme impoſſibilem, demonſtrant argumenta ſupra allata. Atque id noſtris præcipue temporibus, quibus veritas non jam in ſimplicitate cordis, ſed in vanitate ſcientiarum, non in Scripturis, ſed in philoſophicis ratiociniis quæritur, eo magis dicendum videtur, quo major hodie graſſatur libertas ſentiendi, libido de omnibus & ſingulis etiam minutiis dubitandi, diſputandi, critizandi, ac in ipſas veritates graſſandi, & tanta quidem, ut jam proxime aut in *Indifferentiſmum* aliunde jam mirum in modum inter doctos graſſantem, aut in *Pyrrhoniſmum* deſinere videatur. Et quis tot millia virorum doctiſſimorum, quos Eccleſiæ inter ſe diſcordantes numerant, paucorum, vel demus multorum etiam Virorum communicatis inter ſe per amica colloquia conſiliis agentium arbitrio acquietura ſperet? Extraordinariis Dei donis, beneficiis & prodigiis adſcribenda eſt mirabilis converſio Gentilium ac Judæorum per Apoſtolos, aliæque converſiones, quas ævo medio per Germaniam, & ultimis ſæculis per terras Americanas factas fuiſſe legimus. Experientia hactenus didicimus, converſiones hominum barbarorum ac efferorum, illorum etiam, in quibus nonniſi modica ſigna inhabitantis animæ rationalis deprehendimus, eſſe longe faciliores & frequentiores, quam Virorum doctiſſimorum, quos ſua ſcientia inflat, præjudicia cohibent, pertinacia judicii retinet, ambitio attollit, & impedit, quo minus gratia Dei, a qua omne fidei initium, intrare, cor emollire, intellectum illuminare, & pertinaciam voluntatis confringere queat, quia *Deus ſuperbis reſiſtit.*

Amicabilis compoſitio hodie potiſſimum difficillima & ferme impoſſibilis, & quare?

Atque ex his ſponte ſua ſequitur, quod, cum *Dei manus non ſit abbreviata*, Deo nihil ſit impoſſibile, Deus ſuæ Eccleſiæ aggregaverit gentes & populos innumeros, de *amicabili compoſitione* neutiquam ſit deſperandum, dummodo illius gratiæ pro noſtris viribus cooperemur, & quod noſtrum eſt, faciamus.

Amicabilis compoſitio per Dei gratiam eſt poſſibilis.

Porro autem qua arte inſtituendam eſſe exiſtimamus amicabilem compoſitionem, ut optatum ferat fructum? Author ſupra laudatus

Quomodo amicabilis compoſitio ſit inſtituenda.

Digitized by Google

Joan. Baurius (p) ad rite inſtituendam compoſitionem amicabilem ſequentia requirit: videlicet ut non complanet viam ad *Indifferentiſmum* aut *Syncretiſmum*, ut authoritate, tractetur publica, ut pro *norma* componendi ſola aſſumatur S. Scriptura, ut *modus* ſit *amicabilis*, adeoque omnis Judex exulet, & demum ut viri debitis qualitatibus inſtructi aſſumantur. Age! & hæc ad accuratiorem trutinam vocemus.

Indifferentiſmus & Syncretiſmus cavendus.

Quid & quotuplex ſit Indifferentiſmus.

In eo verum habet Author, quod in amicabili compoſitione ante omnia caveri debeat peſtilens *Indifferentiſmus*, quem profitentur illi, qui quibusdam generalibus veritatibus ſunt contenti, in quas, qui vel rationem ducem ſequuntur, vel Chriſti nomen in ore gerunt, conſentiunt, aut qui omnes Religiones chriſtianam, Judaicam, Ethnicam, Mahumetanam in una claſſe ponunt, & erga has omnes, quidquid S. Scriptura contradicat, aut ſaltem erga omnes Religiones chriſtianas ſe indifferenter habent, exiſtimantes idem eſſe, an quis vel hanc vel illam profiteatur (q). Hi, quibus Religiones prorſus omnes in eodem pretio ſunt, *laxiores;* Illi, qui ſaltem qualemcunque Chriſti agnitionem, & aliquam revelationem admittunt, *rigidiores* appellari poſſunt. Atque hanc peſtiferam Indifferentiſmi luem jam paſſim graſſari, & haud paucos Irenicos in illum fuiſſe prolapſos, eumque publice docuiſſe, quis ignorat? Notiores ex Indifferentiſtis quodammodo antiquioribus ſunt Franciſcus Puccius, Thomas Browe, Eduardus de Cherbury, Benedictus Spinoſa, Petrus Poiret; ex recentioribus Jac. Frid. Ludovici, Adamus Berndius, &, qui ferme omnium manibus teritur, famigeratiſſimus Joan. Mich. de Loen in ſuo libello, qui inſcribitur: die einzige wahre Religion, allgemein in ihren Grund-Sätzen: verwirret durch die Zänkereyen der Schriftgelehrten: zertheilet in allerhand Secten: vereiniget in Chriſto 1751.: in quo duo præcipue urget Religionis capita: *fidem* in Chriſtum qua Salvatorem, & *amoris ſtudium.* De cæteris quibuscunque haud eſſe multum contendendum & rixandum exiſtimat. En! compendioſam unionis Chriſtianæ normam, quæ ſi recta eſt & regia, nulla certe compoſitio Religionum amicabilis noſtro præſertim ſæculo felicius ſuccederet, quam ea, qua graviſſimis fidei momentis tanquam inutilibus ſepoſitis in quibusdam Veritatibus generalibus conveniretur. At vero quis hominem ſanæ rationis uſu præditum ad talem compoſitionem amicabilem ineundam perſuadebit, cui reclamat S. Scriptura

Indifferentiſmus noſtro tempore mirum in modum graſſatur.

Indifferentiſtæ recenſentur.

Indifferentiſmus impugnatur.

(p) Schediaſma J. P. Eccleſ. de compoſitione Relig. amicabili.

(q) Vid. Hiſtor. Kirchen-und Ketzer-Lexicon lit. I. & Werndorffius in Comment. de Indifferentiſmo Relig.

Scriptura (r), ſana ratio, communis hominum ſenſus? Quæſo! quæ rerum monſtra, quæ contradictiones apertiſſimæ, quæ rerum credendarum paradoxa ex *Indifferentiſmo* non ſequi neceſſum eſt? Perinde hujusmodi homini *Indifferentiſmum* profitenti debet eſſe, credere naturam eſſe corruptam per peccatum originale, & non exiſtere peccatum originale, hominem eſſe prædeſtinatum ad vitam æternam, & eſſe reprobatum ad infernum, hominem ſalvari per fidem in Chriſtum, vel per opera, paucis: talis debet omnibus omnia fieri, cum omnibus hæreticis credere, & eo ipſo contraria credere. Sed noſtrum non eſt hic impugnare *Indifferentiſmum* (s), ſed potius monere, ne in ſtatuenda norma *amicabilis compoſitionis* in illum impingamus, & talem normam ſtatuamus, quæ duas vel plures Eccleſias amicabili connubio in veritatibus non generalibus duntaxat, ſed ſpecialibus felici connubio conjungat.

Evitandum quoque *Syncretiſmum* in amicabili compoſitione adornanda facile convenio. Etiam hic collimat ad unionem Eccleſiarum diſcrepantium, ſed non *internam* in dogmatibus, quemadmodum *Indifferentiſmus*, ſed *externam* in communione & diſciplina externa eccleſiaſtica. Verum edic, qua arte fieri poſſit, ut duæ Eccleſiæ in veritatibus fidei fundamentalibus diſcrepantes, & nondum in fidei fundamento convenientes in communione externa eccleſiaſtica pacifice invicem connectantur, in ritibus conveniant, concordes ſint, & amici? An non anima, & directrix Religionis, & cultus externi eſt ipſa fides interna, & cultus externus regulandus, & quaſi ideandus eſt ſecundum normam & ideam in mente conceptam, quæ eſt fides? Jam talis cultus externus vel eſt conformis ideæ internæ, vel non? ſi non: tunc eſt cultus falſus, fictus, & mendax. Conformis autem eſſe non poteſt apud diverſæ Religionis conſortes, quia utriusque ideæ internæ ſunt difformes. Animi ſcilicet prius in unum coaleſcere debent, priusquam actiones externæ conſpirare poſſint. Edic, quo modo fieri queat, ut Catholici & Lutherani iisdem utantur ritibus in adminiſtratione Sacramentorum, easdem veritates proponant in concionibus, iisdem utantur Cantilenis in ſuis conventibus eccleſiaſticis? num tibi perſuadebis, Lutheranis perſuaderi poſſe, ut cum Catholicis adorent Euchariſtiam, procidant coram imaginibus ſacris? unde mirum non eſt, quod omnes

Syncretiſmus tendit ad unionem ſolummodo externam.

Hæc ſine unione interna impoſſibilis.

(r) Joan. 3. v. 16. Rom. 3. v. 5. Philip. 3. Gal. 5.

(s) Ex Proteſtantibus contra Loen, & alios ſcripſerunt Jac. Baumgartner, Schleiſnerus, Bennerus, Hoffmannus, Weickmannus, aliique.

conatus in reſtituenda unione eccleſiaſtica externa inanes fuerint & fruſtranei, imo potius Eccleſiam mirum in modum novis tumultibus concuſſerint (t).

Norma inſtituendi amicabilem compoſitionem. Jam de ipſa norma inſtituendi amicabilem compoſitionem. Procul dubio amicabilis compoſitio foret tractanda in conventibus per mutua colloquia, & communicationem doctrinarum ore vel ſcripto factam. Unde oriuntur variæ quæſtiones, & ferme eædem, quæ de Conciliis, nempe penes quem foret poteſtas convocandi, quinam vocandi, penes quem jus præſidendi, quis modus agendi, & concludendi.

Talis ſtatuenda, quam & Catholici & Proteſtantes recipiunt. Cum res foret pertractanda inter Catholicos & Proteſtantes, & de eorum Eccleſiis reuniendis agatur, ad id procul dubio principaliter eſt attendendum, ut talis ſtatuatur norma, quam æque Catholici, ac Proteſtantici recipiunt, & ſalva fide ac conſcientia recipere poſſunt. Age! tentemus vadum, & quid nobis videatur, diſpiciamus. Et inprimis quidem poteſtas convocandi conventum & adornandi amicabilis compoſitionis normam procul dubio foret penes Comitia Imperii. Ad ipſum conventum non Epiſcopi, quemadmodum ad Concilia, ſed viri undequaque eruditiſſimi tam Catholici quam Lutherani numero pares, ſeu Eccleſiaſtici ſeu ſæculares vocandi eſſent, quorum qualitates & dotes melius exprimere nequeo, quam ſi verbis utar laudati Authoris *de amicabili compoſitione* (u): *Nimirum*, ait, *cum norma compoſitionis debeat eſſe ſcriptura, cum hac requiritur intima familiaritas. Textuum igitur originariorum profunda ſcientia quiſ imbutus eſto. Calleat idioma verſionum antiquarum, multum ad indagationem veri ſenſus facientium. Norit, & ex certis principiis imbiberit antiquitates ſacras. Probe informatus ſit in Theologia typica, parabolica, ſymbolica. In hermeneutices & Criticæ ſacræ ſtudio plane egregius eſto. Quanta porro non poſtulatur accuratio in ſolida veritatum cæleſtium demonſtratione? Quam ſubtile mentis acumen in dijudicandis iis, quæ vel primario, vel ſecundario tantum fidei fundamentum attingunt, vel & liberæ conſcientiæ relinqui poſſunt? Quanta non neceſſaria eſt hiſtoria dogmatum, fatorum Eccleſiæ, hæreſium, ſchiſmatum, incrementorum, decrementorum ex ſuis fontibus & occaſionibus æſtimandorum, liturgiarum, rituum &c. Quæ non jurium Eccleſiæ ſcientia, caſuum decidendorum facilitas? quanta non facun-*

Ad quem pertineat poteſtas convocandi conventum.

Quinam vocandi.

(t) De Syncretiſmo vid. Kirchen- und Ketzer-Lexicon, ubi multa de illius origine, progreſſu, & tumultibus inde natis legere eſt.

(u) §. 10. pag. 23. & 24.

Digitized by Google

ſacundia, & perſuadendi vis? Quanta non Philoſophia ex omni ſuo ambitu in centrum reducta, ut, quousque harmonicæ ſint revelationis, & rationis veritates, & quatenus hæ illas tranſcendant, ſolide docere poſſis? Quorſum etiam inprimis pertinet explorati animi humani indoles, ut in ejus abyſſo præjudiciorum radices detegas, evellasque, diſſidentiam expellas, conſidentiam gignas, qua maxime ratione, licita quidem in tuas trahi partes poſſit, inveſtiges &c. Deinceps ex morali charactere exeſſe debet omnis vehementia, omnis rixoſitas, omne techmarum ſtruendarum ſtudium, omnis hæretificii intempeſtiva libido. Scilicet ab inituris pacem ſpiret amor, abſit, quidquid cauſam Dei agi, in dubium vocare poſſit, condita ſit omnis actio prudentia, & patientia. Pateant brachia in amplexus mutuos, & quidquid vel remotius offenſæ poſſit eſſe, ſolicite caveatur. Hucusque laudatus Author. Sed quotusquisque eſt, qui hunc ſcientiarum apparatum, qualitatum, dotium, & virtutum ornatum ſecum afferat? Pulcherrime cœteroquin hæc ſunt dicta, quæ ſi in viris ad ſimiles conventus vocatis, multo magis in iis, qui ad Synodos Catholicorum vocantur, requiruntur.

An requiratur authoritas publica in his conventibus.

Quia conventus iſti ad normam fere Synodorum inſtituuntur, haud abs re quæritur, an in his conventibus requiratur etiam authoritas publica, adeoque an authoritate publica non convocari ſolummodo, ſed etiam celebrari debeant, ita quidem, ut quis authoritate publica eisdem præſit, dirigenda dirigat, & in omnibus provideat, ut omnia pacifice tractentur, tumultus præcaveantur, & ſinguli in ſuo officio contineantur. De hoc eo minus dubitari poteſt, quo evidentius eſt, quod in iis agatur de ſalute & pace publica, & præcavendum ſit rixis, diſcordiis, inimicitiis, tumultibus authoritative compeſcendis. Sed cuinam hæc facultas competit?

Proteſtantes illam vindicant Principibus ſæcularibus:

Baurius non veretur Jus iſtud transferre in Principes, *cum*, ut ait, *apud nos, id eſt Lutheranos, Jura in ſacra Eccleſiæ tanquam collegio originaria, & a Chriſto ſtabilita in Principes devoluta, & translata ſint.* Sed vereor, ne hæc ratio firmo pede haud ſubſiſtat:

Sed male: ideoque ad Comitia pertinere videtur.

loquimur enim hic de *amicabili compoſitione univerſali* publica nomine Imperii in Conventu publico facienda. Quemadmodum igitur illius convocatio, ita & illius directio ad Comitia eatenus pertinet, quatenus ſtatuum Imperii & Imperatoris erit quosdam viros ad id muneris idoneos delegare, ut nomine Imperii & Imperatoris præſint, in quorum delegatione ad id maxime attendendum,

Obſervanda æqualitas quoad numerum.

hoc ipſo quod ſit *compoſitio amicabilis*, ut ſervetur æqualitas inter utriusque Religionis conſortes, adeoque viri & Eccleſiaſtici & ſæculares, &, niſi Catholici fortaſſis excipiendi cauſam habeant (x), numero

(x) Nam in Comitiis Catholicos facere vota majora, res aliunde nota eſt.

mero æquales aſſumantur. Valebit fortaſſis ratio laudati authoris, ſi *amicabilis compoſitio* in territorio Principis Proteſtantici inſtituenda foret. At neſcio, an unquam Catholici in talem compoſitionem eſſent conſenſuri, niſi etiam ex Catholicis quidam aſſumeretur, qui ipſorum quoque nomine præſit. Id enim ratio *æqualitatis* in compoſitione amicabili obſervandæ requirere videtur. Quiscunque demum talibus conventibus authoritative præſit, talis neque Imperium neque Juriſdictionem circa ea, ſuper quibus transigendum eſt, ſibi arrogare poteſt, prout mox explicabimus.

De norma, modo agendi, & Judice amicabilis compoſitionis.

Jam de norma, de modo agendi, & judice amicabilis compoſitionis agendum eſt. *Cum in componendis Religionum diſſidiis*, ait laudatus Author, *de via ad ſalutem perveniendi vera agatur, nulla alia norma agnoſci poteſt, quam divinitus inſpirata Scriptura. Qui ex alio fonte haurire volunt, quam miſere decipiuntur. Hinc ſumma circumſpectione opus eſt. Neque igitur vel rationis ſibi relictæ dictamina, vel undequaque conquiſitæ traditiones in hoc negotio quicquam valebunt.* Igitur pro norma amicabilis compoſitionis ſolam Scripturam agnoſcit cit. Author: ſed quid ad hoc Catholici? Equidem in vim normæ aſſumere Scripturam ſacram haud dedignabuntur: at vero anne ſuſtinebunt, ut traditiones excludantur, quibus eandem vim, eundem authoritatis gradum, ac Scripturæ attribuunt? In id ſi conſentiant, jam in anteceſſum actum erit de pluribus doctrinis Catholicis, quas Eccleſia Catholica ex traditione derivare conſuevit. Ea fortaſſis conditione & lege Catholici conſentire poſſent, ut prima omnium quæſtio *de traditionibus divinis*, *an dentur*, tanquam præambula ventiletur, & ex ſcriptura deſuper conveniatur, de qua ſi conventum fuerit, res erit in ſalvo. Verum an pars victa in hoc puncto victas manus parti victrici foret datura, aut an ulla pars ſe victam eſſet confeſſura, valde ſubſiſto. Idcirco merito timendum, ne *compoſitio amicabilis* mox iterum in irritum abeat. *Præjudicia* quoque omnino ab his conventibus excluſa vult Author, & hinc methodum a Card. Richelio, Petro Nicolio, & Benigno Boſſueto traditam reprobat. Sed de his videatur ipſe Author.

Utrum norma debeat eſſe ſola Scriptura ſacra.

Quis modus.

Sed quem agendi modum obtinere fas eſt? quærit Author & reſpondet: *compoſitio debet eſſe amicabilis. Nimirum coactionem ex hoc negotio & violentiam oportet abeſſe. Non ferro & igne poteſt animus perſuaderi, ſed argumentis & rationibus.* Scribit hæc Author procul dubio in odium Religionis & Eccleſiæ Catholicæ, cui omne Imperium Proteſtantes denegant, & tyrannidem in conſcientias falſo imputant, & hinc addit: *Quantum fulmina Concilii Tridentini profuerint, in propatulo eſt. Quam non flectant,* *ſed*

Omnis violentia abeſſe debet.

Digitized by Google

ſed torqueant animos Inquiſitionis Banna, *neminem latet* (y). Sunt hæc & his ſimilia convitia dudum a Catholicis exploſa. Num Eccleſia tyrannidem exercet, dum libertatem conſcientiæ ad obſervantiam præceptorum divinorum alligat, & inobedientes ac refractarios a communione repellit? De *Tribunali Inquiſitionis* viderint alii. Cœterum in hac *compoſitione*, hoc ipſo, quod ex condicto debeat eſſe *amicabilis*, omne imperium exulare debere, facile concedimus, ſalvo tamen jure Eccleſiæ, quod habet in aliis caſibus, in quibus ſua authoritate uti poteſt. De *Judice* quoque in hoc negotio jam ſupra diximus, quod etiam hic exulare debeat, ne tranſigentium & pacifice convenientium aut ipſorum ſubditorum libertati conſcientiæ generetur præjudicium.

An etiam requiratur conſenſus ſubditorum in compoſitione amicabili.

Opportune hic mentio fit ſubditorum. Quid ergo de his dicendum? anne etiam horum conſenſus in amicabili compoſitione requiratur? vel an eſt in illorum arbitrio *compoſitioni amicabili* accedere, vel illam, demus jam quod ſtatus Imperii Catholici & Proteſtantici in eam convenerint, jamque conventus ille in hunc finem convocatus optatum finem habuerit, repudiare, & hoc modo elidere, omnique ſuo effectu fruſtrare?

Ex P. W. omnino requiritur.

In promptu eſt reſponſio, etiam ſubditorum conſenſus habendam eſſe rationem, ſiquidem de libertate Religionis agitur, quam ex jure quæſito prætendere poſſunt, quæque iiſdem in Inſtrumento Pacis verbis expreſſis indulta eſt & adjudicata: *Subditi cujuſcunque generis, qui ſive publicum ſive privatum Auguſt. Confeſſ. exercitium anno 1624. quacunque anni parte, ſive certo pacto, privilegio ſive longo uſu ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam impoſterum* (z). Eſto itaque *amicabilis compoſitio* fruſtretur ſuo effectu reſpectu ſubditorum, illum tamen habebit reſpectu ſtatuum Imperii amicabiliter tranſigentium, qui eidem omnino ſtare debebunt.

Amicabilis compoſitio univerſalis vix ſperanda, bene tamen particularis.

Cœterum licet citra Dei gratiam extraordinariam, in cujus manu ſunt corda hominum, & cui omnia ſunt poſſibilia, *amicabilis compoſitio adæquata* quoad omnia Religionis capita, & fidei articulos inter Eccleſiam Catholicam & Proteſtanticam, ita ut ambæ in unam coaleſcant, potius optanda, quam ſperanda eſſe videatur, nihil tamen prohibet, quo minus in diſſidiis Religionis particularibus fieri queat ſive inter ſtatus Imperii omnes, ſive inter particulares e. g. quoad reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum, Jurisdictionis epiſcopalis ſuſpenſæ, quoad unum

(y) Loc. cit. pag. 21.

(z) Art. 5. §. 31.

Digitized by Google

unum alterumve dogma fidei, in quo aliunde non adeo longe a doctrina Catholica Proteſtantes recedunt, eidemque jam propius accedere videntur e. g. quoad bona opera meritoria. Deus T. O. M. ſua gratia ſuppleat, quod viribus humanis videtur denegatum.

An facta amicabili compoſitione P. W. ſit duratura. Non ego jam moror cœteras quæſtiones, quas citatus Author de ſequelis ex *amicabili compoſitione* naſcituris, & *perpetuitate* Pacis Weſtphalicæ excitat. Primam quæſtionem inepte prorſus tractat, dum triumphum canit ante victoriam, & ſuam Eccleſiam in amicabili compoſitione triumphaturam nude crude ſupponit, atque inde concludit, Pacem Weſtphalicam tanquam *Palladium libertatis* Proteſtanticæ firmiſſimo pede ſubſtituram, adeoque Proteſtantes in poſſeſſione bonorum eccleſiaſticorum permanſuros (a). In altera quæſtione non habet nos ſibi contradicentes: ſiquidem etiam nos valorem, & inviolabilitatem Pacis Weſtphalicæ alibi defendimus.

De Academia libera Neuwiedenſi noviter inſtituta. Illud ex laudato Authore in gratiam eorum, quibus hæc res ignota eſt, non eſſe prætereundum exiſtimavi, quod ipſe refert de *Academia libera Neuwiedenſi.* Inſtituit hanc Academiam Illuſtriſſ. Comes Neuwiedenſis an. 1757. eique præfixit ſcopum, & finem prorſus ampliſſimum, videlicet *unionem fidei, incrementum Religionis, & concordiam omnium diſcordantium Religionum,* quatenus omnes omnino homines etiam Gentiles, Turcæ, Judæi, & hæretici ſolutis, & e medio ſublatis dubiis omnibus ad unam fidem & amicum ſilentium redigantur, ut totius mundi concordia, pax, & tranquillitas promoveatur. Inſtitutum, finem, & leges hujus Academiæ Author fecit publicas per Impreſſum, cujus titulus: **Nachricht, Einrichtung, Recht, und Geſeze der Hochgräflich-Neuwiedischen Freyen** Academie **zur Vereinigung des Glaubens, und weiteren Aufnahme der Religion.** Neuwied. 1757.

Illius ſtatuta. Statuta hujus Academiæ præcipue ſunt ſequentia: Inprimis omnibus & ſingulis ex quacunque gente, natione & Religione ſit æqualis libertas perorandi ſuam cauſam, mentemque aperiendi de Religione. Ipſum negotium aſſumunt viri, qui ſecum ipſis adhuc fluctuantes nondum in cauſa Religionis ſuam ſententiam fixerunt in id intenti, ut alios ſibi ſimiles per ſua argumenta convincant: Pro *objecto examinis* ſibi conſtituunt *veritates abſtractas de Deo & mundo*: *Criterium* vero exploratæ veritatis in eo ponunt, ſi unius ratio cum ratione alterius concordet: *Modum agendi* ſibi præſcripſerunt hunc, ut membra ſibi invicem ignota ſcriptis inter ſe communicent; ipſa autem nomina ſecuritatis

(a) Loc. cit. pag. 25. & 26.

Digitized by Google

tatis ergo taceantur. *Tranſmiſſa* diſtribuuntur inter ſocietatis membra, a quibus niſi ſuo periculo evulgari non debent, in caſum vero diſceſſus ab Academia Graphiario debent reſtitui. Invitantur quoque membra *honoraria*, id eſt viri authoritate pollentes, ut Academiam contra calumnias & vulgi ſuſpicionem defendant, & Academiæ tanquam Judices aſſideant. *Schediaſmata* ſelectiora publici Juris faciunt, ipſa tamen ſocietatis myſteria detegere nefas ducunt. Quid de hac *Academia* ſit ſentiendum, facile quisque divinaverit, ſi quis ad ſcopum, ad membra hujus Academiæ, & modum agendi vel obiter reflexerit. Scopus quidem eſt ampliſſimus, ſublimiſſimus, & ſanctiſſimus: ſed num obtentu poſſibilis a viris paucis, nullius Religionis fixæ & determinatæ? Metuendum profecto, ne ex hac Academia prodeat potius Chymæra Religionis in intellectu hominum fanaticorum pro ſua ſentiendi libertate exorbitantium procuſa, quam vera Religio authoritati Dei revelantis innixa. *Membra* ſunt viri, uti dixi, nullius Religionis vel Athei, vel Deiſtæ, vel Indifferentiſtæ &c. Et quid de his ſperandum? *Modus agendi* ex multiplici capite eſt ſuſpectus. Sed quid hæc ad nos? Peſſimas ſequelas, monſtroſas doctrinas ex hac Academia prodituras facile quis prima fronte perſpexerit (b). Nobis ſufficit materiam *de amicabili compoſitione* pro noſtro modulo explanaſſe. *Quid ex hac Academia ſperandum.*

§. XIV.

De *Verſionibus*, *Commentariis*, & *Scriptoribus* Pacis Weſtphalicæ breviſſime agendum. Regula fixa & certa bonæ interpretationis eſt, quod lex in originali & authentica lingua ſit inſpicienda, &, ſi dubium in verſione oboriatur, illud ex originali ſit explanandum. Dein translationes atque verſiones eam fidem nunquam habere, quam habent exemplaria, ſi linguam, in qua primitus conſcripta ſunt, retineant, pariter expediti juris ſit. Neque enim una lingua plene in alterius naturam ingreditur, & vix omnis ſenſus alteratio in verſione evitari poteſt; imo quam facile translator a mente Authoris aberrare poteſt. Hinc licet verſiones inſignem præſtare utilitatem negari non poſſit, neutiquam tamen ipſi textui authentico æquiparandæ ſunt, ſi ad ſummam rerum evolvendarum perventum fuerit. Illud pariter de verſionibus animadvertendum, pro antiquioribus & non multo junioribus ipſo textu authentico validam eſſe præſumptionem, cum res geſtæ in recenti *De Verſionibus, Commentariis & ſcriptoribus P. W.* *Verſiones non habent eam fidem, quam habent originalia.*

Ii ii 2

(b) Vid. Prüfung der neuen Aufrichtung einer Hochgräfl. Neuwiediſchen Freyen Academie. Gieſſen 1758.

Digitized by Google

recenti ſint memoria, & plerumque mentem Authorum facilius exprimere queant, & aſſequi, quam recentiores non nunquam ex ignorantia errantes.

Pax Weſtphalica lingua latina concepta.

Jam vero Pacem Weſtphalicam in lingua latina primitus fuiſſe conceptam, & ex diſpoſitione Art. XVII. proxime ſubſecuto Receſſui in hac lingua fuiſſe inſertam, concors DD. eſt ſententia (c): quidquid ſcribat Placcius (d), exiſtimans, hanc Pacem opera Legatorum omnium germanice conſignatam, poſtea a Comite Oxenſtirnio Legato Suecico in Latinum eſſe translatam: quam relationem ſuo loco relinquimus, cum ex manuſcriptis & fide dignis conſtet monumentis, omnes hujus Pacis delineationes, ſive Projecta Latinis literis concepta fuiſſe, lingua Germanis reſpectu tractatuum cum extraneis ineundorum familiari.

Et quare?

Et non abſque ratione a publica hujus legis verſione abſtinuerunt Proceres Germaniæ, probe gnari, quantum interſit, Pacis tabulas, prout conceptæ & elaboratæ fuerunt, in legum ſuarum corpus referri. Unde, quotquot habemus verſiones P. W., omnes privato ſtudio factæ ſunt, & nulla earum authoritate nititur publica.

Verſiones non habent authoritatem publicam, & continent menda.

Imo in his multa deprehendi menda paſſim teſtantur Scriptores. Exempli loco ponunt Art. 5. §. 26. in quo ultima verba: *Atque propterea Civitati Lindau, nec non Weiſſenburgo in Noricis reddita ſorte oppignorationes imperiales ipſis ademptas illico & plenarie reſtituendas*, ſequentem in modum translata ſunt: Dannenhero der Stadt Lindau, und Weiſſenburg im Nürnbergiſchen, bey Wiedererſtattung vorigen Standes ihre Reichs-Pfandſchaften wieder einzuraumen ſeyn. In paucis hisce lineolis non unum errorem commiſit translator: nam primo Weiſſenburgum in Noricis vertit Weiſſenburg in Nürnbergiſchen, cum reddendum fuiſſet in Nordgau. Gravior eſt imperitia in transferendis vocibus, *reddita ſorte*, bey Wiedererſtattung vorigen Standes, cum ſors hic pecuniæ ſummam, non conditionem civitatis denotet (e). Unde verſiones Germanicæ aliter non valent, niſi quatenus cum textu latino concordant.

De commentariis & Scriptoribus P. W. remiſſive.

De commentariis & Scriptoribus Pacis Weſtphalicæ quid dicam? innumeri ſunt, & tot, ut in numerum cogi non poſſint, de quibus videantur Pfeffingerus ad Vitriar. lib. 1. Tit. 2. pag. 284. Bibliotheca Juris

(c) Procem. Rec. Imp. de an. 1654.

(d) De Scriptor. Anony. pag. 1165.

(e) Vid. Pfeffing. ad Vitriar. lib. 1. pag. 287. Hoffmannus *de ratione Interpretandi* cap. 3. §. 5.

Juris ſelecta Struvii cap. 11. §. 6. pag. 380. & ſeq. & noviſſime Bibliotheca Heumanniana Part. 2. lib. 1. cap. 7. pag. 396. Incipientibus commendatur Adamus Adami: Relatio hiſtorica de Pacificatione, illiusque Emblemata noviſſime edita. Item Meditationes ad P. W. Henningeſii.

CAPUT VII.

De Jure reformandi, Simultanei & Jurisdictionis Epiſcopalis ſecundum ſyſtema commune & antiquum.

§. I. *Occaſio & ſcopus hanc materiam ſingulariter diſcutiendi.* II. *Præcipua capitis ſyſtematis novi.* III. *De genuino conceptu juris Reformandi.* IV. *Hiſtoria* §. 30. *Art.* 5. V. *Hiſtoria* §. 31. *Art.* 5. VI. *De jure Simultanei, & quid de eo ex hypotheſi ſyſtematis antiqui.* VII. *De Jurisdictione Epiſcopali in genere.* VIII. *Quid de ea in Pace Religioſa,* IX. *quid in Pace Weſtphalica ſit ſtatutum.* X. *Ad quem ex P. W. jurisdictio Epiſcoporum ſuſpenſa jam pervenerit; ſingulariter, qualis Jurisdictio competat Principibus ſæcularibus in ſubditos diverſæ Religionis.*

§. I.

Occaſionem & ſcopum hujus ſcriptionis jam ſupra (f) inſinuavi. Hanc mihi fecit Excelſus quidam Author in variis opuſculis paucis abhinc annis Ratisbonæ editis (g), cujus induſtria eo collimat, ut orbi univerſo ex genuinis Actis ipſius Pacis Weſtphalicæ demonſtret ea, quæ paſſim usquenunc Scriptores tam Catholici quam Proteſtantici de *jure Reformandi, Simultaneo,* & *Jurisdictione Epiſcopali ſuſpenſa* ſcripſerunt, eſſe falſa, fictitia, hiſtoriæ P. W. & menti paciſcentium contraria. Et quoniam ſedes hujus materiæ potiſſimum eſt in §. 30. & 31. nec non §. 48. Art. V. P. W., hos explicare, illuſtrare, & ſecundum hiſtoriam, & mentem Paciſcentium dilucidare tota contentione *Scopus & finis Anthoris Excelſi.*

(f) Cap. 2. §. 3. (g) Loc. cit. §. 3.

Digitized by Google

Oſtendit hallucinationes Proteſtanticorum. tione laborat. Sunt hæc opuſcula & plura & valde operoſa, in quibus Author quamplurimas hallucinationes, quas Proteſtantes tam in relatione hiſtoriæ, & interpretatione Pacis Weſtphalicæ, quam in explicatione doctrinarum inde deductarum commiſerunt, oſtendere conatur, quæ ſi omnia pro ſuis meritis dilucidare vellem, in immenſum mea opella excreſceret. Idcirco ea duntaxat inde delibare conſtitui, quæ majoris ponderis mihi eſſe videntur in gratiam eorum, quibus hæc opuſcula in manus non venerunt, aut omnino ſunt ignota. Inter cœteras, quas Author Excelſus affert, doctrinas & interpretationes Pacis Weſtphalicæ, illa præcipue Proteſtantes offendit, & male habet, qua contra communem DD. æque Catholicorum, quam Proteſtantium interpretationem docet, in §. 31. Art. 5. P. W. neutiquam omnibus & ſingulis Principum Catholicorum ſubditis proteſtanticis, qui anno 1624. exercitium Religionis Proteſtanticæ habuerunt, ſed iis duntaxat, qui illud antea ſub quibusdam Catholicis Epiſcopis ex declaratione Ferdinandea ſupra explicata (h) pacto, fœdere, privilegio aut longo uſu habuiſſe probare poſſunt, fuiſſe conceſſum, adeoque in cit. §. nullam regulam pro dirigendo poſthac Proteſtanticorum ſubditorum, ſub Principibus Catholicis tam eccleſiaſticis quibuscunque, quam ſæcularibus degentium, Religionis exercitio contineri.

Explicatio §. 31. Art. 5. Proteſtantes male habet.

Et quare? Et quid mirum? Id enim ſi verum eſt, inde deduci poſſunt ſequelæ rebus Proteſtanticorum valde inimicæ, atque illud præprimis, quod Principes Catholici tam eccleſiaſtici, exceptis iis, quibus opponi poteſt *Declaratio Ferdinandea*, quam ſæculares, ſive jam actu ſint tales, ſive poſthac per tranſitionem ad Religionem Catholicam fiant Catholici, aut fortaſſis in territorio antehac Proteſtantico ſuccedant, exercitium Religionis ſubditorum Proteſtanticorum *libere reformare*, ſuam Religionem, quin opus habeant jure *Simultanei*, libere introducere, & emigrationem Proteſtantibus imponere poſſint. Iſtud autem valde inimicum eſſe rebus Proteſtanticis, inde patet, quod jam plures Principes antea Proteſtantici ad noſtra caſtra tranſierint, & actu ſint quidam Principes Catholici, qui Principatus ſacris Proteſtanticis addictos gubernant: dum econtra ſupremus Religionis Catholicæ Author rebus Catholicorum ita adſuit, ut ſimile exemplum non habeamus, quod ne poſthac contingat, ſupplicibus votis rogandus eſt. En ſcopum & finem hujus ſcriptionis!

§. II.

(h) Vid. ſupra. cap. 5. §. 7.

Digitized by Google

§. II.

Antequam Syſtema, ut ita dicam, antiquum, & hactenus commune exponam, placuit Syſtema novum ſeu potius præcipuas novi ſyſtematis doctrinas in compendio exhibere. Sunt autem præcipua Auctoris dogmata ſequentia: 1mo, ſolis ſtatibus A. C. addictis, neutiquam vero eorum ſubditis ſtatuum ſeu Catholicorum ſeu Proteſtanticorum tolerantiam Religionis Proteſtanticæ fuiſſe ſtipulatam (i); 2do idem dicendum eſſe de *Autonomia*, ſeu libertate conſcientiæ ſubditorum, quidquid pro ea obtinenda laboraverint Proteſtantes ſive in Pace Religioſa, ſive Weſtphalica (k); 3tio emigrationem non eſſe *voluntariam*, ſed *neceſſariam* (l); 4to *jus reformandi* proprie tale ex Pace Religioſa difficillime erui, ſed potius *regulam territorialem*, vi cujus nullus ſtatus ab altero circa ordinationem Religionis impediri poſſit; 5to *Jus reformandi* quoad nomen eſſe inventum Proteſtanticorum, fundatum in illo: *cujus eſt Regio, illius eſt Religio*, & cum ingenti exceſſu ab illis exercitum, nec Catholicis denegatum (m); 6to perperam a Proteſtanticis explicari §. 30. Art. 5. P. W. de *jure reformandi* noviter Proteſtanticis ſtabilito, & in vim *regulæ* in ordine ad dirigendum exercitium Religionis aſſumpto. 7timo Idem dicendum de interpretatione §. 31. cit. Art., in quo neutiquam omnibus Proteſtantibus in territoriis Catholicis degentibus, qui anno 1624. exercitium ſuæ Religionis habuerunt, ſed illis ſolum, qui illud antea ex declaratione Ferdinandea petierunt, & poſtea, quia hæc *declaratio Ferdinandea* a Catholicis conſtanter fuit rejecta ex *æquipollenti*, videlicet *ex pactis, privilegiis, conceſſionibus & longo uſu* obtinuerunt; adeoque in illo §. nullam *regulam* pro exercitio ſubditorum Proteſtanticorum in terris Catholicis ſub Principibus Catholicis degentium, tolerando & dirigendo, paucis exceptis, ſed potius reſtrictionem poſtulationis, qua exercitium Religionis ſecundum *declarationem Ferdinandeam* exigebant, contineri, & ſic Principem Catholicum poſſe reformare exercitium ſuorum ſubditorum proteſtanticorum. 8vo De *Simultaneo* nec jota, nec apicem reperiri in Pace Weſtphalica, neque hodie *jure Simultanei* indigere Principes Catholicos, iis duntaxat exceptis, qui exercitium Religionis Proteſtanticæ juxta obſervantiam anni 1624. tolerare debent, quibus profecto negari non poteſt; 9no Contrariam doctrinam, quaſi vero exercitium ſubditorum Proteſtanticorum

Præcipua capita Syſtematis novi.

(i) Vid. ſupra. cap. 4. §. 8. Pag. 331.
(k) Supra. 332. (l) Supra. 338.
(m) Vid. dicta ſupra cap. 5.

Digitized by Google

corum univerſaliter pro tota Germania in cit. §. 31. foret ſtabilitum; provenire ex ſiniſtris Proteſtanticorum interpretationibus, & praxi ab ipſis introducta, quorum dein doctrinas ipſi etiam Catholici bona fide adoptarunt; 10mo Quantum ad *Jurisdictionem eccleſiaſticam Epiſcoporum*, in Pace Religioſa illam fuiſſe ſuſpenſam ſolummodo reſpectu ſubditorum Proteſtanticorum in terris Proteſtanticis, non vero in propriis Epiſcoporum territoriis degentium; in Pace vero Weſtphalica per §. 31. Art. 5. etiam reſpectu ſubditorum Epiſcopis ſubjectorum, in illis nempe locis, in quibus conformiter dictis Epiſcopi exercitium Religionis Proteſtanticæ juxta normam anni 1624. tolerare deberent; reſpectu vero ſubditorum in terris Principum Catholicorum exiſtentium in id fuiſſe conventum, ut Epiſcopi illam exercerent, in quantum eam anno 1624. exercuiſſe conſtat, exceptis cauſis conſcientiam concernentibus juxta §. 48. Art. 5. De *jurisdictione* autem *Epiſcopali*, quam ſibi nunc arrogant Principes ſæculares Proteſtantici, nihil prorſus fuiſſe actum in Pace Weſtphalica, ſed illam ſucceſſive fuiſſe ad eos devolutam. Atque hæc ſunt præcipua dogmata *Syſtematis novi*, quod Excelſus Author non ſine ingenti plurimorum doctiſſimorum virorum applauſu feliciter perfecit, quod præmittere in compendio placuit, eum in finem, ut lector mox prima facie diſcrimina inter unum alterumve Syſtema, id eſt novum & antiquum cognoſcat, de quo jam diſpiciendum.

§. III.

Qualem ſibi conceptum forment Proteſtantes de jure Reformandi.

Ordiamur a Syſtemate antiquo. Cum cardo difficultatis præcipue verſetur circa *jus Reformandi*, & *jus Simultanei*, ante omnia de *jure Reformandi* agendum, & qualem conceptum de illo ſibi fabricent Proteſtantes, videndum foret. Sed quoniam de origine *juris Reformandi*, ipſa etymologia nominis, fundamento, titulo, objecto, exercitio, diviſione, conceptu illius, & juribus eidem annexis ſupra (n) fuſe egimus, illuc Lectorem remittimus. Cœterum Doctores Proteſtantici in explicando genuino conceptu in tot inter ſe diverſas opiniones ſcinduntur, ut in numerum vix cogi valeant, dum quilibet pro ſuo libitu diverſum ſibi conceptum fabricat, quorum diverſas doctrinas recenſet, examinat, & illuſtrat Excelſus Author omnino videndus (o). In eo tamen ferme omnes conveniunt, quod jus Reformandi ex *ſuperioritate*

Innumeræ deſuper diverſæ opiniones.

In quo conveniant Proteſtantes.

(n) Cap. 5. §. 4. & ſeq.
(o) Grundriß des Juris Reformandi.

Digitized by Google

rioritate territoriali & communi illo recepto principio: *cujus eſt Regio, illius eſt etiam Religio*, derivare ſoleant, illudque in Pace Religioſa primitus aſſertum, ac poſtea in Pace Weſtphalica, & quidem per modum *Regulæ* eſſe ſtabilitum in §. 31. Art. 5. aſſerant; atque hoc nomine *jus reformandi* tunc potiſſimum utantur, quando agitur de exercitio Religionis ſubditorum introducendo, alterando, mutando, abrogando. Iterum remittimus Lectorem ad ſuperius dicta. *In quo conveniant Proteſtantes.*

§. IV.

Quoniam ergo *jus reformandi* præcipue in §. 30. Art. 5. P. W. & quidem per modum regulæ ſibi eſſe ſtabilitum aſſerunt Proteſtantes, contradicente Authore Excelſo, ipſa hiſtoria citati Paragraphi evolvenda erit, prout eam referunt DD. Proteſtantici & quidam Catholici. Hunc paragraphum eſſe valde obſcurum conqueritur Gundlingius, & teſte ipſo ferme omnes commentatores (p). In eo tamen conveniunt Proteſtantici, quod exiſtiment, & doceant, illum paragraphum in ſuum præcipue favorem eſſe inſertum, & in eo ſibi jus reformandi veluti lege publica fuiſſe ſtabilitum. Qua arte, & quare id factum ſit, hoc modo refert Henninges (q), cujus doctrinam integram apponere ea potiſſimum ex ratione placuit, quod eam Doctores etiam Catholici adoptaverint: nam ait, *multum diuque Catholicos inter & Proteſtantes non modo in Conventu Oſnabrugenſi, verum etiam longe ante hæc tempora, & ab initio ſtatim Reformationis diſputatum fuit, num jus reformandi ſit pars Superioritatis territorialis, an vero ex alio jurium genere; illis hoc ipſum Clero vindicantibus, his vero manibus pedibusque contra nitentibus, ne expungi illud paterentur albo jurium civilis poteſtatis, cujus obtentu hactenus omne opus ſuum Reformationis aggredi & defendere ſtuduere. Catholici tamen Cleri ſui præſtigiis circumventi ſicuti non audebant hanc rem ſui juris facere, ita conſentire noluere, ut eam Proteſtantes lege publica, & ex eo titulo haberent, quo ipſos abſtinere ſe ſuperſtitio juſſerat. Interea cum ſemel placuiſſet, ut jus reformandi certis Legibus in eorum poteſtate ſit, qui ſuperioritate territoriali ſunt ornati, utique medio titulo opus erat, quem utique proprium ſibi facere potuiſſent. Itaque melius viſum eſt, ut communis praxis dice-*

Hiſtoria §. 30. Art. 5. prout refertur a Proteſtantibus.

In ſpecie a Henningeſio.

(p) Inſt. Pac. Oſnab. ad Art. 5. §. 30. ubi ſic habet, dieſer §. iſt hier unnüzlich, deswegen ſich alle Commentatores darüber beſchweren.

(q) In Medit. ad cit. §.

Digitized by Google

Intentio Proteſtanticorum fuiſſe dicitur jus reformandi ſibi ſtabilire.

Catholici urgebant titulum juris reformandi.

Quem titulum Proteſtantes allegaverint.

diceretur. *Hoc enim facti magis, quam juris eſt nomen.* Hæc ut clariora reddantur, juvat ea non nihil dilucidare tum ex Illuſtri Barthelio, tum ex iis, quæ alibi docuimus (r). Eo ergo collimat doctrina Henningeſii, quod Proteſtantes in Pace Weſtphalica totis collaboraverint viribus, ut *jus reformandi* a ſe ingenti cum exceſſu exercitum, contradicentibus Catholicis, Lege publica ſibi ſtabilirent. Verum nolebant Catholici jus reformandi nude crude in Principes transferre: quare titulum ſibi edi voluere, ex quo jus iſtud prætendant Proteſtantes, ſibique vindicent. Allegabant illi pro titulo *jus Superioritatis territorialis*, atque rem eo deducebant, ut parum abfuerit, quin Catholici illorum aſſertis aſſurgerent. Aſt rebus melius inſpectis Catholici optime agnoſcebant, quam inanis, invalidus, jure divino reprobatus, & omni traditioni contrarius ſit hic titulus: quare de alio titulo quaſi medio, cum pax aliter obtineri non potuerit, fuit cogitatum, & in id conventum, ut pro *titulo* juris reformandi aſſumeretur praxis & obſervantia Imperii, fundata tamen in *Superioritate territoriali*, quatenus praxis haberet rationem *tituli*, ſuperioritas vero eſſet *conditio ſine qua non*, prout ſatis aperte colligi poſſe videtur ex ipſis verbis inſtrumenti Pacis W. Art. 5. §. 30. in quo ita legitur: *cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum imperium hactenus uſitata praxi etiam jus reformandi exercitium Religionis competat.* Notentur verba: *cum jure* Territorii, & iterum: *ex communi praxi*: Hæc enim quid aliud volunt inſinuare? niſi quod ſola praxis ſuſtineat vices *tituli; jus territoriale* vero habeat vim *meræ conditionis.*

Qualem Catholici.

Quid interſit inter unum & alterum.

Neque quis exiſtimet, quod hæc animadverſio ſit ſine omni effectu. Maluere nempe Catholici potius *praxin* & obſervantiam, quam *jus territorii* aſſumere in vim *tituli*: ſiquidem nomen *obſervantiæ* potius eſt nomen *facti* quam *juris*; atque adeo pro mera uſurpatione, in quam ex neceſſitate a Catholicis condeſcendendum fuit, poteſt accipi. Et quamvis ipſa etiam obſervantia ſæpe *jus* tribuat, quia tamen id non ſemper verum eſt, quemadmodum nec ipſi Proteſtantes negare poſſunt, qui ægerrime admittent, quod Epiſcopi Catholici, qui *jus reformandi* per plura ſæcula exercuerunt, ex hac per tot ſæcula continuata praxi *titulum juris* obtinuerint, placuit Catholicis potius vocabulum ad ſignificandum titulum *juris*, vel *merum factum* indifferens, quam *juris* determinate *ſignificativum* aſſumere. Atque hæc videtur eſſe doctrina Henningeſii (s): eſt doctrina Illuſt. Barthelii (t): & fuit doctrina

(r) Opuſ. Jurid. Tom. 1. opuſ. 3. Art. 2.
(s) Loc. cit. (t) Loc. cit.

Digitized by Google

ſtrina noſtra, quæ duo vel tria complectitur, quorum *primum* eſt, quod Proteſtantes ſollicitaverint, quatenus ipſis *jus reformandi* Lege publica P. W. ſtabiliatur: *alterum* quod hoc *jus* ipſis revera in hoc paragrapho fuerit ſtabilitum: *tertium* continet rerum geſtarum ſeriem quoad *titulum juris reformandi*, prout hactenus fuit relatum.

Eodem ferme modo hiſtoriam citati paragraphi refert Boehmerus (t), dum dicit: *Statibus Proteſtantibus jus reformandi confirmatum eſt in J. P. Art. 5. §. 30. Fluxit hæc ſententia (id eſt de jure reformandi) ex decantato Proteſtantium principio, quod ante J. P. pro ſe allegarunt, ejus eſſe Religionem, cujus eſſet Regio, quod cum Catholici admittere nollent, utpote Clero ſuo eam partem ſummi juris vindicantes, admodum ſtuduerunt, ut hoc fundamentum publica authoritate communirent.* En Boehmerum cum Henningeſio omnino conſentientem!

An jus reformandi in cit. §. etiam Catholicis ſit aſſertum.

Negant quidam Proteſtantes.

Sed contra P. W. & mentem paciſcentium.

Ulterioris quæſtionis eſt, an in hoc §. *jus reformandi* non Proteſtantibus duntaxat ſed etiam Catholicis ſtatibus fuerit confirmatum. Id quidem negare videntur quidam DD. Proteſtantici, inter quos Author Excelſus (u) allegat ſcriptorem deren Betrachtungen über den Kloſter-bau zu Dierdorff (x) ita loquentem: der Hr. Graf von Wiedrunckel hat gleich andern Evangeliſchen Reichs-Ständen, das denenſelben gemeine, in Anſehung der Catholiſchen vorzüglich eigne, denen Evangeliſchen allein zum beſten und Sicherheit entſtandene, und durch den Weſtphäliſchen Friedens-Schluß insgemein beveſtigte jus reformandi &c. Verum contra apertam literam P. W. quæ loco citato ita habet: *quantum deinde &c. ſtatibus Imperii immediatis ſive Eccleſiaſticis ſive ſæcularibus &c.* ac in fine: *Hoc idem ab utriusque Religionis ſtatibus obſervari &c.* Et contra mentem ac doctrinam reliquorum Scriptorum Proteſtanticorum, nominatim Henningeſii (y), & Boehmeri ita loquentis: *Inde non ſolum Proteſtantibus hoc jus tributum eſt, ſed in genere ſtatibus quibuscunque, ne Catholici eſſent deterioris conditionis* (z).

Duo Catholicis obſtant.

Catholicis duo obſtare videntur, atque illud præprimis, quod utique ipſi conſtanter *juri reformandi* ſeſe oppoſuerint, & dein, quod ex illorum principiis *jus reformandi* ex jure divino pertineat ad Epiſcopos, & Principes ſæculares illius omnino ſint incapaces. Verum hæc difficultate carent: demus enim quod ab initio contradixerint (quod fal-

(t) J. P. lib. 1. Tit. pag. 51.
(u) Grund-Riß ꝛc. pag. 102.
(x) §. 2. pag. 4.
(y) Loc. cit.
(z) Loc. cit. pag. 51.

ſum eſſe art. ſeq. ex Authore Excelſo demonſtrabimus) ſaltem in fine conſenſere, haud aliter quam in ipſam Pacem Weſtphalicam, & plura illius capita. Alterum de incapacitate Principum ſæcularium ad Proteſtantes non pertinet. Relinquant hæc conſcientiis Catholicorum. Inprimis enim ſermo hic eſt *de jure aliquo reformandi* novitio, improprio, & noviter a Proteſtantibus adinvento, non vere tali, quale competit Epiſcopis. Ad hæc ſupra docui, *jus reformandi* Principibus ſæcularibus competens potius eſſe *politicum*, quam *eccleſiaſticum*, fundatum in jure tum principatus, tum Advocatiæ tanquam legitimis titulis (a). Et quare Eccleſia non poſſit concedere ob bonum publicum Religionis Principibus Territorialibus *jus reformandi* non nomine proprio, ſed nomine alieno, id eſt ipſius Eccleſiæ exercendum, eo ferme modo, quo illis exercitium aliorum jurium eccleſiaſticorum e. g. juris convocandi Concilia, conſtituendi Epiſcopos indulſiſſe legitur, ita ut ſint vel meri executores, aut ad ſummum adminiſtratores ſimilium jurium? Et quare Principes Catholici deberent eſſe deterioris conditionis, quam Proteſtantici? cum hi ipſi nihil magis intenderint, quam omnimodam *æqualitatem* inter ambos introducere. En rei geſtæ ſeriem! prout illam tum Proteſtantes, tum Catholici referunt, quam actis P. W. neutiquam eſſe conformem, imo directe contrariam ex Authore Excelſo Art. ſeq. videbimus.

De quali jure reformandi hic ſit ſermo.

Jus reformandi exercere poſſunt Principes ſæculares, & quomodo.

§. V.

Ex his jam facilis eſt tranſitus ad dilucidandam hiſtoriam ſequentis §. 31. eod. Articulo, in quo de exercitio Religionis ſubditorum Proteſtanticorum ſecundum *annum*, ut vocant, *normalem* tolerando, dirigendo, & regulando agitur. Ex quo jam ſtatibus æque Catholicis ac Proteſtanticis de *jure reformandi* proſpectum erat, jam nihil antiquius habuere Proteſtantes, quam ut ſubditis Proteſtanticis Principum Catholicorum meliorem in modum conſulerent. Optime enim perſpectum habebant, aliunde conditionem ſubditorum Proteſtanticorum non eſſe optimam, quippe quod illis de alio medio non eſſet proviſum, quam de flebili *beneficio emigrationis*, quam Catholici non *voluntariam*, ſed omnino *neceſſariam* volebant. Et quoniam jam ſtatibus omnibus *jus reformandi* de novo erat confirmatum ac ſtabilitum, metuebant Proteſtantici, ne gravius quid ſubditis Proteſtanticis accideret, & a ſuis Principibus territorialibus durius haberentur, atque e ſuis territoriis penitus proſcriberentur, idcirco primitus id tota contentione petebant, ut Principes

Hiſtoria §. 31. Art. 5. dilucidatur ſecundum ſyſtema antiquum.

Quæ fuerit intentio Proteſtanticorum in hoc §. ſtatuendo.

(a) Quæſt. 2. cap. 4.

Digitized by Google

Principes Catholici ſubditis ſuis A.C. addictis liberum ſuæ Religionis exercitium ita indulgerent, ne amplius emigrare, & ſolum purgare teneantur, id quod Comes Oxenſtirnius Legatus Suecicus vel maxime apud Legatos Cæſareos pro ſubditis Auſtriacarum ditionum, in quibus olim vel ex privilegio, vel pacto, vel literis Majeſtatis liberum habuere exercitium, urgebat, contradicentibus Catholicis & etiam Legatis Cæſareis (b). Et quidem Cæſareani aperte declarabant, Cæſarem in idnunquam conſenſurum, potius omnes Pacis tractatus abrupturum, imo potius admiſſurum, ut proprii filii coram ſe crudeliſſime trucidentur, quam illorum petitioni condeſcenſurum. Poſt multas deliberationes, altercationes, controverſias, & inſtantias, quibus Legati Proteſtantici exercitium Religionis liberum pro ſuæ Religionis conſortibus extorquere contendebant, in id tandem conventum cum Legatis Cæſareis, ut liberum Religionis Proteſtanticæ exercitium illis relinquatur, qui illud anno 1624. habuerunt, contradicentibus huic conniventiæ a Legato Cæſareo ſtipulatæ pluribus Principibus Catholicis, eorumque Legatis, prout fuſe enarrat Author Excelſus. Inde jam inferunt Scriptores Proteſtantici, annum 1624. inſtar anni *regulativi* & *normalis* fuiſſe aſſumptum, ſecundum quem exercitium ſubditorum Proteſtanticorum ſub Principibus Catholicis degentium regulandum foret, ita ut, qui dicto anno normali exercitium ſuæ Religionis habuiſſe probare poſſint, amplius turbari, & inquietari nequeant; 2do per hunc §. *jus reformandi* in §. 30. ſtabilitum, fuiſſe reſtrictum ad annum normalem, & in hoc §. 31. vel *novam regulam*, quemadmodum plerique Proteſtantes opinantur, vel ſaltem *exceptionem a regula* antecedente in §. anteriori quoad *jus reformandi* ſtabilita fuiſſe poſitam, prout ex Proteſtanticis docet Henningius (c), & ex Catholicis Illuſt. Barthelius: nam, ut diſcurrit Barthelius (d), *jus reformandi* in triplici ſtatu poteſt conſiderari, *ante Pacem Religioſam*, *poſt illam*, & *poſt Pacem Weſtphalicam*. Ante Pacem Religioſam *jus reformandi* erat arbitrarium, nulla lege publica fundatum, & potius uſurpatum, neque ullis limitibus circumſcriptum. In Pace Religioſa fuit quodammodo & eatenus reſtrictum, quatenus inhibitum, ne unus alterum turbet, ne ſubditis ulla inferatur violentia, ſed *beneficium flebile emigrationis* indulgeatur. Ex quo aperte conſtat, eo tempore *jus reformandi* adhuc fuiſſe valde amplum, Principes fuiſſe pleniſſimos diſpenſa-

Jus reformandi in §. 30. per modum regulæ, & obſervantia anni normalis per modum exceptionis ſtatuta.

Jus reformandi in triplici ſtatu conſiderari poteſt.

(b) Vid. Grund-Riß Authoris Excelſi cap. 4. & 5.
(c) In Medit. ad §. 31.
(d) Loc. cit. Art. 1. N. 9.

diſpenſatores exercitii Religionis concedendi, ſubditos nulla ſe poſſeſſione tueri potuiſſe, & ſolum emigrationis beneficium ſuperfuiſſe. In pace vero Weſtphalica longe arctiores limites eidem fuere poſiti, & ſubditis largius proſpectum, in quantum nempe *juri reformandi* vel alia regula directe contraria, videlicet annus normalis, uti volunt illi, qui hunc annum inſtar *regulæ* fuiſſe aſſumptum arbitrantur; vel ſaltem graviſſima exceptio, idem ipſe annus normalis, ſicuti Henningeſius exiſtimat, fuit oppoſita, & ſtatutum, ut ſubditi, qui illo anno liberum habuere Religionis exercitium, illud etiam poſthac habeant, in ſua poſſeſſione permaneant, neque in ſuo exercitio & poſſeſſione turbari valeant, & ita quidem, ut hæc regula vel exceptio ad omnes prorſus ſubditos Proteſtanticos ſub Principibus ſive eccleſiaſticis ſive ſæcularibus quocunque tempore, etiam futuro, e. g. ſi Princeps Proteſtanticus Religionem Catholicam amplectatur, aut Princeps Catholicus ex legitimo titulo in terris Proteſtanticis ſuccedat, quocunque, inquam, tempore degentes pertineat, ſi modo exercitium ſuæ Religionis in anno normali habuiſſe conſtet, aut probare poſſint. Atque in hoc potiſſimum contradicit Author Excelſus, dum docet, annum hunc normalem unice in favorem ſubditorum Proteſtanticorum ſub Principibus quibusdam eccleſiaſticis exiſtentium, illorum nempe, qui olim exercitium Religionis Proteſtanticæ ex *Declaratione Ferdinandea*, pacto ſingulari, vel privilegio aut longo uſu obtinuerunt, fuiſſe introductum, & in mox dictæ *Declarationis Ferdinandeæ* locum veluti *æquipollens* fuiſſe ſubordinatum (e), de quo capite ſequenti. Quidquid jam de hoc ſit, cum hæc diſpoſitio in hoc §. Catholicis non poſſit non graviſſima accidere, ulterius quæſitum fuit, an *jus reformandi* Catholicorum Principum ita ſit reſtrictum, ut non modo ſubditos Proteſtanticos in ſua poſſeſſione & exercitio turbare nequeant, ſed ne quidem coexercitium ſuæ Religionis Catholicæ, ſalvo cæteroquin exercitio Religionis Proteſtanticæ, introducere poſſint, adeoque an non ſaltem *jus Simultanei* ita dictum locum inveniat.

Quid ſtatutum in §. 31.

Quid deſuper id eſt ſuper anno normali doceat Author Excelſus.

De jure Simultanei.

§. VI.

Quid ſit.

Itaque de hoc *jure Simultanei* jam ſecundum principia hactenus tam a Catholicis, quam Proteſtantibus tradita videndum. Nomine *juris Simultanei*, prout huc pertinet, venit jus ex jure reformandi fluens, vi cujus Princeps habet facultatem introducendi coexercitium alterius Religionis

(e) Hiſt. Grav. Sect. 3. cap. 2.

Digitized by Google

Status quæſtionis exponitur.

ligionis, quæ in anno normali non viguit. E. g. quæritur, an Princeps ex Proteſtantico Catholicus factus in ſuo territorio, in quo anno 1624. ſola viguit Religio Proteſtantica, poſſit introducere coexercitium Religionis Catholicæ, & Catholicis dare facultatem exſtruendi novas Eccleſias, dirutas reſtaurandi, aliaque Religioni ſuæ annexa agendi. De origine hujus quæſtionis & juris Simultanei non ſatis conſtat. Certe de Simultaneo hoc nec jota, nec apex reperitur in Actis, Protocollis, & tractatibus P. W. nec in ipſo P. W. inſtrumento. Author, qui anno 1720. ſcripſit opellam cum inſcriptione: Urſprung des ſogenannten *Simultanei*, exiſtimat, hanc quæſtionem primitus fuiſſe motam a Catholicis.

Origo quæſtionis de ſimultaneo unde.

Plerique Proteſtantes eam mox poſt Pacem Weſtphalicam, & quidem jam in notiſſima controverſia Hildeſienſi fuiſſe motam exiſtimant: dum econtra Author Excellſus ex falſis & noviter excogitatis interpretationibus Doctorum proteſtanticorum eam trahere ſuam originem defendit. Quidquid de hoc ſit, conſtat, de *jure Simultanei* jam a longe tempore acerrime fuiſſe diſputatum.

Libri de jure Simultanei editi.

Et quis libros in hac materia editos innumerum coget? Inter hos eminent duo ſcripta, quæ anno 1720. emanarunt, quorum primum inſcribitur: Ungrund des ſogenannten *Simultanei &c.* (f); Alterum: Urſprung des ſogenannten *Simultanei*, de quo ſupra.

Jus ſimultanei qui defendunt.

Cæterum diverſæ ſunt Authorum de *jure Simultanei* ſententiæ. Pro eo militant omnes Catholici, & quidam etiam Proteſtantici, inter quos Henninges loc. cit. & Boehmerus, qui illud ſaltem ſub conditione admittit, ſi nempe nec directe nec indirecte in præjudicium Religionis Proteſtanticæ cedat, id quod variis exemplis illuſtrat, & potiſſimum de exercitio privato, quod ſine ſolemnitatibus externis, ſine externo apparatu, e. g. ſine publicis Proceſſionibus, ſine deportatione Venerabilis ad ægrotos peragitur (g). Cæteri ferme omnes DD. Proteſtantici *Simultaneum* eliminare contendunt.

Quare illud Catholici defendant, & non Proteſtantes.

Quod ſi hoc cuiquam mirabile videatur, eoquod *jus Simultanei* æque Proteſtantibus, quam Catholicis favorabile eſſe videatur, hujus ſequens dari poteſt ratio, quod ſaltem usque nunc Catholicis aliquoties per tranſitionem Principum Proteſtanticorum ad Religionem Catholicam occaſio obtigerit exercendi *jus Simultanei*, nunquam vero (Deo ſint laudes) Proteſtantibus, quod ne poſthac fiat, rogandus eſt Deus, ſicuti ſupra diximus.

Deciſio quæſtionis pendet a recta explicatione §. 30. & 31.

Deciſionem hujus quæſtionis ab eo dependere exiſtimant, utrum *jus reformandi* in §. 30. ſtatutum ſe habeat per modum regulæ, & annus normalis

(f) Vid. Author Excell. Zuſatz zu dem Grund-Riß.
(g) Lib. 1. Tit. 1. §. 73. 74. 75.

normalis in §. 31. aſſertus per modum *exceptionis* ab hac regula; vel an annus normalis ſit nova regula per ſe ſtans nullum habens nexum cum §. 30. immediate antecedenti. Si prius: ſubintrabit *jus Simultanei*. Si poſterius: prætendi non poteſt. Audiamus pro aliquali rerum notitia utriusque doctrinæ fundamenta, quæ ſaltem ſcire juvat, etiamſi novioris ſyſtematis in capite ſequenti dilucidandi fundamenta fortaſſis ſint prævalitura.

Fundamenta pro jure Simultanei. Breviter expediamus fundamenta prioris ſententiæ, & quidem inquiunt 1mo: ſive literam, ſive ordinem, ſive finem Pacis Weſtphalicæ intueamur, evidens eſt, quod *jus reformandi* ſtatibus Imperii fuerit ſtabilitum per modum *regulæ*; ſubditis vero ſua poſſeſſio roborata per modum *exceptionis*, cui illa regula fuit alligata, & hoc ipſo ſtatibus Imperii ex *jure reformandi* competat *jus Simultanei*, ſi modo ſubditi in exercitio ſuæ Religionis & poſſeſſione relinquantur. Quod ſi *literam* & ordinem intueamur, duo paragraphi ante oculos ſunt ponendi nempe 30. & 31. Art. 5., in quorum primo ſtatibus conceditur *jus reformandi*, in ſequenti vero quodammodo reſtringitur ad annum normalem per verba ſequentia: *hoc non obſtante &c.* Jam quid aliud dicunt hæc verba, niſi exceptionem? haud aliter, quam ſi dicerem: *omnes ſubditi debent ſolvere tributum. Hoc non obſtante, illi, qui anno priori immunes fuere, etiam poſthac ſint immunes.* Hoc in caſu ſane nemo dubitat, in his verbis contineri exceptionem. *Ordinem* ſi inſpiciamus, utique illum ſemper ſolemus obſervare ordinem, ut primo loco ponamus regulam, & poſtea exceptionem per hæc & his ſimilia verba: *excepto, hoc non obſtante &c.* Hactenus dicta & allata Henningeſio in ſuis Med. ad P. W. tam clara fuerunt viſa, ut ſcribere non dubitaverit, hoc eſſe tam clarum, quam ſolem in cœlo, neque verba hæc aliter poſſe exponi, niſi per interpretationes cerebrinas. Quodſi *finem* hujus diſpoſitionis inſpiciamus, is alius non fuit, quam incircumſcriptum *jus reformandi* quodammodo in favorem ſubditorum Proteſtanticorum circumſcribere, illosque a neceſſitate emigrandi immunes reddere. Sed an non ſatis conſultum ſit ſubditis, dummodo liberum habeant ſuum exercitium, & in ſua poſſeſſione relinquantur? Et quis credat, quod ſtatus Imperii *jus reformandi*, quod veluti pretioſſimam margaritam ſuſpexere, Proteſtantes præcipue, adeo ſibi ipſis reſtringere, contra regulam anteriorem in *jure reformandi* fundatam novam aliquam regulam juri territoriali valde præjudicioſam ſibi ipſis obtrudere, atque prædictam illam margaritam quaſi in manus ſubditorum projicere, ac *jus reformandi* ſibi ex praxi & obſervantia imperii una cum jure territoriali competens ſibi ipſis diminuere voluerint?

Digitized by Google

voluerint? Ajunt ulterius, illud ſtatuendum per modum regulæ, quod eſt *juris*; illud vero per modum exceptionis, quod eſt *facti*. Sed utique *juris* eſt *jus reformandi*, *facti* vero poſſeſſio. Demum eſt plane difficillimum ab una gleba ad alteram, ab uno loco ad totam provinciam argumentari, e. g. ſoli Proteſtantes in hac urbe ampliſſima, in hoc determinato loco habuerunt templum: ergo Princeps non poteſt aliud templum erigere pro Catholicis: item Lutherani in urbe principali habuerunt templum, & in toto territorio aliud non fuit: ergo Princeps in tota provincia nequit extruere Eccleſiam pro Catholicis. Quæſo! quæ hæc abſurda, & velut monſtroſa?

Verum his opponunt ſequentia: 1mo quod *jus Simultanei* ſit contra identitatem ſtatus, quam Pax Weſtphalica introduxit per verba: *quatenus exercuerunt, exerceant etiam poſthâc*, cum utique ſit aliud exercere Religionem *privative*, & aliud *cumulative*, ſicuti eſt aliud habere *jus venandi privative*, & aliud *cumulative*. 2do ipſa Pax Weſtphalica annum normalem vocat *regulam* Art. 5. §. 33. 3tio in Pace Weſtphalica pro dirimendis ulterioribus litibus unice factum, exercitium, & poſſeſſio fuit aſſumpta per modum regulæ, prout patet tum in reſtitutione bonorum eccleſiaſticorum ex capite *Amneſtiæ* non modo, ſed etiam *gravaminum*, tum in ipſo Religionis exercitio: cur non in hoc caſu? 4to quomodo *jus reformandi* ſine grandi abſurdo aſſumi queat per modum regulæ? cum ſit regula nimis vaga, generalis, abſurdiſſimas poſt ſe trahens ſequelas, haud ſecus, quam ſi dicerem: Princeps habet jus gladii: ergo poteſt pro ſuo libitu homines damnare ad furcam, addicere rogo, ferire, gladio &c. ***Argumenta contra illud.***

Verum hiſce facile obviari poſſe, monſtrabunt ſequentia. Et quidem quantum ad primum, verum non eſt, quod Paciſcentes *identitatem* ſtatus introducere voluerint, quia veroſimile non eſt, quod Principes ſuum *jus reformandi* arctis adeo limitibus circumſcribere, & in manus ſubditorum tradere voluerint, ut adeo de introducenda *identitate ſtatus* nequidem ſomniaſſe videantur. Dein particulæ illæ: *quatenus &c.* non tam ad *ipſum ſtatum*, quam potius ad *exercitium Religionis* appellant, quatenus nempe ſubditis ſuum exercitium debet in ſalvo manere, quod anno normali habuere, non quod illud debeant privative exercere, quemadmodum fortaſſis illud anno 1624. exercuerunt. Quare exemplum de venatione allatum non eſt ad rem. Nihil ſane decedit Religioni Proteſtanticæ, ſi illius exercitium integrum relinquatur, ſicuti fuit in anno normali, etiamſi aliæ Religiones civitate donentur, ſicuti tamen plurimum decedit habenti jus venandi privative, ſi alius in illius conſortium ***Hæc diluuntur.***

 admit-

admittatur, dummodo Proteſtantes maneant in ſua poſſeſſione & in exercitio ſuæ Religionis non impediantur, ut ſupponimus. Præterea demus, quod Paciſcentes *identitatem ſtatus* intenderint, iſtud erit unice intelligendum quoad illas Eccleſias, in quibus exercitium Religionis habuerunt, non vero quoad integras civitates, provincias & territoria, & hinc quoad reliquam glebam Principi territoriali ſuum *jus reformandi* in ſalvo manet. Quantum ad 2dum equidem annus normalis vocatur *regula*, ſed nonniſi *particularis*, qualis eſt omnis exceptio, vel ſi eſt regula, erit talis reſpectu ſubditorum eatenus, quatenus ad annum normalem provocare poſſunt, ſi vel emigrare jubeantur, vel in ſuo exercitio turbentur, ſalvo tamen *jure reformandi* Principi competente, reſpectu cujus hic annus habet vim meræ *exceptionis*. Quantum ad 3tium facile largimur, quod pro finiendis litibus quemadmodum in ordine ad reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum, ita etiam in ordine ad tolerandum exercitium Religionis ad ſolam poſſeſſionem & exercitium in anno normali poſſeſſum reſpectus fuerit habitus, & ita poſſeſſio & exercitium ſit *regula* tam reſtitutionis, quam Religionis, illiusque tolerantiæ dirigendæ & ordinandæ. Atque in hoc omnimoda eſt paritas. At vero in ordine ad Simultaneum in eo eſt diſparitas, quod reſpectu reſtitutionis nulla poſſit oſtendi regula alia, quæ illam quomodocunque limitaret, qualis oſtendi poteſt quoad exercitium Religionis, ſiquidem eidem obſtat *regula territorialis*, aut potius *jus reformandi*, cui noluerunt Principes cum tanto ſuo præjudicio derogare. Quantum ad 4tum ſcimus, quod ſicut nulla lex, ita nulla ſit regula ſine exceptione, & quælibet habeat ſuas limitationes vel ab *intrinſeco*, vel ab *extrinſeco* tales. Ab *intrinſeco* veniunt illæ, quæ ſunt quaſi imbibitæ, & eidem a jure naturæ & divino impreſſæ. Et hæ ſunt illæ, quæ ſi non eſſent, orirentur ſequelæ peſſimæ, & abſurda omni juri repugnantia, prout videre eſt in exemplo ab AA. adducto in jure vitæ & necis, cui ſi vagum ſenſum dare velimus, quæſo! quæ non rerum monſtra ſequentur? Jam vero nemo unquam Catholicorum ſomniavit *jus reformandi* ita extendere, ut Principi facere liceat, quod libet. Habent ſane, quod ſibi gratulentur ſubditi Proteſtantici, quod jam in ſuo exercitio Religionis amplius impediri nequeant, multo minus e ſolo proſcribi poſſint. Scimus, quantæ difficultatis res fuerit ſolam tolerantiam illis indulgere. Et nunc prætendunt jus prorſus ampliſſimum, irreſtrictum, ac illimitatum contra ipſum Principem, & illius jura territorialia. *Ab extrinſeco* veniunt illæ exceptiones, quas jura faciunt, qualis eſt hæc ipſa exceptio in §. 31. contenta. Dein quærere liceat, utrum *jus reformandi* ante P. W. habuerit vim

Annus normalis eſt regula particularis.

vim regulæ, vel non. Si antea habuit: ergo verum non eſt, quod ſit regula nimis vaga, abſurda, & monſtroſa. Si non habuit: ſibi ipſis contradicunt. Verum inſtant Proteſtantes, quod exercitium Religionis Catholicæ ipſos neceſſario turbare debeat in ſua poſſeſſione & exercitio Religionis; tum quod Catholicorum exercitium ſit valde turbidum, & ſtreperum ob continuum pulſum campanarum, proceſſiones publicas, celebrationem feſtorum, deportationem *Venerabilis* ad ægrotos &c. tum quod Catholici paſſim ſoleant ſuam Religionem in alios propagare cum grandi præjudicio alterius Religionis dominantis. Inprimis enim hæc ſe habent per accidens, & nemo poteſt conqueri contra illum, qui utitur ſuo jure, etiamſi alteri incommodum accidat. Ad hæc, non præjudicant iſta incommoda ipſi Religioni, ſed ſunt incommoda de ſe innocua, quæ nonniſi hominibus delicatis accidunt gravia, hominibus, inquam, quorum auribus ipſum nomen Religionis Catholicæ, ne dicam actus exercitii illius graves accidunt. Adeant ipſi ſuas Eccleſias, peragant ſua divina, pſallant in ſuis Eccleſiis, celebrent ſua feſta ſicut antea, & nemo ipſos turbabit. Et demus, quod Religionem Catholicam propagari contingat, anne ipſi propterea in ſua poſſeſſione & exercitio turbantur, ſuppoſito, quod habeant ſua templa, & ſuum liberum Religionis exercitium ſicut antea? facillimum foret hæc fuſius deducere, & pluribus argumentis corroborare, niſi brevitati conſulendum foret.

An exercitium Religionis Catholicæ turbet exercitium proteſtanticæ.

Utrum ſuprema Imperii tribunalia *jus Simultanei* tanquam *jus legibus Imperii contrarium* rejecerint, & præjudicia hinc inde extantia illud prorſus enervaverint, ſicuti aſſerere non formidat Chriſtianus Buder (h), valde ſubſiſto. Habent ſane Catholici pro ſe tot præjudicia, ſi non plura, quot habent ipſi Proteſtantes, uti ſinceriores fatentur Proteſtantes (i). Scripta celebriora, quæ in hac quæſtione emanarunt, recenſet citatus Buderus aliique (k).

Utrum ſuprema Imperii tribunalia hactenus contra Jus Simultanei pronuntiaverint.

Quidquid jam de *jure Simultanei* ſit, varia *Simultanei* exempla tam ex Scriptura, quam ex inſtrumento P. W. affert Pfaffius (l). Ex

Exempla Simultanei tam ex Scri-

(h) In Repertorio verbo *Simultaneum* his verbis: In welcher Abſicht denn die höchſte Reichs-Gerichte, vornemlich die Cammer, dieſes Reichs Fundamental-Geſetze erkläret, mithin in ihren Judicatis das Simultaneum als wiederrechtlich verworfen.

(i) Vid. Struv. Corp. J. P. cap. 29. §. 34. & ſeq.

(k) Loc. cit. §. 10. Item Struvius loc. cit. §. 35.

(l) Acad. Reden pag. 386.

Digitized by Google

ptura, quam Inſtrumento P. W.

Scriptura quidem tria præcipue, unum quod vocat *idololatricum*, quale ſuit, dum Philiſtæi arcam fœderis poſuerunt in domo Dagon ſui idoli, qua præſente Dagon corruit (m). Alterum regis Antiochi, qui Jeroſolymis templum, & altare pro ſuis idolis erexiſſe, & templum Jeroſolymitanum profanaſſe, & propterea a Deo graviſſime fuiſſe punitus legitur (n). Alterum, quod dicitur *Antichriſticum*, de quo ſcribit Apoſtolus Paulus: *qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus* (o). Et iterum: *& tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JEſus interſiciet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum* (p), ubi Apoſtolus loquitur de Antichriſto. Tertium eſt, dum ementes & vendentes *ſimultaneum* ſuæ negotiationis in templo Jeroſolymitano introducere non erubuerunt, & propterea a Chriſto flagello e funiculis compoſito ejecti ſunt (q).

Simultanea privilegiata ex Inſt. P. W.

Ex inſtrumento vero P. W. affert varia *Simultanea*, quæ appellat, *privilegiata*, qualia ſunt, quæ vigent in civitatibus, Eccleſiis, Capitulis & Monaſteriis mixtæ Religionis (r). Item illud, quod introducere licet in reluitione bonorum oppignoratorum (s); quin imo viget non raro *Simultaneum* in eodem templo, altari, lapide baptiſmali, cathedra, cœmeterio, campana, ſchola, prout innumeris locorum exemplis oſtendi valet (t). Demum, ait, dantur alia *Simultanea*, nempe *ſimultaneum nudæ conniventiæ, tolerationis, violentum, pactitium, proviſionale, perpetuum, hujus, vel illius Religionis* (u). Hæc omnia eſſe vera non inficiamur. Sed quid tum? anne propterea non datur *Simultaneum* a nobis aſſertum? Id probandum eſt. Nos illud dari ex litera P. W. & mente paciſcentium probavimus. Hæc dicta volumus ſecundum ſyſtema commune & antiquum, cui propterea neutiquam noſtrum conſenſum accommodatum volumus.

§. VII.

Syſtema antiquum de Jurisdictio-

Etiam ſyſtema de *Jurisdictione eccleſiaſtica Epiſcopali* hactenus aſſertum Author Excelſus ſubvertere, & expugnare validiſſimis argumentis contendit,

(m) 1. Reg. 5. v. 6. (n) 1. Machab. 1.
(o) 2. Theſſal. 2. v. 4. (p) Ibid. v. 8.
(q) Joan. 2. v. 14.
(r) Art. 5. §. 3. & ſeq. 11. 16. 18. 20. 23. 26. 29. P. W.
(s) Art. 5. §. 27.
(t) E. g. Norimbergæ in Domo Teutonica.
(u) Academ. Reden pag. 387. §. 3.

Digitized by Google

contendit, quod proin neceſſario eſt explicandum. Quid ſit *Jurisdictio eccleſiaſtica*, & quomodo a *Jure Diœceſano* differat, nequidem inter ipſos DD. Catholicos convenit. Quæ noſtra ſit opinio, explicamus Tom. IV. de Hierarch. Eccleſ. Sed nec ipſi Proteſtantes in definiendo conceptu Jurisdictionis eccleſiaſticæ conveniunt, dum quidam illam in ſenſu ſtrictiori, alii eam ſumunt in ſenſu latiori. In ſenſu ſtrictiori illam accipere videtur Joan. Floercke, dum eam definit, quod ſit *poteſtas cauſas eccleſiaſticas controverſas cognoſcendi, easque definiendi* (x), quam definitionem etiam nos adoptamus. In ſenſu latiori illam accepit Chriſtian. Buder aſſerens, quod ſit *poteſtas ex jure territoriali promanans ordinandi, & conſervandi cultum divinum conformem ſacræ Scripturæ, & ea, quæ ſunt juris in eccleſiaſticis, defendendi* (y). Ampliorem definitionem præbet Chriſtianus Wildvogelius (z), ita ſcribens: eſt *poteſtas e jure Majeſtatis ſive Majeſtatico-Analogico deſcendens, & Principibus Imperii competens ad vitam, recti cultus conſervatione, & collapſi, corruptive reſtitutione, quietam & tranquillam in ſocietate civili obtinendam, & in omni honeſtate & pietate tranſigendam* (a). Videntur hi authores *Jurisdictionem eccleſiaſticam* cum ipſo *imperio in ſacra*, aut certe cum *jure Diœceſano* confundere, quod eo facilius diſſimulare poſſumus, quo certius eſt, quod in P. W. æque *jus Diœceſanum*, ac *Jurisdictio eccleſiaſtica* fuerit ſuſpenſa (b). Interim cum nomen *Jurisdictionis* ſit magis notum, quam *juris Diœceſani*, poſthac nomine *Jurisdictionis eccleſiaſticæ & Epiſcopalis* utemur.

Jurisdictio eccleſiaſtica quid ſit.

ne eccleſiaſtica proponitur.

Porro indubitata Catholicorum doctrina eſt, quod *Jurisdictio eccleſiaſtica* ex jure divino pertineat ad Eccleſiam, & Eccleſiæ Præſules, eamque Eccleſia per ſuos Præſules ad tempora usque Reformationis exercuerit, etſi hinc inde notabilem illius partem in Imperatores & alios Principes qua *Advocatos* Eccleſiæ nomine alieno exercendam tranſtulerit, aut hi ipſi ſibi connivente œconomiæ ergo Eccleſia appropriaverint, aut omnino jura quædam eccleſiaſtica uſurpaverint. Unde fallunt,

Pertinet ex jure divino ad Eccleſiæ Præſules.

Ll ll 3

(x) Differt. de Jur. Princip. Sect. 2. §. 27.

(y) Repert. Juris verbo: Eccleſ. Jurisdictio.

(z) Differt. de Controv. Jurisd. Eccleſ. Principum Imperii §. 1.

(a) Maſcovius Princ. J. P. lib. 5. cap. 1. §. 14. eam ſic definit: eſt *jus ordinandi ſtatum externum Religionis in territorio ſecundum leges Imperii & pacta eam in rem inita, Ordinibus Imperii & nobilibus immediatis ab Imperatore & Imperio ad conſervandam conſcientiarum libertatem, & pacem Imperii publicam conceſſum.* Loquitur nempe de Jurisdictione ſtatibus Imperii competente.

(b) Art. 5. §. 48.

Digitized by Google

Illius Uſurpatores Principes ſæculares.

Maxime tempore Reformationis.

lunt, & falluntur Proteſtantes, qui Juriſdictionem eccleſiaſticam Principibus ſæcularibus ex *jure Majeſtatico*, *regio*, vel *territoriali* vindicant (c). Quemadmodum ergo Principes ſæculares nunquam non Juriſdictionem eccleſiaſticam invido ſuſpexerunt oculo, & plura jura eccleſiaſtica eidem cohærentia ad ſe traxerunt, ita mirum videri non debet, quod tempore Reformationis potiſſimum jura eccleſiaſtica invaſerint, eaque ſibi vindicare conſtituerint, utpote quibus nihil magis in votis erat, quam omnem hierarchiam eccleſiaſticam peſſumdare, eliminare, ac *Cæſaro-Papiam* introducere. Quid jam hac in re in Pace tam Religioſa, quam Weſtphalica actum fuerit, qualiter juriſdictio Epiſcoporum ſuſpenſa, quomodo Principes ſæculares illam ſibi vindicaverint, qualis jam competat Epiſcopis tam in Catholicos, quam Proteſtanticos ex ſyſtemate communi & antiquiori, videamus.

§. VIII.

Quomodo Jurisdictio eccleſiaſtica in P. R. fuerit ſuſpenſa.

Statibus eccleſiaſticis in ſalvo permanſit.

Gravamina Proteſtantium contra Jurisdictionem eccleſiaſticam, & quid obtinuerint in variis Comitiis.

Eo rem deducebant Proteſtantes jam in Pace Religioſa, ut juriſdictio eccleſiaſtica Epiſcoporum reſpectu Proteſtanticorum ſubditorum ſub Principibus Proteſtanticis degentium, caſu quo Diœceſis ſeſe ad terras Proteſtanticas extendebat, prout in Germania paſſim fieri ſolet in amplioribus Diœceſibus, ad amicabilem usque compoſitionem fuerit ſuſpenſa (d). Dixi notanter ſub *Principibus Proteſtanticis*: nam quia in Pace Religioſa *regula territorialis* (e), quam communius *jus reformandi* appellare ſolent, fuit ſtatuta pro omnibus Imperii ſtatibus, & ſubditis Proteſtanticis nullum tolerantiæ jus, ſed ſolum emigrationis beneficium fuit conceſſum, profecto ſtatibus Imperii eccleſiaſticis ſua juriſdictio eccleſiaſtica in ſuos ſubditos in ſalvo permanſit, nec in illius uſu impediri potuere. Itaque Epiſcopi jure ſuo utentes ſuam juriſdictionem exercere non deſiere, contradicentibus Proteſtanticis, qui ſua deſuper gravamina in Comitiis Auguſtanis anno 1559. Ratisbonenſibus 1576. & 1594. propoſuere, & in Pace Pragenſi 1635. id obtinuere, ut juriſdictio Epiſcoporum ad 40. annos ſuſpenderetur. Temporaria hac ſuſpenſione non contenti Proteſtantes in Comitiis Ratisbonenſibus anno 1641. plenariam urgebant, ſed ſine effectu. Inter gravamina menſe Martio 1636. in Pace Weſtphalica hoc erat quintum, in qua demum ſuſpenſionem

(c) Vid. cit. Buderus, verbo: *eccleſiaſtica Jurisdictio.*

(d) Vid. Religions-Friede §. 20.

(e) De hac Art. præced. egimus.

Digitized by Google

ſionem pleniorem jurisdictionis & Juris Diœceſani extorſerunt (f). De hac jam videndum.

§. IX.

Quid deſuper in P. W. fuerit actum.

Rei ſeriem in P.W. actæ Illuſt. de Barthel ex actis Mejerianis ferme ſequentem in modum refert (g). Nempe Proteſtantes ſola ſuſpenſione Juriſdictionis eccleſiaſticæ neutiquam contenti pro abolitione omnimoda decertabant, cum hac ſolum reſervatione quoad conſequendos reditus, cenſus, decimas, & penſiones in A. C. ſtatuum ditionibus, ut, ubi Catholici anno 1624. notorie in poſſeſſione juriſdictionis eccleſiaſticæ quoad illas fuerint, eadem quoque in poſterum uti valeant: effecitque inflexibilis eorum pervicacia, ut Plenipotentiarii Cæſarei conſentirent in formulam rebus Catholicorum valde præjudicioſam, ob ſequentia verba eidem inſerta: *penitus ſublata eſto*, nempe Juriſdictio (h). Verum tantum abfuit, ut ſtatus Catholici, præſertim Ordinis eccleſiaſtici, in hanc formulam conſentirent, ut potius rem eo deducerent, quatenus non tam jus radicale, quam potius exercitium Juriſdictionis eccleſiaſticæ ſuſpenderetur (i) per verba: *ſuſpenſa eſto.* Sed de hac ſuſpenſione infra redibit quæſtio.

Quid Proteſtantes primitus obtinuerint.

Agitur de Juriſd. eccleſ. in art. 5. §. 48.

Jam quid in P. W. fuerit diſpoſitum, videamus. Sedes hujus materiæ præcipua eſt §. 48. Art. 5. ubi ſic legitur: *Jus Diœceſanum, & tota Juriſdictio eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra A. C. Electores, Principes, Status, eorumque ſubditos &c. usque ad compoſitionem amicabilem ſuſpenſa eſto, & intra terminos Territorii cujusque jus Diœceſanum & Juriſdictio eccleſiaſtica ſe contineat. Ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas & penſiones in iis A. C. ſtatuum ditionibus, ubi Catholici anno 1624. notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii Juriſdictionis eccleſiaſticæ fuerunt, utantur eadem poſthac quoque, ſed nonniſi in exigendis hiſce penſionibus, nec procedatur ad excommunicationem niſi poſt tertiam demum denuntiationem. Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni addicti Status provinciales & ſubditi, qui anno 1624. eccleſiaſticam Juriſdictionem agnoverunt, in iis caſibus modo dictæ Juriſdictioni ſubſint, qui Auguſtanam Confeſſionem non concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ repugnans. Eodem etiam jure Auguſtanæ Confeſſionis* Magiſtra-

(f) Art. 5. §. 48.
(g) Tom. 1. Opuſ. 3. de Jur. refor. novo. cap. 4.
(h) Hunc conſenſum fuiſſe præſtitum 14. Maji 1647. refert. cit. author loc. cit. N. IV.
(i) Ad diem 30. Jan. 1648. hanc conventionem refert laudatus author loc. cit.

Digitized by Google

Magiſtratuum Catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno 1624. publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœceſanum, quatenus Epiſcopi illud dicto anno quiete exercuerunt, ſalvum eſto.

Explicatur citatus §. & in tres partes dividitur. In tres partes hic Paragraphus commode dividitur, in quorum primo agitur de Juriſdictione Epiſcoporum in ſtatus immediatos, & horum ſubditos. In altero de eadem Juriſdictione in ſtatuum Imperii Catholicorum ſubditos Auguſtanæ Confeſſioni addictos. In tertio de eadem Juriſdictione Eccleſiaſtica in ſubditos Catholicos in terris Statuum Proteſtanticorum exiſtentes.

Quid in I. parte ſit diſpoſitum. Idem nempe quod in P.R. Jam vero innumeris ferme hæc diſpoſitio expoſita eſt difficultatibus. Et quidem in prima parte per modum *regulæ* id ipſum ſtatuitur, quod jam in Pace Religioſa ſtatutum legitur, videlicet ſuſpenditur Juriſdictio Epiſcopalis, & quidem *omnis* id eſt, ſpiritualis, civilis, criminalis, neceſſaria, gratioſa, ordinaria & delegata: id enim verbum *tota* ſignificare videtur. Sed mox per modum exceptionis ſubjungitur, quod ſua *Subjungitur exceptio.* juriſdictione uti poſſint Epiſcopi *in ordine ad conſequendos reditus, cenſus & decimas, ſi modo anno 1624. notorie in poſſeſſione fuerunt, quin tamen in exigendis hisce penſionibus ad excommunicationem procedatur, niſi poſt trinam denuntiationem.*

Oriuntur jam ex hac prima parte dubia varia breviter expedienda, quorum primum eſt, an in hoc §. juriſdictio eccleſiaſtica penitus fuerit ſublata. Miror profecto, quod Doctores quidam Proteſtantici id affirmare non erubeſcant, dum contrarium loquitur clara litera: *ſuſpenſa eſto*, & hiſtoria Pacis, ex qua conſtat, quod Proteſtantici id quidem ſollicitaverint, ſed ob continuam Catholicorum contradictionem obtinere nequiverint.

Explicantur verba dubia INTER CATHOLICOS ET A. C. ADDICTOS. Alterum eſt, quomodo intelligenda ſint verba illa: *tam inter Catholicos, & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus.* Hæc verba adeo obſcura viſa ſunt Henningeſio (k), ut ſcribere non dubitaverit: *lubens fateor, me non ſatis capere horum verborum ſenſum.* Exiſtimat Henninges cum Boehmero (l), hæc verba id inſinuare velle, quod, quemadmodum juriſdictio Epiſcoporum Catholicorum reſpectu Proteſtantium, ita etiam Proteſtanticorum e. g. Archiepiſcopi Magdeburgenſis reſpectu Catholicorum ſit ſuſpenſa, & intra terminos territorii ſe continere debeat. Verum cum in hoc loco unice agatur de ſuſpenſione Juriſdictionis Epiſcoporum Catholicorum, plane

(k) Medit. ad P. W. ad. §. 48. Art. 5.
(l) J. P. ad Tit. de Jurisd. Jud. Ord. §. 74.

Digitized by Google

plane ſubſiſto, an illa verba hunc ſenſum recipiant. Aliter exponunt hæc verba alii Authores. Mihi placet expoſitio Joan Floerckii (m) exiſtimantis, ſenſum verborum illorum hunc eſſe, quod Juriſdictio Epiſcoporum debeat eſſe ſuſpenſa, ſive lis ſit inter Catholicos & Proteſtanticos, ſive inter ſolos Proteſtanticos. Et ſane hunc ſenſum eſſe naturaliſſimum, & maxime accommodum cuicunque ſeriem verborum accuratius expendenti facile patebit.

Tertium eſt, quid ſibi veliut iſta verba: *nec procedatur ad excommunicationem, niſi poſt tertiam demum denuntiationem.* Quid enim operabitur Excommunicatio contra Proteſtantes, qui eam tanquam brutum fulmen vilipendunt, rident & contemnunt? Paucis huic dubio ſuccurri poteſt, ſi dicatur, illa verba eſſe intelligenda de Catholicis in territoriis ſtatuum Proteſtanticorum degentibus, qui ſi reditus, decimas & penſiones ſolvere nolint, *poſt trinam denunciationem* Epiſcopus contra ipſos fulmen excommunicationis vibrare valet: quod licet Proteſtantes eludere aut explodere non vereantur, huic tamen potius legi utpote claræ, quam illorum argutiis eſt aſſurgendum. Quodſi ergo Catholici excommunicationi acquieſcere nollent, aut a ſuis Principibus Proteſtanticis omnino in ſua pertinacia defenderentur, aliis juris remediis contra excommunicatos ſtatutis & in foro receptis contra ipſos procedi, & Imperatoris aſſiſtentia implorari poterit, qui contra ipſos decernet, quod decernendum eſt.

Quid verba NEC PROCEDATUR AD EXCOMMUNICATIONEM.

Expedita foret hæc explicandi textum ratio, ſi expeditum quoque foret, in illis verbis agi *de Catholicis*. Sed quoniam id vere dubium eſt, & rebus ſublimius inſpectis, valde probabile eſt, quod ſermo ſit de ſubditis Proteſtanticis, utpote in quos ſuſpenſa eſt juriſdictio Epiſcoporum, & de quibus ſerme unice agitur in citato §. alia adhuc reſponſione textui erit ſuccurrendum. Demus igitur, quod Proteſtantes fulmina excommunicationis rideant, explodant, & hæc intuitu eorum principales effectus non habeat, habet tamen quosdam effectus civiles in ordine ad communionem externam, & commercium humanum cum cœteris concivibus, quibus interdictum, ne cum excommunicatis ullum habeant commercium; & ulterius, quod excommunicati non poſſint agere in judicio Catholicorum, agere teſtem, exercere contractus, aliaque negotia cum Catholicis. Et quid prohibet, quo minus, ſi Proteſtantes excommunicationi non acquieſcere, eandemque

(m) Diſſert. de Jur. Princ. §. 29.

Digitized by Google

que ridere vellent, aliis juris remediis contra ipſos procedi, & aſſiſtentia Imperatoris implorari poſſit? quemadmodum de Catholicis dictum fuit. Deſuper Henningeſium audire non pigeat: Hic *ingenue fateor*, inquit, *me hujus loci ſenſum & paciſcentium mentem penitus non aſſequi. Id video, eſſe caſum adhuc aliquem, ſed unicum, quo Clerus Catholicus bruto ſuo fulmine percutere poſſit A. C. ſtatus: ſed quo fine, quo effectu, id me penitus latet, niſi forte dixeris poſt vibratum hoc fulmen agi poſſe contra excommunicatum iis juris remediis, quæ jure Canonico & in Conſtitutionibus imperii in ſubſidium comparata ſunt adverſus eum, qui inania illa Jovis Capitolini arma ſpernit* (n). Habet igitur talis excommunicatio intuitu proteſtanticorum quoſdam ſaltem effectus non quidem directe ſed indirecte, in quantum efficit, ut aliis juris remediis contra ipſos procedi poſſit.

Altera citati §. pars explicatur. In altera parte citati paragraphi, in qua agitur de Jurisdictione Eccleſiaſtica Epiſcoporum in ſuos ſtatus provinciales & ſubditos Proteſtanticos, & diſpoſitum legitur, quod ipſis in ſalvo manere debeat, ſub duabus tamen clauſulis, quarum prima eſt, ut Proteſtantes illam in anno 1624. *agnoverint:* Altera, *ut ipſis nihil injungatur Auguſtanæ Confeſſioni vel conſcientiæ repugnans*, ſequentia ſe produnt dubia, quorum

Quid requiratur, ut dici poſſit, ſubditos agnoviſſe Jurisdictionem eccleſiaſticam. Primum eſt, quid requiratur, ut dici poſſit, ſubditos Proteſtantes anno 1624. *agnoviſſe Jurisdictionem Eccleſiaſticam*, ſpecialiter, an ſufficiat, dummodo aliqua anni parte eidem acquieverint, imo an ſufficiat, ſi eidem ſe nulla reclamatione, nullove facto contrario oppoſuerint, etiamſi Princeps eccleſiaſticus nullum prorſus actum Jurisdictionis eccleſiaſticæ exercuerit. Exiſtimant Authores Catholici, utrumque ſufficere, illud primum quidem, quod id ſufficiat in ordine ad exercitium Religionis poſthac retinendum, cur non ad jurisdictionem eccleſiaſticam poſthac agnoſcendam? Illud alterum vero, quod ad hoc, ut quis jurisdictioni ſemel agnitæ ſubditus maneat, plus non requiritur, quam ut eam ſemel agnoverit, & ab ea ſe non exemerit, aut ſi exemptionem prætendat, eam probare debeat ex juribus aliunde notiſſimis (o).

Se-

(n) Loc. cit.

(o) Contradicit Joan. Floerckius loc. cit. pag. 25. nam, ait, *aliud eſt agnoſcere, & aliud non impugnare, cum nulla data fuerit impugnandi ratio: quid enim,* pergit, *ſi Evangelici in territorio Principis Catholici publicum ſuæ Religionis exercitium prætenderent, etiamſi nulla anni decretorii parte eo gaviſi fuerint,*

Digitized by Google

Quæ cauſæ Auguſtanam Confeſſionem & conſcientiam concernant.

Diverſæ AA. ſententia.

Secundum eſt, quinam ſint illi caſus, qui Confeſſionem Auguſtanam nullatenus concernunt, & ſubditorum conſcientiæ non repugnant. Id ſane definire eſt difficillimum, & tanto difficilius, quod hi caſus in inſtrumento P. W. non ſint determinati (p). Quidam huc reducunt *cauſas matrimoniales*, *Juris Patronatus*, *Decimarum*, *commiſſæ ſimoniæ* (q). Addunt alii *cauſam baptiſmi* infantium nondum perfecte natorum, de quorum baptiſmo, an nempe ſint baptizandi, nihil in Auguſtana Confeſſione deciſum legitur (r). Et quia textus notanter dicit: *nullatenus concernunt &c.* alii exiſtimant, id eſſe intelligendum de omnibus caſibus, qui nec directe nec indirecte Auguſtanam Confeſſionem tangunt, adeoque de omnibus Religioni annexis; & ſic huc pertinere etiam cauſas matrimoniales, cauſas feſtorum celebrandorum, reformandi Calendarii, formulæ juramentorum. Quid enim ſi Epiſcopus cauſas matrimoniales Proteſtanticorum decideret ſecundum leges Juris Pontificii, ipſis injungeret celebrationem feſti quorumdam ſanctorum, quos ipſi abhorrent, obtruderet formulam juramenti, ſecundum quam jurare deberent in ſanctos, quorum cultum ipſi abominantur, ipſos juberet ordinare ſua feſta ſecundum Calendarium Catholico-

---

rint, ex ea ratione, quod illud ipſis dicto anno ſaltem nunquam denegatum eſſet? neſcio ſane, quid ex principiis ſuis altera pars reſponſura foret. Itaque audiat Floerckius reſponſionem. Nam quæro, an in caſu ab ipſo poſito Proteſtantes antea habuerint exercitium Religionis & illud poſtea amiſerint, vel non: ſi non habuerunt, caſus non eſt ad rem, cum hic ſupponamus Epiſcopum fuiſſe in poſſeſſione ſuæ jurisdictionis, eaque nunquam excidiſſe, & ſolummodo per accidens fuiſſe, quod eam ex defectu occaſionis non exercuerit. Si autem habuerunt, & iterum amiſerunt, iterum non eſt paritas, uti ex mox dictis patet. Procul dubio inter *agnoſcere*, & non *repugnare* eſt diſcrimen aliquod, ſed non in hoc caſu, & in iis juribus, quæ nonniſi per contradictionem alterius amittuntur.

(p) Dieſe Frag, inquit Pfaffius Acad. Reden. pag. 448. iſt deswegen ſchwer zu beantworten, weilen in Inſt. Pacis nirgends determinirt iſt, welches die Fälle ſeyen, die die Augſp. Confeſſion und das Gewiſſen, und zwar nullatenus touchiren. Et Henninges in hunc locum ita inquit: *En larga ſeges litium, atque rixarum.* pag. 623.

(q) Buckiſch. in obſerv. Inſt. Pac. pag. 369.

(r) Man hat auch noch nicht lang in Schleſien die cauſam Baptiſmi der noch nicht ganz gebohrnen Kinder hieher gezogen. Pfaff. loc. cit. pag. 448.

licorum (s)? Alii ponunt certas regulas, ex quibus cauſæ a cauſis dignoſci poſſunt. Joan. Floerckius hanc ponit regulam: *Illæ res A.C. concernunt, in quibus a judicibus Catholicis rationes decidendi adhiberi poſſent, quæ a Proteſtantibus ob ſormulam fidei diverſam non agnoſcuntur* (t).

Quæ noſtra opinio.

Nos hactenus liberaliores cum Barthelio erga Proteſtantes fuimus, docentes, quod huc pertineant illi caſus, qui punctum Religionis nec *intrinſece* nec *extrinſece* concernunt, & æque a Catholicis, quam Proteſtantibus exercentur. Punctum vero Religionis *intrinſece* concernunt dogmata, & quæ habent connexionem cum dogmatibus: & hinc Epiſcopus non poteſt præcipere Proteſtantibus, ut e. g. ſacramentum confirmationis recipiant, S. Euchariſtiam adorent, in nomine ſanctorum jurent. *Extrinſece* vero illud tangunt ritus & ceremoniæ, aliaque ad diſciplinam externam pertinentia e. g. celebratio diei feſtivi in honorem ſancti cujusdam, quem ipſi non agnoſcunt &c. Econtra actus indifferens eſſe poſſet deciſio cauſæ matrimonialis, dummodo de illa judicet Epiſcopus ſecundum principia Religionis Proteſtanticæ.

Quis in hac Materia judex.

Sed quis in dubio, an cauſa *Confeſſionem Auguſtanam* concernat, erit judex? Henninges exiſtimat, ſolos Proteſtantes eſſe judices competentes, ait enim: *certe ſi proverbio locus: artifici in ſua arte eſt credendum, nemo præter Confeſſores audiendi ſunt. Nam Pontificios admittere Judices prope ab inſania abeſſet: Secta quæcunque rerum ſuarum meritiſſimo callidiſſima habetur.* Quodſi contra excipiatur, tali modo Proteſtantes fore judices in propria cauſa, replicat, id aliter in materia Religionis fieri non poſſe, cum in hac nemo alieno arbitrio ſe ſubmittere velit, neque ab eo, quod bona fide credit, ſe dimoveri patiatur, donec meliora edoctus fuerit, atque hoc unum conſcientiæ noſtræ eſſe privilegium, quod humanis imperiis cogi nequeat. Et quoniam id ipſum privilegium prætendere poſſunt Catholici, caſu quo dubium oritur, an cauſa ipſorum Religionem & conſcientiam concernat, contra Proteſtantes querendi cauſam eo minus habent, quod hi aſſertum ſuum ex regula

juris:

(s) Vid. Henninges loc. cit. ubi inter alia ſic habet: quo deinde non Calendarii modo cauſa pertinet, verum etiam ratio feriarum, ne cogantur ſubditi Proteſtantes illis feriari diebus, quos non celebrarent ex regulis ſuæ devotionis. Nam profecto grave prudentioribus eſt Dominici alicujus, Franciſci, Loyolæ, aliorumque ex ſanctis illis minorum gentium dies inter feſtos habere &c.

(t) Cit. Diſſert. §. 30.

Digitized by Google

juris: *aſſerenti incumbit probatio*, probare debeant. Optimum remedium ſine dubio foret amicabilis compoſitio, ſi prudenter ſperari poſſet.

Pars tertia citati §. elucidatur.

In tertia parte §. 48. ſupra citati, in quo agitur de Juriſdictione Eccleſiaſtica Epiſcoporum in ſubditos Catholicos ſtatuum proteſtanticorum, idem ferme eſt diſpoſitum, quod nempe Epiſcopi illam retinere debeant, ſi illam anno 1624. quiete exercuerunt. Inde autem

Quid ſi Epiſcopus an. 1624. nullum actum Juriſdictionis exercuerit.

Oritur quæſtio, quid dicendum, ſi Epiſcopus nullum actum Juriſdictionis eccleſiaſticæ a ſe anno 1624. exercitum probare poſſit, attamen Catholici in illo territorio publicum Religionis exercitium habuerint, an Epiſcopus Juriſdictionem ſuam prætendere valeat. Exiſtimamus, quod id omni jure poſſit, eoquod habeat intentionem fundatam in jure, & ſit in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, cum publicum Religionis Catholicæ exercitium haberi & ſubſiſtere nequeat, niſi cum ſubordinatione plebis ad juriſdictionem & poteſtatem ſuorum Paſtorum. Quapropter Principibus Proteſtanticis incumbit probare, quod exercitium Juriſdictionis epiſcopalis turbaverint, impediverint, eique efficaciter contradixerint. Imo tranſmittamus, quod contradixerint, quid prohibet dicere, etiam in hoc caſu fore pronuntiandum pro Epiſcopo? hoc ipſo enim, quod *exercitio* Religionis publico ſe non oppoſuerint, illorum contradictio non fuit efficax, quia ſcire potuiſſent, & debuiſſent, quod Religio Catholica in materia fidei, ordinis, & adminiſtrationis ſacramentorum eſſentialiter dependeat a ſubordinatione, poteſtate hierarchica & Juriſdictione Epiſcopi. Quare conceſſo exercitio Religionis Catholicæ concedere debuerunt *jus Diœceſanum* Epiſcopi in iis ſaltem cauſis, quæ cum Religione nexum habent eſſentialem. Et quid æquius ac juſtum magis, quam ut ſtatus proteſtantici hanc Juriſdictionem epiſcopalem in ſubditos Catholicos agnoſcant? Cum enim ipſi pro ſimili caſu ſibi providerint, ſeque, vel potius ſuos ſubditos in territorio Principis Catholici exiſtentes ſaltem in materiis Religionem & conſcientiam concernentibus a poteſtate epiſcopali exemerint, cur Catholicis id beneficii denegent, aut cur hi deterioris eſſe conditionis deberent? Neque obſtat, quod citatus §. expreſſe dicat: *quatenus quiete* in eos exercuerunt; quod ſi ergo Epiſcopi fuere turbati in exercitio ſuæ Juriſdictionis, aut ipſis contradictum, illud ſane prætendere nequeunt. Verum hæc exceptio facile diluitur, ſi dicamus, Epiſcopos hoc ipſo ſuam juriſdictionem exercuiſſe, quod Catholici ſibi ſubjecti in territorio Principis Proteſtantici liberum Religionis exercitium habuerint, & legibus Diœceſanis obtemperaverint, & hoc propter eſſentialem nexum inter Religionem Catholicam & Jus Diœceſanum Epiſcopi. Qua-

Ut Epiſcopus ſuam juriſdictionem in ſalvo habeat, ſufficit, ſi Catholici publicum habuerint ſuæ Religionis exercitium.

re licet Epiſcopi ſuum jus non ex omni parte *quiete* exercuerint, & Principes Proteſtanticos eidem contradixiſſe probari poſſit, id intelligendum erit de actibus epiſcopalibus, qui non ſunt connexi cum exercitio Religionis Catholicæ: alias certe Catholicis ſuum Religionis exercitium potius foret odioſum, inutile, imo ſuæ ſaluti nocivum, haud ſecus, quam ſi Proteſtantes in territorio Catholico degentes quoad materiam & cauſas Religionis deberent eſſe ſubjecti Epiſcopis & Principibus Catholicis. Quemadmodum ergo ſubditi Proteſtantes in rebus Auguſtanam Confeſſionem concernentibus, aut conſcientiæ repugnantibus a Jurisdictione epiſcopali eximuntur, ita a contrario Catholici in rebus ſuam Religionem & conſcientiam attingentibus Juri Epiſcopi Diœceſano ſubjecti manere debent. Inde vero

An Jurisdictio Epiſcopalis reviviſcat, ſi Princeps Proteſtanticus fiat Catholicus.

Ulterior conſurgit quæſtio, quid dicendum in caſu, quo Epiſcopus ſuam Jurisdictionem in Catholicos in territorio Principis Proteſtantici exiſtentes per Pacem Weſtphalicam amiſit, & Princeps Proteſtanticus fiat Catholicus, aut eidem Catholicus in regimine ſuccedat: nam quæritur, an in hoc caſu jurisdictio epiſcopalis reviviſcat. Id ſane nec Catholici, nec Proteſtantes negare poſſunt. Non Catholici, quippe quos ſua Religio docet, *jus Diœceſanum* ex omni jure competere Epiſcopis; Principes vero ſæculares illius eſſe incapaces: Non Proteſtantes, quorum non intereſt, quo jure inter ſe utantur Catholici. Et ſane quoad hoc punctum nihil fuiſſe immutatum in Pace Weſtphalica, inde patet, quod inprimis Catholici nihil voluerint immutare, cum non ſit præſumendum, quod a ſuis principiis Religionis Catholicæ inter ſe voluerint recedere: eſt autem principium fidei Catholicæ, quod, ſicuti dictum, jus Diœceſanum ex jure divino & eccleſiaſtico pertineat ad Epiſcopos; & Principes ſæculares ſaltem in iis, quæ dogmata ſpectant, ſint inhabiles: Proteſtantium vero non intererat, quo jure inter ſe uterentur Catholici, dummodo reſpectu illorum *jus Diœceſanum* maneret in ſuſpenſo. Igitur cum jam per tranſitum Principis Proteſtantici ad caſtra Catholicorum removeatur obex, qui Jurisdictionem Epiſcopi impedivit, quo minus eam exercere poterat, nempe *Confeſſio Auguſtana* Principis, eo remoto poſtliminio reviviſcit Jurisdictio Epiſcopi hactenus ſuſpenſa ac impedita.

§. X.

Ad quem Jurisdictio Epiſcopalis fuerit devoluta.

Hactenus de Jurisdictione eccleſiaſtica Epiſcoporum, quæ cum fuerit ſuſpenſa, non modo in Proteſtanticos, ſed etiam pro certis caſibus

Digitized by Google

bus in ipſos Catholicos in terris Proteſtanticis exiſtentes, ulterior conſurgit quæſtio, ad quem ergo fuerit devoluta, & quis eam exerceat. Hæc quæſtio pluribus involuta eſt difficultatibus diſtinctim reſolvendis, inde provenientibus, quod juri Diœceſano & Jurisdictioni in ipſo Pacis Inſtrumento nihil *ſubrogatum* legatur. Generalem regulam in hac intricatiſſima quæſtione dat Joan. Pütterus, dum dicit, eo ipſo, quod nihil in Pace Weſtphalica fuerit *ſubrogatum*, *rem libertæ eorum*, *quorum intereſt*, *conventioni*, *vel cæteris paribus analogiæ Juris publici* eſſe relictam (u). Vult dicere, penes illos, quorum intereſt, eſſe, in quem velint hoc jus Diœceſanum transferre, aut hanc quæſtionem eſſe decidendam ex principiis Juris publici, in quantum id fieri poteſt. Alludit hic Author ad *Syſtema Proteſtanticum Collegiale*, quod etiam ipſe defendit. Quidquid jam de hac regula ſit, nos hanc quæſtionem generalem per diſtinctas quæſtiones ſpeciales majoris claritatis cauſa examinabimus, quarum prima eſt,

Et quidem imo apud Proteſtantes, ſi Princeps quoque ſit Proteſtanticus.

Ad quem Jurisdictio eccleſiaſtica apud Proteſtantes pertineat, ſuppoſito quod Princeps quoque ſit Proteſtanticus. Quæſtio hæc quoad ſubſtantiam caret difficultate, quia omnes DD. Proteſtantici eam adſcribunt & vindicant Principi territoriali, ſed non eodem modo: Illi, qui inter *jura Majeſtatica*, & *collegialia* non diſtinquunt, eam Principi *qua Principi*, una cum pleno *jure circa ſacra*, adſcribunt, & pro titulo ipſam ſuperioritatem territorialem allegant (x): cæteri qui *Syſtema collegiale* adoptant, & inter jura *Majeſtatica* & *Collegialia* ſubtiliter diſtinquunt, jurisdictionem eccleſiaſticam ad *jura Collegialia* originaliter referunt, idque ex praxi primitivæ Eccleſiæ probant, pro titulo allegant vel liberam translationem a cœtu in Principes factam (y), vel expreſſam aut tacitam inter ipſum & plebem conventionem, ſuper quo audiatur laudatus Pütterus ita diſſerens: *quod ad ſubditos attinet, ſi & illi, & dominus eorum territorialis Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, nihil eos impedivit, quo minus*

(u) Nova Epitome J. P. lib. 5. cap. 7. §. 570.

(x) D. de Meyern in der Geſetz-mäßigen Beantwortung der Frage: ob ein Catholiſcher Lands-Herr in Deutſchland die Jurisdictionem eccleſiaſticam &c.

(y) Pfaff. Academ. Reden. Iſt ja wohl zu merken, daß das Jus reformandi, und die Jurisdictio eccleſiaſtica von einander ehr zu unterſcheiden. Jenes gehört urſprünglich der Obrigkeit, und iſt ein Jus negativum, ſo der Superioritati territoriali abſolute, ja auch nach dem J. P. anhänget. Dieſe iſt ein Jus collegiale originarie, und poſitivum, ſo der Obrigkeit von der Kirche übertragen, und in J. P. nirgend d.r Superioritati territoriali eingefüget iſt, loc. cit. pag. 462. Item pag. 465.

Digitized by Google

minus Principi non tantum omnia ea jura, quæ jus publicum univerſale ſummo Imperanti circa ſacra tribuit, ſed vel multo plura lubentes concederent, maxime Imperio in ſacris jam cæteroquin aſſueti. Unde ſingulorum Principum Evangelicorum jura circa ſacra, quibus intuitu ſubditorum Evangelicorum utuntur, revera conventione inter Principem ac ſuos cujusque ſubditos ſive expreſſa ſive tacita nituntur, nec proinde omnibus in territoriis Evangelicis eadem ſunt, ſed pactis diverſimode variari queunt, nec vi Superioritatis territorialis, ſed ex ſpeciali illo titulo exercentur (z). En, quomodo ſapientiores, & jurium eccleſiaſticorum collegialium tenaciores Proteſtantes Jurisdictionem eccleſiaſticam, quam ſibi ſtatus Evangelici vindicant, ad pacta, & conventiones alligare ſoleant, eamque nude crude Principibus vindicare piaculo ſibi ducant!

Quid in caſu, ſi ſubditi ſint Proteſtantici, Princeps vero Catholicus & ſæcularis, ad quem pertineat Jurisdictio eccleſiaſtica.

Altera quæſtio eſt, quid dicendum, ſi ſubditi ſint Proteſtantici, Princeps vero ſit Catholicus, & quidem ſæcularis, fortaſſis quod poſt Pacem Weſtphalicam (tempore enim Pacis Weſtphalicæ nemo Principum ſæcularium Catholicorum fuit, qui in ſuo territorio, ſi ditiones quasdam Auſtriacas excipiamus, ſubditos Proteſtanticos habuit), ad ſacra Catholica tranſierit, aut Principi proteſtantico ſucceſſerit. De Principe Catholico eccleſiaſtico jam ſupra dictum: vel enim ſubditi Evangelici anno 1624. habuerunt jus Conſiſtorii proprii, tanquam annexum exercitio ſuæ Religionis, & tunc illud retinent: vel agnoverunt Jurisdictionem eccleſiaſticam, & tunc ei porro ſubſunt, ſed in iis duntaxat caſibus, *qui Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernunt*, ſicuti dictum. Itaque de ſolo Principe ſæculari quæritur. Atque hoc eſt vexatiſſima illa quæſtio, quæ non modo Proteſtanticos & Catholicos, ſed etiam ipſos Proteſtanticos inter ſe mirum in modum colliſos tenet, & in qua Author Excelſus a communi non Proteſtanticorum duntaxat, ſed etiam Catholicorum doctrina, quemadmodum capite ſequenti videbimus, recedit. Nobis liceat communia interea utriusque partis principia, fundamenta, ac doctrinas in medium proferre. Origo hujus quæſtionis referenda videtur ad annum 1664. quo Dux Mecklinburgicus Chriſtianus ad Catholicam Religionem tranſiit, & in Comitiis Ratisbonenſibus a quibusdam Legatis Proteſtanticis quæſtio fuit mota, an Duci illi Chriſtiano, qui cum Duce *Guſtavo Adolpho Condominus* erat, Jus epiſcopale competeret: quin tamen hanc quæſtionem decidere auſi fuerint

Undenam origo hujus quæſtionis petenda.

(z) Loc. mox antea citato.

Catholici & quidam Proteſtantici Principi Catholico jurisdictionem eccleſiaſticam vindicant.

fuerint (a). Et quis libros in hac materia editos in numerum coget (b)? Catholici paſſim in ſimili caſu Principibus ſæcularibus Jurisdictionem eccleſiaſticam vindicant, quibus etiam ex Proteſtanticis quidam accedunt, & inter hos Moſerus ſub nomine ficto Sinceri (c), contra quem ſcripſit de Meyern (d), cui *Acta Pacis Weſtphalicæ* debemus. Proteſtantici cæteri contradicunt, quorum jam fundamenta audiamus, præſertim illius Authoris Anonymi, qui, dum tractatibus Pacis Ryſwicenſis præſens erat, octo quæſtiones Jurisdictionem eccleſiaſticam concernentes movit, easque ſublimiori arbitrio decidendas obtulit.

Contradicunt communius Proteſtantes.

Horum fundamenta.

Primo enim, inquit, ex principiis Catholicorum Principes ſæculares prorſus ſunt incapaces Jurisdictionis eccleſiaſticæ, quam ſi exercere attentant, excommunicationem incurrunt. 2do omni ſanæ rationi contrarium eſt, ut res eccleſiaſticæ dirigantur ab iis, qui ſunt diverſæ religionis, tunc potiſſimum, quando Directores Religionis talibus principiis ſunt imbuti, ut ſalva conſcientia & ſine peccato bonum alterius Religionis promovere nequeant. 3tio Jurisdictio eccleſiaſtica regulanda eſt juxta annum normalem 1624. & tunc habet locum, quando ſubditi eam illo anno agnoverunt: ſed utique in caſu poſito Proteſtantes ſubditi Jurisdictionem eccleſiaſticam Principis Catholici ſæcularis non agnoverunt, cum Princeps ex ſuppoſito nondum fuerit Catholicus. 4to ne ipſi Principes Catholici eccleſiaſtici, etiamſi in annis decretoriis exercuerint jurisdictionem eccleſiaſticam in ſuos ſubditos, eam in toto ſuo ambitu exercere poſſunt, ſed nonniſi in caſibus *Auguſtanam Confeſſionem nullatenus concernentibus* e. g. *in exigendis reditibus, decimis atque penſionibus.* 5to nemo ignorat, *exactam æqualitatem* inter Catholicos & Proteſtanticos eſſe decretam in Inſt. P. W., quæ ſane graviſſime violaretur, ſi Princeps Catholicus ſibi in dato caſu Jurisdictionem eccleſiaſticam in ſubditos Proteſtanticos vindicare vellet: quia certe Catholici in caſu inverſo, quo Proteſtanticus Catholico ſuccederet, nunquam Jurisdictionem

(a) Vid. author Excelſus: Compendium hiſtor. Gravam. Sect. 7. de Jurisd. eccleſ. §. 4. & Pfaffius Academ. Reden pag. 462.

(b) Vid. Collection der Schriften von der geiſtlichen Gerichtbarkeit Catholiſcher Landes-Herren über ihre Evangeliſche Unterthanen, Leipzig 1728. & iterum 1756.

(c) Vid. Jurisdictio eccleſiaſtica Catholiſcher Landes-Herren über ihre proteſtierende Unterthanen.

(d) Geſetz-mäßige Beantwortung der Frage: ob ein Catholiſcher Landes-Herr ꝛc.

ctionem eccleſiaſticam hujusmodi Principi conceſſuri forent: nunquid enim, ſi Epiſcopus Oſnabrückenſis ſuccedat Catholico, exercitium Jurisdictionis eccleſiaſticæ Archi-Epiſcopo Colonienſi cedere debet? 6to nomine *Catholicorum* in art. 5. §. 48. probabilius veniunt Status Catholici non tantum eccleſiaſtici ſed etiam ſæculares, adeoque amborum ſuſpenſa eſt Jurisdictio. Et demum, quod argumentum valde ſtringens eſſe videri poſſet, 7timo eſto ſtatus Catholici eccleſiaſtici ſimul ſint Principes territoriales Jurisdictionem ſæcularem exercentes, tamen non poſſunt exercere aut prætendere Jurisdictionem eccleſiaſticam in ſubditos Proteſtanticos, cur ergo id liceat Principibus Catholicis ſæcularibus? 8vo qua conſcientia Princeps Catholicus poteſt exercere Jurisdictionem eccleſiaſticam in ſubditos Proteſtanticos e. g. conſtituere Paſtores, quos habet pro mercenariis, & veluti prædonibus? Atque hæc ſunt argumenta præcipua Authoris Anonymi, aliorumque Principibus Catholicis in noſtro caſu Jurisdictionem eccleſiaſticam abnegantium.

Fundamenta Catholicorum. Audiamus jam argumenta Moſeri Doctoris Proteſtantici, & Scriptorum Catholicorum, & 1mo quidem inquiunt: habent Principes Catholici ſæculares jus reformandi, quare non Jurisdictionem eccleſiaſticam? 2do Pax Weſtphalica ſtatuit exactam æqualitatem inter Catholicos & Proteſtanticos: quare ergo Principes noſtri Catholici deterioris deberent eſſe conditionis, ac Proteſtantici? 3tio Princeps qui mutat Religionem, & fit Catholicus, manet Dominus territorialis: non enim mutatio Religionis eſt modus anteriorem jurisdictionem amittendi, id quod docet praxis imperii: quia igitur Superioritati territoriali eſt annexa Jurisdictio eccleſiaſtica, quidni eam retineat vel obtineat Princeps Catholicus? 4to Eſto Princeps ſæcularis ex principiis Catholicis ſit incapax Jurisdictionis eccleſiaſticæ *proprietalis*: quid hoc attinet ad Proteſtantes? Relinquant hoc ipſi conſcientiis Catholicorum. Ad hæc 5to cum hæc Jurisdictio eccleſiaſtica aliunde ſe non extendat ad dogmata fidei, & res Religionem & conſcientiam concernentes, quid prohibet, quo minus Eccleſia Principes ſæculares poſſit reddere capaces Jurisdictionis eccleſiaſticæ non tam nomine proprio, quam Eccleſiæ in rebus quodammodo adiaphoris & indifferentibus exercendæ? quemadmodum ipſos quodammodo habilitavit ad alia jura eccleſiaſtica charactere Epiſcopali neceſſario non annexa e. g. ad jus Patronatus, & quondam ad jus convocandi Concilia, illis in certo ſenſu præſidendi. Nec dicant Proteſtantes, quod tali modo Principes Catholici hanc Jurisdictionem exerceant tanquam Vicarii Epiſcoporum, & Cleri Pontificii,

Digitized by Google

ficii, id quod eſt contra principia Religionis Proteſtanticorum, qui ſe non patiuntur ſubjici Pontifici, illius Vicariis aut Clericis: nam quid hoc ad Proteſtantes? Iterum dicimus, quod ad ipſos non pertineat, ex quibuscunque principiis Principes ſæculares Catholici hanc jurisdictionem exerceant. 6to quamquam Catholici ſint incapaces jurisdictionis eccleſiaſticæ *proprie talis* ex jure divino Epiſcopis propriæ, ſunt tamen capaces Jurisdictionis *improprie talis*, qualis eſt hæc novitia, noviter introducta, & irregularis, quam Proteſtantes ex Superioritate territoriali, translatione, conventione, praxi & obſervantia Imperii introduxerunt.

Sunt Principes Catholici ſæculares capaces Jurisdictionis eccleſiaſticæ improprie talis.

Priusquam argumentis primæ ſententiæ ſatisfaciamus, quanti ponderis ſint argumenta ſententiæ reſpective Catholicæ, videamus, & quasdam deſuper annotationes faciamus: atque illud præprimis annotamus, quædam horum argumentorum, ea præcipue, in quibus *ex jure reformandi* & *Superioritate territoriali* concluditur ad Jurisdictionem eccleſiaſticam, unice probare contra illos Proteſtantes, qui illam *ex Superioritate territoriali* derivant, & veluti appendicem *Juris reformandi* habent, non vero contra alios, qui illam inter *jura collegialia* numerant, & ex libera ceſſione cœtus ſeu plebis, aut conventione in Principes translatam exiſtimant: hi enim novo argumento contra Catholicos aſſurgunt, dicentes, quod in caſu, de quo hic diſputamus, Jurisdictio eccleſiaſtica, tanquam *Jus Collegiale*, ad cœtum proteſtanticum revertatur (e), de quo quia præſumi nequit, quod eam velit transferre in Principem Catholicum a ſuis ſacris alienum, ſane talis Princeps eam nullo jure exercere poteſt, ſed potius ipſe cœtus eam per ſe, vel per ſuos Deputatos, aut Conſiſtoria exercebit. Alterum, quod hic annotari meretur, concernit ea, quæ de Jurisdictione eccleſiaſtica Principum, quam *improprie talem* vocavimus, dicta ſunt: nam, ut ait Pfaffius contra Moſerum (f), quomodo exercere Jurisdictionem impropriam

Argumenta Catholicorum non probant contra omnes Proteſtantes.

An Jurisdictio eccleſiaſtica, quam exercent Principes Proteſtantici, ſit proprie.

(e) Vid. ſupra dicta, & mox infra dicenda de Conſiſtoriis.

(f) Wer leges eccleſiaſticas gibt, Pfarrer ein- und abſetzet, die geiſtliche Güter adminiſtriret, geiſtliche Strittigkeiten entſcheidet ꝛc. der exercirt das Jus Diœceſanum und Jurisdictionem eccleſiaſticam in ſenſu proprio. Wie man den ſenſum improprium daraus zwingen möge, kan ich nicht abſehen. Was würde man gegneriſcher ſeits ſagen, wenn ein Evangeliſcher Fürſt die Jurisdictionem eccleſiaſticam über Catholicos tam Clericos quam Laicos exercirte, und damit ſich excuſirte, es wäre keine Jurisdictio propria, ſondern nur impropria? würde man ſich dann mit dieſer Diſtinction abſpeiſen laſſen? Academ. Reden pag. 455.

Digitized by Google

vel impropriè talis. priam dici poteſt ille, qui exercet actus Jurisdictionis propriiſſimos, judicat de cauſis eccleſiaſticis, conſtituit miniſtros Eccleſiæ, adminiſtrat bona eccleſiaſtica? Quid ſi Princeps Evangelicus Jurisdictionem eccleſiaſticam in Catholicos tam Clericos quam Laicos exercere attentaret ſub prætextu, hanc Jurisdictionem eſſe *impropriam?* num æquo animo id toleraturos fore Catholicos exiſtimamus?

At vero hæc tanti non ſunt, ut Catholicorum argumenta infringant. Sit noſtra pace jurisdictio eccleſiaſtica in ipſorum principiis jus qualecunque ſive *Superioritati territoriali, & juri reformandi* annexum, ſive *Collegiale.* Catholici tenent, quod jurisdictio eccleſiaſtica non quidem propriè talis, qualem ex jure divino exercent Epiſcopi (aut ſi Principes talem exerceant, id faciunt nomine Eccleſiæ modo ſuperius explicato), ſed talis, qualem exercent Principes Proteſtantici, videlicet *impropriè talis,* vigore Pacis Weſtphalicæ æque ad Principes Catholicos pertineat, quam ad Proteſtanticos, qualiacunque demum ſucceſſive principia Doctores Proteſtantici adoptaverint, quæ ad Catholicos non pertinent. Et quare Catholici ſe in omnibus, & per omnia principiis Evangelicorum accommodare deberent, in quibus ferme in dies variant? Quare ipſi ſe noſtris principiis non accommodant? e. g. nos Catholici docemus, quod Principes ſæculares ſint incapaces Jurisdictionis eccleſiaſticæ & quod hæc ad Epiſcopos pertineat: & tamen ipſi nullo habito reſpectu ad principia Catholicorum eam ex parte Epiſcoporum ſuſpenderunt, & in Principes Laicos transtulerunt. Econtra, quia ipſi docent, quod Jurisdictio eccleſiaſtica ſit jus collegiale; & cum a cœtu Proteſtantico neutiquam in Principes Catholicos eam translatam eſſe, præſumi poſſit, jam a Catholicis illorum principiis foret aſſurgendum, & noſtris Principibus omnis Jurisdictio eccleſiaſtica in ſuos ſubditos Proteſtanticos adimenda. Quæ hæc æqualitas, quam tantopere urgent Proteſtantes? Eatenus nos accommodamus illorum principiis, ſi ſalva conſcientia poſſumus, quatenus in Pace Weſtphalica ſunt fundata ac ſtabilita.

An Catholici ſe accommodare debeant principiis Proteſtantiorum, in quibus toties variant.

Quæ Proteſtanticorum principia tempore P. W.

Tempore Pacis Weſtphalicæ illud ſolum ex ore Proteſtanticorum audiebatur: *cujus eſt Regio, illius eſt Religio.* Sola Superioritas territorialis credebatur eſſe veluti Domina Religionis: huic primitus Proteſtantes ſuas doctrinas *de Jure circa ſacra, de jure reformandi* tanquam fundamento ſuperædificabant. Nemo ſane tempore P. W. aut paulo poſt, dum Conringius aliique ſequaces Jurisdictionem eccleſiaſtico-proteſtanticam ſuis Principibus competentem excuderunt, de ſyſtemate collegiali, de diſtinctione inter jura *majeſtatica & collegialia,* de Jurisdictione eccleſiaſtica veluti jure collegiali ad cœtum pertinente, & ab hoc ad Princi-

Digitized by Google

Syſtema collegiale noviter excogitatum, quare & quomodo?

Principes devoluta ſomniabat. Sunt hæc & his ſimilia noviter excogitata & excuſa a Doctoribus Proteſtanticis, Theologis præſertim, qui dum optime perſpiciebant errores, quos commiſerunt antiquiores Jurisconſulti, & antiquioris ſyſtematis Proteſtantici fabricatores, quando adulandi, rebusque ſuis domeſticis meliorem in modum proſpiciendi ſtudio *jus circa ſacra* pleniſſimum in Principes tranſtulerunt, rebus & authoritati ſuæ Eccleſiæ & Paſtorum illius melius conſulere, atque partem jurium eccleſiaſticorum illis ereptorum vindicare volentes, demum ad ſyſtema collegiale delapſi ſunt. Quodſi jam Catholici toties in ſuis principiis variare, eaque mutare debent, quoties Proteſtanticis ſua principia, & ſyſtemata variare placet, quorſum demum res deveniet? Itaque Catholici Jurisdictionem eccleſiaſticam vindicant Principibus Catholicis ex principiis tum Paci Weſtphalicæ, tum principiis Proteſtanticorum antiquiorum conformibus.

Principes ſæculares ſecundum principia Catholicorum nequeunt exercere Jurisdictionem eccleſiaſticam proprie talem.

Quantum ad Jurisdictionem eccleſiaſticam præſertim proteſtanticam, Catholici nunquam conceſſerunt, nec concedere poſſunt, quod Proteſtantes aut alii etiam Principes ſæculares Catholici veram Jurisdictionem eccleſiaſticam exerceant: cum hæc ex jure divino ad ſolam Eccleſiam, illiusque Præſules pertineat, ita tamen, ut Eccleſia etiam Laicos ad quosdam ſaltem actus Jurisdictionis charactéri Epiſcopali eſſentialiter non annexos eatenus habilitare poſſit, ut eos tam nomine proprio quam Eccleſiæ exerceant, quemadmodum ex dictis Eccleſia œconomiæ cauſa Imperatoribus, Regibus, aliisque indulſit varia jura eccleſiaſtica e. g. conſtituendi Epiſcopos, jus Patronatus &c. Eſt igitur hæc Jurisdictio eccleſiaſtico-proteſtantica nonniſi impropria, & analogice talis. Sunt quidem actus illi nominati, aut potius videntur eſſe actus jurisdictionis eccleſiaſticæ, ſed nonniſi *analogicæ*, utpote qui exercentur ab illo, qui veram Jurisdictionem nec habet, nec habere poteſt. Sunt tales actus ſimiles illis, qui in materia civili exercentur a Judice incompetente, nulla jurisdictione prædito. Ad ſummum in *ſenſu Juris publici*, ſuppoſito, quod ex Pace Weſtphalica, & ceſſione legitima cœtus Proteſtantici jurisdictio eccleſiaſtica ad Principes ſæculares fuerit devoluta, tales actus ſunt actus Jurisdictionis eccleſiaſticæ, haud ſecus, quam Religio Proteſtantica nonniſi *in ſenſu Juris publici*, neutiquam *Theologico* apud Catholicos eſt vera & legitima. Itaque, cum æque Catholici, ac Proteſtantes ſint Domini territoriales, etiam Principes Catholici Jurisdictionem eccleſiaſticam in *ſenſu Juris publici* exercere, & quidem eo magis poſſunt, quod Eccleſia Catholica eos eatenus habilitare ad exercitium illius poſſit, ut illud nomine Eccleſiæ, & eo modo

Jurisdictio eorum eſt improprie eccleſiaſtica.

Aut ſi proprie talis, tunc ſolummodo in ſenſu Juris publici.

Talem etiam Principes Catholici exercere poſſunt.

modo exerceant, quo modo jura eccleſiaſtica diverſa olim Imperatores & Reges exercuiſſe leguntur. Quodſi Proteſtantes titulum legitimum exercendi Juriſdictionem eccleſiaſticam in Catholicos extra materiam fidei & conſcientiæ allegare valeant, poſſunt aliunde eam exercere, quin opus habeant ad *titulum coloratum* confugere, qualis eſt, quod hæc *Juriſdictio ſit impropria: Titulum* ſi non habeant, neque *propriam*, neque *impropriam* arripere, ſibique violenter vindicare poſſunt. Interim ea diſcretione uti debent Principes Catholici, ut nihil, quod Confeſſioni Auguſtanæ, aut conſcientiæ repugnat, ſuis ſubditis imponant, eos ſecundum ſua principia vel per Conſiſtoria, vel per Deputatos, niſi ex lege publica Conſiſtoria erigere debeant (g), judicent. Et quidni poſſint etiam Principes Catholici eo modo agere cum ſubditis Proteſtanticis, quo modo agitur in Italia, Germania, Polonia, Hollandia &c. cum Judæis, aut in Tranſylvania cum Socinianis? qui ſimpliciter tolerantur, quin ſibi Principes Juriſdictionem Synagogicam in Judæos, aut eccleſiaſticam in Socinianos vindicent, ſed ſolam inſpectionem ſupremam reſervent. Et hinc Judæi libere ſibi Rabbinos, Sociniani ſacerdotes eligunt, & ſua ſacra dirigunt. Sed de Conſiſtoriis infra. Quodſi jam rationes ſupra in favorem Principum Catholicorum allatæ hiſce principiis juventur, & ſecundum hæc dirigantur, magni eſſe ponderis jure optimo cenſentur.

Argumenta contraria diluuntur.

An a ratione contrarium, ut Epiſcopus in Proteſtantes exerceat ſuam juriſdictionem eccleſiaſticam.

Jam ſatisfaciendum argumentis ſupra allatis, quorum pleraque ſua ſponte corruunt ex dictis, & quidem quoad primum & ſecundum conſtat ex rationibus mox allatis, qualem juriſdictionem Catholici vindicent ſuis Principibus, & quo titulo eam exercere valeant. Cœterum negari non poteſt, a parte rei abſonum, & ſanæ rationi contrarium & difficile videri, ut ſacra Proteſtantica ſubſint juriſdictioni Principis Catholici. Verum lex ita ſcripta eſt, licet rigida ſit. Sibi adſcribant Proteſtantes, quod talia adoptaverint principia, ex quibus tot ſequuntur abſurda: quare enim Juriſdictionem Epiſcoporum ſuſpenderunt, eamque ſuperioritati territoriali primitus adſcripſerunt? Dabimus ſimiles caſus: an non Imperator Catholicus exercet ſupremam Advocatiam in Religionem & Eccleſiam Proteſtanticam, quam falſam eſſe autumat? an non hinc inde Catholici præſentant Paſtores Proteſtanticos, & econtra Proteſtantici Catholicos ad beneficia? Nunquid hoc abſonum, difficile & Eccleſiis nocivum eſſe videtur? Iſtud tamen vel

(g) Quemadmodum Hildeſii, de quo vid. Struvens Neben-Stunden zweyter Theil, VI. Abhandlung vom Simultaneo.

Digitized by Google

vel ex hoc capite difficile non debet accidere, quod uſus jurisdictionis eccleſiaſticæ in ſubditos Proteſtanticos non ſit arbitrarius, non extendatur ad res Religionis & conſcientiæ, & deboat eſſe conformis principiisProteſtanticis, & ſæpe ſæpius per Conſiſtoria aut Deputatos fieri debeat. Quoad 3tium ſine dubio jurisdictio eccleſiaſtica Epiſcoporum regulanda eſt ſecundum annum 1624. utpote de qua §. 48. & 31. loquitur, ſed non Principum ſæcularium, quam ſibi Principes vindicant vel ex Superioritate territoriali, vel ex jure devolutionis, translationis, ceſſionis, aut conventionis. 4ta ratio nihil probat, quia jurisdictio Principum Catholicorum ſæcularium ſe non extendit ad caſus Religionis & conſcientiæ. Quoad 5tum ſane diſpar & toto cœlo diverſa eſt ratio inter caſum, quo Princeps Catholicus ſæcularis ſuccedit Proteſtantico & alterum, quo Proteſtanticus ſuccedit ſæculari Catholico: nam jurisdictio eccleſiaſtica Principum ſæcularium ſupponit ſuſpenſam jurisdictionem Epiſcoporum, eoquod eam in anno normali non exercuerint. Quia igitur in territoriis Principum ſæcularium Catholicorum jurisdictio Epiſcoporum in ſubditos Catholicos nunquam fuit ſuſpenſa, eamque Epiſcopi conſtanter etiam in anno normali ita dicto exercuerunt, ſane Princeps Proteſtanticus Catholico ſuccedens eam ſolo titulo Superioritatis territorialis prætendere non poteſt, quia hæc ſola non fundat Jurisdictionem Eccleſiaſticam in ſubditos diverſæ Religionis, ſed ſupponit ſuſpenſionem jurisdictionis Epiſcopalis vigore Pacis Weſtphalicæ factam. Aliter ſe rem habere in noſtro caſu primo intuitu patet. Quoad 6tum ex ſupra dictis conſtat, quod nomine *Catholicorum* non intelligantur ſtatus Catholici ſæculares. Quoad 7timum haud adeo difficilis eſt reſponſio, nam cum ſuſpenſio jurisdictionis epiſcopalis ſit facta in favorem Proteſtanticorum, neceſſario fuit providendum, ne iſte favor eſſet ſine effectu: & hinc neceſſario debuit Principum eccleſiaſticorum jurisdictio, non illa duntaxat, quæ ipſis qua *Epiſcopis*, ſed etiam qua *Principibus* competit, ſuſpendi: alias enim diſpoſitio Pacis in favorem ſubditorum Proteſtanticorum facta facile poſſet elidi a Principibus eccleſiaſticis, ſi ſua jurisdictione jam non qua Epiſcopi, ſed qua Principes uterentur. Quoad 8vum ex dictis patet reſponſio. Relinquant hæc & his ſimilia Proteſtantes conſcientiis Catholicorum, quos apud Deum excuſabit ferrea neceſſitas, & ſalus Religionis Catholicæ, ob quam in ſimilia pacta reſpective rationi & conſcientiæ contraria debuere conſentire, & inter duo mala minus eligere. De hac vexatiſſima controverſia redibit quæſtio in cap. ſequenti, ubi ſententiam Authoris Excelſi dilucidabimus.

Diſpar ratio quoad Jurisdictionem Eccleſiaſticam inter caſum, quo Catholicus Proteſtantico, & caſum, quo Proteſtanticus Catholico ſuccedit.

Tertia

Digitized by Google

Quid in caſu, ſi Princeps ſit Proteſtanticus, ſubditi vero Catholici quoad jurisdictionem eccleſiaſticam.

Tertia quæſtio eſt, quid dicendum ſi Princeps ſit Proteſtanticus, ſubditi vero ſint Catholici, an & quomodo in hoc caſu ille ſuam jurisdictionem exerceat.

Id ſolummodo ex Art. 5. §. 48. clarum eſt, quod in hoc caſu *Catholici eodem jure cenſeantur*, quo A. C. addicti, adeoque jurisdictio Epiſcoporum aliter non obtineat, niſi in quantum eam *exercuerunt*. Quis autem eam exercere debeat, aut ad quem fuerit devoluta, textus non dicit. Profecto in hoc caſu ne ipſi quidem Proteſtantes conveniunt. Boehmer (h), aliique ſuperioritati territoriali faventes illam Principi vindicant: alii vero, qui *Syſtema collegiale* adoptant, & jurisdictionem Eccleſiaſticam inter jura collegialia numerant, imo eam *originaliter conventionalem* eſſe autumant (i), illam Principi denegare non verentur, ea ſine dubio ex ratione, quod præſumi nequeat, Catholicos voluiſſe ſuam jurisdictionem ad ſuum cœtum reverſam transferre in Principes a ſua Religione alienos.

Quomodo Princeps Proteſtanticus in caſibus Religionem conernentibus debeat conſulere Catholicis.

Inde oritur quæſtio, quomodo in caſibus conſcientiam attingentibus Princeps Proteſtanticus, ſuppoſito, quod ad ipſum pertineat Jurisdictio eccleſiaſtica, ſubditis Catholicis conſulere debeat. Reſpondet Boehmerus, quod in ſimili caſu poſſit conſtituere Vicarium Generalem, & id officii demandare Prælato Catholico, huncque neceſſaria poteſtate inſtruere (k).

Quid dicendum in ſyſtemate collegiali.

Opinio quorumdam Proteſtantium de Eccleſia derelicta.

Sed quid in altero *Syſtemate Collegiali*, quo jurisdictio eccleſiaſtica ad cœtum pertinere dicitur? Hæc ipſa quæſtio locum habet in caſu, quo Princeps Catholicus ſub ſua poteſtate habet ſubditos Proteſtanticos: quæritur enim, quisnam in cauſis Religionem & conſcientiam concernentibus jurisdictionem exerceat, & judicia eccleſiaſtica conſtituat. Proteſtantes ſane nobiliſſimi exiſtimant, quod in utroque caſu Jurisdictio revertatur ad cœtum ſubditorum, hisque jam jus conſtituendi

(h) Boehmer Conſult. J. E. Reſp. 18. f. 185.

(i) Pfaff. loc. ſupra cit. & iterum pag. 464 ſic ait: die Unterthanen ſind Jurisdictionis eccleſiaſticæ fähig, weil ſolche urſprünglich conventionalis iſt. Et iterum, Ich habe oben geſagt, daß die Principes Proteſtantes keine Jurisdictionem eccleſiaſticam über ſubditos Proteſtanticos exerciren, pag. 468.

(k) Tom. 1. Conſultat. Reſponſo 15. ſo iſt der Schluß leicht zu machen, daß, ſo weit ein Evangeliſcher Landes-Herr in ſeinen Landen auch die geiſtliche Gewalt über die Catholiſche Unterthanen und Clöſter auszuüben befuget iſt, er auch ſolche Macht einem Catholiſchen Prälaten geben, und ihn mit nöthiger Inſtruction dieſerwegen verſehen könne.

Digitized by Google

endi judicia & Conſiſtoria eo minus denegari poſſit, quo certius eſſe videtur, quod ſuppoſitis ſimilibus circumſtantiis ſubditorum cœtus ſe habeat inſtar Eccleſiæ *derelictæ*, quæ jam ipſa jure ſuo ea, quæ ad ſalutem ſuam pertinere videntur, curare poteſt, ita tamen ut Principi ſuprema inſpectio in ſalvo maneat. Hujus opinionis ſunt Joan. Floerckius (l) Pfaffius (m) & Boehmerus (n). Provocat Boehmerus ad antiquam Eccleſiæ praxin, & ad tempora, quibus Catholici adhuc ſub Imperatoribus ethnicis degebant, quibus nulla fuit cura Eccleſiæ, nec eſſe potuit, & hinc inter ſe ipſos mutuo pacto judicia conſtituebant, & cauſas controverſas inter ſe decidebant, quin tamen quamdam Rempublicam conſtituerint. Et ideo neque veram exercebant jurisdictionem, ſed nonniſi ſimplices ordinationes ad inſtar Collegii ſimplicis faciebant. Atque hoc idem eſſe poſſibile, ac fieri poſſe in cœtibus chriſtianis nemo negaverit, & docet praxis, quod in pluribus locis hujusmodi Conſiſtoria ſint inſtituta e. g. Hildeſii, Oſnabrugæ, Erforti, in Palatinatu, in Saxonia Electorali, in Ducatu Würtenbergenſi (o).

Opinio Catholicorum. Sed quid ad hæc Catholici, qui principia Proteſtanticorum de *conceptu* Eccleſiæ, quaſi vero Eccleſia ſit ſimplex Collegium, & cœtus habens ſua *jura Collegialia*, non admittunt, ſed Eccleſiam veluti Rempublicam, in qua Præſules jurisdictionem exercent, reſpiciunt? Hi procul dubio ſuis Principibus Proteſtanticis gratias habebunt, ſi ipſis facultatem impertiantur conſtituendi judicium, & Conſiſtorium, non ex ea ratione, quod cum Proteſtanticis exiſtiment, ſibi competere jura Collegialia ex primæva Eccleſiæ inſtitutione, ſed quod hac ratione

(l) Diſſert. de Jur. Princ. §. 33.

(m) Acad. Red. pag. 465.

(n) Loc. cit. Reſp. 16. N. 42. cujus verba hæc ſunt: Man hält es für abſurd, daß die Gemeine ein eigen judicium beſtellen, und ſolches independenter exerciren könne. Ich halte es nicht dafür, und beziehe mich hiebey auf die praxin primitivæ Eccleſiæ: Daſelbſt lebten die Chriſten unter ſolcher Obrigkeit, die ſich um die Streitigkeiten in Kirchen-Sachen nicht bekümmerte, noch bekümmern konnte. Dahero ſie per pactum ein judicium formirten, welches über die Streitigkeiten in Kirchen-Sachen judicirte teſte Tertulliano in Apolog. cap. 39. plura vid. loc. cit.

(o) Plura vide ſis in Struvens Nebenſtunden Tom. 2. Abhandlung 6. von dem Simultaneo und Jure Conſiſtorii. Item Tom. 3. Abhandlung 15.

tione ſuis rebus meliorem in modum & melius proſpicere poſſint, quam ſi Principes ipſis Judices inviſos obtruderent. Quodſi vero in caſu inverſo Principes ſint Catholici, & ſubditi Auguſtanam Confeſſionem profiteantur, poterit quidem Princeps ſuis quoque ſubditis hujusmodi facultatem impertiri, ſed eo ipſo, quod conceptum Eccleſiæ a Proteſtantibus noviter excuſum non recipiat, neque *jura Collegialia*, & ſpeciatim Jurisdictionem eccleſiaſticam tanquam *jus Collegiale* penes cœtum reſidens agnoſcat, nulla lege ad id ſe obligatum profitebitur, ſed pro ſuo libitu judicia pro ſubditis Proteſtanticis ordinabit, quamquam hinc inde Principes pactis obſtricti ſint, ut Conſiſtoria inſtituant.

Cuinam jurisdictioni Principes ſubjaceant in cauſis Religionis.

Supereſt unicus ſcrupulus breviter diſſolvendus, cuinam ergo jurisdictioni eccleſiaſticæ ſubjaceant Principes territoriales Proteſtantici, tum in cauſis proprias perſonas concernentibus, tum in cauſis, in quibus ſuam jurisdictionem in ſubditos Evangelicos exercent. Profecto nulli, nec primæ nec ſecundæ, hoc ipſo, quod a jurisdictione eccleſiaſtico-Catholica exempti ſint, ſicuti plerique Proteſtantes defendunt. Sed nequidem hujusmodi cauſas ad ſuprema Imperii tribunalia etiam ex *capite nullitatis* trahi patiuntur, tum quod modus procedendi in cauſis eccleſiaſticis plerumque ſit ſingularis, extraordinarius, & a modo procedendi in cauſis ad Cameram ſpectantibus diverſus (p), tum quod Proteſtantes velint eſſe pares Catholicis, & eodem jure frui. Quemadmodum ergo cauſæ Religionis Catholicæ nequidem ex capite *nullitatis* ſummorum tribunalium jurisdictioni ſubjiciuntur, ita & ſuas ab omni jurisdictione ſuperiori exemptas volunt. Quam ob rem non ſine ratione Viſitatores Cameræ Evangelici ſuæ Religionis aſſeclas ab ejusmodi cognitione abſtinere juſſerunt (q). Idcirco exiſtimat Pütterus, tales cauſas Principum Proteſtanticorum eccleſiaſticas a judiciis propriis accedente transmiſſione Actorum ab impartialibus tum JCtis, tum Theologis judicari poſſe (r). Huic ferme communi Proteſtanticorum

Nullam volunt jurisdictionem agnoſcere, ne quidem ſupremorum tribunalium, & quare.

(p) Vid. Vorſtellung ad Corpus Evangelicum apud Pfeffingerum. lib. 3. Tit. 2. pag. 287.

(q) Vid. *Commune concluſum viſitatorum Cameræ Proteſtantium* de anno 1713. 19. Decemb. confectum, & Cameræ Præſidi Evangelico oblatum, quod exhibet Pfeffingerus loc. cit. pag. 288.

(r) Epitom. J. P. lib. 5 pag. 279. ubi ſic: *nec ſecundæ nec primæ inſtantiæ ſubſunt, ſed vel in ſuis ipſorum cauſis eccleſiaſticis haud aliter, quam a propriis judiciis, quod nec cœteroquin obſervantiæ Germanicæ repugnat, inprimis accedente transmiſſione actorum ad impartiales tum JCtos, tum Theologos, judicari poſſunt.*

Digitized by Google

corum doctrinæ ſe vehementer opponit Joan. Tobias Cramerus JCtus Proteſtanticus celeberrimus in ſua Diſſert. *De eo quod juſtum videtur circa Appellationem a ſtatibus Imperii Evangelicis ad Imperatorem in cauſis eccleſiaſticis* (s), ubi duas quæſtiones ponit præjudiciales, quarum prima eſt, quo reſpectu Principes Proteſtantici *jus circa ſacra*, jurene Epiſcopi, an vero jure ſuperioritatis territorialis; & quo jure eam Conſiſtoria Proteſtantica exerceant: altera eſt, an & in quo ſenſu apud Proteſtantes dentur *res ſpirituales*, & ad quem judicem harum cauſæ pertineant. In prima reſolvit, illud *jus in ſacra* non modo a Principe, ſed etiam a Conſiſtoriis non jure Epiſcopi, ſed territoriali exerceri, adeoque Conſiſtoria Principem non qua Epiſcopum, ſed qua Dominum territorialem repræſentare; & hinc ea potius pro judiciis ſæcularibus quam eccleſiaſticis eſſe habenda. Ipſius verba audiamus: *Proinde inſigniter errant*, ait, *quidam Theologi docentes, ipſum Dominum territorialem ſuo ſubeſſe Conſiſtorio, cum jus ſacrorum non Conſiſtorio, ſed unice Domino territoriali in legibus Imperii fundamentalibus adſcribitur. Rectius itaque & legibus Imperii fundamentalibus magis conforme eſt dicere, Principem & ſuperiorem Jus circa ſacra exercere jure ſuperioritatis territorialis. Unde iterum ſequitur, Dominos territoriales Evangelicos non eſſe Epiſcopos, & Conſiſtoria eorum eſſe ſæcularia* (t).

Alteram quæſtionem præjudicialem ita reſolvit, quod in foris Proteſtantium præter verbum divinum, & ſacramenta cauſæ aliæ ſpirituales plane ignorentur, ac proin res eccleſiaſticæ, quæ apud Catholicos paſſim nomine ſpiritualium veniunt, a judiciis ſæcularibus neutiquam ſint exemptæ, adeoque omnes controverſiæ deſuper ortæ ad ſæcularem pertineant poteſtatem.

Ex his autem deducit citatus Author, quod, cum æque Principes ac eorum *Conſiſtoria* ſuum *jus in ſacra* nonniſi jure Superioritatis territorialis exerceant, & nullas res *ſpirituales* in ſenſu Juris Pontificii agnoſcant, nulla ratione judicio Romanæ curiæ, bene vero ſupremis Imperii tribunalibus ſubjaceant. Hoc ipſo enim, quod *jus circa ſacra* ſit pars *Jurisdictionis territorialis*, quam a Cæſare dependere & eſſe ſubalternam, nemo negaverit, Principes Proteſtantici ſe ſuasque cauſas eccleſiaſticas Imperatori & ſupremis Imperii tribunalibus ſubducere non poſſunt, quo minus per viam appellationis ad ea devolvi, & ab iis judicari queant. Et quis neſcit, quod ſuprema Imperii tribunalia in

(s) Francofurti & Lipſiæ 1758.
(t) Pag. 8.

Digitized by Google

in aliis cauſis eccleſiaſticis e. g. in *jure Patronatus* toties judicandi facultatem habeant, quoties lis eſt inter duos Imperii ſtatus (u)? quare non in cauſis eccleſiaſticis, quæ inter ſtatum & ſuos ſubditos controvertuntur, & ipſum Principem attingunt? quoniam vero hæc res ſolos ſpectat Proteſtantes, eosque inter ſe colliſos tenet, ulteriori diſquiſitione ſuperſedendum duximus (x). Hæc de Syſtemate communi hactenus communius recepto dicta ſufficiant. In quantum id faciamus noſtrum, dabit ſequens

CAPUT VIII.

De Jure reformandi, Simultanei & Jurisdictionis Epiſcopalis ſecundum ſyſtema novum.

§. I. *Quædam ex dictis recapitulantur.* II. *De Autonomia ſeu libertate conſcientiæ, quid de ea in Pace Religioſa; quid poſt eam, & in Pace Weſtphalica actum ex Authore Excelſo.* III. *De exercitio Religionis publico, Declaratione Ferdinandea, anno* 1624. *quid in utraque pace ſtatutum.* IV. *De anno normali in ſpecie.* V. *Hiſtoria.* §. 30. *Art. V. P. W. evolvitur ex Authore Excelſo.* VI. *Item hiſtoria* §. 31. *Art.* 5. VII. *De Jure Simultanei.* VIII. *De Juriſdictione eccleſiaſtica ex eodem Authore.* IX. *Singulares quædam illius doctrinæ.* X. *Illius laus.*

§. I.

Præcipua capita novi Syſtematis, cujus *Authorem Excelſum* ſæpius dilaudavimus, cap. præced. §. 1. in compendio dedimus, aliqua eorum in præcedentibus fuſius deduximus, quæ hic neceſſario ſunt recapitulanda, ne antiquam, ut ajunt, Crambem recoquere debeamus, & dicendis multam lucem affundent, ea præcipue, quæ *de libertate conſcientiæ, de indulgentia exercitii publici, de Declaratione Ferdinandea, de Jure*

(u) In hanc rem adducit Cramerus Art. 5. §. 52. & 54. P. W. & ordinationem Judicii Imperial. Aulici Tit. 1. §. 2.

(x) Vid. idem Author, ubi etiam contrariæ opinionis fundamenta diluit.

Digitized by Google

Jure Reformandi, Simultanei, ac Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſuſiori calamo deduximus. Ut ergo Syſtema novum plenius intelligatur, de his ſpeciatim agendum, & in quo a Syſtemate antiquo differat, diſpiciendum. Sit ergo

§. II.

Libertatem conſcientiæ Proteſtantes miris efferunt laudibus.

Ex omnibus retro actis, & hiſtoriis Reformationis conſtat, quod Proteſtantes nihil magis, quam *Autonomiam* ſeu *libertatem conſcientiæ*, & exercitium tam privatum, quam publicum quæſiverint. Hic loquimur unice *de Autonomia* ſeu exercitio privato, & libertate conſcientiæ. Hanc enim Proteſtantes ſemper ſuſpexere velut *Anchoram* ſuæ ſalutis, & *Palladium* ſuæ Religionis: ad hanc obtinendam omnia ſua dirigebant conſilia: hanc urgebant in Pace Religioſa, Weſtphalica, & gravaminibus in immenſum multiplicatis, ſub prætextu libertatis conſcientiæ, eblandiebantur *amicabilem compoſitionem* contra vota majora in negotiis Religionis, extorquebant *jus eundi in partes* in cauſis eccleſiaſticis, vel etiam, uti nunc prætendunt, politicis.

Autonomia ſeu libertas conſcientiæ ex Actis publicis ab Authore Excelſo dilucidatur.

Eam non impetrarunt in Pace Religioſa.

Ordiamur igitur ab *Autonomia* ſeu exercitio privato Religionis, & quid de ea ex actis publicis referat Author excelſus, videamus. Mox ab initio tractatuum Pacis Religioſæ Proteſtantes pro omnibus utriusque partis ſubditis libertatem Religionis poſtulabant. Sed hæc petitio mox a limine rejecta fuit, dum Rex Ferdinandus declaravit, ſe potius omnes Pacis tractatus abrupturum, quam huic poſtulationi conſenſurum. In fine tandem in vim *libertatis conſcientiæ* ſolum *jus emigrationis* impetrarunt ſubditi, qui diverſam a Domino ſequerentur Religionem (y).

Gravamina Proteſtantium contra emigrationem neceſſariam usque ad P. W. pro obtinenda libertate conſcientiæ.

Tempore illo intermedio inter Pacem Religioſam & Weſtphalicam varia, eaque ferme quotidiana offerebant Comitiis Imperii gravamina, inter quæ illud huc pertinet, quod anno 1576. obtulere contra emigrationem neceſſariam ſubditis Proteſtanticis a ſtatibus Catholicis impoſitam ſub prætextu, *quod hi ſubditi nullum publicum Religionis exercitium, ſed ſolam conſcientiæ libertatem peterent* (z). Sed quid ad hoc Catholici? nihil aliud opponebant, niſi ſtandum eſſe *Paci Religioſæ*, in

(y) Vid. dicta ſupra Quæſt. 2. cap. 4. §. 8. pag. 332. Item Author. Excel. Compend. Hiſt. Gravam. cap. 1. §. 7. Burgkard Autonom. pag. 75. 117. 355. Edit. 2.

(z) Vid. Hiſt. Gravam. pag. 42. & Lehman. pag. 129.

Digitized by Google

in cujus litera clara de *emigratione neceſſaria* foret proviſum, quippe quod Proteſtantes ipſi ad eam provocaverint, dum eccleſiaſticos ex ſuis territoriis ejecerunt, eorumque bona occuparunt (a). In Comitiis anno 1582. iterum de libertate conſcientiæ actum, dum Proteſtantes emigrationem ſubditorum in ſola eorum libertate poſitam eſſe affirmabant, id quod Catholici conſtanter pernegabant (b). Eadem a Proteſtantibus contra *Emigrationem neceſſariam* gravamina repetebantur in Comitiis an. 1594. & 1598. celebratis, quibus Catholici conſtanter contradicebant (c). Et demum iterato proponebantur in Comitiis de an. 1613., in quibus cum ſe nullam favorabilom ſententiam obtenturos facile prævidebant, rebus infectis Comitia deſeruerunt, a quo tempore ſtatus Imperii nonniſi poſt lapſum 30. annorum ad Comitia convenere (d).

Quid in Pace W. de libertate conſcientiæ actum.

Ad Pacem Weſtphalicam tranſitum faciamus, & quid in ea circa *libertatem conſcientiæ* & exercitium Religionis privatum fuerit agitatum, videamus. Dum de Pace ineunda agebatur, Proteſtantes anno 1645. iterum ſua gravamina primitus quidem Cæſareo, poſthac Directorio Moguntino offerebant, iterum iterumque contra *emigrationem neceſſariam* proteſtabantur, atque pro *Autonomia* tanquam pro aris & focis dimicabant, quin aliud in reſponſis tulerint, quam *emigrationem neceſſariam* in clariſſimis Pacis Religioſæ verbis eſſe contentam (e). Sed nec Catholici deſuere, quo minus ſua gravamina Paciſcentibus offerrent, ad quæ Proteſtantes nihil reſpondebant, niſi quod *media compoſitionis* ad tollenda iſta gravamina propoſuerint, &, ut ſubditis, quibus exercitium publicum non eſſet conceſſum, ſaltem privatum a Catholicis indulgeretur, inſtantiſſime rogaverint; id ſi indulgere renuerent Catholici, ipſos Deo rationem fore reddituros (f). Hanc ſuam petitionem repetebant, dum pro certis quibusdam locis exercitium ſuæ

Sua gravamina etiam Catholici Paciſcentibus offerunt, & quid a Proteſtantibus reſponſum.

(a Hiſt. Grav. pag. 50.
(b) Hiſt. Grav. pag. 56.
(c) Lehman pag. 219.
(d) Hiſt. Grav. pag. 61.
(e) Hiſt. Gravam. pag. 78. & 82.
(f) Loc. cit. pag. 86. item Acta P. W. Tom. 2. pag. 570. *facile ipſimet prævidebant*, inquit Author Excelſus, *quod exercitium publicum haud concedendum foret. Hinc aliud componendi, & pacificandi gravaminis hujus medium præparabant, ut ſcilicet ſaltem exercitium privatum cantando, orando &c. & acceſſus prædicantium in horum ſubditorum domos permitteretur &c.* pag. 92.

Digitized by Google

ſuæ Religionis publicum, pro illis nempe, quibus illud vi *Declarationis Ferdinandeæ*, *vi pactorum*, *privilegiorum*, *longique ejuſdem uſus* competebat, flagitarunt: nam pro cœteris, qui nec ante, nec poſt Pacem Religioſam exercitium publicum unquam obtinuerunt, cum publicum non auderent, tantum privatum exercitium a ſtatibus tam ſæcularibus, quam eccleſiaſticis efflagitare conabantur. At fruſtra fuere, reſpondentibus Catholicis, *Pacem Religioſam huic eorum petitioni eſſe contrariam, ſeſe tamen ſubditis commodos ad emigrationem conſtituere velle terminos*, & *ratione exercitii Religionis tanta quoque moderatione uſuros*, *ne ſtatus provinciales de violentia querendi cauſam haberent* (g). Sed ne longior ſim, ſolummodo indicabo loca, in quibus Author Excelſus recenſet, quomodo, & quantopere Proteſtantes pro obtinenda *Autonomia* laboraverint, quin tamen eam impetrare potuerint, etiam poſtquam jam publicum Religionis exercitium extorſerunt pro iis ſubditis, qui illud vi *Declarationis Ferdinandeæ*, pacti, aut privilegiorum prætendebant, de quo videatur *in hiſtoria gravaminum* pag. 109. & 114. 117. quibus in locis videre licet, quod Legati Cæſarei conſtanter *emigrationem neceſſariam* propugnaverint, nec perſuaderi potuerint, ut in Autonomiam conſentirent, niſi in illis locis ſtatuum eccleſiaſticorum, in quibus Proteſtanticis ex titulo ſpeciali juxta obſervantiam anni 1624. publicum Religionis exercitium fuit indultum, id quod fecit Comes Trautmansdorffius, invitis ſtatibus Catholicis, prout refert Author Excelſus (h). Ex his manifeſtum eſt, antea ſubditis Proteſtanticis in terris Principum eccleſiaſticorum degentibus non tam publicum ſuæ Religionis exercitium juxta normam anni 1624. fuiſſe ſtabilitum, quam *privatum*. Nam dum Comes Trautmanſdorffius ſuum conceptum de tolerando poſthac exercitio Religionis Proteſtanticæ offerebat, in quo nulla prorſus fiebat mentio de *exercitio privato*, Proteſtantes vehementer inſtiterunt, ut de illo quoque fieret mentio. Sed quoniam Catholici haud abs re ſuſpicabantur, quod Proteſtantes per additionem verborum: *exercitium privatum, univerſalem libertatem conſcientiæ* quærerent, antea in eam non conſenſerunt, usquedum Comes Tumshirnius nomine Proteſtantium declaraverit, ſe per illa verba nihil aliud quærere, quam *privatum exercitium* illorum ſubditorum, qui illud an. 1624. in terris ſtatuum

Proteſtantes petunt privatum exercitium pro certis quibusdam ſubditis.

Sed fruſtra, & quid a Catholicis reſponſum.

Cathol'ci conſtanter propugnarunt emigrationem neceſſariam.

Urgent Proteſtantes exercitium privatum.

Ca-

(g) Act. P. W. Tom. 3. pag. 164. Hiſt. Gravam. pag. 94. & Act. P. W. Tom. 2. pag. 582.

(h) Hiſt. Gravam. pag. 130. 144. & ſeq.

Digitized by Google

Catholicorum ſe habuiſſe probare poſſent, id quod tandem a Legatis Cæſareis obtinuerunt (i).

Trautmansdorffius liberalior erga Proteſtantes. Sed nondum cauſa finita. Nam, poſtquam Trautmanſdorffius ſane liberalior erga Proteſtantes non iis duntaxat, qui an. 1624. ſed illis quoque, qui tempore *publicandæ Pacis* exercitium *privatum* Religionis habuerunt, aut etiam *poſt publicatam Pacem* in terris Principum Catholicorum obtinerent, libertatem permanendi, ne migrare deberent, indulſerat, ea tamen lege, ut hiſce poſterioribus poſt lapſum 10. annorum emigratio neceſſaria imponi valeat, cœteri Legati Cæſarei & Catholici id minime indulgebant, & prioribus quidem terminum ad emigrandum *quinquennalem*, poſterioribus vero *triennalem* præfigi volebant: *Terminus ad emigrandum poſitus.* & ſic tandem hæc de exercitio privato, & Autonomia ſubditorum habita transactio ab utriusque Religionis Deputatis 13. Martii an. 1648. fuit ſubſcripta (k). En Hiſtoriam de *Autonomia* ex Actis publicis P. W. ab Authore Excelſo depromptam! ex qua patet, illam nullibi Proteſtantibus univerſaliter fuiſſe ſtabilitam, & ea, quæ Doctores Proteſtantici de *Emigratione voluntaria* ſcribunt, actis & hiſtoriis minime eſſe conformia.

§. III.

Hiſtoria P. W. de exercitio publico Proteſtantico. Ad *exercitium publicum* Religionis Proteſtanticæ digrediamur. In iisdem ferme locis, tractatibus, & gravaminibus, in quibus de *Autonomia* & exercitio Religionis privato, etiam de *exercitio publico* fuit actum, cum hoc ferme ſolo diſcrimine, quod in alio fundamento exercitium *privatum*, & in alio *publicum* collocaverint. De *privato* conſtat ex dictis. Publicum præcipue fundabant in *Declaratione Ferdinandea*, de qua fuſius egimus ſupra (l). Quorſum lectorem remiſſum volumus.

In Pace Religioſa id non fuit conceſſum. De exercitio *publico* Religionis Proteſtanticæ univerſaliter tolerando nihil fuiſſe diſpoſitum, conventum & transactum, ſed ſolummodo ſtatibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis fuiſſe ſtipulatam *tolerantiam* ſuæ Religionis in ſuis territoriis, conſtat ex ſupra dictis (m), & fuſe probat *Author Excelſus* (n), & inde conſtat, quod neque in hæreditariis

(i) Vid. Emblem. Mayeri pag. 74. Acta P. W. Tom. 5. pag. 523. Hiſt. Grav. pag. 165. & ſeq.

(k) Hiſt. Grav. pag. 170. Emblem. Mayeri. pag. 76.

(l) Cap. 5. §. 7.

(m) Cap. 4. §. 8.

(n) Hiſt. Gravam. cap. 1. §. 5.

Digitized by Google

tariis Imperatoris, neque in aliorum Principum ſæcularium territoriis ullum adverſæ Religionis fuerit exercitium. In quibuſdam autem *eccleſiaſticorum Imperii ſtatuum* territoriis ab ipſis ſubditis novum exercitium fuit introductum, quod hi ſtatus ob defectum potentiæ impedire non poterant: quidam vero exerrantes has oves manſuetudine & indulgentia quadam brevi reducendas fore judicabant (o). Idem maniſeſte liquet ex iis, quæ habet Lehmannus, dum ſcribit, quod Proteſtantes in ſolum petierint, ut ſubditi Proteſtantici Catholicorum ſtatuum in horum territoriis ſimpliciter tolerentur, *absque publico tamen novæ Religionis exercitio & ceremoniarum Religioſarum uſu* (p). Quinimo Regem Romanorum Ferdinandum Nobilibus, & civitatibus mediatis exercitium publicum urgentibus id expreſſe denegaſſe, teſtis eſt idem Author (q). Hinc in inſtrumento P. R. de ſola Imperii Nobilitate, & civitatibus Imperialibus, nulla autem de mediatis, Landſaſſiis, & Civitatibus mediatis fit mentio (r).

In quibuſdam territoriis Principum eccleſiaſticorum id Proteſtantes introduxerunt.

Idcirco poſt Pacem concluſam neque in Comitiis Imperii de anno 1556., & 1557. neque de an. 1559. & 1566. celebratis, etſi varia alia gravamina propoſuiſſe legantur Proteſtantes (s), ullum gravamen de ſubditorum publico exercitio usque ad an. 1576. propoſitum & auditum fuit, in quo tandem, mortuo jam Ferdinando, ad *Declarationem Ferdinandeam* provocarunt ſupplicantes Imperatori Maximiliano, ut eam confirmaret, receſſui Imperii inſereret, ac Cameræ Imperiali inſtar regulæ in ferendis ſententiis obſervandæ præſcriberet (t).

Nullum gravamen a Proteſtantibus pro obtinendo exercitio publico propoſitum usque ad an. 1576.

Ab hoc ergo tempore non ceſſarunt Proteſtantes in Comitiis publicis de anno 1594. 1598. 1613. ad hanc *Declarationem* appellare, & in ea unicum quaſi fundamentum petendi liberum Religionis ſuæ exercitium collocare, contradicentibus ſemper Catholicis, utpote qui hanc *Declarationem* ſibi eſſe prorſus incognitam conſtanter aſſerebant (u). Cæterum hæc *Declaratio* non de omnibus & ſingulis, ſed ſolummodo de

Provocant ad Declarationem Ferdinandeam contradicentibus Catholicis.

(o) Hiſt. grav. cap. 1. §. 6.
(p) Lehman. de Pac. Relig. lib. 1. pag. 37.
(q) Loc. cit. pag. 33.
(r) Hiſt. grav. pag. 16.
(s) Vid. hiſt. grav. cap. 2. pag. 23. & ſeq.
(t) Vid. dicta ſupra cap. 5. §. 7. ubi de hac *Declaratione* fuſius egimus. Vid. etiam Hiſtor. grav. pag. 47.
(u) Vid. ſupra dicta loc. cit. cap. 5. §. 7.

Declaratio Ferdinandea non loquitur de omnibus ſubditis Proteſtanticis.

de ſubditis Proteſtanticis quorumdam ſtatuum Catholicorum eccleſiaſticorum loquebatur (x): & ideo nec Proteſtantes exercitium Religionis publicum pro omnibus omnium ſtatuum ſubditis poſtulare, aut contra Reformationes hinc inde a Catholicis factas e.g. in ditione Baadenſi, & Superiori Palatinatu proteſtari audebant (y).

In P. W. Proteſtantes prætendunt exercitium publicum ſuæ Religionis.

Fundamentum ponunt in Declarat. Ferdin. ſed fruſtra.

Quando ventum fuit ad Pacem ineundam Oſnabrugæ, & Monaſterii, inter cætera Religionis gravamina illud ferme erat præcipuum de Religionis proteſtanticæ exercitio publico permittendo, cujus fundamentum iterum ponebant in *Declaratione Ferdinandea*, reponentibus Catholicis, hanc *Declarationem* non eſſe legitimam, cum verbis clariſſimis inſtrumenti Pacis Religioſæ quæcunque *Declaratio* illius eſſet invalida; aut ſi eſſet data, adhuc non eſſe legitimam, quod ſine conſenſu ſtatuum fuiſſet facta (z).

Poſtea in pactis, privilegiis & longo uſu.

Eligunt certum annum, ſecundum quem exercitium Religionis reſtituendum,

Annum 1621. & poſtea annum 1624.

Poſtquam vero Proteſtantes videbant, ſe fruſtra urgere exercitium Religionis publicum ex *Declaratione Ferdinandea*, ab ea nominetenus abſtinendum, aliudque fundamentum in vim illius eſſe aſſumendum, ſatius duxerunt videlicet, *Pacta*, *privilegia*, & *longum uſum exercitii*. Igitur pro termino, ad quem exercitium ſubditis ſub ditionibus Principum Catholicorum eccleſiaſticorum duntaxat degentibus reſtituendum eſſet, certum annum elegerunt, quo hi ſubditi in poſſeſſione hujus exercitii adhuc erant, ut ſecundum hujus anni obſervantiam, ſtatum ac conſuetudinem hiſce ſubditis ob dicta fundamenta (*Pacta*, *Privilegia*, *Præſcriptionem*, ſeu *longum uſum*) exercitium liberum ſemper permaneret, ac, ſi in his locis a Dominis territorialibus reformatum fuerat, iterum reſtitueretur. Terminus autem, ſeu annus iſte ab ipſis electus erat annus 1621., & poſtea 1624., quem ſibi ex aliqua ſaltem parte favorabilem exiſtimabant. Ad hujus ergo anni obſervantiam reſtitutionem exercitii ſuis ſubditis faciendam poſtulabant. Atque hæc ita ſe habere Author Excelſus fuſe probat ex Actis publicis, & Protocollis Proteſtanticorum, unaque conventus, congreſſus & conferentias ſuper hoc puncto celebratas recenſet (a). Ex quibus omnibus patet, Cæſareos illorum petitioni ſemper contradixiſſe, in id unum conſentientes, illis ſolis ſubditis indulgendum eſſe publicum Religionis exercitium, quibus

(x) Vid. ſupra dicta loc. cit. pag. 356.

(y) Hiſt. gravam. pag. 68. & ſeq.

(z) Hiſt. gravam. pag. 83. & ſeq. Vid. etiam Acta P. W. Tom. 2. pag. 526.

(a) Vid. Hiſt. grav. pag. 106. & ſeq.

Digitized by Google

quibus id *ex pacto* inter ipſos, & ſuos Dominos territoriales inito debebatur (b).

Exercitium publicum usque nunc obtinere non potuerunt, niſi pro illis, quibus id ex pacto debebatur.

Ex his jam patet, quod Cæſareani usque nunc publicum Religionis exercitium neque illis, qui illud ex *Declaratione Ferdinandea*, neque cæteris, qui illud ex conniventia, longo uſu vel conſuetudine aut ex obſervantia anni 1624. petebant; ſed illis duntaxat, quibus id ex pacto debebatur, conceſſerint. Ut ergo tandem eſſet finis diſſidiorum, convenere Legati proteſtantici inter ſe, & quid agendum deliberabant, & poſtea cum Cæſareanis, inter quos præcipuus erat Comes Trautmansdorffius, in quem cæteri quoque ſtatus Catholici compromiſerant, ea tamen lege, ut absque illorum conſenſu nihil concluderet.

Deſuper fiunt deliberationes.

Plures habebantur congreſſus, in quibus Trautmansdorffius inhærebat antea datis declarationibus de *emigratione neceſſaria*, de exercitio publico illis duntaxat concedendo, qui illud ex pacto ſingulari haberent, & nemini alteri, eſto illud vel ex longo uſu, vel privilegio, vel conniventia Principis usque nunc haberet.

Provocant Proteſtantes ad annum 1624.

Proteſtantes cum viderent, *Declarationem Ferdinandeam* conſtanter rejici a Catholicis, iterum ad obſervantiam anni 1624., provocabant, ad quæ replicabat Vollmarus Legatus cæſareus, hanc obſervantiam æque parum in vim fundamenti pro indulgendo exercitio Religionis poſſe aſſumi, ac Declarationem Ferdinandeam. Poſt multas altercationes & contradictiones declarabat, ſe deſuper cum cæteris Deputatis Catholicorum acturum.

Urgent exercitium publicum ob privilegia, & longum uſum.

Inſtabant interea Proteſtantes, & novum circa gravaminum compoſitionem conceptum delineabant, publicum Religionis exercitium ob pacta, privilegia, & longum uſum juxta obſervantiam anni 1624. poſtulantes. Cæſarei repetebant priora, & tandem 4. Aprilis 1647. indulgebant exercitium publicum etiam iis, qui illud antea ſola Superiorum conniventia obtinuiſſent.

Obtinent tandem juxta obſervantiam anni 1624. ſub certis conditionibus.

Tandem poſt varia colloquia, & mutationes in delineatione inſtrumenti Pacis factas Comes Trautmansdorffius in id finaliter conſenſit, imo ut ſubditi, qui anno 1624. exercitium ſub Catholicis ſtatibus habuiſſent, illo etiam poſthac frui poſſent, ſi tamen id probarent; 2do ut eo fruantur illi etiam ſubditi, qui hoc tractatuum tempore ſub Catholicis eſſent ſtatibus, nec ad emigrandum cogi poſſent; 3tio alii vero, qui poſt concluſam Pacem profeſſuri eſſent aliam Religionem, ad emigrandum 10., imo 15. annos haberent. 4to Reciprocam tamen a Proteſtantibus obligationem pro ſubditis Catholicis, qui in eorum eſſent territoriis, exigebat. 5to anterioribus pactis ſuam vim eſſe reliquendam ſtipula-

(b) Pag. 113.

ſtipulabatur, in quantum non eſſent contraria obſervantiæ anni 1624. (c).

Status Catholici contra indulgentiam & conceſſionem Trautmansdorffii proteſtantur.

Aſt ne ſic quidem inter Catholicos & Proteſtantes fuit transactum. Proteſtabantur enim contra hanc Trautmansdorffii liberaliorem indulgentiam ſtatus Catholici, dicentes, quod talem ei poteſtatem nunquam conceſſerint (d). Nec ille hoc negabat, ſed per importunam Deputatorum Proteſtantium inſtantiam ad id ſe inductum aſſerebat. Itaque Catholici ſuas deſuper querelas apud Cæſarem movebant, qui inſtrumentum ſeu potius Projectum pacis iterum remiſerat cum annotationibus, inter quas illa præcipua erat, qua paragraphum trigeſimum utpote *regulæ territoriali* omnino contrarium penitus deletum volebat. Nimis longum foret hæc omnia ſecundum ſeriem rerum geſtarum enarrare. Paucis rem expediamus. Urgebat Imperator conventionem & transactionem. Cæſareani ſtatus Catholicos contradicentes in ſuam ſententiam pertrahere contendebant, & quosdam revera traxerunt, nominatim Moguntinum, Bavarum, Bambergenſem, Herbipolenſem, Conſtantienſem, Baſileenſem, Baadenſem. Cæteri ſtatus aut proteſtabantur contra, aut ſaltem expreſſum conſenſum dare recuſabant, uti Halberſtadienſis, Argentinenſis, Paſſavienſis, Hirſchfeldenſis, Murbacenſis, Auguſtanus, Ratisbonenſis, Oſnabrugenſis, Mindenſis, Verdenſis, Eichſtettenſis, Virodunenſis, Curienſis, Campidunenſis, Corbeienſis, & reliqui S. R. J. Prælati; & ex ſtatibus ſæcularibus Dux Neoburgicus, Comites Suevici, & Civitates imperiales immediatæ.

Queruntur apud Cæſarem.

Quidam eorum conſentiebant.

Plures conſenſum denegabant.

Super anno 1624. denique conventum contradicentibus pluribus ſtatibus Catholicis.

Poſt plures adhuc altercationes ſuper exercitio tam *publico* quam *privato* Religionis proteſtanticæ ſecundum *normam anni* 1624. tolerando tandem menſe Martio 1648. conventum & transactum fuit, ac ſubditis Proteſtanticis in terris quorundam ſtatuum eccleſiaſtico-catholicorum degentibus juxta normam paragraphi 31. exercitium Religionis ſuæ ſtabilitum, quidquid plures ſtatus Catholici contradixerint (e). Tantæ molis erat eblandiri, & extorquere exercitium Religionis proteſtanticæ *publicum*!

§. IV.

Fictitia ſunt, quæ Prote-

Ex his jam varia infert Author Excelſus, quæ communi Authorum

(c) Hæc omnia fuſius tractat Auth. Excelſus in Hiſt. gravam. Sect. 4. cap. 2. per totum.

(d) Act. P. W. Tom. 4. pag 619.

(e) Hæc omnia fuſiori calamo recenſet Author Excelſus in dem Grund-Riß ꝛc. cap. 6.

Digitized by Google

ſtantes de anno normali ſcribunt.

rum ſententiæ directe ſunt contraria, inter quæ hæc præcipue, & quidem 1mo, fabuloſa, & fictitia eſſe, quæ hactenus Doctores ſcripſerunt de *anno normali regulativo*, quaſi vero annus 1624. foret per modum *normæ univerſalis* pro regulando publico exercitio Religionis tam Catholicæ quam proteſtanticæ pro tota Germania poſitus; 2do falſa eſſe, quæ ulterius docent, quando ſcribunt, in §. 31. Art. 5. omnibus & ſingulis ſubditis proteſtanticis in terris Principum Catholicorum etiam ſæcularium exiſtentibus liberum Religionis exercitium ſecundum obſervantiam anni 1624. fuiſſe ſtabilitum: cum illud Proteſtantes non pro omnibus ſuæ Religioni addictis, ſed pro illis duntaxat, qui ſub Catholicis quibusdam & quidem *eccleſiaſticis* ſtatibus degebant, vel ex *Declaratione Ferdinandea*, vel ex quocunque alio titulo in horum ditionibus, *pacto*, *fœdere*, *longo uſu*, *privilegio*, *conniventia* impetrarint (f). Cum enim eo tempore nemo Principum Catholicorum ſæcularium fuerit, ſi ditiones quasdam Auſtriacas excipiamus, in quibus Imperator per ſpecialiſſimas reſervationes, & proteſtationes ſibi conſuluit, in cujus territorio Proteſtantes habebant quoddam ſuæ Religionis exercitium, de his certe nemo in Pace Weſtphalica cogitavit, nemo ſomniavit, prout ex Actis P. W. aperte ſatis liquet, ſiquidem nullibi eorum vel minima fit mentio; 3tio a veritate prorſus aliena, fictitia, & fabuloſa eſſe, quæ Scriptores paſſim docent de *jure reformandi* ex §. 30. & *jure Simultanei* ex §. 31. Art. 5. ac ſi in §. 30. *jus reformandi* Proteſtanticis eſſet ſtabilitum, in §. 31. vero *annus normalis* aut per modum *novæ regulæ*, aut certe *exceptionis* foret ſtatutus, & hac ratione *jus ſimultanei* introductum. Age! hæc diſtinctius videamus, & quidem primitus de *anno regulativo*.

Exercitium Religionis publicum non pro omnibus ſuæ Religionis conſortibus petierunt; pro quibus ergo?

Perperam explicant Proteſtantes §. 30. & 31. P. W.

Nemo profecto Proteſtanticorum usque ad annum 1646. ſomniaverat de *anno* quodam *regulativo* exercitii Religionis ſeu Catholicæ ſeu Proteſtanticæ. Ab exordiis controverſiæ Proteſtantes unice appellabant ad *Declarationem Ferdinandeam*, tanquam *regulam*, & *normam*, ſecundum quam illorum exercitium in terris Catholicorum Principum & quidem ſolummodo eccleſiaſticorum foret regulandum. At vero dum videbant,

Quandonam de anno regulativo ſeu normali Proteſtantes cogitaverint.

cap. 6. a pag. 113. usque ad pag. 132. & in Hiſtor. Gravam. Sect. 6. a pag. 144. usque ad pag. 172.

(f) Loca autem, pro quorum ſubditis exercitium petebant, erant iſta: Epiſcopatus *Mindanus*, *Oſnabrugenſis*, *Halberſtadienſis*, *Hildeſienſis*, *Monaſterienſis*, *Paderbornenſis*, *Fuldenſis*. Nominabant etiam ſubditos in *Eychsfeld* ſub Moguntino, in ditione *Corveyenſi*, Civitates *Hæxter*, *Erfurt*, *Duderſtatt*. Item præfecturas *Hilpoltſtein*, *Heydeck*, *&c.*

debant, illam conſtanter a Catholicis repudiari & rejici, ad *pacta*, *privilegia*, *uſum & connivemtiam* confugiebant, ſibique exercitium Religionis ſimpliciter in illis locis reſtitui petebant, in quibus illud ex ſimili titulo habuere olim, & ex poſt quomodocunque amiſerunt, nulla habita ratione obſervantiæ cujusdam anni. Demum etiam de *termino reſtitutionis* faciendæ cogitabant, ſecundum quem exercitium Religionis foret reſtituendum. Hinc de tali termino, tempore & anno ſibi eſſe proſpiciendum exiſtimabant, quem rebus ſuis faventem credebant, eoquod ſubditi plurimi ad illud usque tempus ſuum Religionis exercitium deduxerint, eſto fortaſſis quidam eorum illo exciderint. Diu de termino aſſumendo fuit diſputatum, dum Proteſtantes primitus annum 1618., poſtea annum 1621. pro termino reſtitutionis ſelegerunt, donec tandem in annum 1624. fuerit conventum.

Item de termino reſtitutionis.

De quo acriter diſputatum.

Annus 1624. potius eſt reſtrictio poſtulationis, quam regula.

Atque hæc ita ſe habere, Author Excelſus ex publicis Actis & documentis fuſe demonſtrat, atque inde deducit, annum 1624. potius *reſtrictionem poſtulationis a Proteſtantibus factæ*, quam *regulam* eſſe dicendam, *vi cujus per totum imperium pro omnibus ſubditis Auguſtanæ Confeſſionis exercitium ſtabilitum fuiſſe jactatur* (g), id quod ipſi Proteſtantes publice confeſſi fuere, dum querebantur, iniquam ſibi inferri conditionem, eoquod ſuæ Religionis exercitium ad certam anni 1624. normam reſtringeretur; Catholicorum vero irreſtrictum eſſet. *Hinc*, ait ulterius Author Excelſus, *fabula de anno normali Exercitii per totum Imperium pro omnibus ſubditis ſtabiliendo detegitur.* Nam ſi revera de *norma univerſali* pro toto imperio præſcribenda pro tolerando Religionis Proteſtanticæ exercitio actum fuiſſet, num exiſtimamus, quod unquam ſtatus Catholici ſæculares potiſſimum in id conſenſuri, ſibique ſuum *jus reformandi* ita reſtringi paſſuri fuiſſent, ut ſi caſu quocunque fortaſſis jure ſucceſſionis, talis provincia ad ipſos devolveretur, jam ab omni *jure reformandi* ſibi abſtinendum, & ſubditis proteſtanticis ſuum exercitium ſimpliciter ita permittendum foret, ut nequidem ſuum exercitium Catholicum introducere poſſent? num veroſimile eſt, quod Imperator quoque in poſtulationem adeo exorbitantem ſuum unquam daturus fuiſſet conſenſum, qui jam pro priori ſe declaravit, ſe in ſuis provinciis nunquam exercitium Religionis proteſtanticæ admiſſurum?

De anno regulativo univerſali non agebatur in P. W.

Et quare?

Et revera in §. 31. non fuiſſe actum de anno normali univerſaliter pro toto imperio, ſed ſolummodo pro ſubditis Principum quorundam Catholicorum eccleſiaſticorum ſtatuendo, ulterius patet ex *fundamento*, cui poſtu-

(g) Hiſt. gravam. Sect. 4. cap. 1. usque ad cap. 2.

Digitized by Google

poſtulatio Proteſtanticorum innitebatur, quod aliud non erat, quam *Declaratio Ferdinandea.* At vero hæc *Declaratio* utique reſpiciebat ſolos ſubditos Principum Catholicorum eccleſiaſticorum. Neque obeſt, quod poſtea ſuæ Religionis exercitium univerſaliter petierint pro omnibus & ſingulis, qui illud *ex pacto*, *privilegio*, *longo uſu* vel *conniventia* habuere, adeoque pro univerſo imperio, & ſubditis in cujuscunque Principis territorio exiſtentibus: nam, ut loquitur Struven (h) die Catholiſchen wolten noch immer davon nichts hören, und erbothen ſich nur zur billigmäßigen Moderation des termini emigrationis und der Nachſteur, wo- mit aber die Evangeliſchen nicht einig waren, ſondern das publicum exercitium denjenigen Glaubens-Verwandten zu bedingen trachteten, welche es anno 1621. gehabt, oder ſonſt retro per pacta, privilegia, alten Erb-Schutz oder langen Gebrauch erworben hatten. Sie begriffen unter dieſer Regel nahmentlich nicht nur die eingeſeſſene verſchiedener Stifter, ſondern auch die Pfalz-Neuburgiſche Unterthanen, und gaben dadurch deutlich zu erkennen, daß nicht bloß von der geiſtlichen Fürſten Unterthanen die Rede ſey, noch daß man allein von den nahmhaft-gemachten Stiftern handle, weil ſonſt dieſe unter keiner Regel begriffen, ſondern ihrentwegen eine exceptio a regula beliebt wäre.

Opinio contraria Georgii Struven refertur.

Aſt hæc tanti roboris non eſſe, ut doctrinam Authoris Excelſi enervent, ex ſequentibus patet, & ex eo inprimis, quod Proteſtantes ad *pacta*, *privilegia*, *uſum* & *conniventiam* primum provocaverint, poſtquam viderunt, fundamentum ſuæ petitionis, nempe *Declarationem Ferdinandeam*, eſſe ruinoſum, & a Catholicis conſtanter rejici, ut adeo in vim *Declarationis Ferdinandeæ* veluti *æquipollens* illos titulos allegaverint. 2do Si Proteſtantes pro omnibus & ſingulis ac pro toto Imperio exercitium petierunt, in quem finem ſpecifice enumerarunt illa loca, & illos ſubditos, pro quibus Religionis exercitium efflagitarunt? 3tio. Quomodo cum veritate dici poteſt, quod annum 1624. pro univerſo imperio in vim normæ univerſalis ſelegerint? cum in illo anno, Deo ſint laudes immortales, nemo Principum Catholicorum ſæcularium fuerit, in cujus territorio Proteſtantes vi pacti, privilegii, longo uſu, vel conniventia ſuum habuere Religionis exercitium, ſi ditiones Auſtriacas excipiamus, quibus Imperator aliunde per ſuas proteſtationes meliorem in modum proſpexit. Anne fortaſſis ad ſubditos Proteſtanticos ſub Principibus proteſtanticis exiſtentes, adeoque etiam ad futura tempora & caſus futuros, nominatim ad caſum, quo Princeps Catholicus in territoris

Refellitur.

Tempore P. W. nemo Catholicorum Principum ſæcularium fuit, in cujus territorio proteſtantes habuere exercitium Religionis.

(h) Entdeckte Verdrehung des Weſtphäl. Friedens-Schluſſes pag. 8.

Digitized by Google

ris proteſtanticis Principi proteſtantico ſuccederet, reſpexerunt? Verumenimvero undenam hoc probant? ubinam vel ſyllaba, vel litera in omnibus Actis, protocollis, documentis reperire eſt, ex qua colligi poſſet, de Principibus proteſtanticis, & hiſce caſibus eo tempore non exiſtentibus, nihilominus poſſibilibus fuiſſe actum (i)? Omnia documenta, omnia protocolla, omnia acta unice loquuntur de exercitio Religionis proteſtanticæ ſub *Principibus Catholicis*. Demus ergo caſum, quod Princeps Catholicus ſuccedat proteſtantico in territorio pariter proteſtantico, quomodo cum veritate dici poteſt, quod ſubditi proteſtantici in hoc territorio vel ex *Declaratione Ferdinandea*, vel ex *privilegio*, *uſu*, & *conniventia* Principis Catholici, vel *ex pacto* cum ipſo inito exercitium Religionis anno 1624. ſub *Principe Catholico* habuerint, de quo caſu expreſſe loquuntur Acta, & ipſum Inſtrumentum P. W.; adeoque beneficio exercitii liberi ſuæ Religionis gaudeant? cum talis Princeps nondum in rerum natura extiterit, multo minus cum hiſce ſubditis pactis feciſſe, aut Religionis exercitium indulſiſſe dici queat. Et quomodo dicere potuit Struven, in cit. §. actum etiam fuiſſe de ducatu Neoburgico? dum Neoburgicus jam antea exercitium reformavit, ſeque aperte declaravit, quod exercitium proteſtanticæ Religionis in ſuo territorio nunquam ſit toleraturus (k)?

Nova exceptio Struvenii refellitur.

At opponit Struven, quod ſi unice de exercitio Religionis proteſtanticæ ſub quibusdam Principibus *eccleſiaſticis* & non potius univerſaliter tolerando actum fuiſſet, Imperator non habuiſſet cauſam ſuas ditiones

(i) Wo iſt ein Buchſtaben von denen Unterthanen zu leſen, die unter einem Proteſtantiſchen Lands-Herrn geſeſſen? Wann die Herren Proteſtanten auch dieſe Meynung von ſolchen Unterthanen gehabt hätten, warum ſagten ſie dann kein Wörtlein darvon? ſie waren wachtbar für alle. Sie ſagten aber ausdrücklich, daß ein ſolcher Regent nicht könne gezwungen werden, das öffentliche Religions-Exercitium ſeinen Unterthanen zu gedulten. Sagten ſie nicht in ihren Seſſionibus, daß ſie kein anderes Fundament, oder terminos habiles hätten, die Reſtitutionem exercitii publici zu begehren, als die einzige Declarationem Ferdinandi? wie reimet ſich aber die Declaratio Ferdinandi auf die Unterthanen Proteſtantiſcher Fürſten, welche nach der Zeit zur Catholiſchen Religion übertretten würden? Author Excelſus. Gegründete Antwort auf die ſo betittelte Schrift: Georg David Struben ꝛc. pag. 15.

(k) Hiſt. gravam. pag. 124. per verba: *Cæſar, Bavarus, Neoburgicus ſubditorum ſuorum exercitium jam reformarunt, nec unquam ſeſe illud toleraturos eſſe declararunt.*

Digitized by Google

nes per continuas proteſtationes ab hac regula & norma anni 1624. excipiendi. Sed quis unquam legit quod ſe Imperator qua Archidux Auſtriæ, ab hoc anno normali exemerit? Potius prævenit concluſum, & tranſactionem inter ſtatus Catholicos *quosdam*, & Proteſtanticos initam, & ſe antecedenter declaravit, quod exercitium Religionis proteſtanticæ in ſuis provinciis nunquam ſit admiſſurus, quidquid cæteris ſtatibus Catholicis deſuper paciſci & tranſigere placuerit. Ex quo ſane non ſequitur, quod Catholici ſtatus in *annum normalem* univerſaliter revera conſenſerint, & Proteſtanticis exercitium ſuæ Religionis pro toto imperio fuerint ſtipulati, ſed quod ita ſtipulari potuerint, & Imperator pro caſu fortaſſis emergente ſibi ſuisque provinciis providerit. Plura his videantur in opuſculis diverſis Authoris Excelſi. Nobis ſufficit præcipua illius fundamenta & principia in compendio attuliſſe, ex quibus ſequi neceſſum eſt, neque *annum normalem* pro univerſo Imperio, ſed pro ſubditis ſolummodo quibusdam proteſtanticis anno 1624. exercitium ſuæ Religionis in terris quorumdam ſtatuum Catholico-eccleſiaſticorum habentibus fuiſſe introductum, neque ad hunc annum tanquam *annum normalem* poſſe provocare Proteſtantes, caſu quo in terris proteſtanticis regimen ad Principem Catholicum devolvatur, adeoque in hujus poteſtate eſſe, an ſuum *jus reformandi* exercere velit, vel non, niſi aliud obſtet (l).

Annus normalis non eſt univerſalis pro toto imperio.

§. V.

Pro majori jam dictorum claritate & confirmatione evolvenda foret hiſtoria paragraphi 31. Art. 5. & ipſum *jus Simultanei* explicandum. Sed quoniam hæc ſufficienter intelligi non poſſunt, niſi prius §. 30. & *jus reformandi*, quod ſibi in eo ſtabilitum eſſe contendunt Proteſtantes, explicemus juxta mentem Authoris Excelſi, de hoc primitus erit videndum.

Hiſtoria §. 30. ex Authore Excelſo dilucidatur una cum jure reformandi.

Jam ſupra fuſius de *jure reformandi* egimus (m), ex quibus conſtat Proteſtantibus in Pace Religioſa non tam jus *reformandi*, quam *Regulam territorialem* fuiſſe aſſertam; hanc vero ab illis poſtea in *jus reformandi* fuiſſe converſam, quod dein ingenti cum exceſſu exercuerunt, & nec ipſis Catholicis denegare auſi ſunt, in eo fundamentum quærentes: *cujus eſt regio, illius eſt etiam Religio.* Aſt ubi ad pacem Weſtphalicam

Jus reformandi non eſt fundatum in Pace Religioſa ſed ſola regula territorialis.

(l) Hæc fuſius videantur in diverſis opuſculis Authoris Excelſi, nominatim in dem Grund-Riß, in Hiſtoria gravam. wahrer Begrif der von einigen ꝛc.

(m) Vid. ſupra Quæſt. 2. cap. 5. §. 9.

Digitized by Google

phalicam fuit ventum, equidem pro *jure reformandi* mirum in modum zelarunt Proteſtantes, ita tamen, ut ſubditis ſuis præprimis conſulendum eſſe exiſtimaverint: & hinc nihil non egerunt, ut *jus reformandi* Catholicorum contra ſubditos ſuos proteſtanticos in arctiſſimos limites conſtringerent, id quod hiſtoria Paragraphi 30. prout ab Authore Excelſo refertur, dabit, ex qua patebit, fictitium eſſe, prout referunt Proteſtantes, quod Proteſtantes in citato §. 30. ſibi *jus reformandi* ſtabilire, ſed potius illud Catholicis adimere voluerint, & illorum contradictionibus non obſtantibus nihilominus Catholicis aſſertum fuerit (n).

Gravamen in P. W. contra Catholicos propter exercitium Religionis proteſtanticæ ab illis turbatum.

Quid Catholici repoſuerint.

Inter gravamina Proteſtanticorum contra Catholicos in P. W. illud non erat ultimum, quod ſubditos Proteſtanticos in ſuo libero Religionis exercitio impedirent, turbarentque, cum interea ipſi incircumſcripto *jure reformandi* uterentur. Quapropter a Cæſareanis jure optimo illis reſponſum, quod haud ſecus ſtatus Catholici, quam Proteſtantes ſint Domini territoriales, adeoque jure reformandi, utpote ſaltem ex principiis Proteſtanticorum, in ſuperioritate territoriali fundato æqualiter gaudeant, & ſic quod a Proteſtantibus in ſuo exercitio Reformationis impediri nequeant ob regulam: *quod quis juris in alterum ſtatuit, eodem & ipſe utatur*, quamquam cæteroquin Catholici ſuperioritatem territorialem tanquam radicem, ex qua *jus reformandi* fluere exiſtimabant Proteſtantes, nunquam agnoverint, ſed potius Pacem Religioſam, in qua unice proviſum, ne ſtatus ſe invicem in ſua praxi impedirent, turbarent, moleſtarent (o).

De Jure reformandi in P. W. nihil voluere audire Proteſtantes, & quare?

Inſtabant, urgebantque Proteſtantes liberum A. C. addictorum exercitium, neque de *jure reformandi* aliquid audire volebant, aſſerentes, *jus reformandi* ad hanc quæſtionem non pertinere. Et hinc in omnibus ſuis projectis & ſcriptis, ſecundum quæ hunc Paragraphum formari cupiebant, a *jure reformandi* penitus abſtinuerunt, neque ut de eo a Cæſareanis in hoc §. mentio fieret, permittere volebant, donec tandem poſt declarationem a cæſareanis Legatis factam, qua ſe nunquam a ſuis reſolutionibus receſſuros declarabant, in paragraphum 30. ſecundum formulam a Cæſareanis conceptam: *quantum deinde &c.* conſenſerint (p), in qua notatu digna ſunt verba: *conventum eſt*, quæ non ſine ſpeciali ratione Cæſareani ſuæ formulæ, quidquid contradixerint Legati Suecici aliique Proteſtantici, inſeri per omnia voluere.

Ex

(n) Vi!e Grund-Riß viertes Capitel pag. 71.
(o) §. 15. Pacis Religioſæ.
(p) Author Excel. loc. cit. §. 15. per totum.

Digitized by Google

Ex hac rerum geſtarum ſerie aperte liquet, fabuloſa eſſe, quæ ab Authoribus Catholicis non minus quam Proteſtanticis referuntur de hiſtoria hujus §., quaſi vero hic de jure reformandi actum, illudque & Proteſtantibus & Catholicis ex conventione & transactione fuiſſet ſtabilitum. Quomodo enim conventum & transactum eſſe dici poteſt, ubi una pars conſtanter alteri parti contradicit? nunquid ex dictis conſtat, quod Proteſtantici a *jure reformandi* penitus eſſe abſtrahendum, illudque nullo modo inſtrumento Pacis in hoc loco eſſe inferendum exiſtimaverint, & contra illius inſertionem miris modis proteſtati fuerint, neque citius Cæſareanorum voluntati illius in ſingulis ſuis formulis mentionem expreſſam facientium acquieverint, donec viderint, cæſareanos a ſuis prætenſionibus nulla arte & vi eſſe dimovendos.

Hiſtoria §. 30, prout refertur a Proteſtantibus, eſt mera fabula.

In cit. §. 30. non fuit actum de jure reformandi Proteſtantibus ſtabiliendo.

Neque obſtat, quod ex dictis Proteſtantici ab initio quidem vehementer ſe Cæſareanis oppoſuerint, ſed tandem conſenſerint, & cum illis convenerint dicente paragrapho: *conventum eſt.* Porro autem in quid conſenſerint, videndum eſt: certe non in *jus reformandi*, de eo enim ſtatuendo & ſtabiliendo non erat quæſtio, ſiquidem tam Catholici, quam Proteſtantici illud ſtatibus imperii competere aſſerebant cum hoc ſolo diſcrimine, quod Catholici illud *ex communi Imperii praxi*, Proteſtantes ex *jure Superioritatis territorialis* derivaverint. In quid ergo conventum eſt? In id nempe, ut poſthac ſtatus conformiter Paci Religioſæ ſe invicem non moleſtent, non turbent, *alienos ſubditos ad ſuam Religionem non pertrahant, non in defenſionem aut protectionem ſuſcipiant, illiſve ullea ratione patrocinentur.* Atque de hoc, id eſt de non invicem turbando, non vero de jure reformandi ſtabiliendo principaliter fuiſſe actum, & conventum, integer Paragraphi contextus apertiſſime demonſtrat, in quo a principio de *jure reformandi* tanquam de re aliunde nota & certa per verba: *cum ejusmodi ſtatibus immediatis cum jure territorii & ſuperioritatis ex communi per totum imperium hactenus uſitata praxi etiam jus reformandi exercitium Religionis competat &c.* Tunc ſequitur quod nemo alium turbare, aut alterius *ſubditos ad ſe trahere debeat*, & demum concluditur: *conventum eſt, hoc idem porro quoque ab utriusque Religionis ſtatibus obſervari.* Inde quid ſequitur? niſi quod *objectum* hujus *conventionis & transactionis* fuerit pax, ſecuritas, & tranquillitas inter ipſos ſtatus immediatos, ne videlicet invicem ſe ipſos moleſtent & turbent, alienos ſubditos ad ſe pertrahant, & illorum protectionem aſſumant; pro *cauſa* vero ita ſtatuendi, ac definiendi *jus reformandi* aliunde ſeu ex *praxi* imperii, ſeu *jure Superioritatis territorialis* competens aſſumpſerint, adeoque illud potius ſtatibus competere ſuppoſuerint, quam de novo ſtatuerint, aut ſtabiliverint:

Catholici in cit. §. non conſenſerunt in jus reformandi Proteſtantibus ſtabiliendum.

Ex quo fonte illud derivent Catholici & Proteſtantes.

Verus ſenſus cit. §. 30.

verint:

verint: neque enim aut Catholici illud Proteſtanticis, aut Proteſtantes Catholicis abnegabant: illi, etſi jus reformandi ex *jure Superioritatis territorialis* tanquam legitimo titulo derivare nefas ducerent, neque etiam praxin Imperii a Proteſtantibus cœptam approbare auderent, attamen ſecuritatis publicæ, & pacis Religioſæ ſervandæ cauſa id Proteſtanticis abnegare non audebant; hi vero nonniſi contra abuſum *juris reformandi* Catholicorum, licet falſo, proteſtabantur, illudque Catholicis contra omne jus ita reſtringere volebant, quatenus ipſis poſthac amplius non liceret exercitium Religionis Proteſtanticæ in ſuis territoriis reformare, ſed illud ſimpliciter permittendum foret.

Interpretationes Proteſtanticorum hujus §. falſæ ſunt.

Ex his jam ſequitur, inanes & fictitias eſſe omnes interpretationes citati paragraphi hactenus a Doctoribus allatas, quarum plures adducit Excelſus Author (q), quæ tamen finaliter & ultimato eo collimant, ut demonſtrent, quod hoc loco Proteſtanticis ſtatibus æque ac Catholicis, & toti Imperio *jus reformandi* noviter & ultimato fuerit ſtabilitum, ac inſtar *regulæ* ac normæ aſſertum, ita tamen, ut in §. 31. ſequenti alia *regula reſtrictiva*, aut *exceptio*, nempe *annus normalis*, fuerit poſita. Id enim quo veritatis fuco dicere poſſunt? cum ex dictis conſtet, quod Catholici *jus reformandi* Proteſtanticorum non vocaverint in dubium, non quidem illud, illiusque *titulum* ſimpliciter *approbando*, ſed ſecuritatis publicæ cauſa *tolerando*, quinimo, ut illud per modum *cauſæ* & *tituli*, propter quem in ſuo reformationis exercitio ſtatus ſe invicem impediri non poſſent, formulæ conventionis inferatur, totis viribus laboraverint, & potius omnes pacis tractatus ſe abrupturos, quam in hac re Proteſtantibus ceſſuros publice declaraverint, dum Proteſtantes contra hæc miris modis fuerunt proteſtati, & de jure reformandi ne minimam quidem mentionem eſſe faciendam conſtantiſſime voluerunt.

Interpretatio Henningeſii examinatur.

Inter cœterorum Scriptorum Proteſtanticorum interpretationes ea præcipue eſt valde notabilis, quam affert Henninges (r), dum fabulatur, ut ait Author Excelſus, diu fuiſſe inter Catholicos & Proteſtanticos diſputatum & concertatum, ex quo titulo *jus reformandi* ſit adſtruendum ſtatibus tam Catholicis quam Proteſtantibus. Proteſtantes pro titulo allegabant *Jus Superioritatis territorialis*; Catholici *communem praxin* tanquam titulum aliquem *medium*: nam quia in principiis Catholicis *jus reformandi* ex jure divino potius competit Eccleſiæ Præ-

Alius titulus juris reformandi a Catholicis, & alius a Proteſtantibus adſtruitur.

(q) Grundriß fünftes Capitul. pag. 89.
(r) In Medit. ad hunc §. 30.

Digitized by Google

Præſulibus, quam Principibus ſæcularibus, noluerunt Catholici Proteſtantibus *jus reformandi* ex titulo *juris* concedere, & hinc maluerunt *titulum medium* ſeligere, videlicet *praxin Imperii*, utpote qui potius eſſet titulus *facti*, quam *juris*. Propterea non ſine ratione factum eſſe exiſtimat Henninges, quod lex potius dicat: *cum jure territorii ex communi per totum imperium hactenus uſitata praxi*, quam *ex jure territorii*. Hæc enim verba id volunt inſinuare, quod *titulus juris reformandi* potius ſit *praxis Imperii*, quam *Superioritas territorialis*, ita tamen, ut hæc ſit ſaltem *conditio ſine qua non* (s). Cœterum hanc totam hiſtoriam eſſe fabulam, gratis excogitatam & Catholicis pro veritate obtruſam, ex dictis conſtare debet, quod inter Catholicos & Proteſtanticos nequidem lis fuerit de jure reformandi.

Hiſtoria ab Henningeſio relata eſt fabula.

Potius ergo dicendum, induſtria Comitis Trautmansdorffii factum eſſe, ut formula conventionis prædicto modo conciperetur, quippe qui ſemper, dum de *jure reformandi* mentio incidebat, ad *communem praxin Imperii* tanquam *titulum* illius appellavit, illudque *ex communi praxi* ſtatibus Imperii competere aſſeruit, & ſic ſecundum ſuum & Catholicorum conceptum, quem de jure reformandi habebant, formulam conventionis concipere voluit (t). En hiſtoriam paragraphi 30. ſecundum mentem Authoris Excelſi deſcriptam!

§. VI.

Ex his jam ulterius conſequitur, fabuloſam quoque eſſe hiſtoriam paragraphi 31. immediate ſequentis: *hoc tamen non obſtante &c.* prout refertur a Scriptoribus Proteſtanticis, eorumque omnes interpretationes eſſe fictitias, quoad ea præcipue, quæ de *regula* & *exceptione* in hoc §. poſita ſcribunt. In eo ſolo veritatem ſcribunt, quod Legati Proteſtantici ſubditis proteſtanticis in territoriis Catholicorum, ſed NB. nonniſi *eccleſiaſticorum* degentibus meliorem in modum conſulere, & exercitium liberum tam publicum quam privatum ſublata neceſſitate emigrationis eblandiri & extorquere voluerint. In eo autem fallunt, & falluntur, quod in hoc §. actum fuerit de omnibus & ſingulis totius Imperii ſubditis proteſtanticis, & quod pro his omnibus & ſingulis paciſcentes annum normalem ſtatuere voluerint. Nam ſupra demonſtratum fuit, actum fuiſſe unice de ſubditis ſtatuum Catholicorum eccleſiaſticorum, his ſolis annum 1624. patrocinari, hanc conventionem ſine conſenſu pluri-

Hiſtoria §. 31. prout refertur a Proteſtantibus eſt fabula.

In hoc §. non fuit actum de exercitio Religionis omnibus & ſingulis ſubditis Proteſtanticis indulgendo.

(s) Henninges. loc. cit. pag. 22. & ſeq.
(t) Grundriß pag. 91.

Digitized by Google

plurimorum ſtatuum Catholicorum fuiſſe initam, Comitem Trautmansdorffium limites ſui mandati tranſcendiſſe, & plures ſtatus Catholicos ſupra nominatos conſtanter contradixiſſe, prout hæc ſuſſiſſime deducit Author Excelſus omnino legendus (u).

Annus normalis non eſt regula directiva juris reformandi.

Fundamenta & rationes hujus doctrinæ.

Quid ergo de interpretationibus Proteſtanticorum dicendum? Inter has ea ferme communis & certe magis præcipua eſt, quæ annum 1624. tanquam *regulam directivam juris reformandi* ponit, *& jus reformandi* ad hunc annum ita reſtringit, ut Princeps ſine conſenſu ipſorum ſubditorum poſthac nihil circa exercitium ſubditorum immutare, neque reformare, neque coexercitium ſuæ Religionis introducere poſſit. Immenſus eſſe deberem, ſi ea, quæ Author Excelſus ad enervandam hanc interpretationem affert, vel in compendium redigere vellem. Pauciſſima ex eo decerpſiſſe ſufficiat. Et inprimis quidem, cum in §. anteriori Catholici pro jure reformandi, non quidem ex *jure Superioritatis territorialis*, prout faciebant Proteſtantes, ſed *ex communi praxi* ab ipſis Proteſtantibus introducta derivando, ſibique ſine ulla reſtrictione conſervando & ſtabiliendo per verba: *impediri non poteſt*, tanquam pro aris & focis certaverint, quidquid contradixerint, & proteſtati fuerint Proteſtantes, quibus Catholici ſemper oppoſuere illud: *quod quis juris in alterum ſtatuit &c.* & iterum: *quod Catholici non debeant eſſe deterioris conditionis, ac ſunt Proteſtantes*, qui ſuo *jure reformandi* liberrime utuntur, cum, inquam, pro *jure reformandi* tam ſtrenue decertarint, anne veroſimile eſt, quod mox in §. ſequenti illud ipſum *jus reformandi* quaſi vilipendere, contemptim habere, & in manus ſuorum ſubditorum tradere, eidemque aliam regulam directe contrariam, videlicet *annum normalem* opponere voluerint, illudque ita reſtringi paſſi fuerint, ut a ſuis ſubditis pro libitu in illo impediri, neque illud aliter, quam cum conſenſu illorum exercere, multo minus exercitium Religionis Proteſtanticæ reformare, & nequidem ſuæ Religionis Catholicæ exercitium introducere poſſint? An neſciunt Proteſtantes, quod plerique ſtatus Catholici præter Imperatorem, & domum Bavaricam conſtantiſſime contra diſpoſitionem hujus §., contra exceſſivam liberalitatem erga Proteſtantes Comitis Trautmansdorffii, contra obſervantiam anni 1624. expreſſe & continuo fuerint proteſtati? anne putant Proteſtantes, quod Catholici ſtatus unquam in anni 1624. obſervantiam conſenſuri fuiſſent, ſi vel a longe ſomniaſſent, quod Proteſtantes tam abſurdas, & exorbitantes ſequelas *juri reformandi* directe contrarias, ſummopere præjudicioſas, &

Interpretatio §. 31. Proteſtanticorum falſa & fictitia.

(u) Grundriß loc. cit.

Digitized by Google

& *regulam* eidem extreme oppoſitam inde forent deducturi? Ex his quis non videat, hanc Proteſtanticorum interpretationem eſſe contra omnem fidem hiſtoricam, & contra mentem apertiſſimam paciſcentium? In horum confirmationem Excelſus Author affert tum *notas* ab aula Cæſarea Domui Saxonicæ eum in finem communicatas, ut ſecundum has *inſtrumentum Pacis Cæſareo-Suecicæ* conficeretur, tum contrariam praxin in cauſa *Re-Introductionis* RR. PP. Capucinorum in *Hildesheim*, & in cauſa *Hoexter &c.* (x). Ad hæc: ubinam vel ſyllaba, vel litera, in qua habetur, quod exercitium juris reformandi, immutandi Religionem, coëxercitium alterius introducendi a conſenſu ſubditorum dependeat? Num credibile eſt, quod Principes Catholici ſuum *jus reformandi* voluntati ſuorum ſubditorum ſubjicere, ſeque ipſos illorum Vaſallos efficere voluerint? Profecto a primordiis chriſtianæ Religionis nil unquam de ſimili jure ſubditorum, quo ſuis Dominis in dirigendo exercitio Religionis quaſi leges præſcribere poſſint, unquam auditum. Fuit hæc perpetua chriſtianorum doctrina, quod ſubditi ſuis Superioribus obtemperare debeant (y).

In quo ſenſu annus normalis in §. 33. vocetur regula.

Nec juvat, ſi Proteſtantes ad §. 33. Art. 5. provocent, in quo obſervantia dicti anni 1624. expreſſe vocatur *regula* per verba: *quæ inſtar regulæ obtineat.* Verum qualis regula? certe non *regula juris reformandi*, ſed unice *Autonomiæ* ſeu liberi Religionis exercitii, ne ſubditi ad emigrandum cogi poſſint, prout explicat Author Excelſus ex relatione ipſorum Legatorum Sueciæ, quam exhibuerunt Proteſtantibus. Et ſane! dum de exercitio Religionis proteſtanticæ ſecundum annum 1624. tolerando fuit mota quæſtio, non fuit quæſitum, utrum ſubditis eo anno exercitium ſuæ Religionis habentibus illud *privative* ſit indulgendum, ita ut Princeps alterius Religionis exercitium introducere nequeat, ſed ſimpliciter diſputatum, an ſubditis exercitium ſuæ Religionis pro anno 1624. probantibus, illud etiam poſthac ſit relinquendum. Porro ne longior ſim & quaſi immenſus, ad Authorem Excelſum lectorem remittere placuit. Sufficiat præcipua ex eo adduxiſſe.

§. VII.

Quid de jure Simultanei ſit ſentiendum ſecundum principia Authoris Excelſi.

Inde jam ulterius conſequitur, quid *de jure Simultanei* ſecundum principia Authoris Excelſi ſit ſentiendum. Atque id inprimis certum eſt, quod de *Simultaneo* in Actis, protocollis, & documentis Pacis Weſtphali-

(x) Vid. Grundriß pag. 143. & 145.
(y) Vid. loc. cit. pag. 229.

Digitized by Google

De Simultaneo nulla fit mentio in ita P. W.

phalicæ nec ſyllaba, nec litera reperiatur. Et quid mirum? cum ob *Simultaneum* inter paciſcentes nulla fuerit tractatio, gravamen contra *Simultaneum* nunquam antea auditum, & nullibi propoſitum. Sane Adamus Adami, qui relationem ſuam de tractatibus Weſtphalicis, quibus ipſe interfuit, fideliter texuit, omnes controverſias, conventiones & transactiones enarrat, de *Simultaneo* nihil refert, certo certius de eo mentionem facturus, ſi de illo actum fuiſſet. Et quid mirum? cum enim in §. 30. Art. 5. *regula territorialis* denuo Catholicis confirmata fuerit, de *Simultaneo prohibendo* utique nil proponi potuit. Sed nec in §. 31. illius mentionem facere neceſſe erat, quia *tolerantia* exercitii quorumdam ſubditorum ſub quibusdam Statibus Catholico-eccleſiaſticis ad prohibitionem introductionis *Simultanei* extendi nequit: cum ibidem actum fuerit non de *exercitio* Religionis ſubditorum quorumdam Proteſtanticorum *privativo* cum excluſione alterius cujuscunque Religionis, ſed *tolerando*, aut *reſtituendo*, ſi illud in anno 1624. exercuiſſe probari poſſent, & ſtatus Catholici illud tolerare nollent, quin Catholicis in mentem venerit, ſe ſuo *jure reformandi* penitus ferme abdicare, privare ac ſpoliare, ſibique jus *Simultanei*, id eſt introducendi ſuam Religionem, adimere. Sed nec Proteſtantibus id in mentem veniſſe, aut de hoc illos ſomniaſſe, eo major eſt præſumptio, quo minus prudenter ſperare potuerunt, ſtatibus Catholicis perſuaderi unquam poſſe, ut in petitionem adeo exorbitantem conſentirent, qui nequidem in ſimplicem *tolerantiam* conſentire voluerunt. Et nunquid hodiernam usque in diem contra §. 31. proteſtantur plures Catholicorum ſtatus, prout antea ſunt proteſtati?

Et quare?

Exempla AA. contra Simultaneum allata nil probant.

Poſtea pergit Author Excelſus, unaque demonſtrat, cauſas, exempla, & caſus, quos AA. eum in finem aſſerunt, ut oſtendant, tam in Pace Weſtphalica, quam aliis tractatibus e. g. Norimbergæ in tractatibus *Executionis* P. W. non tantum de *jure Simultanei* fuiſſe actum, ſed illud etiam a Proteſtantibus nunquam fuiſſe admiſſum, non eſſe ad rem, & ex nullo eorum quidquam ſeu pro, ſeu contra *Simultaneum* evinci poſſe. Tales tractatus erant de *Simultaneo Hildeſienſi*, *Solisbacenſi*, *de Simultaneo in Wertheim & Naſſau*, de Re-introductione RR.PP. Capucinorum in Hildesheim, de exercitio publico adverſæ Religionis in Höxter &c. (z).

Doctrina AA. contra Simultaneum eſt erronea.

Hactenus dicta ſi vera ſunt, aperte ſequitur, doctrinam communem hactenus a Proteſtantibus non ſolum, ſed etiam Catholicis receptam

(z) Hiſt. Gravam. pag 194. & ſeq. usque ad pag. 210.

Digitized by Google

ptam de *jure Simultanei* eſſe erroneam, falſam, Paci Weſtphalicæ contrariam, & omnia quæcunque hactenus ſeu pro, ſeu contra *Simultaneum* ſcripta, diſputata & controverſa fuerunt, inania fuiſſe & fruſtranea, ac per ſe corruere, adeoque ipſos etiam Catholicos in errore & *juris* & *facti* hæſiſſe: quod cum famæ, exiſtimationi, & honori tot virorum clariſſimorum, ipſis ſupremis Imperii tribunalibus, ac Comitiis præjudicioſum videatur, in eo ulterius deſudat induſtria Authoris Excelſi, ut originem hujus erroneæ opinionis detegat. *Etiam quidam Authores Catholici in hoc errarunt.*

Itaque quærit, undenam ergo erronea opinio de *prohibito Simultaneo* originem trahat (a). Dabo reſponſum verbis ipſius Authoris Excelſi: *Concluſa Pace Weſtphalica*, inquit, *quidam ex Proteſtantibus verba inſtrumenti mox in alienum a mente Paciſcentium trahebant ſenſum. Aliqui non tantum ſeſe opponebant SIMULTANEO CATHOLICO in CONDOMINIIS, ſed etiam in territoriis eccleſiaſticorum ſtatuum, qui denique NUDUM ſubditorum EXERCITIUM ſe toleraturos promittebant. Mortuis, qui Pacem Weſtphalicam transegerant, quidam nuda inſtrumenti Pacis verba in eum quoque contra mentem Paciſcentium perverterunt ſenſum, quod DOMINUS TERRITORIALIS SÆCULARIS, cui ſoli abſque CONDOMINIO Juriſdictio territorialis competit, ſubditis omnibus exercitium liberrimum juxta obſervantiam anni* 1624. *indulgere deberet, idque PRIVATIVUM, quin iſte Dominus territorialis SIMULTANEUM CATHOLICUM in has terras ſuas introducere poſſet* (b). *Unde origo opinionis erroneæ de prohibito Simultaneo.*

Primam originem erroneæ hujus opinionis, ac interpretationum erronearum Inſtrumenti P. W., quibus *regulam territorialem* Principum Catholicorum in arctiſſimos limites conſtringere, & nudum factum poſſeſſionis in anno 1624. habitæ in vim regulæ obtrudere, atque ſtatum *privativum* introducere conabantur Proteſtantici, author refert ad annum 1655. quo cauſa Hildeſienſis in puncto *Re-introductionis* Capucinorum ad *Deputationem Imperii ordinariam* fuit delata. Nam, cum fundamenta Catholicorum, quibus *regulam territorialem*, & exercitium Religionis ſimultaneum defendebant, expugnare non poſſent, ea per cerebrinas, fictitias & falſas interpretationes elidere totis viribus contendebant, prout liquet ex votis, quæ a quibusdam Legatis Proteſtanticis *Author Excelſus eam refert ad an.* 1655. *Provenit potiſſimum ex fictis & falſis interpretationibus Proteſtanticorum.*

(a) Loc. cit. §. 210.
(b) Hiſt. Gravam. Sect. 6. §. VII. pag. 210.

Digitized by Google

Inter has præcipua eſt, quæ annum 1624. inſtar regulæ habet.

ſtanticis Francofurti fuere data (c). Inter has vero interpretationes noviter excuſas, & principia hactenus inaudita illud ferme erat præcipuum, quo aſſerebant, obſervantiam anni 1624. inſtar regulæ habendam, & eo ipſo ſubditis exercitium Religionis *privativum* eſſe aſſerendum. Atque ex hoc principio jam Proteſtantes in Höxter Principi Corbeienſi, ſubditi proteſtantici in inferiori Palatinatu ſuo Electori Catholico *jus reformandi* impedire contendebant, quo tempore doctrinæ Proteſtanticorum Francofurti noviter cuſæ & excogitatæ typo publico committebantur (d). Inde factum eſt, ut hæc res in diſputationes ſcholaſticas deſineret, jamque publice in ſcholis & ſcriptis publicis de *jure Simultanei* diſputaretur, quin Scriptores id operæ ſibi darent, ut tractatus, documenta, & Acta P. W. genuina conſulerent, quæ ſi conſuluiſſent, nunquam certe de *jure Simultanei* fuiſſet concertatum. Ab illo potiſſimum tempore de *jure Simultanei* acerrime fuit diſputatum, quo Author quidam Anonymus, qui ſe *Anonymum Ryſwicenſem* vocat, anno 1694. libellum quemdam contra *Simultaneum* ſcripſit, illumque Legatis ad pacem Ryſwicenſem præſentibus diſtribuiſſe fertur, contra quem dein Chriſtianus Rittmeyer ſuas ſcripſit *Vindicias juris reformandi* (e).

Quomodo, & quantopere de jure Simultanei diſputatum.

Scriptum cujusdam Anonymi.

Ex hoc *Anonymi* ſcripto *Corpus Evangelicum* ita dictum anno 1698. Electori inferioris Palatinatus ſuum *jus reformandi* reſtringere conabatur (f). Ex hoc ipſo ſcripto poſthac Proteſtantes ſua mutuarunt fundamenta pro ſtabiliendo *anno normali* contra jus reformandi. Ex hoc denique ſcripto Legati Proteſtantici Ratisbonæ in Comitiis congregati famoſiſſimum illud ſcriptum an. 1719. editum, quod inſcribitur: **Ungrund des** Simultanei, confici & in publicum dari curarunt. Plura videantur in diverſis Excelſi Authoris opuſculis, nominatim, **Ungrund der**

(c) Wahrer Begriff ꝛc. pag. 60. ubi ſic legitur: die Sache kame alſo nach Franckfurt zu der Ordinari-Reichs-Deputation 1655. Hier iſt nun der Zeit-Punct, die Epoque, der Anfang der falſchen Ausleg-und Verdrehungen des Friedens-Inſtruments, da man das Territorial-Recht eines Catholiſchen Landes-Herrn in Religions-Sachen einzuſchräncken, und den bloſſen Zuſtand des 1624. Jahrs, ſtatum privativum, nudum factum poſſeſſionis anzuordnen, durch allerhand Wort-Deuteley und Verdrehung ſich euſſeriſt befliſſen.

(d) Loc. mox citato. pag. 64. 66. 67.

(e) De his Vindiciis, nec non Vindiciis Vindiciarum ſupra egimus.

(f) Wahrer Begriff ꝛc. pag. 67.

Digitized by Google

der ſo betitleten Schrift: Ungrund des Simultanei; item Gründliche Nachrichten pag. 113. & ſeq. Hiſt. Gravam. Sect. 6. Wahrer Begriff deren von einigen Proteſtantiſchen Scribenten ꝛc. Atque ex his omnibus ultimato concludit Author Excelſus, figmentum eſſe Scriptorum Proteſtanticorum, quod Paciſcentes in citato §. 30. & 31. decernere voluerint *regulam & normam univerſalem* pro dirigendo exercitio Religionis Proteſtanticæ in toto imperio; neque aliam eorum fuiſſe mentem, quam componere diſſidia & controverſias inter quosdam ſtatus Catholicos & Proteſtanticos vehementer agitatas, & hoc modo tandem Pacem Weſtphalicam ad optatum finem perducere. *P. W. non ſtatuit regulam univerſalem pro tolerando exercitio Religionis Proteſtanticæ.*

§. VIII.

Tandem in eo eſt Author Excelſus, ut hiſtoriam de *jurisdictione eccleſiaſtica* in utriusque Pacis Religioſæ & Weſtphalicæ inſtrumento *ſuſpenſa* dilucidet, & opiniones ac doctrinas Proteſtanticorum erroneas, fictas, & noviter excogitatas reddat manifeſtas. Præcipua novæ doctrinæ capita ſunt ſequentia. Primitus igitur docet Author Excelſus, quod in Pace Religioſa jurisdictio epiſcopalis in ſubditos Proteſtanticos ipſorum ſtatuum proteſtanticorum duntaxat fuerit ſuſpenſa; de jurisdictione vero eccleſiaſtica in ſubditos proteſtanticos ſtatuum Catholicorum eccleſiaſticorum nil prorſus diſpoſitum fuerit, nec diſponi potuerit, utpote in qua fuit primo poſita *regula territorialis*, vi cujus unus ſtatus alterum ſtatum in dirigendo exercitio Religionis impedire non poterat. *Hiſtoria jurisdictionis eccleſiaſticæ in P. W. ſuſpenſæ. Quid de ea in P. R. fuerit diſpoſitum.*

At vero, ubi ſemel in lucem publicam prodiit *Declaratio Ferdinandea*, juxta quam ſtatus Catholici ſubditos proteſtanticos in ſuis territoriis tolerare debebant, & Epiſcopi nihilominus exercitium ſuorum ſubditorum reformare non deſinebant, hi in omnibus ferme Comitiis ad Pacem Weſtphalicam usque celebratis ſua gravamina contra reformationes Epiſcoporum proponere non dubitarunt, & tandem in Pace Weſtphalica eo rem deduxere, ne Epiſcopi etiam ſuorum ſubditorum *exercitium publicum* reformare poſſent, ſed illius exercitii uſum ad anni 1624. obſervantiam reſtrictum tolerarent, & hoc ipſo ſuæ Jurisdictionis exercitium quoque non quidem totum, ſed in quantum illud non exercuerunt, Conſiſtoriis Proteſtanticis relinquerent, donec tandem hæc res plenius fuerit diſcuſſa, & in §. 48. Art. 5. tranſactum, ut jurisdictio Epiſcoporum in territoriis proteſtanticis penitus eſſet *ſuſpenſa*, nec aliter exerceri poſſet, niſi in quantum eam anno 1624. exercue- *Continua gravamina Proteſtanticorum contra reformationes per Epiſcopos.*

Digitized by Google

ercuerunt, *exceptis cauſis Religionis*; in ſuis vero territoriis eatenus eam in ſuos ſubditos proteſtanticos exercerent, quatenus ſubditi eam *agnoverunt*. Atque hæc jam in cap. anteced. fuſius deduximus.

De Jurisdictione eccleſiaſtica Principum ſæcularium nil in P. W. diſpoſitum.

Id fatentur ipſi Proteſtantes.

Alterum doctrinæ caput ſpectat juriſdictionem eccleſiaſticam *Principum ſæcularium*, & de hac aſſirmat Author Excelſus, quod de ea nihil prorſus in tractatibus P. W. fuerit tranſactum. Atque in hoc verum dicit, cum revera in cit. §. 48. juriſdictio eccleſiaſtica ſolummodo ſuſpenſa legatur, & nec minima de aliquo *ſubrogato æquipollenti* fiat mentio, id quod nec Proteſtantes diſſitentur, quemadmodum ſupra ex Püttero oſtendi: *ſuſpenſæ huic juriſdictioni Catholicorum*, inquit (g), *nihil in Pace Weſtphalica ſubrogatum*, & poſtea proſequitur: *ſed eo ipſo res liberæ eorum, quorum intereſt, conventioni, vel cæteris paribus analogiæ Juris publici noſtri relicta eſt.*

Quomodo jurisdictio eccleſiaſtica ad Principes ſæculares pervenerit.

Opinio Authoris Excelſi.

In eo ergo jam eſt quæſtio, quomodo & quando Juriſdictio eccleſiaſtica ad Principes ſæculares tam proteſtanticos, quam Catholicos fuerit devoluta. Primitus de Juriſdictione ſtatuum ſæcularium Proteſtanticorum diſpiciamus, de qua ſic loquitur Author Excelſus: *Conringius poſt concluſam Pacem juriſdictionem ita dictam eccleſiaſticam Proteſtantium Principum primum fabricavit. Theologi vero Proteſtantes illam ſæculari Principi denegant, cujus tamen mandatis jam ſubiiciuntur. Quidam vero Jureconſulti Proteſtantes Domino territoriali eam adjudicant* (h).

Authorem ergo, conditorem, & fabricatorem hujus Juriſdictionis Principum ſæcularium Excelſus Author putat eſſe Conringium, quod an revera a parte rei ita ſe habeat, me ignorare libere profiteor. Exiſtimo ego, quod Proteſtantici neceſſario ad hanc doctrinam delabi, & ſuis Principibus ſæcularibus juriſdictionem eccleſiaſticam Epiſcoporum *ſuſpenſam* concedere debuerint. Nam cum eo tempore nondum fuerit elaboratum *Syſtema collegiale*, quod hodie cum ingenti applauſu tam a Theologis, quam Jureconſultis proteſtanticis defenditur, ſed potius *Syſtema territoriale*, ſecundum quod *Jus circa ſacra ex jure Superioritatis territorialis* pertinet ad Principes, & Dominos territoriales, neceſſario juriſdictionem eccleſiaſticam in ſuis Principibus agnoſcere & revereri debuerunt. Cœterum ſecundum principia hodierni *Syſtematis Collegialis* recte inquit Author Excelſus, quod *Theologi Proteſtantes juriſdictionem eccleſiaſticam Principi ſæculari denegent; quidam vero Jureconſulti Domino territoriali eam adjudicent.*

Major

(g) Epitome J. P. lib. 5. cap. 7. §. 570.

(h) Hiſtor. Gravam. pag. 220.

Digitized by Google

De juriſdictione eccleſiaſtica Principum ſæcularium Catholicorum.

Major eſt difficultas circa juriſdictionem eccleſiaſticam Principum ſæcularium Catholicorum, cujus ex ipſis principiis Catholicis Principes ſæculares ſunt incapaces. De hac juriſdictione jam ſupra cap. præced. fuſius egimus, ubi hunc nodum gordium ex communibus Catholicorum principiis ſolvimus, dicentes, quod ſi tamen Principes ſæculares Catholici juriſdictionem eccleſiaſticam ſibi vindicent, & exerceant, ea vel ſit *improprie talis*, qualem exercent Principes proteſtantici; aut ſi ſit *proprie talis*, eam exerceant *nomine Eccleſiæ* in rebus Religionem proprie non concernentibus, & illi actus juriſdictionales non ſint neceſſario *charačteri Epiſcopali* annexi. Longe breviorem & expeditiorem modum ſolvendi hoc dubium ſuppeditat Author Excelſus, exiſtimans, quod Principes ſæculares nullam ſibi unquam juriſdictionem eccleſiaſticam in ſubditos Proteſtanticos attribuerint, ſed ſolam *regulam territorialem* ſibi vindicent, vi cujus *impediri non poſſunt* in reformatione exercitii Religionis adverſæ. Ponamus ergo, quod Princeps Catholicus ſuccedat proteſtantico in territorio Proteſtantico: hic neutiquam prætendit juriſdictionem epiſcopalem, quam libentiſſime ſuſpenſam profitetur, quin eandem ex jure Superioritatis territorialis ad ſe devolutam aut translatam ſibi vindicare audeat, optime gnarus, juriſdictionem eccleſiaſticam ex jure divino ad Eccleſiam pertinere. Jam vero hic Princeps aut reformat exercitium Religionis proteſtanticæ, aut illud ſubditis proteſtanticis ex gratia permittit? ſi primum, nihil aliud facit, quam quod utatur *regula territoriali*, vi cujus in exercitio reformationis impediri nequit. Si ſecundum, iterum nihil aliud agit, quam quod ſubditis tribuat facultatem ſuam exercendi Religionem ſecundum normam ſibi præſcriptam fortaſſis illorum miniſteria ordinet, conſiſtoria erigat, judices conſtituat; de cœtero autem judicium in rebus Religionem concernentibus relinquat vel Conſiſtoriis, vel cuicunque alteri. Quis autem non primo intuitu perſpicit, in neutro caſu a Principe ſæculari exerceri juriſdictionem eccleſiaſticam? in primo caſu utitur *regula territoriali*: in ſecundo facit gratiam extraordinariam, quam facere ex dictis nulla lege obſtringitur. Neque dum miniſteria ordinat Princeps in Eccleſia proteſtantica, juriſdictionem Epiſcopalem exercere exiſtimari debet. Cum enim talis Princeps Religionem & Eccleſiam proteſtanticam pro vera non habeat, nunquam ſibi perſuadere poteſt, in ea dari juriſdictionem eccleſiaſticam *vere talem*, & talem a ſe exerceri. Talem ergo exercet, ſi tamen aliquam exercet, qualis exercetur a Principibus proteſtanticis, nempe *improprie talem*. Et in hoc verum dicunt Catholici, qui noſtros Principes juris-

Explicatio Authoris Excelſi de hac juriſdictione.

Juriſdictionis eccleſiaſticæ loco Princeps ſæcularis Catholicus utitur regula territoriali.

Digitized by Google

juriſdictionis eccleſiaſticæ improprie talis habiles reddunt. Quædam ex ipſo Authore Excelſo hic in confirmationem dictorum delibemus. Ait ipſe inter alia: *Catholici ſæculares ſtatus nullam Epiſcoporum Catholicorum eccleſiaſticam juriſdictionem ſibi tribuunt: id ſolum ex clariſſimis inſtrumenti Pacis verbis ex Protocollis ſibi competere propugnant, libertatem ſibi eſſe exercitium ſubditorum reformandi v. g. ſi eis talis provincia legitimo titulo obtingeret, aut ſi ab adverſa Religione ad Catholicam tranſirent. Ad talem exercitii Religionis ſubditorum prohibitionem nulla Epiſcoporum Catholicorum Juriſdictione indigent: neque Bavarus Elector illa opus habebat, cum in ſuperiori Palatinatu exercitium ſubditorum reformaſſet. Non tribuebat is ſibi jus epiſcopale, ſed talem reformationem ob Ducatum hunc NB. cum omnibus juribus territorialibus ſibi extraditum, ſeſe feciſſe declarabat. Neque ſæculares juriſdictionem Epiſcoporum Catholicorum exercent, ſi ſubditis ex gratia & cauſis, quas hic non expendo, exercitium adverſum permittunt, illo modo, quem ſubditis præſcribunt. Non ſibi tribuunt jus aliquod aut juriſdictionem in Catholicam Religionem ex jure territoriali. Id ſolum propugnant, ſeſe a Proteſtantibus in ordinatione exercitii Religionis per ſuas provincias impediri non debere, quod Proteſtantes in tractatibus Pacis Religioſæ tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus Imperii ſtatibus promiſerant: conventum eſt, impediri non debere* §. 30. Art. 5. Hucusque Excelſus Author (i).

Quomodo quæſtio de Principe Catholico in terris proteſtanticis Principi proteſtantico ſuccedente facile reſolvi poſſit.

En! viam & medium expeditiſſimum complanandi difficultates in materia juriſdictionis eccleſiaſticæ occurrentes, & reſolvendi quæſtionem de Principe Catholico in terris proteſtanticis Principi Proteſtantico ſuccedente, aut ex Proteſtantico facto Catholico. Merentur etiam pro melius declaranda doctrina Authoris Excelſi in materia juriſdictionis eccleſiaſticæ ea hic adduci, quæ alibi habet, ubi ſic inquit: Ein ſolch weltlicher Reichs-Stand verlangt keine juriſdictionem eccleſiaſticam Epiſcoporum Catholicorum in dieſe ſeine Proteſtantiſche Unterthanen zu exerciren. Er exercirt auch keine. Er weiß, daß er in Beſtellung der Paſteurs, wenn er das freye exercitium aus purer Gnade geſtattet, denſelben keine Miſſionem ordinariam Miniſterii veri eccleſiaſtici ertheile, welche nur allein bey der Catholiſchen Kirchen durch beſtändige Nachfolg, und ordentliche Miſſion zu finden iſt. Er will auch keine ſolche ertheilen. Und indem er ſeinen Unterthanen die Gewiſſens-Freyheit, ja ſo gar das offentliche Religions-exercitium geſtattet, ſo verlangt derſelbe ja eo ipſo keine juriſdictionem eccleſtaſticam Catholicorum Epiſcoporum zu exerciren, um dardurch wider dieſes exercitium, und ſeine Unterthanen cenſuras eccleſiaſticas zu fällen.

Er

(i) Hiſt. Gravam. pag. 228.

Er verlangt auch keine juriſdictionem eccleſiaſticam Proteſtantium. Er wuſte nicht einmahl, wie ſie beſchaffen wäre, oder wem ſie zuſtunde; denn dieſe Herren kommen ſelbſt darin nicht über eins. Sondern er gebietet ſeinen Unterthanen, und in Zulaſſung des freyen exercitii beſtellet er ſolche Perſonen die darzu gehörig, aber ſine miſſione ordinaria eccleſiaſtica. Er gibt keinen Richter ab quoad doctrinam. Er laſſet das Religionis adverſæ exercitium paſſiren, ohne ſelbes zu approbiren. Er aber unterwirfft ſich der Catholiſchen Kirche, und dero allgemeinen Lehre.

Die ſogenannte Conſiſtoria Proteſtantium, die ein weltlich Catholiſcher Regent noch ferners geduldet, und durch neue Perſonen beſetzt, haltet er vor keine Conſiſtoria Eccleſiæ Catholicæ, ſondern er geſtattet, verordnet, beſetzet ſelbe, wie er will, ohne eine juriſdictionem eccleſiaſticam Catholicorum Epiſcoporum auszuüben(k). Atque hæc ſane pulcherrime ſunt dicta, & mentem ac doctrinam noſtri Authoris in plenum ponunt meridiem, & propterea ſingulariter notari merentur. Cœterum quid Proteſtantes Legati Ratisbonæ de juriſdictione eccleſiaſtica ante aliquot annos 1725. diſputaverint, dum Legatus Brandenburgicus cuidam ſuo ſcripto, quod Legato Suecico communicaverat, ſequentem propoſitionem inſeruerat, Daß denen Catholiſchen territorial Landes-Herren keine geiſtliche Juriſdiction zuſtunde, ibidem exhibet Excelſus Author.

§. IX.

Medium pro conſervanda tranquillitate inter ſtatus proponitur.

In hoc §. ſimpliciter referam ſingulares quasdam Authoris Excelſi doctrinas, prætermiſſis longioribus probationibus, quibus Author Excelſus eas probare contendit. Et inprimis quidem præſcribit Author Excelſus medium pro conſervanda poſthac pace, & tranquillitate inter Catholicos & Proteſtantes facillimum, optimum, & ut loquitur (l), ſecuriſſimum, illudque non aliud, quam quod in §. 30. Art. 5. continetur, nempe ne ſtatus ſe invicem in exercitio ſuorum jurium, in negotiis, & cauſis Religionem concernentibus turbent, impediant, moleſtent, aut alterius Religionis conſortes in protectionem recipiant. Et quidni Proteſtantes denique quieti vivant, poſtquam ſuam

(k) Wahrer Begriff ꝛc. Frage ob ein Römiſch Catholiſcher Fürſt ꝛc. pag. 19.

(l) Loc. cit. pag. 72. ubi ſic: das ſchnelleſte, leichtiſte, ſicherſte Mittel zur Erhaltung künfftiger Ruhe iſt von den hohen Paciſcenten mit klaren Worten verglichen worden §. 30. Art. 5. &c.

Digitized by Google

ſuam primariam intentionem jamjam adimpletam vident? Acceperunt enim innumera bona eccleſiaſtica ipſorum ditionibus ſubjecta, obtinuerunt publicum Religionis ſuæ exercitium in ſuis territoriis, & in quibusdam etiam Catholicorum ſtatuum, quamquam de eo, ſi paucos excipiamus, non adeo fuerint ſoliciti. 2do oſtendit, quod Catholici in ſuis principiis ſibi ſemper fuerint conſtantes, in iis nunquam variaverint, nunquam a ſuis doctrinis ſemel adoptatis receſſerint; econtra Proteſtantes diverſa procuderint Syſtemata, in diverſas abierint doctrinas, principia adoptaverint ſibi invicem neutiquam cohærentia, alia habuerint principia tempore P. W., alia poſt, prout id Author Excelſus fuſius demonſtrat (m). 3tio oſtendit, falſam eſſe doctrinam cujusdam Authoris Proteſtantici Anonymi (n), docentis, quod leges fundamentales Imperii ferme unice, aut ſaltem præcipue innitantur *libertati conſcientiæ*, cum potius dicendum ſit, quod Pax Religioſa ſit fundamentum Pacis Weſtphalicæ; hæc vero cœterarum legum fundamentalium. Et ubinam illa lex, quæ libertatem conſcientiæ aut dedit, aut dare potuit? Id enim duntaxat conceſſum legimus, *ne unus ſtatus alterum ſtatum* in exercitio ſuæ Religionis, quæ tamen una ex tribus Religionibus toleratis eſſe debet, impediat: nullibi vero ſtatutum fuit, quod ſubditi, ſi paucos excipiamus, propter prætenſam conſcientiæ libertatem ſuos Principes in ſua *regula territoriali* & determinatione exercitii Religionis impedire queant (o). Cætera eaque plurima doctrinæ capita brevitatis cauſa recenſere ſuperſedeo.

Proteſtantes in ſuis doctrinis & principiis continuo variant, non Catholici.

§. X.

Laus Authoris Excelſi illiusque opuſculorum.

Atque hæc pauca ex opuſculis Authoris Excelſi, cujus jam memoria in benedictione eſt, laus vero honor & gloria immortalis apud homines, delibaſſe & in compendium redegiſſe ſufficiat, in gratiam eorum, quibus hæc opuſcula ſunt ignota, aut legere ob negotia graviora non eſt permiſſum. Innumera adhuc ſunt, quæ in illis continentur, quæ ſi unice in compendium redigere voluiſſem, immenſo ſane labore mihi fuiſſet defungendum. Opuſcula hæc approbationem obtinuiſſe ampliſſimam apud Viros Germaniæ primos, doctrina, & eruditione

(m) Vid. loc. mox citato pag. 74.

(n) Gründlicher Beweiß, daß die Achts-Erklärung wider den König in Preuſſen ohnmöglich ſeye. 1757. pag. 23.

(o) Loc. ſupra cit. pag. 80. & ſeq.

Digitized by Google

ruditione facile Principes, apud Legatos plures in Comitiis Imperii Ratisbonenſibus congregatos, aliosque ex certiſſimis relationibus ſcio. Illa eſſe ſincere ex Actis, & documentis publicis deprompta, & cum actis omnino concordare, faſſi ſunt Viri omni exceptione majores, qui id ſibi laboris & operæ dederunt, ut in omnia loca inquirerent, & tranſumpta cum originalibus conferrent.

Si quis ex me quærat, quid ego de hoc novo Syſtemate ſentiam, libere profiteor, illud me ita affeciſſe, ut id publice tueri, ac defendere non abhorrerem, niſi rationes peculiares id prohiberent. Id Authori Excelſo Viri quidam Catholici oppoſuere, quod ſuis laboribus bono Eccleſiæ Catholicæ non ex omni parte bene conſuluerit. Demus enim, quod Deus clementiſſime avertat, Principem Catholicum ad caſtra Proteſtantica tranſire, aut Proteſtanticum in terris Catholicis ſuccedere Principi Catholico, nunquid juxta hæc Authoris principia eidem liberum erit coexercitium Religionis Proteſtanticæ introducere, imo exercitium Religionis Catholicæ omnino reformare cum incredibili rei Catholicæ præjudicio ac detrimento? Verum ſint hæc ita, nunquid ferme idem, ſaltem quoad introductionem coexercitii, ſequitur ex communi doctrina Catholicorum, qui *jus Simultanei* contra Proteſtantes pro aris & focis defendere ſolent? Dein confidendum eſt in ulteriori, eoque ſingulari Dei adjutorio, qui usque nunc ſimilem caſum clementiſſime ab Eccleſia Catholica avertere dignatus eſt, cum tamen in Eccleſia Proteſtantica ſimiles caſus plures accidiſſe ab hodierna experientia habeamus. Atque hæc ipſa videtur eſſe ratio præcipua, quæ Proteſtanticos movit, ut contra *jus Simultanei* inſurgerent, in dies nova principia excogitarent, nova Syſtemata cuderent, ſubditorum jura contra jura ſuorum Principum defenderent, & orbem literarium tot ſcriptis adimplerent. Jam manum de tabula.

CAPUT IX.

De aliis Controverſiis Pacis Weſtphalicæ, ſpecialiter de jure primarum precum.

§. I. *De beneficio emigrandi remiſſive.* II. *De jure transplantandi.* III. *De Reſervato eccleſiaſtico ſeu Freyſtellionatu.* IV. *De Menſibus papalibus, Annatis, aliisque exactionibus reſpectu Proteſtanticorum ſublatis.* V. *Ad quem collatio canonicatuum in menſibus papalibus vacan-*

tium in Capitulis vel pure Proteſtanticis vel mixtis pervenerit. VI. *Ad quem jus exigendi Annatas.* VII. *Ad quem in Eccleſiis proteſtanticis pertineat jus devolutionis in cauſis electionis & poſtulationis.* VIII. *De Jure primarum precum.* IX. *Concluſio Tomi III.*

§. I.

De emigratione remiſſiva.

De *beneficio*, ut ajunt, *flebili emigrationis*, præcipue vero de *emigratione neceſſaria* & *voluntaria*, & quid de ea in Pace Religioſa ſtatutum fuerit, ſupra egimus (p). Jam hæc materia non-nihil accuratius ſecundum literam & mentem P. W. diſcutienda eſt. Recruduit nempe in P. W. lis antiqua de emigratione *neceſſaria* & *voluntaria*. Inſiſtebant quippe Proteſtantes pro pleno emigrandi, aut, ſi ſubditi ſimplici conſcientiæ libertate & cultu domeſtico contenti vivere vellent, non emigrandi *arbitrio*; Catholicis contra pro emigrandi *neceſſitate*, ſiquidem ſubditi ſacra mutantes a territoriorum Dominis juſſi fuerint, fortiter pugnantibus (q). Porro, cum Catholici in ſua ſententia firmiter perſiſterent, & potius omnes tractatus Pacis abrupturos ſe eſſe minarentur, quam in enormem adeo conſcientiæ libertatem, & ſuperioritati territoriali ſummopere noxiam Religionis tolerantiam conſentire, hinc conventum tandem inter utramque partem in hunc modum.

Quid de ea in P. W. actum.

In quid conventum.

Quod ſi verus ſubditus, qui nec publicum, nec privatum ſuæ Religionis exercitium anno 1624. *habuerit, vel etiam, qui poſt publicatam Pacem Religionem mutabit, ſua ſponte emigrare voluerit, aut a territorii Domino juſſus fuerit, liberum ei ſit, aut retentis bonis aut alienatis diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtrare, & quoties ratio id poſtulat, ad res ſuas inſpiciendas, vel perſequendas lites, aut debita exigenda libere & ſine literis commeatus adire* (r).

Emigratio partim neceſſaria partim voluntaria poſt P. W.

Ex his verbis jam patet 1mo, quod beneficium emigrationis poſt Pacem Weſtphalicam ſit partim *voluntarium* per verba: *ſponte emigrare voluerint*; partim *neceſſarium* ex verbis: *a territorii Domino juſſus fuerit*, de quo adhuc ante P. W. dubitabatur, prout ipſe Henningeſius negare non audet (s). 2do hanc diſpoſitionem eſſe intelligendam de ſubditis, qui anno normali exercitium Religionis non habeurunt: cæteris enim, qui

(p) Vid. ſupra quæſt. 2. cap. 4. §. 10.
(q) Illuſt. de Meiern Acta P. W. Tom. 2. lib. 15. §. 3. ad grav. 3. pag. 577.
(r) Art. 5. §. 36.
(s) In Medit. ad cit. §.

Digitized by Google

qui illud quacunque anni parte habuerunt, eatenus proviſum fuit in §. 31. Art. 5. quatenus in eo amplius turbari nequeant. 3tio in arbitrio eſſe ſubditorum emigrantium, an ſua bona diſtrahere, vendere, & alienare, vel illa retinere, & per adminiſtratores curare velint, ita tamen, ut hi adminiſtratores eſſe debeant Religionis in illo territorio toleratæ vel receptæ: ſecus enim etiam ipſi emigrare jubebuntur: *liberum ei ſit*, dicit textus, *aut a retentis bonis diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtrare &c.*

An ſubditi pro ſuo libitu emigrare poſſint.

Utrum Princeps id prohibere poſſit.

Sed quid? ſi vel illi, qui ex anno normali liberum habent exercitium, & emigrare non obligantur, vel illi etiam, qui ad emigrandum cogi poſſunt, ſponte ſua emigrare velint, an ambobus emigratio a Principe prohiberi valet, caſu quo poſterioribus liberum ſuæ Religionis exercitium offerat, & relinquere velit? Profecto id a Principe ex jure naturæ & gentium prohiberi poſſe, ſi ſalus Reipublicæ id exigat, nemo unus dubitaverit. Quid enim ſi turmatim ſolum purgare, & alienas ditiones petere cum graviſſimo damno Reipublicæ vellent, ita, ut pauci admodum forent, qui vel agriculturam vel opificia & artes exercerent, vel militem agerent præſidiarium? Num ſalutem Reipublicæ, quæ ſuprema lex eſſe debet, id permiſſuram credimus? Num tales emigrare volentes non retineri poſſe autumamus? dummodo, ſicuti dictum, eorum conſcientiæ per conceſſionem exercitii ſuæ Religionis conſulatur: ſecus enim hi longe melioris eſſent conditionis, quam illi, quibus publicum Religionis exercitium ex anno normali debetur, & tamen beneficium emigrationis ex juſta cauſa denegari poteſt (t).

Qualis terminus temporis emigrantibus conceſſus.

Ulterius vero in §. ſeq. de termino emigrationis ita diſpoſitum fuit, ut illis ſubditis, qui neque publicum neque privatum ſuæ Religionis exercitium habuerunt, & tamen tempore publicatæ pacificationis Weſtphalicæ in unius vel alterius Religionis ſtatuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur; & illis etiam, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium alio emigrarunt, & facta pace in patriam redire volunt, terminus non minor quinquennio, illis vero, qui poſt Pacem publicatam Religionem mutant, non minor triennio ad emigrandum præfigatur, neque ſive voluntarie ſive coacte emigrantibus nativitatis, ingenuitatis, manumiſſionis, novi opificii, honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur, aut iidem reverſalibus inuſitatis, vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ plus æquo

S ſ ss 2 extenſis

(t) Perill. Ickſtat opuſ. 5. de jure transplantandi pag. 332. & 335.

extenſis prægraventur; multo minus ſpontaneam ſuſcipientibus emigrationem ſervitutis, aut alio prætextu impedimentum inferatur (u).

Decimatio quid, & quid de ea in P. W.

En, quam largiſſime proviſum fuerit emigrantibus! Hæc cum aliunde clara ſint, expoſitione ulteriori non indigent. Duo breviter annotamus, & illud inprimis, quod de *decimatione ſubſtantiæ* dicitur: *vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ plus æquo extenſis prægraventur.* Moris eſt in Germania & alibi, ut, ſi ſubditi mutare Dominos, & transferendi domicilii cauſa ex uno loco in alium una cum facultatibus ſuis ſe conferre volunt, pro abitu certam ſummam teneantur Domino ſolvere, quibus licentiam abeundi veluti redimunt. Germanice hæc res vocatur das Abzug-Geld; latine vero *detractio*, quia communius a ſingulis centum nummis certa quota detrahitur, & quia hæc quota ſæpius eſt *pars decima*, vocatur etiam *decimatio*. De æquitate hujus juris vel iniquitate Scriptores multum inter ſe diſſentiunt (x). Noſtrum non eſt de hac re fuſius agere (y): ſufficit nobis inſinuaſſe, quod Pax W. providere voluerit emigrantibus, quo minus eorum ſubſtantiæ prægravari poſſint. Utrum vero ex æquo *decimatio* petatur, an plus æquo extendatur, a conſuetudine cujusque loci ut plurimum dependet.

Alterum, quod notari meretur, ſunt illa verba: *ſervitutis aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur.* Id autem in gratiam *hominum propriorum* in Germania ſatis frequentium, quos vocare ſolemus Leibeigene, conſtitutum videtur, quibus emigrare volentibus ſæpe multum faceſſitur negotii, id quod hac conſtitutione videtur eſſe ſublatum. An vero tales homines ultra præſtitam *decimationem* adhuc peculiariter teneantur ad redimendum jus ſervitutis, multum diſputatur. Exiſtimat Henninges (z), quod cum *manumiſſio* plerumque aliquo pretio redimi ſoleat, vix fore, ut ſe ab omni pretio redemptionis eximant.

Pro ſubditis Auſtriacis ſingulare aliquid ſtatutum.

Hactenus de *jure emigrandi*. Sed quoniam in §. §. ſeq. 38. & 39. ſingulare aliquid ſtatutum eſt pro ſubditis Auſtriacis, quippe quod pientiſſimi Imperatores Auſtriaci nullo modo perſuaderi potuerint, ut permitterent ſubditos ſuos iisdem legibus & beneficjis frui, quibus ſubditi aliorum ſtatuum a paragrapho 31. usque huc fruuntur, & hiſce conſtanter beneficium emigrationis fuerit denegatum, rectus ordo nos deducit, ut

(u) Art. 5. §. 37.
(x) Vid. Henninge Medit. ad §. 37. Art. 5. pag. 533.
(y) Idem Henninges loc. cit. & Pfeffingerus ad Vitriarium Tom. 3. pag. 1479.
(z) Loc. cit.

Digitized by Google

ut breviter de *jure transplantandi*, quo hactenus Archiduces Auſtriæ utuntur, breviter agamus.

§. II.

De jure transplantandi.

Quid ſit jus transmigrandi, & quomodo a jure emigrandi differat.

Quatuor hic jura bene ſunt diſtinquenda, videlicet *jus emigrandi*, & *transmigrandi* ſubditorum, jus *expellendi* & *transplantandi* ſubditos. Duo priora ſubditis, duo poſteriora Principibus ſummis ſunt propria. Quid ſit *jus emigrandi*, ex §. præced. patet, nempe *facultas* (ſi loquamur de jure emigrationis *voluntario*) *ſubditis competens abdicato jure Civitatis in aliam Rempublicam concedendi, ibique domicilium figendi.* Ab hoc differt *jus transmigrandi*, quod eſt *facultas e provincia ſeu loco uno in alium eidem ſummo imperio ſubjectum transferendi domicilium.* In eo vero eſt diſcrimen inter utrumque, quod *emigrantes* jus civitatis amittant, a ſe abdicent, & alterius imperio ſummo ſubjiciantur; *transmigrantes* vero jus civitatis retineant, eatenus ſaltem, quatenus ejusdem imperio ſupremo ſubjacent, eſto jam aliis juribus fruantur, & aliis legibus utantur, ſi in provincia, ad quam transmigrare placuit, alia jura & leges vigeant (a).

Quid ſit jus expellendi ſubditos.

Quid jus transplantandi.

Diſcrimen inter jus utrumque.

Iterum aliud eſt *jus expellendi*, nempe *facultas ſummo Magiſtratui aut Principi competens, membra Societatis civilis e numero civium ac ſubditorum expungendi, atque ut ſolum vertant, adigendi*; & aliud eſt *jus transplantandi*, videlicet *Jus majeſtaticum ſupremo Imperanti competens imperandi ſubditis, ut ab una provincia, aut ab uno loco in alium eidem imperio ſubjectum, domicilia & fortunarum ſedes transferant.* Diſcrimen inter utrumque per ſe iterum patet: nam in priori *Expulſi ſeu Ejecti* jus Civitatis amittunt, cives eſſe deſinunt, nec intra fines Reipublicæ in quascunque provincias protenſæ domicilium ponere poſſunt, niſi ita expreſſe cautum ſit: *transplantati* vero aliqualia jura Civitatis, haud ſecus, quam *transmigrantes*, de quibus ſupra, retinent, & ſaltem ſuo priori Principi ſubjecti manent. Idem dicendum de juribus *emigrandi*, & transplantandi, de quibus hic potiſſimum agitur.

(a) Tales videntur fuiſſe *transmigrationes* Romanorum civium, cum e civitate una in aliam concederent, eidemque ſeſe adſcribi paterentur, aut colonias ſuas in devictorum terras traducerent: hoc ipſo enim prioris quidem civitatis, non tamen orbis Romani jura amiſerunt. Utriusque diſcrimen in ſequenti exemplo manifeſte patebit. Ponamus, quod Suevi quidam in Hungariam concedant ibidem domicilium fixuri: ponamus ulterius, idipſum fieri a quibusdam Auſtriacis. Apud priores habetur *exemplum emigrationis*; apud poſteriores *transmigrationis.*

Quid ex jure naturæ & gentium dicendum de jure emigrandi. Ex his jam manifeſtum eſt, quid ex *Jure publico univerſali* de hiſce juribus ſit dicendum, circa quæ ſequentia ſtatuit dogmata Perill. Ickſtattius, & quidem circa *jus emigrandi:* 1mo *quamdiu cives in Republica & territoriis ſecuritate atque tranquillitate vitæ fruuntur, jus emigrandi ipſis non competit.* Cujus ratio eſt, quod cives ex pacto reciproco obligentur ad conferendas vires ſuas in bonum civitatis, quin ab hoc pacto ſine juſta cauſa recedere liceat. Sed quænam juſta poteſt eſſe cauſa diſſolvendi vinculum civilis obligationis & recedendi a pacto, ſi ſubditis pacifice & tranquille vivere datum eſt? cum finis civium in civitatem coeuntium alius non fuerit, quam Pax & tranquillitas. Quocirca in caſu inverſo ceſſantis ſecuritatis & tranquillitatis jure emigrandi omnino gaudent, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus obligationis (b). 2do *Dominis territorialibus competit jus emigrationis, ſive turmatim, ſive ſingillatim fiant, prohibendi, ſiquidem ingens ex eorum emigratione damnum in Rempublicam redundet.* De hoc dogmate nemo dubitaverit, cui jus ſupereminentis dominii in Principe reſidentis vel obiter perſpectum eſt.

Quid ex eodem jure de jure transmigrandi. Quoad *jus transmigrandi* hoc unicum ponit dogma Perill. Author, quod *ſubditi libero transmigrandi jure regulariter gaudeant.* Hujus ratio in eo eſt, quod talis maneat civis & ſummo Imperanti ſubjectus, eidemque ſua tributa ſolvat, quocunque transmigraverit, adeoque nullum Reipublicæ fiat præjudicium. Cæterum poſſe peculiares easque plures ſubeſſe rationes jus iſtud reſtringendi, nemo negaverit. Quid enim ſi quædam provincia aliunde egeat civibus, agricolis, opificibus, militibus? quid ſi jam ſinguli ſuo *jure transmigrandi* uti vellent, nunquid de bono Reipublicæ actum foret?

Quid de jure expellendi. Quoad *jus expellendi* aliunde certum eſt, illud competere contra illos, qui pacem publicam turbant, aut legibus patriis ſeſe accommodare renuunt, aut aliud crimen proſcriptione dignum committunt. Aliter dicendum, ſi pacifice vivant, nihil adverſus Rempublicam moliantur, ſed morigeros ſe & legibus obedientes præſtant. Sed quid hæremus in aliunde certis & certiſſimis?

Quid de jure transplantandi. De *jure transplantandi* non nihil accuratius diſpiciendum, quo Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam non nunquam fuiſſe uſam ſcimus contra ſubditos, qui Religionem proteſtanticam ſeu publice ſeu in occulto profiteri deprehenſi ſunt. Id inprimis certum eſt, quod *jus transplantandi* annexum ſit Imperio, eoque toties gaudeant Imperantes, quoties Civitatis quies id poſtulat: nam ſi *jure expellendi* in ſimili caſu uti poſſunt

(b) Opuſ. 5. de Jure transplantandi pag. 293. & ſeq.

Digitized by Google

ſunt Imperantes, quidni *jure tranſplantandi* tanquam medio longe mitiori? quo toties uti præſtat, quoties medio leniori magis, aut ſaltem æque ac mediis rigidioribus bono Reipublicæ conſultum ſore perſpicimus. Cauſas diverſas, ob quas Principes jure transplantandi uti poſſunt, recenſet Perill. Ickſtattius (c).

Quid de jure tranſplantandi ex P. W.

Ad id jam devolvitur quæſtio, quid de *jure transplantandi* vigore P. W. ſit dicendum, & 1mo quidem, an ſtatus Imperii & territoriorum Domini gaudeant *jure tranſplantandi* ſubditos, poſt annum normalem, diverſam a territorii domino Religionem amplectentes, & beneficio emigrationis gaudentes in loca ſuæ ditionis alia, ubi plena Religionis libertate, liberoque exercitio gaudent, ſi fortaſſis ſubditi malint eligere beneficium *emigrationis*, quam *tranſplantationis*. Argumenta in contrarium poſſent eſſe ſequentia, 1mo, quod P. W. unice loquatur de beneficio emigrationis. Et quoniam 2do hæc diſpoſitio unice in favorem ſubditorum ſacta eſſe dignoſcitur, in illorum quoque ſavorem eſt interpretanda, & eo ipſo in illorum arbitrio collocandum, an malint emigrare, aut transplantari. Et quid 3tio ſi ſubditis ſit commodius, optabilius, & magis proſicuum in vicinam emigrare provinciam, fortaſſis ob ſuum commercium, vel aliam quamcunque rationabilem cauſam, quam transplantari in diſſitas provincias, in terras ſteriles, infœcundas, commerciorum expertes?

An Princeps poſſit transplantare eos etiam invitos qui habent beneficium emigrandi.

Argumenta in ſavorem Principum.

His obſtat, quod 1mo, etſi de *jure transmigrandi* in inſtrumento P. W. nulla omnino fiat mentio, illud tamen neque dicto inſtrumento, nec menti paciſcentium refragetur: eoquod per transplantationem neque jura ſtatuum territorialia *circa ſacra* diminuantur, neque juribus ſubditorum, quæ circa liberum Religionis exercitium & *libertatem conſcientiæ* habent, vel minimum fiat præjudicium, ſuppoſito, quod in locis, ad quæ transplantantur, plena gaudeant libertate, & in ſuæ Religionis exercitio nullo modo impediantur, turbentur, & moleſtentur. 2do utique mens & intentio paciſcentium ſola fuit, proſpicere libertati conſcientiæ & Religionis ſubditorum; neutiquam vero illorum etiam fortunis, commoditatibus vitæ meliorem in modum ita conſulere, ut exinde Dominis territorialibus grande enaſcatur præjudicium, caſu quo ſubditi turmatim & eorum multa millia emigrare debent (d). 3tio tales jam

ſubditi

(c) Loc. cit. pag. 306. ubi etiam transplantationum varia exempla ex hiſtoria Romana, & Germanica maxime quoad ſervos, & bello victos affert.

(d) Quemadmodum in Provincia Salisburg. non multis abhinc annis factum ſcimus.

ſubditi melioris eſſent conditionis, quam alii Religioni Domini territorialis addicti, quibus ex juſtis cauſis *jus emigrandi* omnino prohiberi poteſt. 4to equidem beneficium emigrationis in favorem ſubditorum fuit indultum, ſed unice in favorem libertatis conſcientiæ & Religionis eorum, cui per transplantationem omni modo conſuli ſupponimus. 5to anne exiſtimamus, quod Domini territoriales unquam fuiſſent conſenſuri in emigrationis beneficium, ſi tale, tantum, ac tam grande præjudicium inde enaſciturum prævidiſſent? ideoque §. cit. interpretandus eſt in favorem ſubditorum, in quantum id favor conſcientiæ & Religionis exigit. 6to habent potius, quod ſibi gratulentur ſubditi, ſi beneficio transplantationis beentur, quam ſi ad amplectendum flebile emigrationis beneficium compellantur: cum multo pinquius ſit beneficium transplantationis, quam emigrationis; quinimo teſte Ickſtattio (e) transplantationes ſint gratiæ & effectus principalis clementiæ: ſiquidem transplantati jura Civitatis conſervant, manent cives, & Domino priori ſubjiciuntur; emigrantes vero jus Civitatis amittunt, fiunt quaſi exules &c.

Ultimam hanc rationem tanti ponderis non eſſe & nonniſi pro uno alterove caſu valere, facile quisque perſpexerit. Quid enim ſi quis nihil magis optet, quam a jugo ſervitutis, ut ita dicam, quod quis portare cogitur ſub imperio ſui Principis, liberari? quid ſi cives alicujus Civitatis emungantur exceſſivis tributis, commercia reſtringantur, Imperantes ipſi omne lucrum ex qualibet re ad ſe arripiant, ſint bellicoſi & potius ſtatum bellicoſum, quam politicum tranquillum & pacificum amant, & ſuſtentent? nunquid in his & ſimilibus caſibus longe exoptabilius eſt ſubditis beneficium *emigrationis*, quam *transplantationis?*

Transplantatio non debet fieri in loca deſerta &c. Cæterum ſubditos jure excipere poſſe aliquoties contra beneficium *transplantationis*, haud inficias ivero: quemadmodum ſi Princeps ſuos ſubditos in provincias aridas, ſteriles, in terram deſertam, & inaquoſam transplantare vellet. Cum enim profeſſio unius toleratarum in imperio Religionum crimen non ſit, certe ſubditos transplantandos adeo rigide, & dure haberi non convenit, idque contrarium eſſet Paci Weſtphalicæ, & menti pacifcentium, ac talis transplantatio potius vim ablegationis in exilium, quam alicujus beneficii habitura foret, ſiquidem beneficiis juvandi ſumus, non decipiendi. Quocirca ſubditos jure contra rigorem transplantationis ſua gravamina in ſimili caſu proponere poſſe exiſtimo. Porro autem etiam ſubditis non nimium eſſe indulgendum, & condeſcen-

(e) Loc. cit. pag. 342.

Digitized by Google

condeſcendendum, mihi perſuaſum habeo, qui ſæpe odio Religionis, aut aliis ſiniſtris affectibus in ſuos Imperantes agitati unice in odium ſuorum Dominorum & Religionis ſolum purgant, & alienis ditionibus ſe ſubjiciunt, maluntque ſub Principe territoriali ſuæ Religioni addicto jugum duriſſimæ ſervitutis portare, quam ſub Principe a ſua Religione alieno dulci otio, quiete, pace frui. Et quid ſi ſubditi nimis ſint delicati, ſuorum commodorum aut nimium tenaces, aut omnino ſint cupidi? num ergo utilitas publica cedere debet privatis ſubditorum commodis? Hæc ſublimiori judicio expendenda relinquimus.

An idem terminus indulgendus transplantandis, & emigrantibus.

De eo dubitatur, an idem terminus ad emigrandum in inſtrum. P. W. conſtitutus ſit iis etiam, qui transplantantur, indulgendus. Etſi tanto temporis ſpatio hi indigere non videantur, cum non raro in loca transplantentur haud multum diſſita & remota, nec multum ſoliciti eſſe debeant de novis ſedibus & domiciliis acquirendis, quippe qui ſuas a Domino territoriali ſedes habent conſtitutas, quia tamen ex aliis cauſis longiorem moram prætendere poſſunt, fortaſſis ut res ſuas diſtrahere, vendere, & alienare valeant, nollem ego Domino territoriali ſuadere, ut terminum reſtringat, ne ſubditis alterius Religionis aliunde valde delicatis occaſionem multiplicandi gravamina Religionis jam mirum in modum aucta præbeat. Et quid ſi ſubditi ſimpliciter dicant, in ſuo ſtare arbitrio, an beneficio ſibi conceſſo frui velint, vel non?

An Princeps transplantare poſſit ſubditos, qui quidem beneficium emigrationis non habent, ſed ſponte emigrare volunt.

Hactenus dicta ſunt intelligenda de illis ſubditis, qui beneficio emigrationis omnino gaudent. Sed quid ſi tali beneficio non gaudeant, quemadmodum ſubditi plures ditionum Auſtriacarum, & tamen exercitium Religionis alterius introducere velint, aut alienam Religionem publice vel in occulto profiteantur, & hoc modo res Catholicas, & ipſam etiam Rempublicam politicam turbent: an Princeps territorialis illos etiam invitos transplantare valet, caſu quo ſponte emigrare velint? Profecto ſi Princeps *jus transplantandi* in ſubditos privilegio emigrationis munitos exercere valeat, quare non a fortiori in ſubditos tali privilegio non gaudentes? Habet Princeps ex ſupra dictis jus ſupereminentis dominii, vi cujus ſubditis interdicere poteſt ex cauſa juſta emigrationes, & transmigrationes, dummodo ſecure & tranquille in Republica vivere poſſint, utpote quod ſola ſecuritas & tranquillitas ſit finis, propter quem homines in Societatem & Rempublicam coierunt: cur non habeat *jus transplantandi* eos ab uno in alium locum, in quo haud aliter ſecuritate fruuntur, quam in loco, e quo fuere transplantati? Poteſt Princeps factioſos homines in alia ſibi ſubjecta regna, territoria aut provincias diſtribuere, quare non illos, qui mutant Religionem? qui quamvis a

parte rei factioſi non ſint, nihilominus frequentiores motus ſat graves tam quoad Religionem, quam quoad Rempublicam excitare ſolent: & communius apud Authores receptum eſt commune illud, quod diverſitas Religionis mater litium ſit. Quandonam autem præſtet exercitium, Religionis alterius tolerare, ſublimioris indaginis quæſtio eſt hic & nunc non decidenda.

§. III.

De Reſervato eccleſiaſtico remiſſive.

Quid de eo in P. W. ſtatutum.

De *Reſervato eccleſiaſtico* in Pace Religioſa unice in favorem Catholicorum ſtatuto, & gravaminibus ex parte Proteſtanticorum contra illud obmotis jam ſupra fuit actum (f). Supereſt, ut, quid in P. W. deſuper fuerit declaratum, breviter dicamus, in qua Proteſtantes rem eo deduxerunt, ut clauſula *Reſervati eccleſiaſtici* etiam ad ipſos fuerit extenſa (g): quamquam ipſi maluiſſent illam clauſulam penitus expunctam, deletamque. De controverſiis in hac materia obortis vide ſis Lehmannum A. P. R. cap. 13. Sleidanum lib. 26. pag. 854. Cortreium in Obſerv. ad P. R. pag. 99. Ulrich Obrecht in Diſſert. de Reſerv. eccleſ. Schilterum de Libert. eccleſ. Germ. lib. 7. cap. 11. §. 2.

§. IV.

An Concordata Germaniæ obligent Proteſtantes.

Quid deſuper actum.

Et concluſum in P. W.

Inter alia diſſidia, quæ invexit doctrina Lutheri, illud etiam fuit, quod ante, & in Pace Weſtphalica magna animorum contentione agitabatur, an & quomodo *Concordata Germaniæ* Proteſtantes obligent; præſertim an apud illos *menſes, & exactiones papales* in beneficiis per Proteſtantes poſſeſſis obtineant. Catholici inſiſtebant *Concordatis* & axiomati communi: *quod non eſt immutatum, cur ſtare prohibeatur?* Inde factum eſt, quod Catholici pro Epiſcopis agnoſcere noluerint Principes Proteſtantes, qui Epiſcopatus per electionem, vel poſtulationem nacti fuerant, partim quod confirmationem Pontificis in *Concordatis Germaniæ* eidem aſſertam non obtinuerint, partim quod in *Concordatis Germaniæ* nulla fiat mentio Epiſcopi Proteſtantici. Ad hæc Proteſtantes noluere agnoſcere *menſes Papales*, multo minus titulo *annatarum* eidem Pontifici in Concordatis ſtabilitatum quidquam ſolvere. Haſce controverſias, querelas, & gravamina invicem obmota fuſe recenſet Londorpius (h). Tandem ita exigentibus rerum circumſtantiis in Pace Weſtpha-

(f) Quæſt. 2. cap. 4. §. 9.

(g) Art. 5. §. 15.

(h) Tom. 5. Act. Pub. lib. 1. §. 107. Item §. 130. Tom. 6. lib. 3. cap. 30. §. 10. & cap. 36. §. 5. Item cap. 38. §. 5.

Digitized by Google

Weſtphalica (i) in id conventum, & eatenus Proteſtantibus fuit condeſcenſum, quatenus jam tales Principes Proteſtantici citra confirmationem, conſecrationem & Pallium a Pontifice obtentum in Imperio agnoſcerentur, inveſtituram una cum jure voti & ſuffragii in *ſcanno tranſverſali* obtinerent, & de cætero in Eccleſiis pure Proteſtanticis neque Annatis, aliisque exactionibus, neque menſibus papalibus ullus foret locus; in Eccleſiis mixtis vero, in quibus utriusque Religionis capitulares & Canonici certo numero admittuntur, menſes papales intuitu Catholicorum eatenus obtineant, quatenus vigore præfati termini, id eſt 1. diei Januarii anno 1624. quo termino cujusque poſſeſſiones, & jura in fundationibus immediatis æſtimantur, in uſu fuerunt. Habentur hæc omnia in Art. 5. §. 19. 20. & 21. Pacis Weſtphalicæ.

Menſes papales & Annatæ apud Proteſtantes ſublatæ.

§. V.

Inde jam graviſſima conſurgit difficultas, ad quem jam *Menſes papales*, vel potius jus conferendi Canonicatus in Capitulis ſeu pure Proteſtanticis, ſeu mixtis pertineat. Occaſionem hujus quæſtionis accuratius examinandæ mihi præbuit Caſus quidam dubius ad hujatem facultatem Juridicam pro expediendo Reſponſo Juridico a quodam magni nominis in Germania Principe Catholico, & Epiſcopo Capituli mixtæ Religionis, in quo ipſe, mortuo Canonico Religionis Reformatorum in *menſe Papali*, Canonicatum contulit cuidam tertio eidem Reformatorum Religioni addicto, contradicente Capitulo, ſibique jus conferendi Canonicatum tum ex jure communi, & particulari, tum ex tribus præjudiciis in ſui favorem allatis, ac jure poſſeſſionis ac præſcriptionis vindicante. Quidquid jam ſit de titulis particularibus, nobis hic placet dubium decidere ex jure eccleſiaſtico publico, conformiter nempe tum juri Canonico communi, in quantum id ab ipſis Proteſtantibus eſt receptum, tum inſtrumento P. W.

Ad quem pertineant menſes papales in Capitulis Proteſtanticis aut mixtæ Religionis.

Tres ſunt, qui ſibi *menſes papales* ſeu potius *jus conferendi Canonicatus* in dato caſu vindicant, Epiſcopi, Domini territoriales, & Capitula. Epiſcopi provocant tum ad jus divinum, tum ad traditionem per 12. ferme ſæcula ſibi faventem, ex qua notum eſt, quod ipſi fuerint principales collatores omnium beneficiorum, donec Capitula circa Sæc XIII. collationem Canonicatuum titulo quocunque, quemadmodum alia jura plura, cum grandi Epiſcoporum præjudicio ad ſe attraxerint. Principibus territorialibus favent tum principia generalia apud Proteſtantes recepta,

Quinam ſibi vindicent menſes papales.

Epiſcopi ex quo titulo ſibi illos vindicent.

Ex quo titulo Principes territoriales.

(i) Art. 5. §. 19. 20. 21.

Digitized by Google

recepta, vi quorum integrum *jus circa ſacra*, cujus appendix neceſſario connexa procul dubio eſt jurisdictio Epiſcopalis in P. W. ſuſpenſa, & huic cohærens collatio beneficiorum, ad Principes territoriales vel vi *Superioritatis territorialis*, prout plures in antiquiorum Proteſtanticorum ſyſtemate volunt (k), vel ex translatione & conventione tacita plebis in ſyſtemate noviori (l) pertinet; tum praxis & obſervantia, ex qua conſtat, quod ipſi ferme ubivis locorum *menſibus papalibus* Canonicatus conferant, quæ obſervantia tanto majoris eſt authoritatis, quod ipſa Pax Weſtphalica ad praxin, obſervantiam, exercitium, ac poſſeſſionem non modo in ordine ad *jus reformandi* Principibus territorialibus quibuscunque demum afferendum (m), ſed etiam in ordine ad decernendam reſtitutionem tam ex capite *Amneſtiæ*, quam *gravaminum*, ac ipſum Religionis exercitium regulandum provocet (n). Et quare ab hoc jure eccleſiaſtico excludantur Principes? cum cætera jura eccleſiaſtica ferme omnia ab ipſis titulo *Superioritatis territorialis* aut *translationis*, *devolutionis* & *conventionis* a plebe factæ libere exerceantur. Pro Capitulis facit, quod, uti ſupponimus, Capitula jus conferendi Canonicatus circa Sæc. XIII. aut paulo poſt legitimo titulo ſeu conſuetudinis ſeu præſcriptionis, ſeu demum renuntiationis ab Epiſcopis legitime factæ obtinuerint, & exercuerint, donec Pontifices per ſuas reſervationes obicem poſuerint. Et quoniam jam hic obex per Pacem Weſtphalicam ſublatis menſibus papalibus fuit remotus, hoc jus poſtliminio debuit reverti ad Capitula. Et ad quem alium debuere reverti aut devolvi *menſes papales* quoad Canonicatus? num ad Epiſcopos? ſed utique hi jam pridem ex mox dictis fuere excluſi: num ad Principes territoriales? verum inprimis de hoc altum ſilet Pax Weſtphalica, & paciſcentes ſtudioſe ſiluiſſe cenſentur, haud aliter, quam in §. 48. Art. 5. in quo ſuſpenſa legitur Jurisdictio Epiſcopalis, quin Paciſcentes aliud *æquipollens* ſubrogare, &, ad quem devolvenda illa jurisdictio, libere edicere auſi fuerint, ſed id potius liberæ conventioni ac tranſactioni relinquere, & judicio prudentum ſecundum apices Juris publici univerſalis decidendum committere voluerint (o).

Rationes pro Capitulis.

Menſes papales perperam adſcribuntur Principibus territorialibus.

Et

(k) Ut Boehmerus, Stryckius aliique Thomaſiani.

(l) Quod inter jura *majeſtatica* & *collegialia* diſtinquit, quod defendunt Moshemius, Pfaffius, Floerckius, & plures hodierni.

(m) Vid. dicta de jure reformandi ex opuſculis Authoris Excelſi.

(n) Art. 5. §. 30. Ibid. §. 31.

(o) Prout ſupra ex Pütero Epit. J. P. §. 160. probavimus.

Digitized by Google

Et quo jure & titulo ſibi Domini territoriales *menſes papales*, ſeu potius jus conferendi Canonicatus in menſibus papalibus vindicant? anne jure *Superioritatis territorialis*? an jure & titulo *translationis*, *conventionis & transactionis*? Qualecunque Syſtema Proteſtantium adoptemus, ſive dein *jus in ſacra Principibus vi juris regii* aut *Superioritatis territorialis* tribuamus, ſive inter *Jura Majeſtatica & Collegialia* cum novioribus DD. Proteſtanticis diſtinquamus, & Principi *jura collegialia* ex *tacita translatione* a cœtu expreſſe vel *tacite facta* adſcribamus: in utroque Syſtemate tam ipſi Eccleſiæ qua ſimplici Collegio in doctrina Proteſtantium, quam aliis *collegiis eccleſiaſticis*, qualia eſſe *Capitula Eccleſiarum* nemo eſſe negaverit, ſua *jura collegialia* ex principiis *Juris publici univerſalis* debent eſſe in ſalvo, quin penes Principes ſit ea pro ſuo arbitrio ſibi vindicare, collegiis eripere, ſibique adſcribere, quippe quos contentos eſſe oportet, dummodo habeant ſua *jura Majeſtatica* & *jus Inſpectionis generalis* in *jura collegiorum*, quæ collegiis omnino in ſalvo manere debent, niſi Princeps in omnes leges Juris publici univerſalis impingere velit, prout docent omnes DD. Juris publici univerſalis, ex quibus audire lubeat Pfaffium. Hic dum de Syſtemate Eccleſiæ agit, & inter jura *majeſtatica*, & *collegialia* accurate diſtinquit, in hunc modum loquitur: Erſtere, id eſt jura Majeſtatica, kleben der Landsfürſtlichen Oberherrlichkeit an, und werden von den Obrigkeiten nomine proprio ausgeübet. Die zweyte oder gemeinſchafftliche Rechten ſind ein Eigenthum deren Geſellſchafften, und flieſſen urſprünglich her aus der freywilligen Zuſammentrettung deren Geſellſchaffts-Gliederen, welche ein Landsfürſt zu beeinträchtigen nicht befugt iſt, anſonſten würde ſich der Zerfall und Umſturz aller Geſellſchafften nur gar zu leicht ergeben können. Indeſſen bleibet der Obrigkeit allzeit die Summa und Majeſtatica Inſpectio zum voraus, welche nach Geſtalt deren Sachen bey erheiſchender Nothwendigkeit oder augenſcheinlichen Nutzen des Staats auch denen Collegiis und Societatibus neue Geſetze vorzuſchreiben, ihre alte Rechten zu mäſſigen, und in gewiſſe Schrancken zu ſetzen bemächtiget iſt. Uebrigens ſtehet es denen Collegiis frey einige ihrer gemeinſchafftlichen Rechten an ihre Obrigkeiten zu überlaſſen (p). Atque huic Pfaffii doctrinæ plures ex hodiernis DD. Proteſtanticis adſtipulari aliunde notum eſt (q).

Nullum habent titulum.

Quodlibet collegium habet ſua jura collegialia.

Hæc Principes non poſſunt collegiis ſurripere.

Doctrina Pfaffii notabilis.

(p) Academ. Rede cap. 5. & 8.

(q) Moshemium, Floerckium, & Theologos Proteſtanticos ferme omnes cum pluribus etiam Juriſconſultis.

Jus conferendi beneficia eſt jus collegiale.

Jam vero jus conferendi beneficia & Canonicatus eſſe *jus collegiale*, Capitulis qua *Societatibus æqualibus ſacris* annexum quis negaverit? cum in omnibus collegiis diſpenſatio officiorum & munerum, ſit penes collegium, niſi vel ipſe Princeps quædam ſibi reſervaverit, aut collegium hoc jus in ſuos Principes tranſtulerit. Nam quia vel maxime intereſt ſocietatum & collegiorum, quales recipiantur ſocii & Collegæ, & aliunde ſtat optima præſumptio pro Societatibus, quod in Socios ſint adoptaturi nonniſi magis aptos, idoneos, & digniores, cur *jus* iſtud aſſumendi ſocios, diſpenſandi officia, diſtribuendi munera, tanquam *jus innocuum*, *Reipublicæ minime præjudicioſum* ipſis invideatur, aut denegetur? ea potiſſimum ex ratione, quod aliunde penes Principem reſideat *ſumma inſpectio*, vi cujus, ſi *ratio ſtatus* id exigat, quibusdam poteſt dare *excluſivam*, aut eos a ſuis officiis & muneribus amovere.

Atque hæc ratio potiſſimum militat in principiis Proteſtanticis pro *Societatibus ſacris*, a quibus omne Imperium omnemque vim excluſam eſſe volunt, & propterea inter jura Eccleſiæ collegialia expreſſe referunt jus conſtituendi Doctores, & præpoſitos Eccleſiarum, aliaque munia eccleſiaſtica diſtribuendi (r). Et nunquid Proteſtantes libere profitentur, quod ipſa Epiſcoporum electio in primitiva Eccleſia fuerit jus collegiale, & propterea in electionibus eorum Clerus & populus habuerit jus ſuffragii non mere conſultivi, ſed deciſivi? idque probare contendunt ex ipſa S. Scriptura, atque ad id probandum tum ad electionem ſeptem Diaconorum, tum ad concilium Jeroſolymitanum, in quo abrogata fuere ceremonialia, provocant. Idcirco non verentur Epiſcopos ſuperbiæ, ambitionis & avaritiæ turpiter arguere, quod plebem tam ab electionibus, quam conciliis Eccleſiæ excluſerint, aliaque jura collegialia uſurpaverint ſibique attribuerint.

Quid juxta hodiernam formam ſint Capitula.

Age! jam hæc Capitulis applicemus. Nemo negaverit, quod Capitula juxta hodiernam formam ſint *Collegia* valde *ſpectabilia*, adeoque gaudeant *juribus ſpecialibus collegialibus*, quibus gaudent alia collegia. *Capitula nihil aliud ſunt*, inquit Boehmerus, *quam Collegium Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, ſub Epiſcopo quidem, ſed ſeparatum corpus tamen ſub Directione Præpoſiti & Decani conſtituens, & peculiaribus ſuis juribus gaudens &c. Quod olim Presbyterium, id hodie Capitulum ſibi vindicat, imo in plerisque Cathedralibus Eccleſiis ad majorem aſpiravit libertatem, ut, quamvis ſub Epiſcopo conſtitutum ſit, peculiare tamen corpus conſtituat,*

(r) Vid. Pfaff. loc. cit. cap. 8.

Digitized by Google

ſtituat, ſine Epiſcopo Conventus inſtituat, & de rebus ad ſe pertinentibus deliberet (s).

Jus conferendi Canonicatus eſt jus collegiale ad Capitula pertinens.

Hæc cum ita ſe habeant, eccur ergo jus conferendi Canonicatus *jus* eſſe *collegiale* negetur, Capitulis denegetur, & Principibus territorialibus vindicetur? Nunquid enim longe majoris momenti negotium eſſe dignoſcitur electio Epiſcoporum, conſtitutio Doctorum & Præſulum Eccleſiæ, quam aſſumptio unius alteriusve Canonici? quodſi ergo negotium electionis fuit penes *Presbyterium*, Clerum & populum; & conſtitutio Doctorum ex mente Proteſtanticorum eſt jus collegiale, cur non adoptio Canonici ſit penes Capitulum, & *juribus collegialibus* annumerari mereatur? Eſt ſane perpetua, & quotidiana querela Proteſtanticorum contra Clerum Catholicum, quod *jura collegialia* Eccleſiæ cohærentia ad ſe violenter traxerit: quidni eodem jure contra Principes territoriales querantur Capitula, quod ſibi *jura collegialia* Capitulorum appropriaverint? Inter abuſus, uſurpationes, & rapinas Pontificum referunt Proteſtantes, quod Capitulis ſua jura ſubtraxerint, & per ſuas *reſervationes* ſibi jus conferendi Canonicatus intra ſpatium ſex menſium vacaturas appropriaverint: & nunc idem jus Principibus territorialibus veluti *appendicem jurium Majeſtaticorum* vindicant, aut ſaltem uſum hujus juris, quem ſibi proprium fecere Principes, veluti legitimum approbant.

Juſta gravamina contra Principes territoriales, qui ſibi jura collegialia Capitulorum vindicant.

Principes debent probare titulum.

Quodſi ergo *jus conferendi Canonicatus* ex ipſis juris publici univerſalis principiis eſt *jus collegiale*, Proteſtanticis incumbit probandum, quod vel Principes territoriales illud legitimo titulo ſibi vindicaverint, vel ex pace Weſtphalica, vel a Capitulis ipſis in Principes fuerit translatum, haud ſecus, quam *jura collegialia* Eccleſiæ propria a cœtu proteſtantico vel expreſſe vel tacite in ipſos fuiſſe translata prætendunt.

Non habent cauſam ſufficientem Capitulis auferendi menſes papales.

Nobis hactenus ratio convincens ex neceſſitate vel utilitate ſingulariſſima, & ipſa *ratione ſtatus* deprompta Capitulis hoc ſuum *jus collegiale* auferendi nondum fuit probata: & ideo regulæ communi inſiſtendum eſſe exiſtimamus, quod *nemini jus quæſitum ſit auferendum, niſi hoc aut evidens neceſſitas, aut utilitas exigat.* Idcirco cum Pfaffio exiſtimamus, repugnare naturali libertati ſocietatum, ſi Principes in vindicandis ſibi *juribus collegialibus* ſint exceſſivi: Jch halte feſt, inquit Pfaffius, ubi quærit, an Princeps ea, quæ ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, determinare poſſit: Ob die Obrigkeit die jenige Dinge, welche eigentlich das Gewiſſen nicht touchiren, ſondern nur die Kirchen-Diſciplin, Ge-

bräuche

(s) Boehmer J. E. Tom. 2. lib. 3. Tit. 9. §. 5.

bräuche und Güter anlangen, Krafft ihrer Oberherrlichkeit und Inſpectionis generalis determiniren könne, und ſolle. Ich halte feſt, inquit Pfaffius, dis præjudicire der natürlichen Freyheit der Geſellſchafft, welche zu unterbrechen die Obrigkeit eben nicht befugt ſeyn mag, da dergleichen Freyheit dem Staat keinen Eintrag thut (t). Ubi ulterius deducit, falſum eſſe principium eorum, qui exiſtimant, ea omnia in ſocietatibus poſſe determinari a Principe, quæ *juris* ſunt *permiſſivi*, & his verbis ſuum diſcurſum proſequitur: Ich halte dieſes deswegen für falſch, weil die Obrigkeit nicht ermächtiget iſt, die denen freyen Geſellſchafften angebohrne Befügniſſe zu ſtören. Es gehet ſolches weder in Societate conjugali noch herili an. Es ſind auch die jura permiſſiva nicht zu kräncken: wo die Bauren die freye Pürſt haben, darf man ihnen ſolche nicht nehmen, wiewohls ein Jus permiſſivum iſt. Die Kirche Gottes hat die von Chriſto ihr gegebene Freyheiten noch viel höher zu ſchätzen, und zu handhaben, es ſind dieſe Freyheiten altioris fori, und göttlichen Urſprungs, da es uns nicht erlaubet iſt der Menſchen Knechte zu werden 1. Cor. 7. v. 23. noch die Freyheit, die man hat, ſich rauben zu laſſen. Gal. 2. 4. 5. & 1. Coloſſ. 2. v. 20. (u).

Quænam ex mente Hornii ratio Capitulis ſurripiendi jus conferendi Canonicatus.

Neque nobis ratio ſufficiens ſurripiendi *jus collegiale* quoad conferendos Canonicatus Capitulis, ex parte Principum videtur illa, quam affert Hornius inquiens: *utrum vero Principes Evangelici jure Proviſionum menſium Papalium in Capitulis Evangelicis vel mixtis uti poſſint, non omnium eſt ſententia &c. quoniam tamen ratio beneficiorum ejusmodi eccleſiaſticorum hodie plane degeneravit, atque Canonici, ſimilesque beneficiarii exigua, vel nulla Eccleſiæ præbent miniſteria, eaque ferme hunc ſaltem in finem habent, ut hominibus bene meritis de Republica, aut merentibus adhuc, vel merituris emolumenti aliquid accedat, ſæpe etiam homines inertes & ad munia publica plane inidonei, ſaltem quod Nobiles ſint, beneficia hæc accipiunt, adeoque non multum mali Eccleſiæ ex iſtis proviſionibus, & menſibus papalibus accidere poteſt, prior illa ſententia, nempe quæ Principibus præſata jura attribuit, applauſu non deſtituitur* (x). En! ipſe Hornius hanc quæſtionem de jure conferendi Canonicatus in *menſibus papalibus* inter dubias reponit, neque abſolute pro Principibus jus dicere audet, & nonniſi rationem *convenientiæ* in favorem Principum allegat. Verumenimvero num ergo propter rationem *convenientiæ* & *congruentiæ* & propter

Eſt inſufficiens.

(t) Academ. Red. cap. 8. §. 2. pag. 160.
(u) Ibid. pag. 161.
(x) Jur. publ. cap. 60. §. 11.

pter quosdam abuſus Principi licet abſolute ſuis ſubditis auferre jus quæſitum? Ad hæc: Fundatur conſuetudo conferendi Canonicatus nonniſi Nobilibus in gravibus rationibus, quas hic allegare non eſt neceſſe. Principes viris de Republica bene meritis ſua debent compenſare merita ex bonis propriis, non alienis, & ſine præjudicio tertii: ſecus actum erit de bonis & juribus collegiorum, ſi jam liceat Principi ex hujusmodi titulis ſpecioſis jura ſubditorum infringere, & ſibi attribuere.

Neque ex P. W. jus conferendi Canonicatus in menſibus papalibus pertinet ad Principes.

Sed neque in Pace Weſtphalica menſes Papales, & jus conferendi beneficia in his menſibus vacantia ad Dominos territoriales fuiſſe translatum dici poteſt, cum de eo neque ex verbis & litera P. W. nec ex mente Paciſcentium conſtet. Non ex verbis: quia verba aliud non dicunt, niſi quod ſub prætextu *annatarum*, *jurium*, *pallii*, *confirmationum*, & *menſium papalium nihil prætendatur* (y); & menſes papales aliter non obtineant, niſi in quantum anno 1624. in uſu fuerunt (z). In quem autem jam menſes papales revertantur, aut poſthac devolvi debeant, pax Weſtphalica non dicit, & altum ſilet, illud haud prætermiſſura, ſi novum jus condere, & in Principes territoriales menſes papales transferre voluiſſet. Simile quid accidiſſe in Art. 5. §. 48. ſupra diximus, ubi quidem jurisdictio eccleſiaſtica ſuſpenſa legitur; ad quem vero fuerit devoluta, altum tacetur. Unde ſubintrant regulæ communes: *in dubio mutatio non præſumitur: in dubio nemini jus quæſitum auferendum: in dubio juri communi ſtandum: in dubio correctio Juris odioſa*: & hinc concludendum, quod *menſes papales* jam remoto obice, quem Pontifices per ſuas poſuerunt *reſervationes*, poſtliminio redierint ad Capitula, & ad Capitulares tanquam poſſeſſores antiquos, & reſpective *proprietarios legitimos*, hoc ipſo quod in P. W. aliter diſpoſitum fuiſſe non legatur. Neque id mirum videri debet, cum intentio Paciſcentium nunquam fuerit Capitula ipſa, aut eorum jura infringere, id quod ex variis locis Pacis W. patet, in quibus de conſervandis juribus, & prærogativis Capitulorum fuit actum, eaque revera noviter confirmata leguntur (a).

Pax Weſtphalica noluit Capitulis ſua jura infringere.

Doctrina Boehmeri juribus Principum exceſſive favens caſtigatur.

Quocirca ſat mirari non poſſum, quo veritatis fuco Boehmerus, neſcio quo zelo pro dilatandis juribus Principum territorialium ductus, quæ ad *Cæſaro-Papiam* usque extendere conatur, in ſequentem modum ſcribere auſus fuerit: *Poſtquam menſes papales ſublati ſunt intuitu Pontificis, ipſa Capitula eo modo non redierunt in plenam libertatem.* Soli Papæ

(y) Art. 5. §. 19.
(z) Loc. cit. §. 20.
(a) Vid. Art. 5. §. 19. 20. 23. 26.

Digitized by Google

Papæ jus ſuum ademptum, Capitulo jus ſuum, quod antea habuit, relictum, nec ullo indicio apparet, ei jus conferendi beneficia in menſibus papalibus collatum eſſe. Merito ergo hoc jus, quod antea Papa exercuit, vindicarunt ſibi Principes Proteſtantes, quo ipſo Capitulis nulla infertur injuria, quippe quæ jure priſtino fruuntur (b). Nam, edicat mihi aliquis, oro atque obteſtor! quo fundamento ſcribere poſſit Boehmerus, quod, ex ſuppoſito, menſes papales fuiſſe in Principes translatos, Capitulis *ſuum jus fuerit relictum* integrum, & nulla exinde eis illata injuria, nullumque factum præjudicium? Erat enim jus conferendi Canonicatus ante P. W. ſolummodo *reſervatum* & *ſuſpenſum* a Pontifice, quod jam remoto obice per P. W. ex communibus & univerſaliſſimis juris regulis poſtliminio debuiſſet reverti ad Capitula. Nunc vero jam non modo eſt *ſuſpenſum*, ſed penitus *extinctum*, atque ad tertium fuit devolutum, ad quem de jure devolvi non debuit. An ergo nulla mihi fiat injuria, nullumque mihi naſcatur præjudicium, ſi quiscunque tertius jus quodcunque, quod ad tempus ex cauſa quacunque e manibus meis fuit extortum, jam ceſſante cauſa ſine ſpeciali titulo ſibi vindicaret? Id facile largimur Boehmero, quod jus conferendi Canonicatus, de quo hic lis eſt, Capitulis in P. W. neutiquam fuerit collatum. Et ſane! ineptiſſime agerent Capitula, ſi ſuam cauſam in collatione ſibi facta fundare vellent, haud ſecus, quam ille, qui in præſcriptione immemoriali probationem tituli in ſe velit aſſumere aliunde a jure præſumpti: cum utique communes juris regulæ aliunde in favorem Capitulorum jus dicant, jubentes, ut jura ad tempus impedimento quocunque ſuſpenſa remoto jam obice ad ſuum antiquum poſſeſſorem, & reſpective Dominum poſtliminio redeant.

Neque ex mente Paciſcentium. Æque difficulter ex mente Paciſcentium *devolutio* aut *translatio* Juris & *menſium papalium* in Principes territoriales probari poteſt. Nam ſi hæc fuit mens Paciſcentium Principibus reſervandi, ſeu potius ad ſe trahendi, ſibique appropriandi menſes papales, quare hanc ſuam mentem, voluntatem & intentionem nullibi expreſſerunt, & verbis claris manifeſtarunt? quemadmodum id fecerunt in aliis materiis e. g. in *jure reformandi, reſervato eccleſiaſtico, excluſione ipſius Pontificis a jure conferendi Canonicatus.* Quod quia non fecerunt, fortiſſima contra ipſos militat præſumptio, quod talem reſervationem facere aut non potuerint, aut non voluerint.

Equidem nemo facile negaverit, quod ſi velimus facere *quæſtionem voluntatis*, & quærere, quidnam voluerint Paciſcentes Principes Pro-

(b) Tom. 2. lib. 3. Tit. 5. §. 120.

Proteſtantici, illi indubitanter reſponſuri eſſent, quod *menſes papales* ſibi vindicare, ad ſe trahere, & rapere voluerint. Porro in hujusmodi caſibus inaniter quæritur, quidnam una, ſed quid utraque pars *voluerit & potuerit*: ſecus quælibet pars omnia pacta, fœdera & contractus in ſuum favorem interpretatura eſſet, contra communem juris regulam, *quod par debeat eſſe utriusque partis Paciſcentium conditio, & una pars non nimium gravari.* Quare optime Proteſtantibus commune illud opponitur, *voluiſſe, quod non potuerunt, & non potuiſſe, quod voluerunt.* Et utique compaciſcentes fuere etiam Principes Catholici, de quibus præſumi non poteſt, quod ſe doctrinis proteſtanticis conformare, & notabiliſſimam jurium papalium, epiſcopalium, & capitularium partem ad ſe trahere voluerint. Demum Paciſcentes non nomine proprio, ſed nomine eorum, quorum intererat, pacti ſunt, adeoque nomine Capitulorum, aliorumque intereſſe habentium: anne vero credibile eſt, quod illorum mandatum *tacitum*, quod habuiſſe creduntur Paciſcentes, eousque ſe extenderit, ut jura illorum notabiliſſima non tam ſuis Principalibus vindicare, quam ſibi appropriare potuerint? ut adeo fines ſui mandati quam longiſſime tranſiliiſſe videantur, dum *jura collegialia* ſocietatibus ex jure naturæ & gentium propria & cohærentia, veluti partem ſuæ ſuperioritati territoriali annexam ſibi adſcripſerunt.

Paciſcentes proteſtantici non potuerunt menſes papales transferre in Principes.

Denique fruſtra appellant DD. Proteſtantici ad *translationem* ſeu *expreſſam* ſeu *tacitam menſium papalium* in Dominos territoriales factam: hæc enim cum ſit *facti*, probanda erit. Sed qua ratione, quo argumento, quo fundamento illam probare poſſunt? Si enim hæc translatio a parte rei fuiſſet facta, tunc debuiſſet fieri vel a Pace Weſtphalica, vel ab ipſis Capitulis, eo ferme modo, quo modo translationem *jurium collegialium* a cœtu proteſtantico in Principes factam fuiſſe fabulantur noviores *Syſtematis collegialis* Defenſores proteſtantici. Illud primum dicere nequeunt, quia ex dictis conſtat, quod nec jota, nec ſyllaba, nec apex in P. W legatur, ex qua talis translatio colligi poſſet, ut adeo Principes in hoc puncto idipſum feciſſe videantur, quod fecerunt in puncto juriſdictionis eccleſiaſticæ in P. W. ſuſpenſæ, absque eo, quod Paciſcentes illam in Principes expreſſe transtulerint, aut Epiſcopis quosdam ſubrogaverint, qui illam poſthac nomine Epiſcoporum exerceant, quam proin liberæ eorum, quorum intereſt, conventioni fuiſſe relictam opinantur (c). Sed nec ſecundum recte dicitur: inprimis enim de tali translatione non conſtat, nec facile præſumi poteſt: quis enim facile ſibi perſuadeat, quod Capitula ſeu pure Proteſtantica, ſeu

Neque ex translatione ſeu expreſſa ſeu tacita.

Capitula noluerunt ſua jura collegialia in Principes transferre.

(c) Pütterus Epit. J. P. cap. 7. §. 570.

Digitized by Google

ſeu mixtæ Religionis ſua jura ſublimia prorſus, & inter hæc jus conferendi Canonicatus tanquam margaritam pretioſiſſimam, jus ſibi ſeligendi, & adoptandi Con-Canonicos, quo & ſuarum illuſtrium familiarum ſplendorem conſervare, augere, & alias illuſtres familias ſibi obligare poſſunt, adeo contemptim habere, quaſi vilipendere, jactare, libere reſignare, in ſuos Principes transferre, & excuſſo jugo papali, ſi ita dicere licet, aliud jugum longe gravius ſuis humeris ſuperinducere, & ſuos Canonicatus liberæ Principum territorialium diſpoſitioni relinquere voluerint? quorum poteſtas eo formidabilior, quo efficaciora ipſis præſto ſunt media Capitulares coercendi, eorumque jura penitus ſupprimendi. De Capitulis mixtæ religionis aliunde præſumi nequit, quod Capitulares ſaltem Catholici in ſimilem ceſſionem aut translationem conſentire voluerint. Et demus, hos eſſe numero pauciores, nihilominus ceſſio a pluribus facta ſuo carebit robore, quia in præſenti caſu ſubintrabit regula: *quod omnes & ſingulos tangit, ab omnibus approbari debet*. Nam poſtquam in Capitulis *turnus*, uti vocatur, legitime invaluit, illumque jus commune approbavit, obſervantia, praxis, & conſuetudo confirmavit, utique Capitularium omnium, & ſingulorum *in individuo* intereſt, ut remoto obice & ſublatis Reſervationibus poſtliminio ſex menſes a Pontifice reſervati potius Capitulis reſtituantur, quam in tertium quemcunque transferantur.

Capitula ſemper ſtuduerunt ſuis juribus conſervandis. Conſulamus hiſtorias antiquiores & noviores, & facili negotio deprehendemus, quod Capitula miro prorſus & incredibili zelo zelaverint pro manutenendo jure ſuo conferendi Canonicatus. Quem latent querelæ & gravamina eorum in Synodis Conſtantienſi & Baſileenſi contra Reſervationes Pontificum? An non in Concordatis Germaniæ rem eo deduxerunt, ut numerus menſium papalium, qui vi regularum Cancellariæ erat octonarius, ſaltem ordinarie reduceretur ad ſex menſes? Et demum id effecerunt, ut famoſiſſima illa Concordatis adderetur clauſula, vi cujus illorum relictum fuit arbitrio, an *alternativam* menſium velint acceptare vel non, caſu quo fortaſſis pinquiora haberent privilegia, prout explicat Illuſt. Barthelius (d). Clauſula autem ſic habet: *Item ad finem, ut hæc ordinatio Collationis beneficiorum per alternos menſes poſſit per Nationem publicari, & omnes, qui ipſa gaudere velint, tempus congruum habeant, eandem acceptandi* (e). Hæc ſi ita ſe habent, quomodo jam præſumi poteſt libera ceſſio & translatio menſium papalium ab ipſis Capitulis in Principes ſuos territoriales? Quam parum

(d) De Concord. Germ. cap. 2. Sect. 1. N. 4. pag. m. 83.
(e) Schmauſ. Corp. J. P. pag. 40.

parum Proteſtantes illam ceſſionem *jurium collegialium* a cœtu proteſtantico in ſuos Principes factam, aut potius a novioribus Proteſtanticis fictam probare poſſunt, utpote quam cœtus facere nec potuit (cum hæc jura in ipſorum principiis jure divino eccleſiæ ſint conceſſa, quod immutare nequeunt) nec voluit, aut ſaltem voluiſſe, ſeque ſponte ſuis juribus ſpoliare, ea in Principem transferre, ſibique excuſſo jugo papali, jugum longe gravius imponere, ac ſe vaſallum ſuorum Principum territorialium in juribus eccleſiaſticis facere præſumi nequit: id quod hodiernæ querelæ & gravamina plurimorum DD. Proteſtanticorum contra antiquiores DD. Proteſtanticos in vindicandis juribus ſuorum Principum exceſſive liberales luculenter commonſtrant: tam parum a Capitulis talis *ceſſio*, *translatio*, & exceſſiva liberalitas præſumi poteſt, ut adeo de ea prorſus conclamatum eſſe videatur.

Sed quid de praxi & obſervantia contraria, de qua teſtantur Boehmerus & Hornius? quidquid de hac ſit, quam ſimpliciter reprobare non audemus, id replicamus, nos hactenus hanc controverſiam examinaſſe ſecundum apices juris naturæ, publici, eccleſiaſtici, & Germanici, adeoque quæſtionem inſtituiſſe de *jure*, non *de facto*. Et quis neſcit, non raro cedendum eſſe ſublimiori poteſtati? Profecto ne ipſi quidem DD. Proteſtantici ſuam doctrinam tanquam certam, ſed ſolummodo veroſimilem, magis in praxi, quam jure ſcripto fundatam, neque ipſam praxin ex omni parte & ſimpliciter approbare audent, ſuper quo audiatur Hornius ita ſcribens: *utrum vero Principes Evangelici jure Proviſionum, menſium papalium, Annatarum, quibus juxta Concordata Pontifex gaudet, in Capitulis Evangelicis vel mixtis uti poſſint, non eadem omnium eſt ſententia: multi affirmant &c. dubium aliis videtur, num Domini territorii commode illis uti queant &c.* (f).

Quærere liceat cum Authore quodam Anonymo, ob die HH. Proteſtanten die Päbſtliche Vorbehaltungen als zuläßig und gültig, oder aber als unerlaubt anſehen. Erſteres werden ſie ſalvis ſuis principiis kaum zugeben können, anſonſt wurden ſie ſich ſelbſt eines Unfugs ſchuldig geben, und einbekennen, daß ſie dem Römiſchen Pabſt ſeine dissfals habende Gerechtſamen in dem Weſtphäliſchen Frieden widerrechtlich abgeſtritten. Haben die Päbſte wiederrechtlich gehandlet, ſo hat ja dieſes widerrechtliche Betragen denen Capituln nicht nachtheilig ſeyn, und denen Landesfürſten Gelegenheit an die Hand geben können und ſollen, daß ſie fremde Gerechtſamen an ſich ziehen, und ſich des nemlichen Unfugs theilhafftig machen ſollen. Ja haben die Päbſte, wiederhohlen wir noch einmahl, widerrechtlich

 gehand-

(f) J. P. loc. ſupra cit.

gehandlet, ſo handlen auch die Landes-Fürſten nicht allerdings nach den Rechts-Sätzen, da ſie die nemliche gemeinſchafftliche Jura auf ſich lencken, und das jenige auszuüben ſich ermächtigen, was ſie in dem Römiſchen Pabſt verabſcheuen.

Ad Capitula pertinent menſes papales & jus conferendi Canonicatus.

Ex his itaque concludendum, quod, cum neque ex litera P. W. neque ex intentione Paciſcentium, neque ex voluntate præſumpta Capitulorum probari poſſit, menſes papales ſeu expreſſe ſeu tacite in Principes territoriales fuiſſe translatos; ipſi vero Principes ſecundum principia Juris naturæ & gentium jus conferendi Canonicatus in hiſce menſibus vacantes tanquam *jus collegiale* Capitulis auferre, ſibique vindicare, aut ad praxin & obſervantiam, utpote non ex omni parte, uti videtur, legitimam provocare nequeant, *menſes papales* jure poſtliminii ad Capitula, & jus conferendi Canonicatus in prædictis menſibus vacantes ad Capitulares ſecundum obſervantiam *turni* introductam pertineat, dummodo probare poſſint, quod ante reſervationem papalem hoc jus ad ipſos ſpectaverit. Secus dicendum foret, ſi collatio Canonicatuum, quemadmodum antiquioribus temporibus, fortaſſis penes Epiſcopum fuiſſet: tunc enim eodem jure Epiſcopus ſibi *menſes papales* vindicare poſſet.

Quid ergo dicendum in caſu, quo in Capitulo mixtæ Religionis Canonicum Proteſtanticæ aut Reformatæ Religionis in menſe papali mori contingat, & Princeps territorialis ſit Catholicus? Exiſtimo, eſſe Principi ad id attendendum, utrum *jus turni* pertineat ad Canonicum Proteſtanticæ, vel Catholicæ Religionis. Si prius: jure retorſionis uti poteſt Princeps Catholicus, & more Principum Proteſtanticorum Canonicatum conferre. Si poſterius: Turnario jus conferendi Canonicatum vacantem eſſe relinquendum ex principiis Catholicis exiſtimarem, ſalvo meliori.

§. VI.

Ulterioris quæſtionis eſt, ad quem *jus Annatarum* devolvatur. Nempe diſtinquendum inter Eccleſias *immediatas* & *mediatas*: In *immediatis* omnino ceſſat, quin ulli hominum in vim *Annatarum* quidquam ſit porrigendum, niſi quod Imperatori ultra taxæ ordinariæ ſummam inſuper ejusdem dimidium *pro infeudatione* Electi aut poſtulati ſolvere debeant, prout expreſſe cautum eſt in inſtrumento P. W. (g). In Eccleſiis *mediatis jus Annatarum* adſcribunt Principi territoriali ex ratione, quod Princeps territorialis in terris Proteſtanticis *jura papalia* exerceat. Verum de hoc viderint ipſi Proteſtantes. Ad nos hæc non ſpectant.

Ad quem jus Annatarum fuerit devolutum.

§. VII.

Ex eo ergo, quod Proteſtantes Pontificem cum omnibus ſuis juribus a negotiis Electionis & Poſtulationis excluſerint, ulterior oritur quæſtio,

(g) Art. 5. §. 21.

Digitized by Google

ſtio, ad quem in territoriis immediatis Proteſtanticis, & mediatis jure devolutionis pervenerint jura papalia, in ſpecie, ad quem jus electionis devolvatur, caſu quo Capitulares terminum electionis a jure præſcriptum elabi permiſerint, aut ex alio capite jus eligendi amiſerint. In Eccleſiis *mediatis* res iterum caret difficultate ex vulgatis principiis, quod Principes territoriales ſubintrent in locum Pontificis, adeoque talia jura ad ipſos devolvantur. Quoad *immediatas* vehementer inter DD. Proteſtanticos diſceptatur, dum plures eorum *jus devolutionis* ad Cæſarem omnino negant, & vel compromiſſo, vel ſorti ſuffragatoriæ locum dant (h): alii econtra juri devolutionis ad Cæſarem patrocinantur, qui pro ſe & ſua cauſa habent etiam unum alterumve præjudicium, inter quæ illud de an. 1708. Vacabat nempe per plures annos Abbatia Quedlinburgenſis. Re ad Cæſarem delata reſcripſit Imperator, ſe ſuo jure devolutionis uſurum, niſi in Principiſſam Eliſabetham Chriſtinam ſua vota eſſent directuri (i).

An in Eccleſiis Proteſtanticis quoad cauſas electionum & poſtulationum jus devolutionis obtineat.

An detur in his cauſis devolutio ad Cæſarem.

Pro *jure devolutionis* Cæſari negando adduci poteſt, quod poteſtas Pontificis ſit ſuſpenſa unice in favorem Proteſtantium: & quia Cæſar adhuc recognoſcit authoritatem Pontificis, quinimo in P. W. vehementer illius authoritatem & jura defendit, ſuſpenſo jure Pontificis nil juris pontificii ad illum reverti , aut is ſibi jure poſtliminii vindicare poteſt. Secus dicendum de Principibus territorialibus proteſtanticis, quippe, qui Pontifici ſua jura ſtrenue & impugnarunt, & ſibi vindicarunt. Accedit , quod Imperatori in P. W. unice *jus primarum precum* (k), & *Inveſtiturarum* (l) ſit aſſertum, quod indicium præbet, præter hæc jura eidem nihil competere. Et cum Cæſari in Inſtrumento P. W. in Art. 5. §. 21., ubi eſt ſedes hujus materiæ, nequidem confirmatio electorum aut poſtulatorum ſit aſſerta, ſed tales mox inveſtiri jubeantur, quo jure poteſt prætendere *jus devolutionis*? utpote quod ſupponit *jus confirmationis*. Neque ſane par ratio Capitulorum *mediatorum*, ac *immediatorum*: Nam vinculo longe ſtrictiori ſubjacent capitula mediata ſtatibus Imperii, quam *immediata* Cæſari: hæc enim ſede vacante induunt perſonam ſtatuum Imperii, & ſuperioritatem territorialem exercent independenter ab Imperatore, ſed ex lege publica, & jure quaſi proprio (m): illa ſimilem prærogativam nequeunt prætendere. Eſto autem Imperatori Jurisdictio in controverſiis ſuper negotiis electionis & poſtulationis competat ex P. W. Art. 5. §. 54., prout id etiam Proteſtantes libere profitentur (n), exinde tamen non eſt

Jus devolutum Cæſari abnegatur, ex quibus rationibus.

(h) Pfaff. Academ. Red. pag. 538. de Ludwig. de ſorte ſuffragator. Eccleſ. cap. 3.
(i) Boehmer. J. E. P. lib. 1. Tit. 10. §. 10. (k) Art. 5. §. 18.
(l) Eod. Art. §. 21. (m) Boehmer loc. cit. (n) Idem loc. cit.

eſt permiſſum, argumentum ducere ad *jus devolutionis*, utpote quod ex ea non fluit, quemadmodum etiam conſiſtoria Proteſtantium illud inde ſibi aſſerere non audent, ſed ex alia radice, videlicet ex *jure* quodam *Papali confirmationis pontificiæ*, quod Imperatoribus non competere fuit antea dictum. Denique Cæſari nec ipſe §. 26. Art. 5. patrocinari videtur, in quo Catholicis, quibus utique etiam Imperator accenſendus, *jus devolutum* adſeritur per verba: *iis*, id eſt Catholicis, *ſi electiones aut collationes præbendarum vacantium debito tempore factæ non fuerint, jus devolutum ſalvum eſſe debeat*: cum paragraphus iſte loquatur de iis, qui *jus devolutionis* ante P. W. exercuerunt, id quod de Cæſare dici nequit. En! argumenta, quibus Cæſari *jus devolutionis* ſimpliciter abnegatur.

Jus devolutum Cæſari adſtruitur. *Ex quibus fundamentis.* Econtra pro jure Cæſareo militat inprimis, quod ex mente & doctrina Proteſtantium *jus in ſacra* pertineat ad Principes ſæculares, & olim Imperatores *jus* iſtud *in ſacra* in genere, & ſingulariter mediante *Inveſtitura per annulum & baculum* exercuerint, & de dignitatibus eccleſiaſticis libere diſpoſuerint, donec Pontifices illud inique, ſicuti loquuntur Proteſtantes, ſibi vindicaverint, & Henricus V. ſolemni renuntiatione juri *Inveſtituræ* per annulum & baculum, quam tanquam invalidam paſſim proſcindunt Proteſtantes, renuntiaverit, & hoc modo juribus Imperatorum obicem poſuerit. Jam vero obice hoc remoto in P. W. & ſuſpenſo jure Pontificis, an non jure poſtliminii jus iſtud ad Cæſarem in Eccleſiis *immediatis*, haud aliter, quam ad Principes territoriales in Eccleſiis *mediatis* & quidem fortiori ex ratione reverti debuit? dum Imperator jam antea exercuit *jus in ſacra* per *Inveſtituram* in annulo & baculo, cui connexum eſſe *jus devolutionis*, vel ad minimum inde dependere videtur, quale jus Principes territoriales nunquam exercuerunt. Pro *jure Cæſareo*, inquit Böhmer (o), *militat, quod ſuſpenſa papali poteſtate circa Capitula immediata jus priſtinum reviviſcere debeat, quo argumento etiam ſtatus Imperii Proteſtantes utuntur pro jure ſuo circa ſacra, quod in Capitula exercent. Quemadmodum itaque hi jure devoluto utuntur circa beneficia mediata, ita quoque, quin Cæſari idem eſſe conceſſum debeat quoad Capitula immediata, dubium eſſe non videtur. Accedit, quod olim Imperatores vi Inveſtituræ per annulum & baculum optimo jure fundatæ de hujusmodi dignitatibus eccleſiaſticis diſpoſuerint, quod jus eisdem inique ereptum eſſe, omnes veritatis cultores fatentur. Huic connexum eſſe videtur jus devolutionis, vel ad minimum inde dependet, cum, qui poteſt majus, poſſit etiam minus.* Et poſt pauca: *hoc ſuſpenſo*, id eſt jure Pontificis, *res in primævum ſtatum* dedu-

(o, Ad Tit. X. de ſuppl. negl. Prælat. §. 11.

Digitized by Google

deducta videtur per Inſtrumentum Pacis: neque enim Cæſari aliquid ademptum, ſed Pontificis poteſtas, vi parta, fracta eſt. Pfaffius etiam, poſtquam utriusque partis fundamenta attulit, ſcribere non dubitat: ſolle ich hier was ſagen, ſo glaube ich, Auguſtiſſimi jus devolutionis habe gleichen Grund bey den Immediat-Stiftern, als wie das jus devolutionis der Evangeliſchen Landes-Herren bey Mediat-Stiftern (p). Illa diſparitas inter *Capitula immediata*, & *mediata* ſupra allata eſt ſolummodo materialis, & non eſt ad rem. Quidquid ſit de illo arctiori vinculo inter *Capitula mediata* & Principes territoriales, & inter *Capitula immediata* & Imperatores, ad fundamentum juris unice eſt reſpiciendum. Quia ergo Imperator olim *qua Imperator* jure regio *jus in ſacra* in Romano imperio exercuit, quemadmodum illud hodie exercent Principes territoriales *qua Principes* jure territoriali, ita etiam remoto obice *jure devolutionis* ad inſtar Principum territorialium, & quidem jure fortiori gaudeat, neceſſe eſt.

Cæſari favet Pfaffius.

Equidem poteſtas Pontificis ſuſpenſa fuit in favorem Proteſtantium, ſed ſine præjudicio tertii, id eſt Imperatoris, ad quem jus ſibi ereptum poſtliminio redire debet. Etutique ingens favor ex eo duntaxat obtigit Proteſtantibus, quod *jura papalia* fuerint ſuſpenſa, cum nihil aliud quæſierint, quam jugum papale excutere. Ut quid ergo Cæſari quoque ſua jura eripere tentant? Recognoſcit procul dubio Imperator authoritatem Pontificis & jura papalia, in quantum ea ſalvo inſtrumento P. W. recognoſcere poteſt, & debet. At vero in hoc caſu *jus devolutionis* ſalvo inſtrumento P. W. in Pontifice utique recognoſcere non poteſt: nam ex parte Pontificis fuit ſuſpenſum, & hoc ipſo ad ipſum jure poſtliminii devolutum: ſiquidem ex principiis proteſtanticis Imperator *jus in ſacra*, & *inveſtituræ* olim, priusquam a Pontifice fuit ereptum, legitime exercuit. In eo facile aſſentimur Proteſtantibus, quod ipſi vehementiſſime decertaverint contra jura Pontificum, nec deſtiterint, donec ea e manibus illorum extorſerint, contradicente Imperatore. Porro autem, poſtquam Pontificem ſuis ſpoliarunt juribus, quis prohibere poterit Imperatorem, quo minus jure poſtliminii ea ſibi vindicet potius, quam in manibus Proteſtanticorum ea relinquat? utpote quæ jure antiquo ad ipſum pertinuiſſe ipſi fatentur Proteſtantes, & hoc ipſo ad ipſum reverti debuerunt.

Poteſtas Pontificis ſuſpenſa fuit in favorem Proteſtantium, ſed ſine præjudicio tertii.

Quomodo Cæſar recognoſcat jura Pontificis.

Ex eo autem, quod Imperatori ſolum *jus primarum precum*, & *inveſtituræ* fuerit nominatim aſſertum, non ſequitur quod *jus devolutionis* ad ipſum non pertineat. Ubinam, edicant Proteſtantes, Jurisdictio eccle-

Argumenta contraria ſolvuntur.

(p) Acad. Reden. pag. 542.

eccleſiaſtica ex parte Epiſcoporum ſuſpenſa, ipſis aſſerta, & in ipſos tranſlata in Inſtrumento P. W. legitur? Et tamen illam ſibi ex ſuis principiis Proteſtanticis vindicare non dubitarunt: cur ergo id Imperatori vertant vitio? Verum eſt, quod Imperatori *jus confirmationis* Epiſcoporum in P. W. non fuerit aſſertum: ſed quare? quia Proteſtantes *confirmationem pontificiam* veluti inanem habuerunt, & certo certius ſoli *inveſtituræ* ab Imperatore impertiendæ vim confirmationis ineſſe, aut ſaltem eidem talem vim tribuere voluerunt. Quia igitur in vim *confirmationis* ſubſtituerunt *Inveſtituram*, cur Imperatori *jus devolutionis* inveſtituræ inhærens abnegare præſumunt? Sed neque id verum, quod *jus devolutionis* ſupponat *jus confirmationis* tanquam fundamentum & radicem *juris devoluti*. Nam, ſi illorum principia bene inſpiciantur, potius dicendum, quod utrumque hoc jus & *confirmationis* & *devolutionis* tanquam fundamentum ſupponat *jus in ſacra*, & *jus majeſtaticum*. Quia ergo utrumque concurrit in Imperatore, ex eo, quod jam obex ſit remotus, utrumque ad ipſum pertinet. Et quid prohibet, quo minus iſta duo jura ab invicem ſeparentur? quid ſi Pontifex cuidam Metropolitæ concedat *jus confirmandi* Epiſcopum, retento *jure devolutionis*?

Illud profecto argumentum, quo Defenſores juris cæſarei utuntur, & a Juriſdictione eccleſiaſtica in cauſis ſuper negotiis electionum & poſtulationum controverſis Imperatori competente ad *jus devolutum* argumentantur, ſane ſummi momenti eſſe exiſtimamus, quia quemadmodum facultas jus dicendi, ita etiam *devolutio* jurium fit ad immediatum ſuperiorem. Neque vim hujus argumenti infringit argumentum a *Conſiſtoriis proteſtanticis* deductum, tum quod illa Conſiſtoria juriſdictionem potius delegatam, quam ordinariam habeant, & talem ac non aliam, quam a Principibus acceperunt, exercere poſſint. Ubinam autem juriſdictio Imperatorum hoc modo reſtricta, aut eisdem *Jus devolutum* legitur eſſe ademptum?

Cæterum quia ille §. 26. Art. 5. unice loquitur de *jure devoluto* ad alios inferiores, & non ad Imperatorem, ſeque in ſola poſſeſſione, quemadmodum id in aliis materiis factum fuit, fundat, nolumus ad illum §. pro ſtabiliendo *jure devoluto* ad Imperantem pertinente provocare: cum ſuppetant alia argumenta longe fortiora jus cæſareum defendendi, & vindicandi, illa præcipue quæ hactenus ex paritate rationis & quidem longe majoris inter Principes territoriales quoad *Eccleſias mediatas*, & inter Imperatores quoad *Eccleſias immediatas*; nec non de juriſdictione Cæſari in controverſiis ſuper negotiis electionum motis competente attulimus, quibus quia accedunt præjudicia, omnino in favorem Imperatoris pronuntiandum videtur.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

De jure primarum precum.

Inter præcipuas Juris publici Germanici controverſias ad initium hujus ſæculi occaſione diſſidiorum inter Clementem XI. R, P. & Joſephum Imperatorem, & paſſim inter Publiciſtas vehementius agitatas eſt illa de *jure primarum precum*, quam non nihil fuſiori calamo dilucidandam aſſumpſimus, ita tamen, ut difficultates potius inſinuare, quam diſſolvere placuerit.

Quid ſit. *Origo earum unde.* *A quo tempore communius reputetur.* *Quomodo Imperatores eas exercere cœperint.* *Et quidem primitus precibus egerunt.* *Poſtea ſe in conſuetudine fundabant.*

Primæ preces nihil ſunt aliud, quam *legitima facultas Imperatoribus Romanis ex antiqua conſuetudine ab Eccleſia approbata competens, vi cujus in omnibus Eccleſiis Metropoliticis, Cathedralibus, Collegiatis, & regularibus poſſunt præſentare, & nominare perſonam idoneam ad beneficium unum vel actu vacans, vel in genere vacaturum.* Undenam illarum petenda ſit origo, hactenus nondum fuit demonſtratum, &, ut verum fatear, mihi adeo eſſe obſcurum & incertum videtur, ut quid ſcribere debeam, prorſus ignorem. Communius illarum originem repetunt ab illo tempore, quo *inveſtituræ per annulum & baculum* fuere abrogatæ, quarum eſſe reliquias exiſtimant plures Scriptores: nam quia Imperatores, quamdiu fruebantur *jure inveſtiendi* ferme omnia beneficia habebant in ſuis manibus & libere ea conferebant, abrogato jam *jure inveſtiendi* a frequentioribus quoque beneficiorum collationibus iis abſtinendum erat, quas procul dubio Ordinarii & Epiſcopi ſibi vindicabant. Unde ab initio incœperunt Imperatores precibus agere apud Pontifices, quatenus ſibi liceret ſubjectum capax ad Eccleſias & unum ſaltem beneficium nominare, id quod eo facilius impetrarunt, quod ipſi etiam Pontifices eodem ferme tempore apud Epiſcopos primitus *precibus*, poſtea *monitis*, ac deminum *mandatis Apoſtolicis* egerint, ut beneficia conferantur illis, quibus illa conferri volebant Pontifices. Verum paulo poſt Imperatores jam non amplius precibus duntaxat, ſed majori authoritate agere cœperunt, & ad conſuetudinem provocarunt, ſicque *jus primarum precum* ex jure non ſcripto prætenderunt. Docent id literæ Rudolphi I. Imperat. de an. 1273. (q), quæ ita habent: *cum ex antiqua, & approbata conſuetudine a Divis Imperatoribus ad nos usque traducta qualibet Eccleſia in noſtro Imperio Romano conſtituta ſuper unius collatione beneficii Precum noſtrarum primarias admittere teneatur &c.* Plures hujusmodi formulas longe clariores Caroli IV., Wenceslai, aliorumque Imperatorum recenſet Pieffingerus (r). Verum illa ipſa formula Rudolphi ſcrupulum nobis facit, utrum revera primæ preces ſuam ducant originem a tempore abrogati juris inveſtiendi. Equidem a tempore hoc usque ad Carolum IV. centum

Xx xx 2

(q) Apud Goldaſtum Tom. 3. Conſtit. Imper. pag. 406.
(r) Vid. Pfeffing. ad Vitriar. lib. 3. Tit. 2. pag. 89. 90. &c.

Digitized by Google

tum & ultra effluxerunt anni, intra quod temporis ſpatium plures Imperium tenuère Imperatores, & facili negotio conſuetudo introduci potuit: at mirum tamen eſt, quod Rudolphus unice ad conſuetudinem antiquam provocet, ſi hoc jus non jam antiquioribus Imperatoribus competiit. Deinde multis videtur, quod jus iſtud potius fundetur in *pontificio Indulto*, quam in lege ſeu ſcripta ſeu non ſcripta, id eſt conſuetudine.

An Imperatori jus primarum precum competat potius ex indulto Pontificio, quam conſuetudine. Item origo hujus dubii.

Fuit hæc quæſtio, quo jure videlicet Imperatori competat *jus primarum precum*, ex indulto pontificio, vel alio jure, labente hoc ſæculo ad initium illius acriter diſputata, dum an. 1705. Joſephus Imperator nondum obtento indulto pontificio ad Eccleſiam Hildeſienſem præſentavit Canonicum, contradicente Nuntio Apoſtolico Coloniæ reſidente, qui preces has nullas eſſe declaravit, maxime dum poſtea ipſe Pontifex Clemens XI. literas ad Capitulum Hildeſienſe dedit, quibus prohibuit, ne precibus Imperatoris ſatisfaceret.

Argumenta pro Indulto Pontificio.

Patrocinantur Pontifici quamplurima documenta antiquiſſima, in quibus omnibus fit mentio *privilegii & Indulti Pontificii*, ex quibus unicum adduxiſſe ſufficiat, videlicet *Indultum* Nicolai V. ad Fridericum III. de anno 1451. quod ita habet: *Hinc eſt, quod Nos tuis ſupplicationibus inclinati eidem Celſitudini tuæ præſentium ſerie concedimus, & indulgemus, quod ſi per te &c.* (s). Accedit, quod Imperatores ad Ferdinandum usque III. illud Indultum petere conſueverint.

Argumenta pro conſuetudine.

Imperatoribus econtra favent æque multa documenta, & formulæ, in quibus unice provocatur ad inveteratam conſuetudinem, nulla facta mentione privilegii, aut Indulti pontificii (t). Atque ex his inferunt defenſores Jurium cæſareorum, *Jus primarum precum* Imperatori qua *Imperatori, ſummoque Eccleſiæ Advocato & Protectori* competere. Inde factum eſt, ut jam a tempore Ferdinandi III. Imperatores amplius non fuerint ſoliciti de impetrando *Indulto* pontificio, & mox ab electione ſub ſpe ratihabitionis a Pontifice impetrandæ preces primarias exercuerint. Nolumus fuſius recenſere, quæ ſub Joſepho & Carolo VI. in hac re fuerunt agitata.

A tempore Ferdinandi III. Imperatores amplius Indultum pontificium non petierunt.

Quid in hac quæſtione dicendum videatur.

Quid ergo in hac quæſtione dicendum? Dicamus paucis, originaliter *jus primarum precum* dependere ab *Indulto Pontificum*, apud quos Imperatores primitus egerunt precibus, quibus Pontifices ſe quam facillime & eo facilius inclinarunt, quod Imperatores eſſent *Advocati & Protectores Eccleſiæ*. Quemadmodum ergo Pontifices erga alios fundatores & benefactores Eccleſiarum ſe gratos & liberales exhibuerunt, concedendo

(s) Vid. Pfeffing. loc. cit. pag. 90.
(t) Vid. Opuſc. Buderi. Vindic. Jur. Imp. adverſ. Epiſ. Romanos cap. 7. & 8. Item Vindic. prim. prec. Cæſar. Majeſt. ſuo uno & proprio jure, vi, ac virtute elect. per imperium compet. Nicol. L. B. de Lyncker. Jenæ 1712.

dendo e. g. *Jus Patronatus*, ita & Imperatoribus in ſignum ſuæ gratitudinis *jus primarum precum* indulgere non dubitarunt. Atque in hoc ſenſu verum eſt, quod *jus primarum precum Imperatori* qua *Advocato* & *Protector i ſupremo* ſit proprium, non quod *ſupremæ Advocatiæ* quaſi ex natura tanquam appendix neceſſaria inhæreat, ſed quod Eccleſia eidem id innexuerit, ea tamen lege, ut deſuper Pontificis *Indultum* impetretur. Succeſſive hæc res in conſuetudinem antiquiſſimam abiit, ut adeo Imperatores jure optimo ad illam provocaverint. Exinde autem non licet inferre, quod Imperatoribus jus iſtud competat ex ſola, adeoque vera conſuetudine independenter ab indulto pontificio: ad quid enim usque ad Ferdinandum III. deſuper *Indultum* fuit petitum? Itaque partim in *indulto pontificio*, partim in *conſuetudine* ab Eccleſia approbata *jus primarum precum* fundari videtur. Cæterum jam in id conveniſſe Pontifices cum Imperatoribus ajunt, quod Imperatores non amplius ſpeciale Indultum obtinere debeant, ſed ſufficiat, ſi hoc *Indultum* in genere cum aliis ſuis juribus & privilegiis a Pontifice recognoſcant. Scriptores, qui in hac materia in favorem ſeu Pontificis, ſeu Imperatoris ſcripſerunt, refert laudatus Pfeffingerus (u). Superſunt aliæ quæſtiones huc pertinentes decidendæ, & hinc.

An jus primarum precum competat Vicariis Imperii. Id quod negatur.

Quæritur, an *jus primarum precum* competat etiam Vicariis Imperii vacante ſede Imperatoria. Id quod merito negandum, ſiquidem iſtud jus eſſe perſonaliſſimum, ex vi coronationis Imperatoriæ Imperatori competere, & neutiquam cum jure præſentandi ad beneficia eccleſiaſtica, inter quæ ſunt etiam *Præbendæ Regales* (x), Vicariis Imperii vi Aureæ Bullæ (y) conceſſo confundendum eſſe videtur. Idcirco deciſio hujus quæſtionis ex ipſa Aurea Bulla erit petenda, in qua Vicariis Imperii *jus præſentandi* ad omnia beneficia conceſſum legitur, videndumque, an ſub hoc *jure præſentandi* veniat etiam *jus primarum precum*: id quod affirmare merito veremur. Inprimis enim quis neſcit, quod ſub generali locutione non veniant ea, quæ ſpeciali mentione indigent? At vero *jus primarum precum* eſſe jus valde ſublime, ſingulari certe mentione dignum, neutiquam cum *jure præſentandi* confundendum, quis negaverit? Cum illud jus præſentandi ſe ad *Præbendas Regias* duntaxat; *jus vero primarum precum* ad omnia beneficia, ſed ſemel tantum per vitam extendat. Optimus ſane interpres Aureæ Bullæ jure merito cenſetur

Jus præſentandi competens Vicariis Imperii non debet confundi cum jure primarum precum.

Xx xx 3 Carolus

(u) Loc. cit. pag. 91.
(x) De Præbendis regiis ſcripſit Chriſtian. Buderus in libro: *Hiſtoria Canonicatuum Imp. Regumque Germaniæ, ſive Præbendæ Regiæ.* Jenæ 1738. tales Præbendas habet Imperator Aquisgrani, Coloniæ, Agrippinæ, Bambergæ, Wormatiæ &c. Vid. idem Author in Opuſ. de S. R. J. Vicar. jure.
(y) Cap. 5. §. 1.

Carolus IV. tanquam author & conditor illius, ejusque filius Wenceslaus: at vero ambobus fuiſſe perſuaſum, jus iſtud ſibi competere ex *coronatione Cæſarea*, ex illorum patet Diplomatibus. Hac ergo dum carent Vicarii Imperii, neſcio, quo jure primas preces ſibi poſſint adſcribere. Liquet id ex Diplomate tam Caroli IV. de an. 1353. quam Wenceslai Imperatoris, qui an. 1376. Ruperto Electori Palatino iſtud jus per Diœceſin Spirenſem & Wormatienſem conceſſiſſe legitur. In hoc Diplomate Imperator trina vice aſſerit, *jus primarum precum* ſibi competere ex antiqua conſuetudine *ratione Coronationis* inquiens: *concedimus tenore præſentium, quod tu preces primarias ratione ſuſceptionis imperialis coronationis nobis competentes etiam porrigere valeas &c.* (z). Hujus opinionis fuiſſe videtur Imperator Leopoldus, qui in reſcripto ad Auguſtum adminiſtratorem Magdeburgicum an. 1672. dato ita ſcribit: daß die Gerechtſame der primariarum precum einem zeitigen Kayſer gleich nach der Kayſerl. Crönung zuſtehe. Imo communem olim fuiſſe hanc opinionem Catholicorum, exinde colligo, quod Ordines Imperii Romano-Catholici in gravaminibus de anno 1646. primarias preces ein Regal der Römiſchen Cron nominaverint (a). Hæc ita certa ſunt, ut nec ipſi Proteſtantes ſinceriores id negare audeant, qui cum aliud non habeant, quod opponant, Imperatores ſuperſtitionis arguunt, quod crediderint coronationi eam ineſſe vim, ut jus primarum precum producat (b). Suffragatur etiam praxis: non enim legimus, quod Vicarii Imperii hactenus iſtud jus exercuerint.

Hiſce non obſtat, quod Imperatores *jus primarum precum* aliis conceſſerint e.g. Wenceslaus Ruperto Electori Palatino, & id concedere poſſint, aut alii Principes illud in ſuis territoriis exercuerint e.g. Duces Brunſwicenſes Bernardus & Henricus, Gerlacus Archiepiſcopus Moguntinus (c), qui tamen nullum ex coronatione impreſſum habent characterem hujus juris productivum. Sed quid hæc ad nos? nemo Catholicorum ſomniavit, quod *jus primarum precum* eſſentialiter dependeat a charactere vi coronationis impreſſo. Id ſolum tenemus, ex ſtatuto Caroli IV. requiri coronationem tanquam *conditionem ſine qua non*, eo effectu, ut Imperator illud ante coronationem & ſine coronatione exercere non poſſit. Unde alii Principes hoc jure gaudere volentes coronatione non indigent: ſiquidem illis talis lex ſuſcipiendi coronationem poſita non eſt. Competit ulterius *jus primarum precum* ex conceſſione Imperatoris etiam Imperatrici, Regi Romanorum, vivo quidem & ad gubernacula ſedente Imperatore ex hujus indultu, eoque mortuo jure proprio. Exercent etiam illud ex jure Majeſtatis ſine indultu Pontificis Reges Galliæ, Hiſpaniæ & Hungariæ, & aliquoties exercuerunt quidam Electores, & Principes vi *Superioritatis territorialis* (d): quamquam Superioritas territorialis aut Majeſtas imperii per ſe non ſit titulus legitimus ad illud exercendum ſufficiens, niſi alio titulo eccleſiaſtico ſuſtentetur. Cæterum ſunt nonnulli Scriptores, qui Vicariis Imperii jus iſtud tribuunt pro illis Eccleſiis, in quibus illud Imperator non exercuit. At vero

Quibus adhuc competat jus primarum precum.

(z) Boehmer. tom. 2. lib. 3. tit. 5. §. 103. (a) Vid. idem Boehmer. loc. cit. §. 104.
(b) Vid. Schilterus de libert. Eccleſ. in addit. ad lib. 6. cap. 5. §. 11.
(c) Pfeffing. lib. 3. pag. 94. (d) Idem pag. 90. 100.

Digitized by Google

Utrum competat Vicariis Imperii, caſu quo Imperatores illud non exercuerunt.

vero putamus, ne hoc quidem cum fundamento dici poſſe, quia hoc nullibi ſcriptum legitur: manent quippe eædem rationes illud denegandi; & Vicarii non ſuccedunt in jura Imperatoris demortui jure proprio, quemadmodum Capitula ſede vacante in jura Epiſcopi, ſed ſunt nudi Adminiſtratores & Vicarii, nomine quaſi procuratorio tempore Interregni jura Imperatoria pro caſibus emergentibus expedientes.

In quibus Eccleſiis jus primarum precum Imperator exerceat.

Exercet jam Imperator hoc jus in omnibus Eccleſiis tam *Catholicis* quam *Proteſtanticis, immediatis & mediatis* conformiter tamen inſtrumento P. W. Antea diſputabatur, an poſt receſſum Imperii de an. 1555. Imperator in terris Proteſtantium hoc jus exercere potuerit, propter verba dicti Receſſus (e): ſo ſoll die geiſtliche Jurisdiction wider der Augſpurgiſchen Confeſſion, Religion, Glauben, Beſtellung der Miniſterien ꝛc. ſo ſie aufgericht, oder aufrichten mögten, biß zu endlicher Vergleichung der Religion nicht exercirt, gebraucht, oder geübet werden. Quoniam vero hæc ſuſpenſio unice reſpiciebat ea, quæ fidem concernunt, prout declarant verba mox ſequentia: aber in anderen Sachen und Fällen die Augſpurgiſche Confeſſion, Religion &c. nicht anlangend, ſoll und mag die geiſtliche Jurisdiction &c. wie bishero unverhindert exerciret, geübet, und gebraucht werden. Hinc obtinuit Imperator, ita tamen, ut præſentatus, ſi fuerit Catholicus, jurare debuerit de non turbanda religione Proteſtantica (f).

An etiam in Eccleſiis Proteſtanticis.

Quid deſuper in P. W. ſtatutum.

Hæc controverſia ſopita fuit in Inſtrumento P. W. & in eo diſpoſitum: *ubi ſacra Cæſarea Majeſtas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam impoſterum, dummodo decedente A. C. addicto in ejus Religionis Epiſcopatibus A. C. addictus ad normam ſtatutorum & obſervantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque Religione ſeu Epiſcopatibus ſeu aliis locis immediatis, precibus primariis præſentatus non gaudeat, niſi beneficium vacans Religionis conſors poſſederit* (g).

Aliter illud in Eccleſiis immediatis & aliter in mediatis exercet.

Eſt tamen notabile diſcrimen inter Eccleſias *immediatas & mediatas* ex ipſo Inſtrumento P. W. depromptum. Quoad *immediatas* ſtatutum (h), ut Imperator illud *exerceat in omnibus Eccleſiis, in quibus antea exercuit.* Quoad *mediatas* vero jus iſtud ad diem 1. Januarii anni 1624. eſt reſtrictum, ita, ut, ubi ſacra Cæſarea Majeſtas illud prædicta die *exercuit*, exerceat etiam impoſterum (i). Inde jam ingens conſurgit difficultas, quomodo ille terminus: *exercuit* ſit intelligendus, & an loquatur de *actuali exercitio*, vel *facultate exercendi*: multum enim intereſſe in effectu inter unum & alterum res aliunde clara eſt. Si intelligamus de *actuali exercitio*, profecto Imperator in pauciſſimis, aut in nullo loco hoc jure gaudebit, quia Imperator prædicta die inter bellorum tumultus fortaſſis nequidem ſomniavit de primariis precibus exercendis. Secus dicendum, ſi citatum locum de *facultate exercendi*, aut *poſſeſſione juris* intelligamus.

Quomodo ille terminus: EXERCUIT, ſit intelligendus.

Argumenta pro reali exercitio.

Pro utraque parte militant graviſſimæ rationes. Qui reale exercitium deſiderant, ad literam Pacis, quæ ſane eſt clariſſima, confugiunt: cum aliud ſit *exercere certo tempore & die primarias preces*, & aliud *facultatem exercendi habere.* Proprie *exercuiſſe jus* dici nequit certo tempore, qui eo tempore illud exercere tantum potuit, ſed non actu exercuit. Itaque literæ claræ inſiſtendum, quin alia interpretatio fortaſſis de mente paciſcentium poſſit habere locum. Et hoc eo magis, quia in aliis ſimilibus controverſiis e. g. in reſtitutione bonorum eccleſiaſticorum pro terminandis, & præcavendis impoſterum litibus communiter ſolam obſervantiam, ſolam poſſeſſionem, ſolum factum, non *jus* pro regula ponere placuit (k). Et ad quid fuit adjecta dies prima Januarii? quæ ſane adjectio erit fruſtranea, niſi *exercitium actuale* intelligere velimus

(e) §. 20. (f) Pfeffingerus lib. 3. pag. 94.
(g) Art. 5. §. 18. (h) Loco mox citato.
(i) Art. 5. §. 26. *In quibuscunque etiam fundationibus mediatis anno 1624. die prima Januarii S. Cæſar. Majeſtas primarias preces exercuit, exerceat poſthac.*
(k) Art. 5. §. 31.

velimus. Eſto autem hac ratione parum ſit conſultum Imperatori, ſibi adſcribat Imperator, quod non melius ſuis juribus proſpexerit, cum jura vigilantibus ſint ſcripta.

Argumenta pro ſola facultate exercendi.

Qui autem *facultatem exercendi* ſufficere opinantur, ad naturam hujus juris appellant, quod eſſe diſcontinuum, adeoque non pro libitu exerceri poſſe conſtat. Jam vero ex principiis Juris res eſt notiſſima, quod hujusmodi jura, ſi modo ſemel ſint legitime conſtituta, conſerventur, & poſſeſſor ſimilium jurium ſit in poſſeſſione illorum, dummodo alius poſſeſſionem non turbaverit, aut apprehenderit, etiamſi occaſio illa exercendi ſe non offerat, cum non ſit in poteſtate jus tale habentis, an & quando illud velit exercere (I). Demus igitur, quod Imperator fuerit in poſſeſſione hujus juris, & fortaſſis *preciſta* adhuc fuerit in poſſeſſione beneficii prima die Januarii, quod ex primis precibus obtinuit, quare non cum omni veritate ſaltem *in ſenſu juris* dici queat, quod Imperator *jus primarum precum* prima die Januarii revera *exercuerit?* cum poſſeſſio ſemel cœpta ſolo animo continuetur, ac ſimul ſit & *juris*, & *facti*, & quidem *facti* quodammodo *moraliter perdurantis*. Quia ergo preciſta, uti ſupponimus, fortaſſis adhuc eſt in ſua poſſeſſione, quidni dicere liceat, illud exercitium Juris ab Imperatore poſſeſſi moraliter in ſuo effectu perdurare?

Quomodo Imperator jus primarum precum 1. Januarii exercuiſſe dici queat.

Alia adhuc regula eſt notiſſima, ea nempe, quod leges & pacta non tam ſecundum verba, quam mentem legislatoris & paciſcentium ſint exponenda, tunc potiſſimum, quando ex literis & verbis neſcio quid abſurdi ſequitur. Jam vero quis credat, quod paciſcentes in P. W. ad actuale exercitium, & quidem prima die Januarii executioni datum reſpexerint? cum certo certius in illo armorum ſtrepitu & anguſtiis Cæſari nequidem in mentem venerit hoc jus exercere, aut ſi exercuit, nonniſi in una vel altera ſolummodo Eccleſia exercuerit, ut adeo veroſimile non videatur, quod Cæſar ſuum jus in tam arctos imo arctiſſimos limites reſtringi paſſus fuerit. Si dicant, AA. jura vigilantibus eſſe ſcripta, & ſtudioſe a Proteſtantibus terminum: *exercuit*, fuiſſe adhibitum, fatentur propriam turpitudinem, & reſpective dolum. Ad illud, quo dicunt, quod in materia reſtitutionis Paciſcentes ſolum *factum & poſſeſſionem* in vim regulæ aſſumpſerint, non una ſuppetit reſponſio. Et inprimis quidem jam ſupra demonſtratum, quod etiam in noſtro caſu Imperator ſupponatur fuiſſe in poſſeſſione juris, & ipſius exercitii moraliter adhuc perdurantis. Dein in materia *reſtitutionis* bonorum eccleſiaſticorum non tantum id clare eſt expreſſum, ſed inſuper conſtat de mente paciſcentium: cum tamen in noſtro caſu ex mente Imperatoris per ſuos Legatos paciſcentis potius contrarium ſit colligendum. Ad hæc: in materia reſtitutionis debuit attendi *factum*, quia alias nullus foret finis litium. Cœtera ad hanc materiam pertinentia e. g. in quibus beneficiis jus primarum precum obtineat, quid preciſtæ incumbat ratione inſinuationis literarum, utrum mors preciſtæ noceat Imperatori, Juris eccleſiaſtici Doctoribus diſcutienda relinquimus.

§. IX.

In explicando jure Germanico fuſiorem ſane, quam oportuiſſet, me fuiſſe libere fateor. Sed quæſo! ne quis mihi ſuccenſeat, aut cauſam curioſius a me ſciſcitetur. Tot ſane mihi fuere cauſæ, ut eas recenſere nimis longum foret. Inter has ferme præcipua fuit, quod Juvenes Catholicos contra quasdam doctrinas Proteſtanticorum enormiter exceſſivas præmunire, & melioribus principiis imbuere in animo habuerim. Cœterum & temporum anguſtiæ, & aliarum rerum circumſtantiæ in cauſa fuerunt, quo minus omnia decenter & ornate ſcribere potuerim. Deo Ter. Opt. Max. ſint immortales laudes & gratiæ, qui etiam hisce meis laboribus ſingulari ſua aſſiſtrice gratia adeſſe dignatus fuit, qui proin

(I) Hujus opinionis eſt etiam Henninges in Medit. ad §. 26. Item Pfeſſing. loc. cit. pag. 96. dicens: modo probet, anno 1624. ſe in poſſeſſione hujus juris fuiſſe.

In omnibus glorificetur. Finis.

Z

2. 3. 100 Vol III

Digitized by Google

005645933

Digitized by Google

Angelo Pandimiglio
restauratore
Google

Digitized by Google